

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

Supplementum Tomi Quarti De Sacramentis, Et Tomus Quintus De
Ecclesia


Chamier, Daniel

[Frankfurt, Main], 1629

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-932](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-932)



מלחמות ה'

DANIELIS CHAMIERI

PANSTRATIA

CATHOLICA

COMPLETA,

Sive

CONTROVERSIARVM

DE RELIGIONE ADVER-

SVS PONTIFICIOS

SUPPLEMENTVM TOMI QVARTI

DE SACRAMENTIS,

Et

Tomus Quintus

De

ECCLESIA:

Studio

IOANNIS-HENRICI ALSTEDII



ANNO æræ Christianæ.

M. DC. XXIX

DANIELIS CHAMBERI

PANSTRATA

CATHOLICA

COMPLETA

CONTRORSIARVM

DE RELIGIONE ADVER-

SARUM

IN PRAESSENTIUM TOMI QUARTI

DE SACRAMENTIS

Tomus Quartus

ECCLÉSIA

IOANNIS HENRICI ALSTEDII



ANNO 1714 Christianae

M. DC. LXXIV



AD LECTOREM.

INTER eos, qui Spiritus sancti virtute armati, eò studium suum, operam, laborem, & industriam contulerunt hac nostra memoria, vt veritatem in Sacris literis à Deo patefactam, & superiori seculo, singulari Dei munere, in candelabro velut postliminio collocatam (nam ante id tempus sub modio hæc lucerna erat ferme occultata) à strophis sophistarum vindicandam sibi existimarent, DANIEL CHAMIERVS DELPHINAS primum facile locum inuenit. Nam profecto si ad grande illud opus, quod Panstratiam Catholicam inscripsit respicimus, habemus quod opponamus fortissimo Papistarum Goliatho, Roberto Bellarmino, qui controuersias sui temporis quatuor tomis complexus est; & ita complexus; vt vastum ipsius opus non ab vno homine, sed à collegio integro profectum plurimis fuerit visum. Quod quidem mihi non fit verisimile. Cum enim Chamierus noster commodis illis, quibus Bellarminus abundauit, destitutus, magnum istud controuersiarum corpus solus perfecit, idem de Bellarmino iudicare licet. Tametsi autem iste Cardinalis de controuersis Christianæ fidei aduersus omnes huius temporis hæreticos disputare aggressus est, cum Chamierus eas tantum persequatur, quæ inter nos & Papistas agitantur: tamen quatuor ipsius tomos totidem tomis Bellarminianis non solum opponere, sed etiam anteponeere optimo iure possum. Nihil hic dico de veritate, quam Panstratia Chamieriana defendit; cum Bellarminus habeat,

Φέρματι πολλα μὲν ἐστὶν ἀμαρτυρίαι, πολλα δὲ δόξα.

Hoc, inquam, nomine palmam non defero Panstratiæ Catholicæ: quod veritatis hæc sit indoles, vt se ipsam commendet præ mendacio, vt ut illud incrustetur, pallietur, mangonizetur. Illud est, quod hic suspicio. Chamierus longe accuratius, neruosius, & copiosius exequitur singula, quam Bellarminus: idque quantum ad sacram literarum, linguarum originalium, totius antiquitatis, & omnium aliorum, quæ in disputatore theologo requiruntur, scientiam, & scientificam applicationem. Desinant itaq; nostri Papistæ tantopore gloriari de suo Bellarmino. Desinant Iesuitæ magno supercilio nostrates despiciere. Et ne forte, nescio quo zelo me adductum hæc scribere arbitrentur, positis affectibus conferant inter sese duos illos fortissimos athletas, quos in præsentia inter sese componere mihi fuit collibitum. Obseruent illud vetus: *Ex ungue leonem*. Nos autem quod Cicero nem dicitare solitum legimus, *Terentius familiaris meus*: hoc ipsum transferamus ad authorem nostrum, dicamusque, *Chamierus familiaris noster*. Sit, inquam, familiaris noster, quoties in arenam cum Papistis descendere oportet. Fidenter siquidem, & magna cum discendi cupidorum approbatione asseuero, in hoc authore mysticam illam Babylonem sic oppugnari, vt facile posset expugnari, nisi brachio seculari, iusto Dei iudicio, hac nostra ætate sustentaretur. Quidquid tamen huius sit, nos nostris partibus ne desimus; sed contra audentiores eamus, Deoq; gratias agamus, quod hoc tantum *καμπίδιον* (hanc Panopliam Chamierianam dico) nobis adhuc conseruat inter tot ruinas ecclesiarum, eumque porro supplices veneremur, vt in posterum excitet plures Chamieros, qui veritatem coelestem inuicta qua ore qua calamo assertum eant, & suppleant ea, quæ ille, morte præuentus, perficere non potuit. Ego quidem hoc facere institui. Verum plane mihi vsu venit, quod Plinius de quibusdam pictoribus statuarijsque refert. Veteres namque pingendi, fingendiq; artifices nobilissimi, suis operibus, tametsi absolutissimis (quæ proinde omnis posteritas demirata est) titulo appenso, hunc in modum inscribebant: *Apelles faciebat*, vel, *Polycletus*: non autem, *Fecit*. Qua in re, sua opera quidem esse aliquo modo, non autem omni ex parte perfecta, indicare voluerunt. Idem & ego in supplendo hoc opere præ me fero: idque eo magis, quod neque rei, neque temporis, neque personæ, neque commodorum huc pertinentium magnitudo in me reperitur. Res enim ardua cum sit, scientiamque multiplicem, laborem plurimum, attentionem maximam, lectionem immensam, & gravissimum iudicium desideret, equidem imprudentiæ nota mihi potest impingi, qui arduam hanc pro-uinciam in laumeros meos suscepi. *Tempus* vero cum adeo multum in suo opere elucubrando Chamierus consumserit, vt non solum vrsam imitatus sit, quæ catulos suos informes, frequenter lambendo expolire atque efformare consuevit, sed etiam struthionem, quæ non incubando, sed fixis oculis oua diu multum queintuendo, pullos excludit: cum, inquam, author ille *καμπίδιον* in sua Panoplia idem præstiterit, præcoqua certe ac intempestiua mea diligentia videri potest, qui *καμπίδιον* hoc argumentum persecutus sum, idque in metu, periculo, persecutionibus, exiliis, & circumstrepentibus irruentibusque omni ex parte malis. Sed quid de *personis* dicam? Chamierus non solum instructus omnigena scientia, sed etiam veteranus miles in arenam hanc descendit. At ego maiore potius fiducia, quam rei scientia & mei conscientia in ipsius locum succedere non dubitavi. Huc iam accedunt *commoda*, quibus ille noster *καμπίδιον* abundauit: quando librorum supellecile instructus, & virorum doctissimorum familiaritate vsus, nihil non potuit, quod huic Sparta fuit ornanda; dum ego exigua plane supellecile, nulloque pene virorum doctorum (vt pote quos tempestas belli alio eiecit) consilio aut consuetudine adiutus, lineas illas, quas hic repræsentato, ducere habui, necesse. Quid ergo? Cur hunc laborem mihi exantlandum

AD LECTOREM.

sumsi? Cur non potius mihi in mentem venit Veneris ab Apelle pictæ? Quam cum ille moriens Cois inceptam reliquisset imperfectam, non repertus est artifex, qui tam egregio operi vellet succedere: quia nempe quisq; desperabat de sua arte, quantumvis insigni & explorata. Potuissent sane & ego hoc imitari, nisi duæ grauissimæ causæ aliter mihi persuasissent. Cum enim studiosorum commoda meam opellam hac in re sollicitarent, visum fuit faciendum, ut illa prouiderem meo qualicumq; conatu: præsertim quia non occurrebant, quos præclarum istud opus supplere velle, sperare liceret. Deinde quia Typographus monebat, contractis velis in supplendo hoc opere esse opus, ut tomus quintus vna cum reliquis quatuor vno volumine posset commode compingi, facile passus fui me adduci ad hunc laborem subeundum: quippe qui breui temporis spatio posset ad finem perducere. Putabam etiam, quando meam fidem studiosis simul & Typographo obstringebam, me diligentiam meam in solo argumento de Ecclesia occupaturum: quod solus tomus quintus deesse plerisque videretur. Hinc sperabam fore, ut expectationi amicorum, studio breuitatis, tempore non adeo longo, satisfacerem. Verum enimvero dum Oeconomiam totius operis adorno, præter opinionem an spem accidit, ut in quarto tomo, qui est de sacramentis, quinque tituli, quos author ipse proposuit *tom. 4. lib. 6. cap. 3. §. 1. & lib. 11. cap. 1. §. 13.* occurrerint non tractati. Existimaui ergo me recte facturum, si prius quarto tomo extremam manum imponerem, quam ad quintum adornandum accederem. Vtrobique autem ita versatus fui, ut mihi proposuerim regulam, quam *Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 1.* secutus est: *Ita stilo, si potuero, moderabor, ut huic operi in Dei voluntate peragendo, nec ea, que supersint, dicam, nec ea, que satis sunt, prætermittam.* Fateor si Chamiero licuisset superesse, prolixitatem illam, quam in quatuor prioribus tomis recto iudicio adhibuit, in supplemento quarti tomi, & in hoc quinto, nobis suspiciendam reliquisset. Sed nos satis habuimus ea adferre in medium, quæ nauseam, quam bene multos ex imperfectione tam præclari operis concipere intelleximus, possunt tollere. Habes, Lector beneuole, expositam rationem studij & laboris mei quem pro Ecclesia, in Ecclesia constitutus, exantlare volui. Faxit Deus, spiritualium vocationum author & fautor, ut hic labor vergat ad nominis ipsius gloriam, & Ecclesiæ bonum. Ecclesiæ, dico, quæ hodie immane quantum iactatur variis procellis in tristissimi belli diluuiio. Vbi altissime animo nostro insidere debet, quod Thomas Aquinas eleganter scriptum reliquit commentario super Genesin: *Sicut arca fuit de lignis lenigatis, & dolatis, ita Ecclesia constat de sanctis, per angustias & tribulationes afflictis: & sicut arca ex lignis impuribilibus, ita Ecclesia constat ex hominibus incorruptis.* Deinde in arca pauci, scilicet octo anime (inquit Petrus) saluabantur; ex hoc significatur paucitas saluandorum. Postremo sicut multiplicatis vndis eleuabatur arca, sic per tribulationes crescit Ecclesia. Hæc ut est portus laboris, quem author sibi sumendum duxit in sua Panstratia, ita quoq; sit portus omnium laborum nostrorum, quos Deus vult nos exantlare in Christo, in Ecclesia, & in veritate Christi & Ecclesiæ, idq; pro Christo, pro Ecclesia, & pro veritate Christi & Ecclesiæ, ad Christi gloriam, Ecclesiæ amplificationem, & veritatis Christi & Ecclesiæ illustrationem. Scriptum ipso die Paschæ, anno extremæ Dei patientiæ 1628.

OECONO-

OECONOMIA PANSTRATIÆ CATHOLICÆ. DISPOSITIO GENERALIS.



DANSTRATIÆ Catholica primo agit de canone fidei Christianæ, seu fundamento, tom. I. tum de reliqua doctrina, cuius ex eo canone constat certitudo.

Istius doctrinæ *κεφάλαια γενικότερα*, siue loci communes sunt duo: vnum de Deo, eiusque cultu, tom. II. alterum de homine, qui Deum debet colere.

Homo consideratur vt corruptus & instauratus: ita nempe, vt corruptionis, & instauracionis siue reparacionis causa & natura explicentur tom. IV. instrumenta reparacionis duob. tomis reliquis.

Instrumenta reparacionis sunt partim sacramenta tom. IV. partim prædicatio verbi in Ecclesia, tom. V.

Et hanc quidem methodum author indigitat tom. 4. lib. 1. cap. 1. §. 2. Sed paulo aliter procedit tom. 3. lib. 10. cap. 1. §. 1. 2. vbi reparacionis naturam expendit partim in singulis, partim in omnibus Christianis. Reparatio in singulis Christianis consideratur quantum ad partes, effecta, & externa instrumenta, quæ sacramenta appellantur. In omnibus consideratur, quatenus omnes & singuli fideles constituunt vnum corpus, quod est Ecclesia.

Atque hæc est dispositio generalis: videamus specialem in singulis tomis.

TOMVS I. DE CANONE.

Primus locus communis huius Panstratiæ est de canone. Canon fidei Christianæ spectatur in natura, & vsu suo.

Natura Canonis est in ipsius autoritate & perfectione. Circa canonis aut horitatem duæ sunt controuersie: prima, quisnam sit canon fidei Christianæ, quæque & quanta sit canonis huius autoritas: altera, vnde sit ista autoritas.

Prima controuersia tractatur *καθ' ὅλον, & ἀνά μέγεθος. καθ' ὅλον*, seu in genere, spectatur thesis, & antithesis. Thesis hæc est: Sola Scriptura sacra est norma, regula, & mensura fidei Christianæ, adeoque supremus iudex controuersiarum ad eam fidem pertinentium. Hæc thesis pertractatur lib. 1. capitibus 22.

Antithesis hæc est: Neque Ecclesia, neque Episcopus Romanus est regula fidei, aut summus controuersiarum omnium iudex.

Prima pars huius antithesis tractatur lib. 2. ita vt Papistarum argumenta, concludentia, Ecclesiam esse fidei regulam, atq; adeo summum controuersiarum iudicem in negotio religionis, recitentur & examinentur à cap. 1. vsque ad 10. inde vsque ad finem libri, hoc est, c. 16. proferantur argumenta nostra, concludentia, Ecclesiæ hanc tantam autoritatem falso tribui.

Secunda pars istius antithesis edisseritur lib. 3. ita vt primo ventilentur argumenta Papistarum, qui ad Episcopum Romanum, id, quid quid est iuris, vno conatu tandem deuoluunt, à cap. 1. vsque ad 6. deinde recitentur argumenta Catholicorum contra illam sententiam, inde vsque ad finem libri, hoc est, c. 14.

Ανά μέγεθος, siue in specie, canon spectatur in singulis suis libris, lib. 4. & 5. vbi primo indicatur differentia librorum canonicorum & apocryphorum, lib. 4. cap. 1. deinde numerus librorum canonicorum subducitur, c. 2. denique argumenta vtriusque partis in medium adferuntur: ita vt Papistarum argumenta pro autoritate librorum controuersorum examinentur, inde à c. 3. lib. 4. vsque ad c. 9. seu vltimum: Catholicorum vero argumenta contra istam commentitiam autoritatem recitentur & vindicentur toto lib. 5. capitibus 15.

Hactenus euentilata est prima controuersia de autoritate canonis, quod nempe sola Scriptura sacra sit canon fidei: sequitur secunda, vnde sit autoritas ista.

Autoritas canonis est ab ipsius natura, hoc est, ab eo, quod profectus est à Spiritu S. lib. 6. c. 1. non vero à testimonio Ecclesiæ, cap. 2.

Prior illa sententia est Catholicorum: posterior, Papistarum. Argumenta pro sententia Catholicorum sunt lib. 6. cap. 3. vsque ad

8. contra sententiã Papistarum, sunt inde à c. 8. vsq; ad c. 20. seu finem libri 6. Argumenta Papistarum pro sua sententia examinantur l. 7. c. 11.

Vindicata libris canonicis autoritate sua, sequitur de perfectione canonis: vbi primo status controuersie proponitur lib. 8. c. 1. deinde perfectio canonis probatur c. 2. vsque ad 11. tertio traditiones Papistarum impugnantur, inde à cap. 11. vsque ad finem huius libri, seu ad c. 16. denique argumenta Papistarum de imperfectione Scripturæ, pro traditionibus, examinantur lib. 9. capitibus 22.

Et ita quidem canon spectatur per seipsum in natura sua: sequitur vt quis sit eius vsus inter Christianos, inquitamus.

Vsus canonis consistit primo in legendis Scripturis diuinis, deinde in illis intelligendis atque interpretandis.

De lectione Scripturæ sacre quæritur inter nos & Papistas, An librorum sacrorum lectio sit omnibus permittenda.

Status huius quæstionis proponitur lib. 10. c. 1. argumenta pro nostra thesi affirmante recitantur à cap. 2. ad 6. argumenta pro thesi Papistarum negante examinantur, inde à c. 6. vsque ad c. 10. seu finem huius libri.

Intell. ctus & interpretatio Scripturæ sacre est in verbis, vel sententiis. Verba, quibus à Spiritu sancto libri sacri concepti sunt & editi, vel Hebræa sunt, vel Græca. Hæc itaq; vt intelligantur ab omnibus, & singulis Christianis, necesse est vt Scriptura sacra vertatur è lingua originali in vernaculam. Hinc ista duo veniunt in quæstionem: vnum, an ius & fas sit Scripturæ sacre libros in quamlibet linguam vulgo cognitam transferre: alterum, quam a sit, aut esse debeat istarum translationum in Ecclesia autoritas.

De primo capite tuemur sententiam affirmantem, Papistæ negantem. Sententia nostra affirmans confirmatur lib. 11. c. 1. 2. 3. 4. 5. & ab exceptionibus aduersariorum defenditur, c. 6. Papistarum argumenta examinantur à c. 7. ad 14. seu vltimum huius libri.

Secundum caput ita tractatur, vt primo variae Bibliorum editiones, quarum alie sunt originale & authentice, alie transsumptæ & non-authentice, commemorentur, lib. 12. c. 1. deinde tres controuersie de istis editionibus attingantur c. 2. deniq; singulæ istæ controuersie pertractentur: è quibus prima est de Hebraica veteris, Græcaque N. T. editione: secunda, de Græca versione Septuaginta Interpretum: tertia, de Latina vulgata versione.

Prima controuersia status est. An summa & authentica sit autoritas librorum V. & N. Test. in lingua original, hoc est, Hebraica & Græca, lib. 12. c. 2. Thesis nostra affirmans probatur c. 3. 4. 5. 6. thesis Papistarum negans varijs argumentis confirmata examinetur à c. 7. vsque ad finem huius libri, seu c. 13.

Secunda controuersia, quæ est de Græca Veteris Testamenti editione, quam vulgo appellamus LXX. Interpretum, ventilatur lib. 13. capitibus 11.

Tertia controuersia, quæ est de autoritate vulgatæ editionis Latinæ, occupat librum 14. cap. 13.

Pertinet hæc ita controuersis, quæ pertinent ad eam Scripturæ sacre interpretationem, quæ verba spectat, soletque appellari versio siue translatio: sequitur vt eam partem tractemus, quæ pertinet ad ipsam verborum sententiam. Quæ interpretatio est inuestigatio sensus Scripturæ sacre.

Circa hanc interpretationem se offerunt tria controuersie capita, Primum est de sensu Scripturæ, an is vnicus sit vel multiplex, lib. 15. c. 1. 2. 3. secundum est de perspicuitate, tertium de ratione interpretanda Scripturæ.

De perspicuitate Scripturæ primo proponitur status controuersie lib. 15. c. 4. deinde argumenta nostra pro ista perspicuitate recitantur & allentur à c. 5. vsque ad 13. denique argumenta Papistarum pro obscuritate Scripturæ examinantur à cap. 13. vsq; ad 18. adeoque finem h. l.

De ratione interpretanda Scripturæ duo quærentur: vnum, cuiusnam sit Scripturam interpretari: alterum, quæ sit optima ratio siue via interpretandi.

Ad primum caput responderet, cui libet Christiano ius esse, vt legere, sic interpretari Scripturas, seruatim tamen diuersarum editionum

OECONOMIA PANSTRATIÆ CATHOLICÆ.

cationum & variorum donorum gradibus, libro 16. capit. 1. 2. 3.

Quod attinet ad alterum caput, *Via interpretationis* alia est interna, quæ ab ipsa Scriptura Scripturæ sensum expiscatur, cap. 4. alia externa, quæ adiumenta cōquirit extra Scripturam, puta à rebus, & testibus, quorum varii sunt ordines, videlicet pastores & doctores, veteres, & concilia, c. 5. Ex duabus hisce vijs prior est certissima, cum nempe ab ipsa Scriptura sumitur ratio interpretationis, c. 6. 7. non vero consensus Patrum, vt volunt Papistæ; quorum argumenta refelluntur à c. 8. ad finem h. l. hoc est c. 11.

TOMVS II. DE DEO DEIQVE CVLTV

Secundus locus communis huius Panstratiæ habet controuersias de Deo, & eius cultu.

In Deo consideratur communiter Trinitas, & singulariter Filij incarnatio.

In Trinitate sacrosancta occurrunt personæ, & attributa deitatis.

De personis proponitur confessio Catholicorum, lib. 1. c. 1. & apponitur depulsio septem calumniarum; videlicet,

1. nos esse hostes Trinitatis, c. 2.
2. personam à nobis male definiti, c. 3.
3. nos asserere inæqualitatem personarum, c. 4.
4. nos docere, Filium non sumere essentiam suam à Patre & Spiritum S. à Patre & Filio, c. 5. 6.
5. nos docere, Filium Dei esse imaginem & verbum Patris metaphorice, c. 7. 8. 9.
6. nos docere, Patrem esse primum; Filium, secundum; Spiritum sanctum, tertium omnium rerum principium, capit. 10. §. 1. ad 10.
7. nos docere distinctionem in operibus Dei ad extra, cap. 10. §. 10. vsque ad finem huius capituli, quod est vltimum h. l.

Quæ controuertuntur, de attributis deitatis, reuocantur ad omnipotentiam & prouidentiam Dei.

Circa omnipotentiam Dei depelluntur tres calumniæ: videl.

1. eam non numerari in attributis Dei in confessione Gallica, itemque in confessione Bezae, l. 2. c. 1.
2. Caluinum alligare omnipotentiam Dei verbo scripto, ita vt Deus nihil possit, nisi quod in verbo suo pollicitus est, c. 2.
3. à Caluino negari omnipotentiam Dei absolutam, c. 3. De prouidentia Dei primo recitatur confessio Catholicorum, c. 4. deinde duo capita controuersia proponuntur; è quibus primum est de contingentia & necessitate euentuum; secundum, de authore peccati.

De contingentia & necessitate primo proponitur status controuersia, c. 6. deinde prouidentia Dei certitudo & necessitas asseritur in rebus omnibus, c. 6. tum in naturalibus, c. 7. dehinc in voluntarijs, c. 8. tandem in contingentibus, c. 9. denique Papistarum sententia refutatur, inde à c. 10. vsq. ad 16. qui est finis huius libri.

De authore peccati primo recitantur sententiæ partium, puta Catholicorum, lib. 3. c. 1. 2. & Papistarum, c. 3. deinde vera sententia defenditur, à c. 4. ad 9. denique argumenta Papistarum refutantur, à c. 9. vsq. ad 12. quod est vltimum in h. l.

Ira considerauimus Trinitatem communiter: sequitur de incarnatione Filij, seu de Deo incarnato, singulariter; hoc est, de Christo.

In Christo attendere oportet personam & officium.

In persona Christi sunt 1. duæ naturæ. 2. naturarum vnio hypostatica. 3. communiō proprietatum, quæ sequitur istam vnionem. Hic primo depellitur calumnia gemina; vna, an Caluinus docuerit duas esse in Christo personas, & Beza duas vniones hypostaticas, l. 4. cap. 1. altera, an communicatio idiomatum à nobis dicatur esse tantum verbalis, c. 2. deinde speciatim agitur de humana Christi natura, hoc ordine.

1. de Christi natiuitate; an Christus sit natus ex Maria clauso utero, c. 3.
2. de Christi anima; vbi de animæ ipsius beatitudine, c. 4. 5. 6. fide, c. 7. scientia, cap. 8. 9. 10. 11. & peccato, an aliquid in Christi anima fuerit, c. 12. & 13. qui est finis libri.
3. de Christi passione: vbi certissima est controuersia de descensu Christi ad inferos. Hic primo diluuntur calumniæ, lib. 5. c. 1. 2. deinde status controuersia proponitur, c. 3. tertio Papistarum argumenta ventilantur, cap. 4. ad 11. denique argumenta Catholicorum adferuntur, cap. 11. ad 19. & obiectiones Papistarum soluuntur, cap. 19. 20.
4. de Christi resurrectione: vbi disputatur de quinq; cicatricibus, an illas Christus retineat in gloria, c. 21. quod est vltimum h. l.
5. de dotibus corporis Christi: vbi primo proponitur status contro-

uerfia, l. 6. c. 1. deinde disputatur de dotibus numero sex (neque enim omnes veniunt in controuersiam) videlicet. de impassibilitate, subtilitate, leuitate, & splendore, c. 2. de inuisibilitate, c. 3. de localitate, à c. 4. ad 11. siue finem libri.

Sic de Christi persona: consequens est, vt de eius officio agamus, quod significatur vno Mediatoris nomine. Hic autem tres sunt controuersia, lib. 7. c. 1. è quibus

Prima est vtrum Christus sit mediator secundum vtramque naturam? Cuius controuersia status proponitur lib. 7. c. 2. affirmatiua Catholicorum defenditur, c. 3. 4. negatiua Papistarum refellitur, c. 5. 6. 7.

Secunda est, vtrum Christus sibi ipsi fuerit mediator, seu aliquid sibi meruerit, cap. 8. quod est vltimum in lib. 7.

Tertia est, vtrum solus Christus sit mediator inter Deum & homines? Diuiditur autem hæc controuersia in duo capita; quorum alterum est de officio Christi sacerdotali, alterum de regio.

De officio Christi sacerdotali altera duntaxat pars, videlicet intercessio, venit in quaestionem: quia Papistæ docent ipsi subalternam esse intercessionem sanctorum. Huius itaque controuersia status proponitur lib. 8. c. 1. argumenta Papistica pro illa examinantur c. 2. ad 6. argumenta Catholica, contra illam recitantur c. 6. 7. 8. quod est vltimum in h. l.

De regio Christi officio quaeritur, vtrum solus Christus sit rex, siue monarcha, seu caput vniuersalis Ecclesia? Quod quidem Catholici constanter asserunt, Papistæ vero acriter oppugnant, Romanum Pontificem dicentes caput Ecclesie. Hic itaque primo recitatur immensa autoritas Oecumenici Pontificis, quem vocant, lib. 9. c. 1. deinde status controuersia constituitur, totaque tractatio in duo diuiditur capita. Primum est de thesi, vtrum scilicet aliquis à Christo constitutus sit Pontifex œcumenicus: alterum de hypothese, hoc est, an Pontifex Romanus sit à Christo constitutus ille Pontifex, c. 2.

Thesis affirmans defenditur à Papistis; quorum argumenta excutuntur à c. 3. vsq. ad 16. quod est vlt. in lib. 9. negans asseritur à Catholicis, quorum argumenta edisseruntur & asseruntur lib. 10. capit. 1. 4.

Hypotesis habet partes duas. In priori quaeritur de primo œcumenico Pontifice, quem à Christo collocatum Papistæ volunt in hoc tam excelso solio. In altera disputatur de primi istius successoribus ad hunc vsque diem.

In priori hypotheseos istius parte disertata est Papistarum asserio, Petrum Apostolum à Christo institutum fuisse Pontificem œcumenicum, lib. 11. c. 1.

Asserio ista varijs argumentis partim propugnatur à Papistis, quæ pròlixè commemorantur & refutantur, à cap. 2. ad 23. seu finem libro 11. partim oppugnatur à Catholicis, lib. duodecimo, capitibus quinque.

Alterâ hypotheseos pars est de successoribus Petri, hoc est, Pontificibus Romanis. Nam istos illi Petro successores designant. Hic autem duo constituuntur capita disquisitionis: prius, vtrum Romanus Episcopus sit œcumenicus Pontifex: alterum, vtrum sit Antichristus; quod est prioris appendix.

Prius caput in duas quaestiones subdividitur; quarum vna est de autoritate Romani Pontificis in Ecclesiam, altera de iure ipsius in temporalem politiam. Ibi est regimen ipsius Ecclesiasticum; hic potestas, quam vi regiminis Ecclesiastici dicunt habere in principibus seculares, lib. 13. c. 1.

Autoritas Pontificis Romani quam sibi vendicat in ecclesiam, varijs argumentis & testimonijs asseritur à Papistis, à c. 2. ad 23. siue finem lib. 13. Sed à Catholicis oppugnatur lib. 14. capitibus 15.

De autoritate Pontificis Romani, quam sibi arrogat in statum politicum, tanquam prioris appendixem, primo proponitur status controuersia, lib. 15. c. 1. deinde argumenta Papistarum pro thesi affirmante ventilantur à c. 2. ad 14. deniq; argumenta nostra contra istam sententiam proponuntur & asseruntur, à c. 14. ad 17. qui est finis h. l.

Supereft alterum caput de Antichristo: vbi constituitur status controuersia lib. 16. c. 1. tum argumenta Catholicorum, quod Papa Romanus sit magnus ille Antichristus edisseruntur lib. 16. à c. 2. ad 21. siue finem libri: denique argumenta Papistarum examinantur lib. 17.

- Argumenta Catholicorum sumuntur à notis Antichristi: videl.
1. à tempore, lib. 16. c. 2.
 2. à sede Antichristi, c. 3. 4.
 3. à doctrina ipsius, c. 5. 6.
 4. à docendatione, quæ cernitur in mysterio iniquitatis, cap. 7. 8. in imposturis, c. 9. 10. 11. 12. 13. in miraculis, c. 14.
 5. à vita: vbi sunt crudelitas, c. 15. scelera, c. 16. & luxus, c. 17.
 6. ab autoritate in Ecclesia, c. 18. 19. & Republica, c. 20. 21. qui est finis lib. 16.

DISPOSITIO GENERALIS.

Argumenta Papistarum, quod Papa Romanus non sit magnus ille Antichristus, alia sunt Bellarmini, alia Sanderi, libro decimo primo.

Bellarmini argumenta sunt numero nouem, hoc ordine:

1. de Antichristi nomine, c. 1. §. 1.
2. de vno homine, c. 1. §. 2. & seqq. itemque c. 2.
3. de tempore aduentus & mortis Antichristi, cap. 3. 4. 5.

4. de ipsius nomine proprio & charactere, c. 8.
5. de gente & generatione illius, c. 9.
6. de sede, c. 10.
7. de doctrina & moribus, c. 11.
8. de miraculis, c. 12.
9. de regno & praelijs, c. 13.

Sanderi argumenta sunt numero duo, c. 14.
Atque haec sunt controuersiae de Deo: sequuntur, quae ad cultum Dei pertinent; ubi sunt tria capita.

Primum est de consensu partium, lib. 18. c. 1.
Secundum, est depulsio calumniarum, quod sanctos conuictis prosequimur, c. 2. ad 6. qui est finis h. l.

Tertium, est arx causae de cultu religioso, an ille recte deferatur creaturis, reliquijs, & imaginibus.

De cultu creaturarum duo disputantur:

- I. Vtrum quibusdam creaturis competere possit cultus religiosus? Hic primo proponitur status controuersiae, lib. 19. c. 1. deinde de argumenta Papistarum affirmantium refutantur, c. 3. 4. 5. denique argumenta Catholicorum negantium stabiliuntur, cap. 6. 7. 8. qui est finis h. l.

- II. Vtrum inuocatione religiosa liceat inuocare ullam creaturam? Vbi status controuersiae proponitur lib. 20. c. 1. tum argumenta Papistarum pro parte affirmatiua refelluntur, cap. 2. 3. 4. 5. denique argumenta Catholicorum pro parte negatiua asseruntur, c. 6. 7.

De cultu reliquiarum proponitur status controuersiae libro 20. cap. 8. & argumenta Papistarum refelluntur, cap. nono quod est vltimum in h. l.

De cultu imaginum primo constituitur, c. 1. deinde duo capita controuersiae tractantur; vnum de imaginum veneratione; alterum, de imaginum positu in templis.

Circa venerationem imaginum tria veniunt in quaestionem: de quibus duo priora sunt generalia, tertium speciale.

- I. Vtrum licitae sint imagines Dei? Papistae affirmant, lib. 21. c. 2. nos negamus, c. 3.

- II. An imagines creaturarum sint adorandae? Vbi status controuersiae est cap. 4. argumenta Papistarum pro thesi affirmante, c. 5. 6. 7. Catholicorum, pro thesi negante, cap. 8. ad 15. quod est vltimum huius libr.

- III. De cruce, lib. 22. de qua disputatur primo historice, an imagines crucis in vsu fuerint ante Constantinum, c. 1. deinde praedice, de ipsius cultu seu adoratione, c. 2. ad 7.

De positu imaginum in templis disputatur c. 7. ad 9. qui est finis h. libr. & totius tomi secundi.

TOMVS III. DE HOMINE CORRUPTO & INSTAURATO.

Tertius locus communis Panstratiae nostrae habet controuersias de homine corrupto & instaurato.

Circa hominem corruptum primo diluitur calumnia Iesuitarum de prima hominis natura, libro primo cap. 1. deinde constituuntur duo capita controuersiae, vnum de peccato, alterum de poena peccati.

De peccato sunt tres controuersiae: 1. Quid sit peccatum originale? 2. Quale sit hominis liberum arbitrium in statu peccati? 3. Vtrum omnes homines sint peccatores?

De peccato originali primo proponitur status controuersiae, lib. 1. c. 2. deinde argumenta Catholicorum recitantur pro vera sententia, quod nempe corruptio insit humanae naturae, & insit homini nascenti, & ortum ducat ab Adamo, cap. 3. 4. 5. 6. denique argumenta Papistarum excutiuntur, cap. 7. & 8. quod est vltimum in hoc libro.

De libero hominis arbitrio in statu peccati primo formatur status controuersiae, l. 2. c. 1. deinde disputatur de libero arbitrio in genere & in specie. Ibi est ipsius natura, cap. 2. ad 7. hic disputantur duae quaestiones: vtrum sit in homine corrupto, c. 7. 8. & quanam sint eius vires, cap. 9.

Vires autem liberi arbitrii attenduntur in bono naturali, & morali seu theologico.

Vires in bono naturali spectantur tum in genere, circa res ciuiles; c. 10. tum in specie, circa cognitionem Dei, c. 11. 12. vbi est finis huius libri.

De viribus liberi arbitrii in bono theologico primo proponitur status controuersiae, libro tertio cap. primo; deinde argumenta Papistarum refelluntur, a c. 2. ad 18. siue vltimum huius libri: tandem nostra argumenta proferuntur & defenduntur, libro quarto capitibus duodecim.

Circa quaestionem, vtrum omnes homines sint peccatores, primo depellitur calumnia, quod negetur peccatum originis transire in liberos fidelium, lib. 5. c. 1. deinde disputatur, an Maria virgo fuerit immunis a peccato originis: vbi status controuersiae est, c. 2. affirmatiua Papistarum, a cap. 3. ad 8. negatiua nostra, a cap. 8. ad 14. seu finem h. l.

Sic de peccato: sequitur poena peccati; vbi in genere est consensus partium, l. 6. c. 1. & in specie quaeritur de poenis peccati originalis, & peccatorum actualium.

De poenis peccati originalis quaeritur, vtrum animae mortuorum in solo peccato originali patiantur vna cum poena damni etiam poenam sensus, c. 2. Nostra affirmatiua est c. 3. Papistarum negatiua, cap. 4. 5. 6.

De poenis peccatorum actualium sic disputatur, vt primo examinetur distinctio peccatorum in venialia & mortalia, cap. 7. deinde calumnia purgetur, c. 8. & dehinc adferantur argumenta tum Papistarum pro peccatis venialibus, c. 9. 10. 11. tum Catholicorum contra istam sententiam, c. 12. 13. qui est finis h. l.

Haec de hominis corruptione: sequitur eius restauratio, seu reparatio; cuius considerandae sunt causae & natura.

Causa est alia prima summaque, alia subordinata siue media.

Causa reparationis humana prima est voluntas Dei, quae hic dicitur praedestinatio.

Praedestinationis doctrina primo in genere proponitur, lib. 7. cap. 1. deinde in specie exponitur; vbi sunt tria capita controuersiarum:

- I. Sitne praedestinatio, intellectus diuini actio, an potius voluntatis, c. 2. 3.

- II. Sitne communis electioni & reprobationi, c. 4. ad 8. qui est finis h. l.

- III. Sitne eius causa aliqua praeter Deum: vbi primo proponitur status controuersiae, lib. 8. cap. 1. deinde distincte agitur de causa electionis & reprobationis. Quantum attinet ad causam electionis, examinantur argumenta Papistarum pro praerogatione merito, c. 3. 4. 5. & nostra argumenta contra illam praerogationem stabiliuntur, c. 6. 7. De causa reprobationis tractatur cap. 8. 9. 10. qui est finis h. l.

Eiusmodi est prima salutis causa: nunc de causa subalterna reparationis in Christo, seu de medio ad salutem; quae varia sunt: sed in controuersiam tantum venit mors Christi: vbi disputatur de meritis & efficacia mortis Christi.

Merita mortis Christi considerantur vel ex compacto, l. 9. c. 1. vel absolute, c. 2. 3.

Circa efficaciam mortis Christi quaeritur, pro quibusnam Christus sit mortuus? Hic primo disputatur, nos non negate mortis Christi sufficientiam, c. 4. deinde formatur status controuersiae de mortis Christi efficacia, cap. 5. tertio ventilantur argumenta Papistarum pro redemptione omnium, cap. 6. ad 13. quarto & vltimo asseruntur argumenta nostra pro redemptione electorum; cap. 13. quod est vltimum h. l.

Hucusque de causis restorationis humanae: sequitur illius natura, quatenus nempe ista reparatio spectatur in singulis, vel in omnibus Christianis; id est, in Ecclesia.

Reparatio in singulis Christianis consideratur quantum ad ipsius partes, effectum, & externa instrumenta; quae dicuntur sacramenta.

Partes reparationis sunt sanctificatio & iustificatio.

Circa sanctificationem primo redditur ratio ordinis, cur de illa prius dicatur quam de iustificatione: deinde abstergitur calumnia: tertio agitur de sanctificationis perfectione & imperfectione: quarto de ipsius partibus.

Ratio ordinis haec est. Etsi iustificatio est natura prior quam sanctificatio: tamen quia Papistae non distinguunt, indeque fit, vt de iustificatione disputantibus multa subinde occurrant, quae ad sanctificationem pertinent, & non explicata facessunt negotium, cogimur de sanctificatione prius dicere, lib. 10. c. 1.

OECONOMIA PANSTRATIÆ CATHOLICÆ.

Calumnia, qua nos grauant Papistæ, est, quod omnem iustitiam inhærentem à fidei alienemus, c. 2.

Perfectio sanctificationis distinguitur certis gradibus, cap. 3. & falso asseritur à Papistis, vt patet è seqq.

Imperfectio sanctificationis est gemina: vna propter concupiscentiam, quæ nos in hac vita non deserit; altera propter actus moraliter malos, siue peccata mortalia, quibuscum conflictamur.

De prima sanctificationis imperfectione, seu concupiscentia primo formatur status controuersia, c. 4. deinde argumenta catholicorum recitantur & vindicantur, c. 5. ad 11. deniq; argumenta papistarum examinantur, c. 11. ad 20. qui est finis h. l.

De secunda sanctificationis imperfectione, quæ est in peccatis mortalibus, hæc est quæstio, Vtrum legis obseruatio seu impletio possibilis sit hominibus iustis, per eam gratiæ mensuram, quæ datur in hac vita, lib. 11. cap. 1. Quam quæstionem papistæ affirmant, catholici negant. Sunt autem hic duo capita controuersia. Prius agit in genere de tota obseruatione legis: alterum sigillatim de bonitate operum pendentium ab ea obseruatione.

De prioris capite docent aduersarij, obseruationem omnium Dei præceptorum esse nobis possibilem cum ipsius adiutorio. Quam sententiam illi probant varijs argumentis, quæ excutiuntur à cap. 2. ad 10. nos negamus itidem varijs argumentis, à c. 10. ad 16.

De posteriori capite, videlicet de singulis operibus bonis, hæc est quæstio, an bona opera in hac vita possint esse perfecta, c. 16. Nos negamus varijs argumentis, à c. 17. ad 21. Papistæ aiunt itidem varijs argumentis, quæ expenduntur à cap. 21. ad 24. adeoque finem h. l.

Partes sanctificationis sunt fides & bona opera.

De fide primo expenduntur significationes vocabuli, & status controuersia formatur, lib. 12. c. 1. deinde disputantur quæstiones controuersia, num. 5. hoc ordine.

I. Cuius facultatis sit fides, intellectusne an voluntatis, vel vtriusque? quod postremum asseritur c. 2. 3. 4.

II. An fides sit notitia? vbi primo proponitur status controuersia, cap. 5. deinde argumenta papistarum pro ista fide confutantur, c. 6. 7. 8. deniq; contra illam disputatur ex mente catholicorum, c. 9.

III. Disputatur de nexu bonorum operum & fidei: ita vt primo formetur status controuersia, c. 10. deinde argumenta Papistarum excutiantur, à cap. 11. ad 16. postremo catholicorum sententia confirmetur c. 19. quod claudit hunc librum.

IV. Disputatur de fidei obiecto: Vtrum scilicet fides subsistat in vniuersali consideratione salutis in Christo propositæ, an vero hanc eandem applicet vnicuique peculiariter? Hic primo status controuersia proponitur, lib. 13. c. 1. deinde applicatio propugnatur à catholicis, c. 2. 3. & impugnatur à Papistis, cap. 4. 5. 6. 7. denique applicationis certitudo defenditur à nobis, c. 8. ad 16. impugnatur ab aduersarijs, c. 16. ad 20.

V. Disputatur, quorumnam hominum sit fides vera; electorumne tantum, an etiam quorundam reproborum; & possitne vera fides penitus deficere? Hic proponitur status controuersia, cap. 20. & tum adferuntur argumenta Papistarum pro interitu fidei, c. 21. nostraque asseruntur contra istum interitum, c. 22. quod est vltimum h. l.

Sic de fide: nunc de bonis operibus. Sunt autem hic duæ partes disputationis: de merito operum, prima; de necessitate, altera.

De merito operum bonorum primo proponitur sententia vtriusque partis, nempe Papistarum, lib. 14. c. 1. & catholicorum, c. 2. deinde expenditur nomen meriti, c. 3. & res ipsa; videlicet meritum congrui, c. 4. & meritum condigni: de quo ipsum *νεμόσδορον* est c. 5. argumenta Papistarum, c. 6. ad 13. Catholicorum, c. 13. ad 22. quod est vltimum h. l.

Necessitas bonorum operum primo distinguitur, deinde plene ventilatur. Ibi est distinctio necessitatis in eam, quæ est secundum efficientiam, quæque negatur à nostris, asseritur ab aduersarijs, lib. 15. c. 1. & eam, quæ est secundum præsentiam; vbi depellitur calumnia, c. 2. Hic sunt duo capita controuersia: vnum de discrimine legis & Euangelij, c. 3. 4. 5. alterum de libertate Christiana circa legem moralem, c. 6. & res adiaphoras, c. 7. vbi disputatur de constitutionibus Ecclesie & votis.

Circa constitutiones Ecclesie quæritur primo de authoritate quam habet vel non habet Ecclesia in condendis huiusmodi legibus; deinde de ipsis legibus.

De authoritate Ecclesie primo proponitur status controuersia, cap. 8. deinde argumenta Papistarum ventilantur, c. 9. & 13. deniq; nostra argumenta opponuntur & defenduntur, cap. 13. ad 17. qui est finis libri.

De legibus ipsis, quas condit Ecclesia, duo sunt præcipua capita; de coniugijs, & ieiunijs.

In coniugijs quæritur primo de illorum vsu, tum de repudijs & diuortijs.

De vsu illorum tria capita sunt controuersa. 1. vtrum sit aliquod hominum genus, cui sit interdendum matrimonium? 2. de cognationibus. 3. de liberis, qui sunt in potestate parentum.

Quod attinet ad primam controuersiam, Papistæ vsu matrimonij non permittunt sacerdotibus; & post secundas nuptias nulla spes admittendi quenquam. Vnde duo capita disputationis: vnum de sacerdotum cœlibatu, alterum de digamia.

De cœlibatu sacerdotum primo proponitur status controuersia, l. 16. c. 1. deinde ille impugnatur nostris argumentis, à c. 2. ad 14. & vltimum huius libri; postremo propugnatur à Papistis, quorum argumenta refelluntur l. 17. à c. 1. ad 10.

Digamia (nempe successiua) æque licita est clericis atque laicis, c. 10. quod est postremum in h. l.

De cognationibus disputatur primo in genere, l. 18. c. 1. 2. 3. deinde in specie; vbi prima quæstio est, An iis gradibus, qui exprimuntur in Leuitico, alij gradus addendi fuerint, quorum incestæ fierent nuptiæ, c. 5. 6. 7. 8. altera, An gradus apud Mosen prohibiti, obnoxii sint dispensationi, c. 9. 10.

De liberorum nuptijs exurgit gemina quæstio: videl. vtrum parentes possint liberos ad matrimonium cogere, & an consensus parentum sit necessarius, c. 11.

Hæc de vsu matrimonij: sequitur de repudio, c. 12. & de diuortio, c. 13. ad 18. quod claudit h. l.

Tractationem de coniugijs excipiunt ieiunia: vbi primo abstergitur calumnia, libro decimo nono cap. 1. deinde quæritur, quomodo ieiunium sit celebrandum; quo nempe abstinentiæ genere, & quo tempore?

De abstinentia in ieiunio duo disputantur: vnam est de vna cœna in ieiunio, cap. 2. alterum, an ciborum delectus faciat ieiunium, cap. 3. 4. 5.

De tempore ieiunij tria disputantur, hoc ordine:

I. De ieiunijs statis Papistarum in genere, c. 6.

II. De ieiunijs statis illorum in specie: puta de Quadragesima, c. 7. de ieiunio feriæ quartæ, sextæ, & sabbati, c. 8. de ieiunijs quatuor temporum, c. 9. denique de ieiunijs Aduentus, Rogationum, & Vigiliarum, c. 10.

III. De diebus, quibus non licet ieiunare, cap. 11. quod est postremum in h. l.

Hactenus de constitutionibus ecclesie: superest de votis; quorum tractatio generalis est lib. 20. cap. 1. specialis persequitur duas quæstiones: videlicet. Cui sit nuncupandum votum, num soli Deo, an etiam sanctis, cap. 2. & quid sit vouendum: vbi disputantur ista duo: primo, An præcepta cadant in votum, c. 3. deinde, an & quomodo res arbitrariæ cadant in votum: & hic iterum duo veniunt in quæstionem. Primum est, Vtrum & quomodo vota sint cultus Dei, c. 5. 6. Alterum, Quisnam debeat esse votorum inodus? Hic agitur de religionum Papisticarum ordinibus, c. 7. illarumque origine, & abusu.

Origo illarum cernitur in votis substantialibus, & votorum professione. Vota substantialia, seu essentialia, sunt numero tria: videlicet votum paupertatis, c. 8. 9. 10. obedientiæ, c. 11. 12. 13. & continentia seu castitatis, c. 14. ad 20. Votorum siue religionis professio arcessit originem votorum à consilijs Euangelicis, c. 20. 21. & exemplis illustribus, c. 22.

De religionum abusu disseritur c. 23. eog. vltimo.

Sic de sanctificatione: deinceps de iustificatione. Vbi tria sunt capita controuersia. 1. quid sit iustificatio, seu quæ eius materia? 2. de ipsius instrumento, sola fide. 3. de remissione peccatorum.

De materia iustificationis primo formatur status controuersia, lib. 21. cap. 1. deinde ventilantur argumenta Papistarum pro iustitia inhærente, cap. 2. ad 8. postremo adferuntur & adferuntur argumenta Catholicorum partim contra iustitiam inhærentem, cap. 8. ad 13. partim pro imputata Christi iustitia, cap. 13. ad 21. qui est finis h. lib.

De sola fide iustificante primo proponitur status quæstionis, libro vigesimo secundo cap. primo deinde vera sententia probatur, cap. 2. ad 6. & defenditur contra Papistarum argumenta, cap. 6. ad 14. siue finem libri.

De remissione peccatorum disputatur, an sit plena & perfecta? Catholici aiunt; Anticatholici negant, ita vt defendant ipsius imperfectiorem, & istius imperfectiorem supplementum. Quod attinet ad imperfectiorem seu dimidiationem remissionis peccatorum, disputatur de pœnis peccatorum condonatorum, ita vt primo reciteretur status controuersia, lib. 23. cap. 1. deinde argumenta Catholicorum, c. 2. & Papistarum,

DISPOSITIO GENERALIS.

Papistarum, c. 3. ad 7. De istius imperfectionis supplemento ita docent Papistæ, ut constituant geminum; unum per proprias, alterum per alienas satisfactiones.

Satisfactiones proprias Papistæ probant, cap. 7. ad 18. Catholici damnant, c. 18. ad 21. qui est finis h. l.

Satisfactiones alienæ sunt apud aduersarios aliæ priuatæ, de quibus lib. 2. c. 6. 1. aliæ publicæ, quæ veniunt nomine Indulgentiarum: in quibus spectantur ista:

1. Essentia, in ipsarum origine & definitione, c. 2. in materia, c. 3. in forma, c. 4. in mensura, c. 5.

2. vsus, c. 6.

3. oppugnationum initium, c. 7.

4. tria disputationis capita. Primum est, vtrum possint peccatores pro aliis satisfacere: vbi sunt argumenta Papistarum affirmantium, c. 8. ad 15. & Catholicorum negantium, c. 15. Secundum est, vtrum sit aliquis Indulgentiarum thesaurus, c. 12. 13. 14. Tertium est, vtrum iste thesaurus Ecclesiæ autoritate sit dispensandus, cap. 15. 16. quod est postremum in h. l.

Ita de partibus reparationis humanæ actum est quindecim proximis libris: restat de ipsius effectu, quod est sanctorum beatitudo; de qua

I. proponitur sententia Catholicorum, lib. 2. c. 1.

II. absterguntur calumniæ Papistæ, c. 2. 3.

III. quæstiones leuioribus disputantur, c. 4.

IV. disputatio fundamentalis instituitur de limbo Patrum & purgatorio.

De limbo Patrum agitur inde à c. 5. ad 11. siue finem huius libri.

De purgatorio primo proponitur status controuersiarum, l. 2. c. 6. 1. deinde argumenta Papistarum refutantur, c. 2. ad 25. postremo argumenta Catholicorum contra istud figmentum recitantur & vindicantur, c. 25. 26. qui est finis huius libri & totius tomi tertij.

TOMVS IV. DE SACRAMENTIS.

Quartus locus communis Panstratiæ Catholicæ est de Sacramentis.

Sacramenta considerantur in genere, & in specie.

In genere spectatur nomen & res.

De nomine sacramenti primo abstergitur calumnia, lib. 1. cap. 1. tum disputatur de vi atque vsu nominis sacramenti, c. 2. postremo nomina Hebraica, c. 3. nomen Græcum, c. 4. & nomen Latinum, c. 5. excutiuntur.

In re ipsa oportet attendere capita consensus & controuersiarum.

Capita consensus sunt de constitutione & celebratione sacramentorum.

Constitutio siue natura cernitur in definitione, distinctione, & proprietatibus sacramentorum.

Definitio est c. 6.

Distinctio est, quod sacramenta alia fuerunt ante, alia post Christum.

Sacramenta ante Christum, seu V. T. sunt vel ante peccatum, in statu innocentia, c. 7. vel post peccatum: vbi sunt sacramenta alia legis naturæ, c. 8. alia legis Moisaicæ, c. 8.

Sacramenta post Christum, siue N. T. sunt itidem c. 8.

Proprietates sacramentorum colliguntur c. 10. 11. 12.

De celebratione sacramentorum agitur c. 13.

Atque hæc sunt capita consensus de sacramentis in genere: capitula controuersia de iisdem in genere sunt quatuor, hoc ordine:

I. de rebus seu elementis: quomodo sacramenta sint signa visibilia, cap. 14.

II. de verbis: quale sit verbum in sacramentis, c. 15. 16. 17. 18.

III. de administratione: an in celebratione necessario requiratur intentio ministri, c. 19. 20. 21. qui est finis h. l.

IV. de efficacia: vbi primo proponitur sententia partium, nempe Papistarum, l. 2. c. 1. & Catholicorum, c. 2. deinde disputatur in genere, an sacramenta sint instrumenta, quibus insita sit vis iustificandi, c. 3. ad 12. & in specie, an imprimant characterem, c. 12. ad 16. qui est finis h. l.

Sacramenta in specie sunt alia V. alia N. T.

In sacramentis V. T. spectatur collatio cum sacramentis N. T. eaque tum vera, l. 3. c. 1. ad 5. tum falsa, c. 5. ad 7. seu finem libri.

Sacramenta N. T. sunt falsa, vel vera.

De falsis agitur in genere, & in specie.

In genere examinantur argumenta Papistarum pro septenario sacramentorum numero, l. 4. c. 1. 2. 3. 4. & adferuntur argumenta Catholicorum contra istum numerum, c. 5. 6.

In specie agitur de Confirmatione, c. 7. ad 12. de Pœnitentia, c. 12. ad 17. de Extrema vnctione, c. 17. ad 22. de Ordine, c. 22. ad 27. & de Matrimonio, c. 27. ad 32. quod est vltimum in h. l.

Sacramenta N. T. vera sunt duo solum, baptismus & euc haristia.

In baptismo expenduntur primo nomen & definitio, l. 5. c. 1. deinde essentialia; denique ritus præter essentialiam.

Essentialia baptismi sunt in eius materia & forma, c. 2. effectis, & personis.

Circa baptismi effecta disputatur de ipsius efficacia, c. 3. ad 8. & necessitate, c. 8. 9. 10.

Personæ in baptismo considerantur in genere, c. 11. & in specie; vbi de baptismo Iohannis, cap. 12. 13. & de legitimo ministro baptismi, c. 14.

Ritus præter essentialiam sunt alij legitimi, c. 15. alij alieni, c. 16. quod est vltimum in h. l.

Alterum Ecclesiæ Christianæ sacramentum est Eucharistia, cuius occurrit nomen l. 6. c. 1. 2. & res: vbi duo sunt loci controuersiarum, ex mente scilicet Papistarum. Primo enim agendum est de Eucharistia, quatenus est sacramentum; deinde, quatenus sacrificium.

In Eucharistia, quatenus est sacramentum, attenditur materia externa & interna.

Priori capite continentur Eucharistiæ elementa, & horum vsus.

Circa elementa Eucharistiæ disputantur ista duo:

1. an aqua vino miscenda, c. 3.

2. de qualitate seu genere panis: vbi de azymo & fermentato, c. 4.

Circa vsum elementorum in Eucharistia spectatur primo consecratio, cap. 5. ad 9. siue finem h. l. deinde vsus externus: vbi est Eucharistiæ adoratio, l. 7. c. 1. 2. 3. reseruatio, c. 4. ad 11. fractio, c. 11. & distributio; vbi tria ista quærentur,

I. An sit legitima Eucharistia sine distributione. Et hic disputatur de Missis priuatis, c. 12. ad 20.

II. Quomodo Eucharistia sit distribuenda, c. 20. qui est finis h. l.

III. Quid sit distribuendum: alterumne elementum duntaxat, an vtrumque? Et hic à Catholicis disputatur pro vtraque specie, l. 3. capitibus 11. à Papistis pro vna specie, lib. 9. capitibus 12.

Talis est materia externa in Eucharistia: sequitur materia interna, quæ dicitur res Eucharistiæ, estque corpus & sanguis Iesu Christi.

De re sacramenti in Eucharistia primo proponuntur capita controuersiarum, l. 10. c. 1. deinde instituuntur disputationes, eaque parasceusticæ, & grauioribus.

Disputationes parasceusticæ sunt aliæ de partibus enuntiationis Eucharistiæ; aliæ de tota enuntiatione.

De partibus enuntiationis sunt tres quæstiones:

1. quid sit corpus Christi in Eucharistia, c. 2.

2. quid sit Hoc in Eucharistia, c. 3.

3. quid sit Est in Eucharistia, c. 4.

De tota enuntiatione disputatur c. 5.

Disputationes grauioribus sunt numero quatuor:

Prima est de interpretatione propria, figurataue verborum Eucharistiæ, c. 6. ad 23. seu finem h. l.

Secunda est de manducatione corporis Christi: vbi primo est consensus partium, lib. 11. c. 1. deinde disputatur de manducatione corporali Papistarum, spirituali catholicorum, & indigna tum Papistarum tum catholicorum.

De manducatione corporali Papistarum primo proponitur ipsorum sententia, c. 2. deinde argumenta pro hac sententia examinantur, c. 3. ad 10. postremo argumenta nostra contra illam sententiam recitantur, c. 10. ad 19. qui est finis huius libri & tomi.

Et hucusque licuit auctori nostro progredi. Sequentes itaque controuersia tractantur in supplemento quarti tomi, eo, quo sequitur, ordine.

De manducatione spirituali agitur c. 1. & 2. supplementi nostri.

De manducatione indigna, c. 3. & 4.

Tertia controuersia est de Christi presentia in Eucharistia, c. 5. & 6.

Quarta est de Transsubstantiatione, c. 7. & 8.

Et ita quidem consideratur Eucharistia, vti est sacramentum: restat vt eadem consideretur vti dicitur esse sacrificium, quod vulgo Missa vocatur. De hac tractatur cap. 9. & seqq. vsque ad finem supplementi huius tomi quarti: ita nempe vt spectentur Missæ tum essentialia, eaque in ipsius substantia c. 9. 10. qualitate, c. 11. & efficacia, c. 12. tum accidentalia, eaque in linguæ genere, & modo vocis, c. 13. ceremoniis, & canone, c. 14.

TOMVS V. DE ECCLESIA.

Quintus & vltimus Panstratiæ nostræ tomi est de Ecclesia.

In ea venit expendenda vox & res ipsa.

Vox expenditur lib. 1. c. 1.

Quantum attinet ad rem ipsam, Ecclesia est vera, vel falsa.

Ecclesia

OECONOMIA PANSTRATIÆ CATHOLICÆ.

Ecclesia vera est militans, vel triumphans.

Ecclesia militans spectatur in constitutione & iurisdictione sua.

Quantum ad constitutionem Ecclesia consideratur vel in se tota, vel in membris suis.

Ecclesia tota, quam dicunt collectivam, consideratur in thesi & hypothesi;

Ecclesia tota in thesi, seu in genere, spectatur in natura, privilegiis, & notis suis.

Natura Ecclesie discitur ex distinctionibus & definitione ipsius.

Distinctiones Ecclesie primo recitantur, c. 2. deinde vna ex illis disceptatur, videl. An Ecclesia catholica sit invisibilis? vbi nostra argumenta proponuntur, & corroborantur, cap. 3. & aduersariis responderetur, c. 4.

Circa definitionem Ecclesie queritur, Ex quibus hominibus constet Ecclesia Catholica; quæ quidem questio primo disputatur in genere quantum ad impios & infideles, *cap. 5.* & *deinde* in specie, quantum ad non-baptizatos, *cap. 7.* Catechumenos, c. 8. excommunicatos, c. 9.

Priuelegia Ecclesie Catholicae sunt ipsius autoritas, immunitas ab errore, & perpetuitas.

Quod attinet ad *authoritatem Ecclesie*, tria veniunt in questionem, hoc ordine:

1. An Ecclesia in rebus fidei præter Scripturas habeat vllam autoritatem, c. 10. 11.

2. Vtrum in Ecclesiam sit credendum, c. 12.

3. De ceremoniis Ecclesie, c. 13.

De immunitate ab errore queritur, An Ecclesia Catholica possit errare, c. 14. 15.

De perpetuitate est controuersia, An Ecclesia catholica possit deficere, c. 16. 17. *qui est finis h. l.*

De notis Ecclesie Catholicae differitur l. 2. & primo quidem in genere, c. 1. deinde in specie agitur de notis falsis Pontificiorum, & genuinis Catholicorum.

Nota falsa considerantur primo breuiter ex Pistorio, c. 2. & Costero, c. 3. deinde prolixè ex Bellarmino qui recitat notas quindecim, hoc ordine:

Prima, est nomen Ecclesie Catholicae, c. 4.

Secunda, est antiquitas, c. 5.

Tertia, est duratio, c. 6.

Quarta, est amplitudo & multitudo, c. 7.

Quinta, est successio episcoporum, c. 8.

Sexta, est conspiratio in doctrina cum antiqua Ecclesia, c. 9.

Septima nota est vnio membrorum inter se, & cum capite, c. 10.

Octaua, est sanctitas doctrinae, c. 11.

Nona, est efficacia doctrinae, c. 12.

Decima, est sanctitas vitæ, c. 13.

Vndecima, est gloria miraculorum, c. 14.

Duodecima, lumen propheticum, c. 15.

Decimatertia, confessio aduersariorum, c. 16.

Decimaquarta, infelix exitus eorum, qui Ecclesiam oppugnant,

cap. 17.

Decimaquinta, & vltima nota est felicitas temporalis, diuinitus iis collata, qui Ecclesiam defenderunt, c. 18.

Nota vera primo recitantur & confirmantur, c. 19. deinde ab argumentis aduersariorum vindicantur, c. 20.

Et hæc tenentur in Ecclesia tota in thesi: sequitur eadem tota in hypothese, vbi queritur, An Ecclesia Romana sit vera Ecclesia? vbi argumenta nostrorum asseruntur, c. 21. & aduersariorum arguuntur, c. 22. *quod est vltimum h. l.*

Hæc de Ecclesia tota siue collectiua: sequitur de illa vt spectatur in membris suis.

Membra Ecclesie aut in vnum locum sunt congregata, aut distincte considerantur.

Membra Ecclesie in vnum locum congregata veniunt nomine Concilij, quod vulgo appellatur Ecclesia representatiua.

In concilio spectatur natura, & priuelegium.

Circa naturam Concilij ista sunt capita controuersiarum:

1. Quid, & quoruplex sit concilium; & an concilia sint cogenda, lib. 3. c. 1.

2. Quis concilia possit ac debeat cogere, siue indicare, c. 2. 3.

3. Quas ob causas concilia sint indicenda, c. 4.

4. Ex quibus hominibus constare debeant, seu, qui ad concilia sint mittendi, c. 5. 6.

5. Cuius sit in iis præsidere & iudicare, c. 7. 8.

6. Quis modus ac ordo in iis institui debeat, c. 9.

De priuelegijs Concilij ista veniunt in disputationem:

1. Quanta sit Conciliorum autoritas, c. 10. vbi disputatur, An concilium sit supra Papam?

2. An Concilia errare possint, *qui est finis h. l.*

Membra Ecclesie distincte considerantur, quatenus ex iis vnum est summum, puta caput: reliqua sunt intermedia, vel infima.

De capite Ecclesie sunt tria capita controuersiarum: videl. de Christo, Petro, & Papa Romano.

De Christo statuitur thesis affirmans, ipsum solum esse caput Ecclesie.

De Petro queruntur ista duo:

1. An monarchia Ecclesie in Petro sit constituta, seu, Num Petrus caput Ecclesie fuerit constitutus?

2. An Petrus fuerit episcopus Ecclesie Romanae, ibique mortuus?

De Papa Romano ista disceptantur:

1. An Petro successerit in primatu?

2. An possit errare in fide?

3. An possit leges condere, quæ obligent conscientiam?

4. An habeat potestatem temporalem?

5. An sit magnus ille Antichristus?

Tota hæc disputatio de capite Ecclesie à Chamiero nostro fusa pertractata est tom. 2. l. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. vnde est petenda.

Membra Ecclesie intermedia vulgo appellantur Clerici, quorum alij sunt seculares, alij regulares.

Clerici seculares sunt, qui in aliqua functione Ecclesiastica versantur. Vnde appellantur *ministri Ecclesie*. In iis oportet expendere gradum, vocationem, & priuelegia.

Gradus ministrorum Ecclesie spectatur in variis ordinibus & officiis, de quibus proponitur sententia Catholicorum, l. 4. c. 1. & Papistarum, c. 2.

De vocatione ministrorum Ecclesie queritur,

1. Quales sint vocandi, c. 3.

2. A quibus sint vocandi, seu, Penes quos sit electio ministrorum Ecclesie, c. 4. 5.

3. Qualiter, & quo ordine sint vocandi, c. 6.

4. Quo ritu, quæue ceremonia sint ordinandi, c. 7.

De priuelegijs ministrorum Ecclesie queritur,

1. An pares sint presbyteri iure diuino, c. 8. 9.

2. An presbyteri debeant esse cælibes? Quam disputationem vide tom. 3. l. 16. & 17.

3. An decimæ presbyteris iure diuino debeantur, cap. 10. huius tom. 5.

4. An presbyteri à iure ciuili, & iugo seculari sint exempti, c. 11.

Clerici regulares dicuntur *monachi*: vbi disputatur de vitæ monasticæ fundamento, professione, & adiunctis.

Fundamentum vitæ monasticæ est in consilijs euangelicis; de quibus disputat Chamierus tom. 3. lib. 20. c. 20. 21. & in exemplis monasticis, de quibus d. l. c. 22.

Professio vitæ monasticæ absoluitur votis paupertatis, obedientiæ, & castitatis: de quibus d. l. c. 8. ad 17.

Adiuncta vitæ monasticæ sunt vita solitaria, habitus, tonsura, mendicatio, horæ canonicæ, otium, & similia, de quibus agitur hoc tom. 5. lib. 4. c. 12. Super sunt infima membra ecclesie, quæ vulgo appellantur *laici*: vbi in primis queritur de magistratu ciuili,

1. An habeat aliquem primatum in Ecclesia, c. 13.

2. Vtrum cura religionis pertineat ad magistratum politicum, cap. 14.

3. An hæreticos morte punire possit, c. 15.

4. Vtrum leges ipsius obligent conscientiam, c. 16.

5. Vtrum à Papa excommunicari & abdicari possit, c. 17.

6. An Papa sit subiectus, c. 18. *quod est vltimum in h. l.*

Talis est constitutio Ecclesie militantis: superest ipsius iurisdictione. In ea spectatur commissio & iurisdictione.

De commissione queritur, An soli Papæ Christus iurisdictionem Ecclesiasticam immediate contulerit, alijs vero episcopis & presbyteris mediate, l. 5. c. 1.

Partitio est, quod duæ sunt partes iurisdictionis Ecclesiasticæ; quarum altera consistit in potestate iuris condendi, c. 2. altera versatur in administratione disciplinae Ecclesiasticæ, quæ est partim communis, c. 3. & 4. partim propria, siue clericalis, c. 5.

Hucusque vidimus Ecclesiam militantem: sequitur de triumphante, quæ constat ex sanctis angelis & hominibus defunctis.

Quod attinet ad angelos, tria sunt controuersiarum capita,

1. de illorum hierarchia, c. 6.

2. de ipsorum ministerio, c. 7.

3. de inuocatione eorundem. Quam questionem disputatam vide tom. 2. l. 20. c. 2.

De sanctis defunctis tria sunt capita controuersiarum,

1. de limbo; de quo vide tom. 3. l. 25. c. 5. ad finem libri.

2. de purgatorio; quæ controuersia disputata est tom. 3. l. 26. per

3. de

3. de

3. de

3. de

3. de

3. de

3. de

3. de

3. de

DISPOSITIO GENERALIS.

3. de cultu sanctorum defunctorum : vbi disputatur de ipso-
rum inuocatione, tom. 2. l. 20. c. 3. de ipso-
rum reliquiis, tom. 2. lib. 20.
c. 8. 9. de ipso-
rum imaginibus, tom. 2. l. 21. c. 4. & seqq. de templis san-
ctorum, l. 22. c. 7. 8. de ipso-
rum festis, hoc tom. 5. c. 8. denique de pere-
grinationibus ad loca sanctorum, c. 9.

Adhuc de Ecclesia vera, restat de Ecclesia Falsa, c. 10.

Itaque tomus hic quintus complectitur quinque libros, hoc ordine.

- Lib. I. de natura & priuilegiis Ecclesie.
- Lib. II. de notis Ecclesie.
- Lib. III. de Conciliis.

Lib. IV. de ministris Ecclesie, monachis, & magistratu ci-
uili.

Lib. V. de iurisdictione Ecclesie, Ecclesia triumphante, & Ec-
clesia falsa.

Hanc methodum de Ecclesia author expressit, quantum ad
summa capita, tom. 2. l. 16. c. 5. §. 13. vbi à §. 9 ad §. 14. synopsis quan-
dam quinque suorum locorum communium proponit.

Sic ergo absoluiimus œconomiam Panstratiæ Catholicæ. Nunc
accedamus *עוד יעשה* ad supplementum tomi 4. & adorationem to-
mi quinti.

SYNOPSIS

CONTROVERSIARVM PAPISTICA-
RVM, QVÆ IN SVPPLEMENTO TOMI QVARTI,
ET IN TOMO QVINTO PANSTRATIÆ COM-
PLETÆ REPRESENTANTVR.

עמי עשו
היא יעשה

SVPPLEMENTVM TOMI QVARTI.

CAPVT I.

PRO manducatione spiritali in S. cœna, Catholicorum ar-
gumenta. 1

II. Contra manducationem spiritualem, Papistarum
argumenta. 2

III. De manducatione indigna corporis Christi in Eu-
charistia, sententia Catholicorum. 7

IV. Argumenta Papistarum, pro indigna manducatione corporis Chri-
sti. 9

V. De Christi presentia in Eucharistia, sententia Catholicorum. 12

VI. Argumenta Papistarum pro presentia Christi corporali in Eucharis-
tia. 20

VII. Argumenta Catholicorum contra Transsubstantiationem. 28

VIII. Fundamenta Transsubstantiationis conuellantur. 31

IX. Missæ sacrificium reuocatur *επισημασμενως καὶ ἀνακατασκευασμενως*. 36

X. Fundamenta Missæ subuertuntur. 40

XI. Quale sacrificium sit Missa? 50

XII. De efficientia Missæ. 51

XIII. De lingue genere, deque modo votis in officio Missæ. *ibid.*

XIV. De ceremoniis, & canone Missæ. 52

TOMVS QVINTVS

De

ECCLESIA.

LIBER PRIMVS

De

Natura & priuilegiis Ecclesie his in terris.

CAP. I. Vox Ecclesie explicata. 54

II. Varia veraque distinctiones Ecclesie. 55

III. Ecclesia inuisibilis asseritur ex mente Catholicorum. 58

IV. Quomodo Papista probent, Ecclesiam Catholicam semper esse visibi-
lem. 60

V. Impios & infideles non pertinere ad Ecclesiam Catholicam, sed solos
bonos & vera fide præditos. 63

VI. Sententia Papistarum confutatur, quod impietiam pertineant ad
Ecclesiam Catholicam. 65

VII. Quosdam non-baptizatos pertinere ad Ecclesiam Catholicam. 66

VIII. Quosdam Cateshucenos pertinere ad Ecclesiam Catholicam. 67

IX. Quosdam excommunicatos pertinere ad Ecclesiam Catholicam. 68

X. Ecclesiam non habere vllam authoritatem in rebus fidei præter Scri-
pturam. 69

XI. Refellitur sententia Papistarum de authoritate Ecclesie in rebus fi-
dei. 70

XII. Vtrum in Ecclesiam Catholicam sit credendum? 71

XIII. Quam authoritatem habeat Ecclesia circa ceremonias? *ibid.*

XIV. Ecclesiam in religione errare posse, & solere demonstratur. 73

XV. Refutatur sententia Papistarum, Ecclesiam errare non posse. 74

XVI. Ecclesiam visibilem & particularem desicendi periculo esse ob-
noxiam. 76

XVII. Sententia Papistarum, Ecclesiam Christi esse cœtum visibilem qui
non possit desicere, refutatur. 78

LIBER SECVNDVS

De

Notis Ecclesie.

CAP. I. De notis Ecclesie in genere. 81

II. Duodecim nota Ecclesie apud Pistorium examinantur. 82

III. Sententia Costeri de quatuor notis Ecclesie examinat. 83

IV. Prima Ecclesia nota apud Bellarminum: Appellatio Catholicorum
& Christianorum. 88

V. Secunda Ecclesia nota apud Bellarminum: Antiquitas seu Vetustas.
89

VI. Tertia Ecclesia nota apud Bellarminum: Duratio perpetua. 91

VII. Quarta Ecclesia nota apud Bellarminum: Amplitudo seu multitu-
do & varietas credentium. *ibid.*

VIII. Quinta Ecclesia nota apud Bellarminum: Successio apostolica.
92

IX. Sexta Ecclesia nota apud Bellarminum: Conspiratio in doctrina cum
Ecclesia antiqua. 94

X. Septima Ecclesia nota apud Bellarminum: Vnio membrorum inter se,
& cum capite. 98

XI. Octaua Ecclesia nota apud Bellarminum: Sanctitas doctrine. 101

XII. Nona Ecclesia nota apud Bellarminum: Efficacia doctrine. 102

XIII. Decima Ecclesia nota apud Bellarminum: Sanctitas vite autho-
rum vera religionis. *ibid.*

XIV. Vndecima Ecclesia nota apud Bellarminum: Gloria miraculorum.
103

XV. Duodecima Ecclesia nota apud Bellarminum: Lumen propheticum.
105

XVI. Decima tertia Ecclesie nota apud Bellarminum: Confessio aduer-
sariorum. 106

XVII. Decima quarta Ecclesia nota apud Bellarminum: Infelix exitus
eorum, qui Ecclesiam oppugnant. 107

XVIII. Decima quinta Ecclesia nota apud Bellarminum: Felicitas tem-
poralis patronorum Ecclesie. *ibid.*

XIX. Vera nota Ecclesie recitantur & confirmantur. 108

CAP. XX. Ne-

I N D E X

CAP. XX. Nota nostra ab aduersariorum exceptionibus vindicatur. 111
 XXI. Ecclesiam Romanam hodiernam non esse Catholicam : nostram esse. 113
 XXII. Argumenta Papistarum, quod Ecclesia ipsorum sit vera & Catholica examinatur. 115

LIBER TERTIVS

De Conciliis.

CAP. I. Definitio, partitio, & necessitas Conciliorum. 117
 II. Ius conuocandi Concilia non esse penes solum Pontificem Romanum, sed penes Ecclesiam & pios Principes. 121
 III. Argumenta Papistarum, quod penes solum Pontificem Romanum sit ius conuocandi Concilia. 125
 IV. Quas ob causas Concilia sint conuocanda? 128
 V. Quamam sint ad Concilium conuocandi, ibique possint suffragium decisuum ferre, sententia nostra. 129
 VI. Argumenta Bellarmini, quod soli prelati maiores in Concilio habeant ius suffragij decisui. 132
 VII. Quisnam debeat praesidere in Concilio, sententia nostra. 134
 VIII. Cuius sit praesidere in Concilio generali, sententia Papistarum. 135
 IX. Modus agendi in Conciliis qualis esse debeat? 138
 X. Quanta sit Conciliorum autoritas: vbi imprimis disputatur, An Concilium sit supra Papam? 141
 XI. An Concilia possint errare, sententia Catholicorum & Papistarum. 146

LIBER QVARTVS

De Membris Ecclesiae militantis.

CAP. I. De ordinibus & officiis ministrorum Ecclesiae, sententia nostra. 151
 II. De ordinibus & officiis ministrorum Ecclesiae, sententia Papistarum. 156
 III. Quales pastores Ecclesiae sint vocandi? 159
 IV. Penes quos sit electio ministrorum Ecclesiae, sententia nostra. 161

V. Penes quos sit electio ministrorum Ecclesiae, sententia Papistarum. 162
 VI. Qualiter, & quo ordine sint vocandi ministri Ecclesiae? 163
 VII. Quo ritu, quaeue ceremonia sint ordinandi ministri Ecclesiae? ibid.
 VIII. Presbyteros & Episcopos, siue Pastores omnes esse pares iure diuino. 165
 IX. Imparitas ministrorum verbi, quae Papista docent, impugnatur. 172
 X. An decima Presbyteris & Episcopis iure Ecclesiastico vel civili debeatur? ibid.
 XI. Immunitas Clericorum, siue illorum exemptio, quantum ad personas & bona, quo iure nitatur? 169
 XII. De origine, ratione, & varietate Monachorum, de Eremitis, deque habitu, tonsura, & opere Monachorum. 171
 XIII. Primatus regius, quae Magistratus in Ecclesia habet, asseritur. 174
 XIV. Vtrum cura Religionis ad Magistratum politicum pertineat. 177
 XV. An Magistratus possit & debeat hereticos, propter solam heresim poena capitis punire. 180
 XVI. Vtrum Leges Magistratus civilis obligent conscientiam, & quatenus obligent. 182
 XVII. Vtrum Magistratus summus a Papa possit iure excommunicari. ibid. b.
 XVIII. An Magistratus civilis Pontifici Romano sit subiectus. 183

LIBER QVINTVS

De Iurisdictione Ecclesiae militantis, Ecclesia triumphante, vt & falsa.

CAP. I. An soli Papa iurisdictione Ecclesiae sit concessa immediate, reliquis Episcopis mediate per Papam. 185
 II. Quanam sit potestas Ecclesiae in iure condendo. 187
 III. De disciplina Ecclesiae, sententia nostra. 190
 IV. De disciplina Ecclesiae, sententia Papistarum. 192
 V. De disciplina Clericali, seu ministrorum Ecclesiae propria. 200
 VI. De hierarchiis sanctorum Angelorum. 202
 VII. De sanctorum Angelorum ministerio. 203
 VIII. De sanctorum Canonizatorum festis & templis. 204
 IX. De peregrinationibus votiuis ad loca sanctorum. 210
 X. De falsa Ecclesia, quid sit & vbinam sit. 211

I N D E X

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ IN SVPPLEMENTO TOMI QVARTI, ET TOMO QVINTO EXPOSITORVM, ET AB ADVERSARIORVM CORRVPTELIS VINDICATORVM.

Prior numerus paginam, a primam siue sinistram, b secundam siue dextram columnam, posterior numerus paragraphum notat: litera d est idem quod deinceps.

<p>GENESIS.</p> <p>Cap. 14. Melchisedec protulit panem & vinum. 40. b. 3. & d.</p> <p>EXODVS.</p> <p>Cap. 12. Agnus est Pascha. 15. b. 25 Cap. 14. Crediderunt Deo & Mosi. 72. a. 2 Cap. 24. Ecce sanguis foederis. 19. a. 51. & 42. b. 16</p> <p>LEVITICVS.</p> <p>Cap. 1. 2. 3. & c. quae describuntur sacrificia, perperam statuuntur typi Missae, 42. b. 17 Cap. 4. 5. & 6. quae describuntur sacrificia, non recte dicuntur typi Eucharistiae. 50. a. 3 Cap. vlt. lex de decimis, qualis? 168. b. 1. 2</p> <p>NUMERI.</p> <p>Cap. 11. Congrega mihi septuaginta viros. 118. b. 6</p> <p>DEUTERONOMIVM.</p> <p>Cap. 17. describitur ius regis. 174. b. 4 Ibid. Adibis sacerdotes. 118. b. 6</p> <p>IOSVA.</p> <p>Cap. 22. v. 23. Altare potest esse sine sacrificio. 49. a. 45</p> <p>I. SAM.</p> <p>Cap. 2. v. 35. male ad sacrificium Missae accommodatur. 42. b. 18</p> <p>I. REG.</p> <p>Cap. 19. Septem millia, quae non flexerant genua coram Baal, erant incognita Eliae. 60. a. 18</p> <p>PSALM.</p> <p>Psalm. 19. In sole posuit tabernaculum suum. 61. a. 6</p>	<p>PROVERB.</p> <p>Cap. 9. v. 1. 2. male ad Missam refertur. 42. b. 19. 20</p> <p>ESAIAS.</p> <p>Cap. 2. Ecclesia comparatur monti. 61. a. 6 Cap. 19. v. 21. & c. 61. v. 6. & c. 66. v. 21. male accommodatur Missae. 42. b. 19. 20</p> <p>IEREMIAS.</p> <p>Cap. 3. v. 18. 21. male explicantur de Missa. 42. b. 20 Cap. 12. Clericorum non proderunt. 156. b. 4</p> <p>DANIEL.</p> <p>Cap. 2. Ecclesia comparatur monti. 61. a. 6 Cap. 8. & 12. quid intelligatur per iuge sacrificium? 43. a. 21</p> <p>MALACHIAS.</p> <p>Cap. 1. v. 11. non recte accipitur de Missa. 43. a. 22</p> <p>ECCLESIASTICVS.</p> <p>Cap. 44. Circumcisio appellatur foedus. 19. b. 51</p> <p>MATTHÆVS.</p> <p>Cap. 5. quid intelligatur per ciuitatem in monte positam. 61. a. 6. & 62. a. 18. Cap. 15. Mulier Cananae quo sensu dicatur canis? 8. b. 14 Cap. 16. quanam sit petra Ecclesiae? 61. a. 4 Ibid. Cur Christus dicat, Aedificabo Ecclesiam meam? 59. b. 12 Cap. 18. quid sit congregari in nomine Christi? 125. a. 1. & b. 2 Ibid. Sit tibi velut ethnicus & publicanus. 68. b. 5 Cap. 19. an camelus possit traici per foramen acus? 27. b. 42 Cap. 26. Hoc est corpus meum. 21. a. 6 Ibid.</p>
--	---

LOCORVM SCRIPTVRÆ.

<i>Ibid.</i> Hoc facite in mei recordationem.	44.a.24	<i>Ibid.</i> Calix benedictionis, quo benedicimus, nonne est commu- nio sanguinis Christi?	21.b.10
<i>Ibid.</i> Cur Christus dicat in præfenti, Sanguis meus, qui pro mul- tis effunditur?	39.a.19	<i>Ibid.</i> quid per mensam Domini intelligatur?	45.b.31
<i>Ibid.</i> Non bibam à modo de hoc genimine vitis.	19.b.52.53	Cap. 11. Hoc est corpus meum.	21.a.6. & 39.a.19
Cap. 28. Non est hic: surrexit.	26.b.39	<i>Ibid.</i> Qui edit & bibit indigne &c.	9.b.1. & d
MARCVS.		<i>Ibid.</i> Propterea inter vos multi sunt infirmi.	10.b.8
Cap. 14. Hoc est corpus meum.	21.a.6	Cap. 12. Ecclesia comparatur corpori.	65.a.4.5
<i>Ibid.</i> Hoc facite in mei recordationem.	44.a.24	II. AD CORINTH.	
LVCAS.		Cap. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.	50.b.4
Cap. 17. 20. Regnum Dei non venit μετὰ παραλήρητος.	58.a.4	Cap. 11. & 12. οὐ πῆρ λῆαν αὐτοῖσι.	153.b.13
Cap. 22. Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.	147.a.5	AD GALATAS.	
<i>Ibid.</i> Hoc est corpus meum.	21.a.6	Cap. 3. Per baptismum induimus Christum.	67.a.5
<i>Ibid.</i> Hoc facite in mei recordationem.	44.a.24	AD EPHESIOS.	
<i>Ibid.</i> Hoc poculum est nouum testamentum.	18.a.45.46	Cap. 4. Dedit alios apostolos &c.	151.a.2
<i>Ibid.</i> Non bibam à modo de genimine vitis.	19.b.52.53	<i>Ibid.</i> Christus ascendit, vt impleat omnia.	14.b.19
<i>Ibid.</i> Cur Christus dicat in præfenti, Sanguis meus, qui pro mul- tis effunditur.	39.a.19	I. AD TIMOTH.	
Cap. 24. Christus ingreditur ad discipulos, ἡρῶν κεικλειομένων.	27. b.42	Cap. 3. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis.	75.a.2.3
IOHANNES.		Cap. 5. Angeli dicuntur ἀγγέλοι.	55.a.10
Cap. 4. v. 19. male ad Missam refertur.	44.a.23	II. AD TIMOTH.	
Cap. 6. Num agatur de ritu S. cœnæ?	21.a.5	Cap. 2. quid intelligatur per domum Dei.	
Cap. 16. Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem.	75.a. 4. & 146.b.3	AD PHILEM.	
Cap. 22. Pasce meas oues.	125.b.1.2. & 135.a.1. & 176.b.13	Vers. Audiens tuam charitatem &c.	71.a.2
ACTA.		AD HEBRÆOS.	
Cap. 2. Appositæ sunt Ecclesiæ illa die animæ circiter ter mille.	66.b.4	Cap. 3. Christus appellatur apostolus.	151.b.4
Cap. 4. Christum oportet cœlo capi.	15.a.21	Cap. 5. 8. 9. & 13. male ad Missam detorquentur.	47.a.33.34.35.36
Cap. 13. quid sit λειτουργία.	45.a.30	Cap. 6. quid sit παραδειγματισμὸν τὸν χεῖρῶν?	53.b.9
Cap. 15. totus locus de synodo Hierosolymitana explicatur. 130. a.3. & 131.a.13. & 135.b.2		Cap. 7. Translato sacerdotio neesse est vt legis fiat translatio.	46.a.32
Cap. 23. & 26. Paulus vidit Christum in ecclasi. 14. b. 18. & 26. b. 37. & 35. b. 20.		Cap. 10. Sanguinem fœderis profanum ducere quid sit? 10. b. 11	
AD ROMANOS.		Cap. 12. Ecclesia dicitur mons Sion, & panegyris primogenito- rum.	60.a.16
Cap. 3. Incredulitas hominum non abolet Dei veritatem.	8.a.9	Cap. 13. Obedite præpositis vestris.	147.a.6
Cap. 13. Omnis anima subiecta esto magistratui.	174.b.5	EPIST. IACOBI.	
Cap. 16. v. 15. quid sit ἰσοουρηῖν τὸ διαγγέλιον?	43.b.22	Cap. 5. Vngentes eum oleo.	73.b.7
I. CORINTH.		I. PETRI.	
Cap. 10. Omnes eandē escā spiritalē ederūt. 2. b. 5. & 19. b. 5. 4. 55		Cap. 2. Neque vt dominantes in cleris.	157.a.5
<i>Ibid.</i> Panis est communitio corporis Christi.	3.a.6.7	I. IOHAN.	
		Cap. 2. Exierunt è nobis, sed non fuerunt ex nobis.	66.a.12
		APOCALYPSIS.	
		Cap. 2. & 3. agitur de statu Ecclesiarum valde corrupto.	89.a.4
		Cap. 14. agitur de ruina Romæ.	108.b.3

I N D E X

LOCORVM PRAECIPVORVM EX CONCILIIIS, PATRIBVS,
ET SCHOLASTICIS, IN HOC SVPPLEMENTO, ET TOMO QVIN-
to explicatorum, & à Pontificiorum cauillis & exceptionibus
vindicatorum.

AMBROSIVS.		CONCILIA.	
Ecclesiam comparat lunæ.	78.a.12	Ephesinum, quosnam vocet ἐξάρχουσας πατέρας.	134.b.4
Eius hallucinatio.	95.a.6	Errores ipsorum recitantur.	149.b.17
AVGVSTINVS.		CYPRIANVS.	
De sacramentis V. & N. T.	2.b.2	Dicit, Ecclesiam luce perfusam esse.	61.b.13
De fide, qua requiritur in perceptione sacramentorum. 8.a. 9. & 12. b. 25		Docet, in Ecclesia esse triticum & zizania.	65.b.7
Dicit, Iudam manducasse panem Domini, non panem Domi- num.	8.b.13	Eius hallucinatio.	95.a.6
Quo sensu dicat, bonos & malos manducare corpus Domini?		CYRILLVS HIEROSOLYM.	
12 b. 25		Quo sensu dicat, nos Christo corporaliter vniri? 4.a. 22. & 5. b. 41	
De locutionibus sacramentalibus.	32.a.4	Quomodo definiat Ecclesiam catholicam?	57.b.15
De Ecclesia visibili.	63.a.25	Durius loquitur de Catechumenis.	67.a.1. & b. 5
Quo sensu dicat: Multi lupi intus, multæ oues foris.	65.b.7	DIONYSIVS AREOPAG.	
Testimonium in signe contra Donatistas.	80.a.11	Quid vocet πάν τὸ πῖς ἀκλήσιας ἰερὸν πλήρωμα?	52.a.4
Hallucinatio ipsius.	95.a.6	GRATIANVS.	
De autoritate Conciliorum.	148.b.12	Quid doceat de Conciliis?	148.b.12
CHRYSOSTOMVS.		HIERONYMVS.	
Quomodo explicet locū 1. Cor. 10. Omnes eandem escam com- ederunt.	2.b.3.5	Eius hallucinatio.	95.a.6
Dicit, Eucharistiam esse epulū aquilarū, non graculorum. 5.a. 34		Quid doceat de ordinibus Ecclesiasticis?	159.a.18
Dicit, nos non tantum fide, sed etiam re ipsa effici corpus Chri- sti mysticum.	5.b.41	HILARIVS.	
Distinguit Catechumenos & fideles.	67.b.45	Dicit, nos Christo vniri corporaliter. 4.a. 22. & naturaliter. 5. b. 41	
De ordinibus Ecclesiasticis.	159.a.18	IACOBVS.	
CLEMENS ALEXANDRINVS.		Eius liturgia est scriptum ὁ ποβολιμῶν.	47.b.39
Eius hallucinatio.	83.a.3. & 95.a.6	IRENÆVS.	
		Reprehendit Victorem, episcopum Romanum, quod excom- municauerit omnes Asianos.	69.a.7
		Eius hallucinationes.	85.a.3. & 95.a.6
			1510.

I N D E X

ISIDORVS. Quid de Conciliis sentiat? 148.b.12
Item, de ordinibus Ecclesiasticis? 159.a.18
IVSTINVS. Docet, panem & vinum in Eucharistia esse corpus & sanguinem Christi. 23.a.16
Eius hallucinationes. 85.a.3. & 95.a.6
LACTANTIUS. Quomodo definiat Ecclesiam catholicam? 57.b.15
NAZIANZENSIS. Quomodo explicet locum Act. 3. Christum oportet caelo capi. 15.a.21
Dicit, se fugere Concilia &c. 120.a.18. & 148.b.12
OECUMENIVS. Dicit, indigne manducantes crucifigere Christum. 12.b.25
ORIGENES. Dicit, Ecclesiam esse plenam fulgore. 61.b.13
Dicit, Iehusaeos semper futuros esse in Hierusalem. 66.a.12
Eius hallucinationes. 95.a.6
SOZOMENVS. Quomodo ex rescripto Theodosij Imp. definiat Ecclesiam catholicam? 57.b.15
SYMBOLVM NICENVM. Docet, in Ecclesiam esse credendum. 72.a.3
TERTVLLIANVS. Quid apud ipsum sit, sacrificare pro salute Imperatoris? 51.a.5
Distinguit inter Catechumenos & fideles. 67.b.4
THEOPHYLACTVS. Eleganti similitudine illustrat manducationem dignam & indignam in Eucharistia. 12.b.25
THOMAS AQUINAS. Quomodo interpretetur locum Apoc. 12. de muliere amicta sole? 58.b.4
VINCENTIVS LIRINENSIS. Quomodo definiat Ecclesiam catholicam? 57. b. 15. & 91. b. 2

I N D E X

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN HOC SVPER PLEMENTO ET TOMO QVINTO.

A.
אברהם א לXX. Interpretibus vertitur λειτουργια. 45.a.30
Absoluta Dei potentia qualis? 14.a.14. & 16. b. 32. 33. regula cognoscendi, quid Deus possit? 24.b.30
Accidentia panis & vini an sint in Eucharistia? 34.b.15. 16. 17. & 36.a.22
Acoluthi qui? 157.b.7.9
Actio adductiva num sit in transubstantiatione Papistica? 29.b.6
אגנא notat Ecclesiam. 54.a.2. & b.8.9
Adiaphora quomodo tractanda? 52.b.3. & 72.b.2.3
Administratio sacramentorum est nota Ecclesiae. 108.b.1
Agenda quae dicantur Latinis? 45.a.30
Agnus paschalis an fuerit sacrificium? 41.b.12. an fuerit typus Eucharistiae? ibid.
Aharon quomodo fuerit a Mose electus in Pontificem? 162.b.5. & 163.a.6
Αρεωματα qui sint apud veteres? 69.a.9
Altare quale habeant Christiani in N. T.? 46.a.31. & 47.a.36
Amplitudo an sit nota Ecclesiae? 91.b.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae? 92.a.5. an competat Ecclesiis nostris? 92.a.6
Analogia sacramentalis explicatur. 1.a.7.b.6. quid requirat in Eucharistia? 34.b.16
Angeli num pertineant ad Ecclesiam? 54.b.10. de illorum hierarchiis 202. a.1.2. &c. atque ministerio ibid. b.1. & d.
Anima rationalis an in corpore sit πνευματος? 26.b.38
Antiquitas num sit nota Ecclesiae? 84.b.3. & 89.b.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae? 85.a.4. 90.a.3. an competat Ecclesiis nostris? 84. b. 3. 90. b. 5.6
Antitypon quid sit? 2.b.4. & 20.b.3
Appellatio Catholicorum & Christianorum an sit nota Ecclesiae? 85.b.7. 88. b.1. & d.
Apostasia Ecclesia visibilis qualis & quanta? 76. & 77
Αποστολοι οι οντες ιερω qui? 153.b.13
Apostolicus quis dicatur? 152.a.4
Apostolus quot modis dicatur? 151.b.4
Αποστολικος qui? 68.a.2
Archiepiscopi quando ceperint? 154.b.15
Articuli fidei non possunt condi ab Ecclesia. 70.b.4. & d.
Ascensio Christi in caelum probatur. 13.a.4. vindicatur. 14.a.17. & d.
אגנא quando significet sacrificare? 44.b.28
Auctoritas Conciliorum qualis & quanta? 141.a.1. & d.
Auctoritas Ecclesiae quae sit in rebus fidei? 70.a.1. & d. & circa ceremonias? 72.a.1. & d.
B.
Baptismus est αντιστοιχον diluuij. 2.b.4. & 20.b.3. baptismi & S. coenae collatio. 6.b.48. est sacramentum initiationis. 67.a.7. est externus, vel internus. 67.a.6
Becanus quid doceat de coena, quam vocat, Caluinistica? 17.a.39. & d. quid de transubstantiatione? 31.b.2. quid de Missa? 40. & d. quomodo probet Ecclesiam esse visibilem? 62.b.19. & d. eamque non posse deficere? 79.b.7. & d. refutatur de primatu regio. 174.b.1. & d.
Bellarminus de indigna manducatione in Eucharistia. 9.b.4. & d. colligit testimonia Patrum per aetates singulas, pro corporali praesentia Christi in Eucharistia. 22. a. 11. defendit Transubstantiationem. 31. b. 3. & d. probat Missam. 40. b. 3. & d. quid doceat de Ecclesia visibili? 60. b. 2. & d. quid doceat de membris Ecclesiae? 65. ad pag. 69. contendit, Ecclesiam non posse errare. 74. b. 1. & d. aut deficere. 78. b. 1. & d. constituit quinddecim notas Ecclesiae. 88. b. 1. & d. quomodo partiatur Concilia? 119. a. 8. quid doceat de necessitate Conciliorum? 120. b. 20. itemque de iure illa convocandi, in iis praesidentibus &c. 121. ad pag. 150. quid doceat de ordinibus & officiis ministrorum Ecclesiae? 156. b. 1. & d. quid de magistratu? 178. & d.
בבא quid sit? 19.a.51
Bexa defenditur contra Becanum. 18.a.46
Bucerus quid senserit de ordinibus ministrorum Ecclesiae? 154.b.17
C.
Calvinus defenditur contra Becanum. 17.b.43. 44
Canon Missae examinatur & impugnatur. 53.a.5. & d.
Cantores qui in Ecclesia? 157.b.7.9
Cardinales qui? 157.b.7. officia ipsorum. 158.a.9
Caro Christi. Vide Corpus Christi.
Catechumeni qui dicantur, & num pertineant ad Ecclesiam Catholicam? 67.a.1. & d.
Catholicus quis sit? 55.a.2. & 57.b.15. & 86.a.8. Ecclesia Catholica quae sit? ibid.
Ceremonia quatenus in N. T. sint probandae? 52.a.2. & d. quam potestatem habeat Ecclesia circa ceremonias? 72.a.1. & d. ceremoniae communes omnium Ecclesiarum? 187.a. & b.
Chorepiscopi qui? 157.b.7
Christianus quis dicatur Patribus? 67.a.1. Christianorum variae classes. 66. b.2. hoc nomen ab Apostolis est impositum. 89.a.3
Christus est panis caelestis. 2. 11. an totus, secundum substantiam, sit in Eucharistia? 36.a.33. 34. solus est sacerdos N. T. 36. b. 3. nomina Christi blaspheme tribuuntur Papae a Bellarmino. 143.a.17
Circumcisio οὐδ' φαρμακον quae? 5.a.32. & 58.b.5. & 59.b.12. proprie est signum foederis, improprie ipsum foedus. 15.b.25. & 19.a.50
Claues Ecclesiae quibus datae? 162.a.10. 11
Clerici qui dicantur, & an recte distinguantur a laicis? 156.b.2. 3. ipsorum immunitas. 169.a.1. & d.
Coena Domini. Vide Eucharistia.
Communio corporis & sanguinis Christi est spiritualis. 2. a. 11. non sunt duo ipsius modi. 5.b.39
Communio fidelium cum Christo explicatur. 1.b.8. & d.
Communio sanctorum est externa vel interna. 61.b.11
Competentes qui dicantur Patribus? 67.a.1
Concilia definiuntur & diuiduntur. 117.a. & b. ipsorum necessitas. 120.a. & b. cuius sit ea convocare? 121.b.1. & d. quas ob causas sint convocanda? 128. b.1. & d. quinam sint ad Concilium convocandi, & ibi possint ferre suffragium decisivum? 129.b.1. & d. cuius sit praesidere in Conciliis? 134.a.1. & d. modus agendi in Conciliis, qualis esse debeat? 138.a.1. & d. quanta sit Conciliorum auctoritas? 141.a.1. & d. an Concilia possint errare? 146.a.1. & d.
Concilia Indorum duo fuerunt. 118.a.6
Concilia varia errant. 95.a.6. non consentiunt
Concilia oecumenica quot numeret Bellarminus? 119.a.8. & d. quot, nostrates? 123.a.12. & d. quinam in iis praesederint? 135.b.4. & d.
Concilia in S. literis obuia. 118. & 119. item 149.a.16
Concomitantia quid sit apud Papistas? 36.a.25
Confessio Aduerfiorum an sit nota Ecclesiae? 106.a.1. & d.
Coniunctio nostri cum Christo explicatur 1. a. 8. & d. quo sensu dicatur substantialis? 4.a.23. similitudines, quibus illustratur, vindicantur. 7.a.43. & 44
Consecratio qualis sit in Eucharistia? 21.b.10
Consensus est sincerus vel impius. 99.a.5
Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua num sit nota Ecclesiae? 94.a.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae? 94. b. 3. an competat Ecclesiis nostris? 94.b.5
Contactus est localis vel virtualis. 3.a.10. & 11
Contradictio non recte obiicitur Catholicis in loco praesentiae corporis Christi in Eucharistia. 17.b.44. 45. contradictiones, quibus laborat transubstantiatio Papistica. 29.b.8
Contradictoria quae sint? 24.b.30
Corpus omne habet triam dimensionem. 17.a.36. est indiuisum in se. 17. a.37. est necessario in loco. 25.b.33. & quid in vno loco duntaxat. 26.a.34. 35
Corpus Christi quomodo sit noster cibus? 2.a.11. & 3.b.14. consideratur secundum naturae consequentiam, & muneris gratiam. 3.a.9. quomodo sit praesens in Eucharistia? 3.b.15. quomodo a Patribus dicatur comedi ore? 4.a.22. non est in pluribus locis. 14.a.14. & d. quinque modis dicitur esse in Eucharistia. 20.a.60
Costerus quomodo probet Ecclesiam esse visibilem? 61.b.14. constituit quatuor notas Ecclesiae. 83.b.1. & d.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

D.

Decreta Pontificum Rom. dissentiunt. 99. b. 7
De mire quid sit in Concilio? 132. b. 2
Dependentia est duplex. 24. a. 2. 4
Diaconi qui dicantur in N. T. 153. b. 11. qui dicantur apud Dd. Ecclesiam? 157. b. 9
Dysphoria quid sit? 19. a. 51
Dysphoria quid sit? 127. b. 8
Discipline ecclesiastica qualis olim fuerit? 69. a. 9. disciplina clericalis explicatur. 151. a. 18. sententia Catholicorum de disciplina Ecclesiae, 190. a. 1. & d. sententia Papistarum. 192. a. 1. & d. de disciplina clericali. 200. b. 1. & d.
Distantia est quantitatiua vel localis. 26. a. 33
Decima an presbyteris & episcopis debeantur iure ecclesiastico vel ciuili? 168. a. 1. & d.
Dona spiritualia sunt duum generum. 7. b. 8
Doctores qui dicantur in N. T. 153. a. 9
Duratio perpetua num sit nota Ecclesiae? 91. a. 1. 2. an competat Ecclesiae Romanae? 91. a. 3. an competat Ecclesiae nostris? 91. b. 4

E.

Ecclesia quibus vocibus significetur? 54. a. 2. & d. variae ipsius distinctiones. 55. a. 1. & d. Ecclesia inuisibilis asseritur 58. a. 1. & d. quanam pertinet ad Ecclesiam catholicam? 63. ad pag. 69. Ecclesia non habet vllam auctoritatem in rebus fidei praeter Scripturam. 69. b. 1. & d. quam habeat auctoritatem circa ceremonias? 72. a. 1. & d. an in Ecclesiam sit credendum? 72. a. 1. & d. Ecclesia potest, & solet in religione errare. 73. b. 1. & d. Ecclesia visibilis potest deficere. 76. a. 1. & d. Notae Ecclesiae. 81. per totum librum. notae falsae apud Pistorium, 82. a. 1. & d. apud Costerum, 83. b. 1. & d. apud Bellarminum, 88. b. 1. & d. notae verae apud Catholicos, 108. b. 1. & d. illius iurisdictionis an Papa soli concessa immediate. 185. a. 1. & d.
Ecclesia falsa quid sit 211. a. 1. & d. vbi nam ea sit. ibid. & d.
Ecclesia triumphans 202. a. 1. 2. & d. constat ex SS. angelis & beatis animab. ibid.
Ecclesia reformata est Catholica. 114. b. 12. Vide etiam passim notas Ecclesiae in specie.
Ecclesia Romana num sit Catholica? 87. b. 10. 113. a. & d. Vide etiam passim notas Ecclesiae in specie: Ecclesia Romana vetus & noua multum differunt. 91. a. 3. Ecclesiae Romanae errores & peccata. 101. a. 4. & 103. a. 6
Ecclesia in iure condendo potestas. 187. a. 1. & d. de disciplina eius. 190. a. 1. & d.
Efficacia doctrinae an sit nota Ecclesiae. 102. a. 1. 2. 3
Electio ministrorum Ecclesiae penes quos sit? 161. b. 1. & d.
Episcopus dicitur late vel stricte. 93. b. 6. & 133. a. 2. episcopi & presbyteri distinguuntur iure humano. 154. a. 14. & 158. a. 12. & d. officium episcopi. 160. a. 5. & d.
Euangelista qui sint? 153. a. 7
Eucharistia qualem habeat effectum? 23. b. 21. successit in locum Paschae. 42. a. 1. 3. quo sensu a Patribus appelletur sacrificium? 48. a. 41
Eucharistia qui fuerint in Conciliis. 134. b. 4
Excommunicati num pertineant ad Ecclesiam catholicam? 68. a. 1. & d.
Excommunicatio est duplex. 68. a. 2. & b. 3. & 4. & 69. a. 7
Exorcista qui dicantur? 157. b. 7. 9

F.

Facere quando significet sacrificare? 44. b. 28
Felicitas temporalis patronorum Ecclesiae an sit nota Ecclesiae? 107. b. 1. & d.
Festa quibus Papistae instituant. 204. a. 1
Fideles qui dicantur Patribus? 67. a. 1. & b. 5
Fides saluifica quid sit? 3. b. 17. & 5. b. 37
Figura alia est organica, alia localis. 25. b. 33
Figura V. T. nos manuducunt ad Christum, non vero ad sacramenta N. T. 10. b. 3

G.

Gloria miraculorum an sit nota Ecclesiae? 103. b. 1. an competat Ecclesiae Romanae? 104. b. 6
Gratia est naturalis vel supernaturalis. 54. b. 10

H.

Habitus monachorum an probandus? 173. a. 12
Haereses quas nobis obiciant Papistae. 95. b. 7. & 97. a. 28
Haereticus quis 180. a. 1. & d. talem faciunt tria: error, conuictio, & pertinacia. ibid. an ob solam haeresin capitis poena puniri possit. ibid. d.
Hierarchia Ecclesiae N. T. quae sit? 153. b. 12. ἱεραρχία τοῦ θ. α. γ. ἑ. ἑ. ἑ. quid sit? 43. b. 22
Hierarchie SS. Angelorum an tres. 202. a. 4. Οἱ ἑ. ἑ. qui dicantur apostolo? 66. b. 2
Hostia. Vide Sacrificium & Victimam.
Hostia pacifica quales, & cuius rei typi? 51. a. 5
Hostia quid significet? 41. a. 5
Humanae Christi naturae veritas asseritur. 13. a. 4
Υπεβολή quinam? 156. b. 3
Hypocritae non manducant corpus Christi in Eucharistia. 7. a. 2. & d.
Υποπίσις qui sint apud veteres? 69. a. 9
Υποπίσις quid sit apud veteres? 69. a. 9
Υποστυμνοί, qui sint in Ecclesia? 151. a. 1

I.

Iacobus rex Angliae defenditur contra Bellarminum. 174. b. 2. & d.
Ιερουσαλ. est nomen Ecclesiae. 83. a. 12
Immunitas clericorum quo nitatur iure? 169. a. 1. & d.
Imperator habet ius conuocandi Concilium oecumenicum. 122. a. 4. 5. & in eo praesidendi. 134. a. 1. & d.
Impij & infideles non habent communionem cum Christo, neque manducant ipsius carnem in S. Eucharistia. 7. a. 4. non pertinent ad Ecclesiam catholicam. 63. b. 1. & d.
Impossibilia simpliciter sunt, quae implicant contradictionem. 24. b. 30

Impositio manuum qualis ritus? 164. a. 2. Graecis dicitur χειροθεσία. ibid. quid differant χειροθεσία & χειροβυσία? 167. a. 14
Indigni qui sint in sacra synaxi? 7. a. 3. sunt duplices. 11. a. 13
Infelix exitus eorum qui Ecclesiam oppugnant an sit nota Ecclesiae? 107. a. 1. & d.
Infideles occulti non pertinent ad Ecclesiam Catholicam. 65. b. 9. & 66. a. 12
Ingressus in Ecclesiam qui fiat? 67. a. 5
Initiari Ecclesia quid? 67. a. 7
In nomine Dei seu Christi aliquid facere quid sit? 125. b. 2
Institutio S. Coena explicatur a circumstantiis. 13. a. 7. 8. est fundamentum altissimi mysterii, quod est in Eucharistia. 71. a. 6
Instrumentum quomodo vsurpetur in doctrina Eucharistica? 19. a. 51
Index controuersiarum quis sit in negotio religionis? 125. b. 2. 130. b. 10
Iurisdictione Ecclesiae an soli Papae sit concessa? 185. a. 1. & d. duae sunt eius partes. 187. a. 1
Ius conuocandi Concilium non est penes solum Pontificem Romanum, sed penes Ecclesiam & ipsos principes. 121. b. 1. & d.
Iustificatio sit sola fide. 101. b. 6

K.

Κηρυξ, notat Ecclesiam. 54. a. 2. & b. 8. 9
Κανονισμοί τῶν ἐκκλησιαστικῶν, quid sit? 127. b. 8. κανονισμοί τῶν ἀποστολικῶν quid? ibid.
Κανον quid sit apud veteres? 127. b. 8
Κηρυξ, quid significet? 42. a. 12
Κηρυξ & κηρυξισμός quid differant? 10. b. 10

L.

Lici an recte distinguantur a clericis? 156. b. 2. 3
Λαϊκόν, continet characterem bestiae Apocalypticæ. 51. b. 2
Lectores qui sint in Ecclesia? 157. b. 7. 9
Leges magistratus an obligent conscientiam? 182. a. 1. & d.
Λειτουργία & λειτουργία quid sit? 45. a. 30
Libertas Christiana quae sit propria N. T. 52. a. 2. & d.
Libertas Ecclesiastica in quibus posita? 169. a. 1. & d.
Locabilitas corporis vnde fluat? 25. a. 31
Locutiones sacramentales explicantur. 5. a. 29. & 15. b. 25. & 19. a. 51. & 21. a. 6. & 32. a. 4
Lumen propheticum an sit nota Ecclesiae? 105. b. 1. & d.
Lutherus non est author nostrae religionis. 90. b. 5. 6. eius elogium. 102. b. 3. mors. 107. b. 3

M.

Magistratus Christiani in Ecclesia primatus regius 174. b. 1. & d. an propter solam haeresim haereticos poena capitis punire possit & debeat 180. a. 1. 2. & d. illius leges an & quatenus conscientiam obligent 182. 1. & d. a Papa iure excommunicati non potest 182. b. 1. & d. neque eidem Papae subiectus. 183. b. 1. d.
Magni peccatores non pertinent ad Ecclesiam Catholicam. 66. a. 10
Magnitudo omnis est continua. 16. b. 35. eius essentia est posita in extensione. 25. a. 31. & d.
Manducatio indigna corporis Christi in Eucharistia explicatur. 7. a. & d. duae sunt ipsius species. 7. a. 3
Manducatio oralis impugnatur. 2. a. 11. & b. 13
Manducatio sacramentalis quid & quotuplex. 1. a. 5. & 13. a. 3
Manducatio spiritualis in S. coena asseritur. 1. & d. ad pag. 7. & 13. a. 3
Μιδεῖς quid sit apud veteres? 69. a. 9
Μηδία vnde dictum? 46. a. 31
Melchisedec quomodo typus Christi? 40. b. 4. an sacrificasse dicatur Gen. 14. 41. a. 5. & d.
Membra Ecclesiae non recte a Bellarmino distinguuntur in viuia & mortua. 64. b. 14
Μετὰ βολή, μετὰ ἑ. ἑ. ἑ. quid apud Patres significant in re Eucharistica? 34. a. 13
Μετὰ μόρφωσις est mutatio solius formae, 28. b. 2
Μετῶν ἑ. ἑ. ἑ. seu μετῶν ἑ. ἑ. ἑ. quid significet apud Patres in negotio Eucharistico? 34. a. 13
Metropolitae qui dicantur? 155. b. 18
Ministri Ecclesiae quibus ordinibus & officiis distinguantur? 151. a. 1. & d. quales vocandi? 159. b. 1. & d. penes quos sit ipsorum electio? 161. b. 1. & d. qualiter, & quo ordine sint vocandi? 163. a. 1. & d. quo ritu sint ordinandi? 163. b. 1. & d. an sint pares? 164. b. 1. & d.
Miracula quotuplicia? 18. b. 48. 49. & 103. a. 2. & d. an sint nota verae Ecclesiae. 86. b. 9. & 87. a. 10. & 103. b. 1. & d.
Missae impugnatur. 36. b. 1. & d. Eius substantia. 36. b. 2. quale sit sacrificium? 50. a. 1. & d. eius efficientia. 51. a. 1. & d. linguae genus, & vocis modus in officio Missae. 51. b. 1. & d. ceremoniae & canon Missae. 52. a. 1. & d.
Missae priuatae impugnatur. 51. b. 5
Missio extraordinaria duobus modis dicitur. 103. a. 2
Modus agendi in Conciliis qualis esse debeat? 138. a. 1. & d.
Monachi quam sancti? 103. a. 6. ipsorum ordines, habitus, tonsura & c. 171. a. 1. & d.
Multitudo credentium an sit nota Ecclesiae? 91. b. 1. & d.
Mutatio qualis in S. coena? 21. b. 10. & 23. a. 18. qualis in sacramentis in genere? 32. b. 6

N.

Non-baptizati an pertineant ad Ecclesiam Catholicam? 66. b. 1. & d.
Nota quid, quotuplex, & qualis? 81. a. 2. & 109. b. 5
Nota Ecclesiae in genere 81. a. & d. in specie 82. a. 1. & d. Pistorius duodecim constituit ibid. Colterus, quatuor 83. b. 1. & d. Bellarminus, quindecim 88. b. 1. & d. nostrates, duas. 108. b. 1

O.

Oblatio gentium est actiua, vel passiua. 43. a. 22
Oecumenicus praedicatur de Ecclesia 56. b. 11. de Conciliis 118. a. 4. de Imperatore. 12. a. 5
Officia ministrorum Ecclesiae quae sint ex mente Catholicorum? 155. a. 2. & d. & ex mente Papistarum. 157. a. 6. & b. 9
Officium

INDEX RERVM ET VERBORVM.

<i>Officium</i> quid apud Ecclesiam Dd?	45.a.30	<i>Romana Ecclesia.</i> Vide Ecclesia Romana.	
<i>Ordinatio ministrorum Ecclesia</i> quo ritu, quae ceremonia fieri debeat? 163.		<i>Romanus</i> & <i>Romanensis</i> an idem sit quod <i>Catholicus</i> ?	89.b.7
b.1. & d.		S.	
<i>Ordines ministrorum Ecclesia</i> septem sunt fundati in N. T. 151.a.2. an admittant gradus? 153.b.13. septem sunt ex mente Papistarum.	157.a.6	<i>Sacerdos</i> in N. T. est solus Christus. 37.b.9. quisnam vulgo ita dicatur? 157.b.9	
<i>O ἁγίου ῥήματος Verbum Dei</i> quid sit?	43.b.22	<i>Sacerdotium Christi</i> est ἀρχιερατεία. 36.b.3. eius natura plenius explicatur.	38.a.12
<i>Ο εὐαγγελίου</i> quid apud veteres?	127.b.8	<i>Sacramenta</i> quid sint? 2.a.10. V. & N. T. quatenus sint paria? 2.b.2. & d. & 6.b.17. & 20.b.3. cur non profint infidelibus? 8.a.9. sacramentorum natura. 13.a.6. & 15.b.25. quo sensu sacramenta V. T. dicantur typi sacramentorum N. T.?	23.a.17
<i>Ornatus Missaticus</i> est Aharonicus, & proinde non conuenit simplicitati N. T.	52.b.3	<i>Sacrificium</i> est propitiatorium vel eucharisticum. 39.a.21. non est par ratio sacrificiorum & sacramentorum. 48.b.44. 49.b.46. sacrificium propitiatorium incrementum nullum.	50.a.23
<i>Ostiarus</i> quis in Ecclesia?	157.b.7-9	<i>Sacrificium Missae.</i> Vide Missa.	
P.		<i>Sancti</i> an canonizandi.	204.a.1.d.
<i>Pancrasius</i> quid sit apud apostolum Paulum?	10.b.10	<i>Sanctitas</i> an sit nota Ecclesiae?	86.a.9
<i>Panis in Eucharistia</i> quomodo sit communio corporis Christi? 3.a.7. Panis & corpus Christi sunt ἀμύη, sed non ὁμύη.	3.b.20	<i>Sanctitas doctrina</i> an sit nota Ecclesiae? 101.a.1.2. an competat Ecclesiae Romanae? 101.a.3. 4. an competat Ecclesiae nostris?	101.b.5.6.7
<i>Papa</i> non est sanctitatis magister. 103.a.6. non habet solus ius conuocandi Concilia. 121.b.1. & d. non habet ius praesidentiae in Conciliis. 134. & 135. an sufficiat, si per legatos suos praesideat Concilio? 13. b.16. & d. an Papa sit supra Concilium? 41.a.1. & d. Papae nomen quale?	152.a.4	<i>Sanctitas vita authorum vera religionis</i> an sit nota Ecclesiae?	120.b.1. & d.
<i>Papista</i> non consentiunt in omnibus, cum antiquis Patribus. 94.b.5. quid commune habeant cum ethnicis, 95.a.32. cum philosophis, 97.b.33. cum Iudaeis, 97.b.34. cum haereticis,	97.b.35	<i>Satisfactio</i> duplex.	85.a.3
<i>Παροῦς ἡμεῶν ἐν τῷ Χριστῷ</i> quid sit?	53.b.9	<i>Sibylla vaticinia</i> de ruina Romae.	108.b.3
<i>Pascha.</i> Vide Agnus Paschalis.		<i>Spirituale</i> multis modis dicitur.	7.b.8
<i>Pascere</i> quid sit?	176.b.13	<i>Spiritualiter</i> & vere perperam opponuntur.	4.b.23
<i>Pastores</i> qui dicantur in N. T. 153.a.8. quales sint vocandi? 159.b.1. & d.	159.b.1. & d.	<i>Subdiaconus</i> quis, & quodnam eius officium?	157.b.7-9
<i>Pastorum Ecclesia</i> officium commune & proprium.	132.b.2	<i>Substantia creata</i> est finita.	16.b.34
<i>Patres</i> sunt magni faciendi. 22.b.13. quae regula in iis citandis obseruanda? 22.b.14. & 34.a.13. an faciant mentionem Missae Papisticae? 47.a.37. & d. Patres, etiam antiquiores, hallucinati sunt.	85.a.3. & 95.a.6	<i>Successio</i> distinguitur.	92.b.1.2. & 93.b.6
<i>Patriarcha</i> quando coeperint, & quot antiquitus constituti?	154.b.16	<i>Successio apostolica</i> num sit nota Ecclesiae? 92.b.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae?	93.b.5
<i>Penetratio corporum</i> est impossibilis.	14.a.14. & 27.b.42	<i>Successio episcoporum Romanorum</i> est incerta.	93.b.7
<i>Peregrinationes</i> religiosae quando incepere.	210.b.2. & d.	<i>Suffragium decisum</i> qui habeant in Conciliis?	129.b.1. & d.
<i>Persecutiones Ecclesia</i> non mutant ipsius essentiam. 59.a.8. saepe faciunt, vt Ecclesiae visibilis non sit conspicua.	62.a.17	<i>Synagoga</i> quid significet in N. T. & apud Dd. Ecclesiae? 54.a.5. 6.7. & b.9. discrimen inter synagogam & Ecclesiam N. T.	83.a.12
<i>Peronius</i> quomodo probet reformatores Ecclesiae non esse legitime vocatos?	166.a.10. & d.	<i>Synedrium</i> , siue Sanhedrin, duplex apud Iudaeos.	118.b.6
<i>Petri apostoli primatus</i> qualis?	152.b.5	<i>Synodus.</i> Vide Concilium.	
<i>Phrases sacramentales.</i> Vide Locutiones sacramentales.		<i>Σύναξις</i> quid sit apud veteres?	69.a.9
<i>Pistorius</i> quomodo probet Transubstantiationem? 32.b.5. & d. quomodo Missam? 40.b.3. & d. constituit duodecim notas Ecclesiae.	82.a.1. & d.	T.	
<i>Pontifex Romanus.</i> Vide Papa.		<i>Testamentum</i> quo sensu accipitur in re sacramentaria?	21.a.7
<i>Pontificij scriptores</i> inter se dissident.	99.b.8. & seqq.	<i>Θεῖον</i> & <i>δουλικόν</i> quid?	42.a.12.13
<i>Possibilia.</i> Vide Impossibilia.		<i>Tonsura monachorum</i> an probanda?	173.a.12. & b.15
<i>Potestas Ecclesia</i> in iure condendo quanam?	187.a.1. & d.	<i>Traditio</i> quotplex?	73.a.4
<i>Predestinatio</i> an faciat vt homo actu sit in Ecclesia?	65.b.8	<i>Transubstantiatio</i> impugnatur. 28. & d. eius fundamenta conuelluntur. 31. & d. quae sit possibilis, & impossibilis?	35.a.18. 19.20
<i>Pradicatio verbi Dei</i> quid complectatur? 43. b.22. est nota Ecclesiae. 108.		<i>Typi</i> quo sensu dicantur?	20.b.3. & 23.a.17
b.1		V.	
<i>Praefigurare</i> duobus modis accipitur.	38.b.15	<i>Varietas creditum</i> an sit nota Ecclesiae?	91.b.1. & d.
<i>Prælati maiores</i> an soli habeant ius suffragii decisui in Concilio? 132. b.1. & d.	132. b.1.	<i>Veneratio Eucharistiae</i> est gemina.	23.b.20
<i>Præsentia</i> quot modis dicatur?	17.a.40. 41. & 24.a.25	<i>Verba S. Coenae.</i> Hoc est corpus meum: quomodo intelligenda? 18.a.45. 46. & 21.a.6. & 31.b.2.3. & 32.a.4	
<i>Præsentia Christi in Eucharistia</i> est ratione beneficij, vel iudicij. 8.b.14. plenè tractatur 12. & d. quid de illa doceat Becanus.	23.b.24	<i>Verbum Dei</i> eandem cum sacramentis rationem habet. 6.b.48. & 7.a.56	
<i>Præsentia corporis Christi sacramentalis</i> & <i>spiritualis</i> quid sit? 13.a.3. an præsentia sacramentalis dependeat à naturali?	24.a.24	<i>Vetustas</i> an sit nota Ecclesiae? 89. b.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae? 90.a.3. an competat nostris Ecclesiis?	90.b.5
<i>Præses Conciliorum</i> quisnam esse debeat? 134.a.1. & d. est politicus, vel ecclesiasticus. <i>ibid.</i> item vniuersalis vel particularis.	135.b.5	<i>Victima manducatio</i> est ἁγία ἄρτης altaris.	46.a.31
<i>Presbyteri</i> qui dicantur in N. T. 153.a.10. an presbyteri & episcopi distinguantur iure diuino?	158.a.12. & d. 164.b.1. & d.	<i>Viginti haereses</i> à Bellatmino obiciuntur nostris Ecclesiis. 95.b.7. & d.	
<i>Primatus regius in Ecclesia</i> asseritur.	174.b.1. & d.	<i>Vita Ecclesia</i> est duplex.	66.b.13
<i>Πρόεδρος</i> qui fuerint in Conciliis?	154.b.3.4	<i>Vnio corporis</i> & <i>sanguinis Christi cum credentibus</i> num substantialis? 3.b.18	
<i>Προεστῆς</i> qui sint in Ecclesia?	151.a.1	<i>Vnio membrorum inter se</i> & <i>cum capite</i> num sit nota Ecclesiae? 98. b.1. & d. an competat Ecclesiae Romanae? 99. b.8. an competat Ecclesiis nostris? 100. b.9.	
<i>Προεστῆς</i> qui sint apud veteres?	69.a.9	<i>Vnio nostri cum Deo Patre, Christo, & inter nos</i> qualis?	6.b.54
<i>Πρόεδρος</i> quid sit apud veteres?	69.a.9	<i>Vnio nostri cum Christo.</i> Vide Coniunctio.	
<i>Propheta</i> qui dicantur in N. T.?	153.a.6	<i>Vnio personalis</i> & <i>sacramentalis</i> à Patribus inter se conferuntur.	32.a.4
<i>Pronomen Hoc</i> , quomodo debeat accipi in verbis Eucharistiae?	33.b.10	<i>Vnio sacramentalis</i> qua in re consistat?	11.b.16. & 13.a.3. & 15.b.25
<i>Proprietates essentiales</i> quomodo se habeant?	17.a.38. & 24.b.28	<i>Vnitas</i> an sit nota Ecclesiae?	85.b.2
Q.		<i>Vocatio</i> sit per gratiam naturalem vel supernaturalem. 54.b.10. est immediata vel mediata, ordinaria vel extraordinaria, externa vel interna. 55.b.7	
<i>Quantitas</i> est entitatiua vel localis. 24. b. 28. habet duplicem extensionem.	25.a.31. & d.	<i>Vocatio ministrorum Ecclesia</i> qualiter, & quo ordine fieri debeat? 163.a.1. & d. est ordinaria, vel extraordinaria.	165.a.3. & b.7.8
R.		<i>Voluntas Dei</i> est iustitiae regula.	16.b.32
<i>Recordatio</i> an sit praesentium?	16.a.27	<i>Voti</i> sanctis, praesertim mortuis, absque idololatria non possunt nuncupari.	211.b.4
<i>Regnum Christi</i> est perpetuum.	79.a.4	Z.	
<i>Replicatio</i> , seu <i>reproductio</i> quid sit?	35.b.20	<i>זכור</i> quid sit?	212
<i>Res praefer Scripturam</i> sunt duplices.	69.b.2	<i>Zwinglius</i> quomodo sit intelligendus, quando scribit de somnio suo: Nescio an ater vel albus fuerit? 20.a.59. 60. non est author nostrae religionis. 90.b.5. 6. eius mors.	107.b.3
<i>Reus corporis</i> & <i>sanguinis Christi</i> quisnam fiat?	9.b.2. & 11.b.15		
<i>Ribera de Romae excidio.</i>	108.b.3		

FINIS.

Hinc Apostolus dicit, *Corint. 6. Qui Domino adhæret, vnus Spiritus est cum eo.* Et Christus *Iohan. 17. ait: Vt sint vnum, sicut nos vnus sumus.* Quare cum scriptura nullam aliam fidelium coniunctionem & communionem cum Christo tradat, quam spiritualem & internam, manducatio corporis & sanguinis Christi in S. cœna non potest esse alia quam spiritualis. Etenim sacramenta sunt verba visibilia, & idem significant oculis, quod promissio gratiæ nuntiatur auribus. At promissio gratiæ siue Euangelium tantum promittit spiritualement communionem corporis Christi. Ergo etiam ritus cœnæ nullam aliam significat: ac proinde nulla alia fit. Nulla enim fit inuisibilis communio, nisi quæ significatur per visibilem functionem. Deinde qui habitat in cordibus per fidem, non sumitur nisi ore fidei. At Christus, *Eph. 3.* Denique quomodo Christus in nobis manet in æternum, sic à nobis manducatur, & se nobis communicat. Non enim dat se nobis manducandum, vt rursus à nobis discedat: sed vt semper in nobis, & nos in ipso maneamus. Manet autem in nobis, non substantia corporis sui existente intra corpora nostra, sed nobiscum per spiritum ipsius in nobis habitantem vnita. Ergo sic etiam à nobis manducatur & bibitur. Qualis enim in nobis est mansio, talis manducatio, & qualis manducatio, talis & præsentia: cum fiat manducatio propter mansionem, & præsentia sit propter manducationem.

XI. Iam probemus hoc ipsum certis rationibus: rationibus, inquam, ex scriptura petitis. Nam quia præ manibus habemus mysterium, adeoque rem incomprehensibilem, *videtur dicitur quod licet adferre. Prima ratio hæc esto.* Scriptura diserte affirmat Christi corpus, siue carnem pro nobis datam, esse cibum cœlestem, adeoque spiritualement, *Iohan. 6.* Qualis autem est cibus, talis est manducatio. Deinde, Christus verus Deus, & verus homo, vnus idemque *Dei & hominis*, est panis ille cœlestis, à quo vita æterna ad nos dimanat. Neque enim, quando manducationem hanc, & hunc potum proxime referimus ad corpus Christi, & eius sanguinem, ex ipsius Christi verbis, vel corpus à sanguine, vel corpus & sanguinem ab anima, vel humanam Christi naturam à naturâ diuinâ diuellimus (quis enim nescit, *1. Cor. 10.* esse vitam ipsam, & scaturiginem illius vitæ, quæ ad nos per humanam naturam dimanat, *Iohan. 1. & 1. Iohan. 1.*) sed vna cum corpore & sanguine Christi intelligimus totum Christum, omniaque ipsius beneficia, quæ omnia nobis in morte Christi quasi ad viuum depinguntur. Si ergo Christum crucifixum manducamus, non potest hoc fieri nisi per fidem, siue modo spirituali. Sane Christus diserte verbis dicit, *Iohan. 6. Qui ederit me, quatenus nempe sum mediator.* Tertio, Christus apud Iohannem d. l. ait: Spiritus est, qui viuificat. Itaque manducatio ipsius non est alia quam spiritualis. Quarto, veteres sub lege participes facti sunt carnis Christi. Ederunt enim eandem escam spiritualement, & eundem potum spiritualement biberunt, *1. Cor. 10.* Hæc igitur manducatio est spiritualis. Nam eadem communio in sacramentis V. & N. T. significatur. Quinto, fidelium conuersatio dicitur esse in cœlis, *Phil. 3.* & iubemur ea querere, quæ in cœlis, non quæ in terra sunt. Id autem dicitur respectu spiritualis vnionis, quam cum Christo habemus. Quare cum vno sit spiritualis, oportet communionem quoque talem esse. Sexto, Ecclesia cum Christo coniungitur modo spirituali. Ergo & singula ipsius membra eodem modo cū ipso coniungantur necesse est. Septimo, vnionis & communionis nostræ cum Christo author est Spiritus sanctus, efficaciter operans in cordibus nostris. Itaque vnio & communio illa est spiritualis. Octauo, vinculum coniunctionis nostræ cum Christo est sola fides. Itaque coniunctio est mere spiritualis. Nono, communio corporis & sanguinis Christi non est escæ & potio oralis, sed talis communio, quâ sancti omnes sunt vnum corpus propter vnionem cum Christo capite suo: quæ cum dæmoniorum communione non consistit: quæ similis est communioni altaris, in sacrificijs V. T. quæ semper durat, etiam extra vsum cœnæ, & custodiri debet, cauendo communionem dæmoniorum, *1. Cor. 10.* Cœna autem Domini est communio corporis & sanguinis Christi: Ergo non est manducatio oralis corporis Christi, sed incorporatio in ipsum, quæ fit fide per ipsum spiritum. Decimo, communio corporis Christi in baptismo non est, nisi spiritualis. Sed eadem est communio in baptismo & in cœnâ, *1. Cor. 12.* Etenim per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, & omnes vnâ potatione in vnum spiritum potati sumus. Ergo & in cœnâ, nulla est communio ipsius corporis, nisi spiritualis. Ad extremum, sacra cœna est ab ipso Christo instituta ad augendam & confirmandam fidem, & ad obsignandam coniunctionem, quam Spiritus sanctus per fidem efficit. Itaque in S. cœna non est nisi spiritualis manducatio. Sane quidquid est & geritur in sacramento, vel est signum vel res significata. At manducatio oralis corporis Christi non est signum, quia est inuisibilis, neque etiam aliquid rei significatiua. Neque est res signata, quia sumptio panis significat spiritualement communionem Christi promissam in Euangelio, cuius promissionis visibile signum est Cœna. Et voluit, eam statuentes, communem esse pijs & impijs. Res autem signatas in sacramentis percipiunt soli credentes. Sed colligamus hæc argumenta in vnam *ἀποδειξις*. Illa manducatio est tantum spiritualis, cuius extrema & media tantum sunt spiritualia. At eiusmodi est manducatio corporis Christi in S. cœna. Nam extrema ipsius sunt partim Christus *Dei & hominis*, verus Deus & verus homo, mediator, Pontifex, caput, & sponsus noster, cum suis donis, meritis ac beneficijs: partim Ecclesia, corpus & sponsa Christi, seu vere credentes. Media sunt Spiritus sanctus, efficaciter operans in cordibus nostris, & fides à Spiritu sancto in nobis ingenta. Iam verò hæc omnia sunt spiritualia. Ergo manducatio corporis Christi in Eucharistia est mere spiritualis *ἀποδειξις*.

XII. In tertia classe argumentorum collocamus dicta Patrum. *Cyprianus de cœna Domini sectione vltima, ait:* Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acimus: sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur. *Augustinus tractatu 25. in Iohan. Et itur in iure Canonico, de consecratione dist. 2. capitulo, Vt quid, quod est quadragesimum septimum:* Vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducaisti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Qui credit in eum, manducat eum. Inuisibiliter saginatur, quia & inuisibiliter renascitur. *Idem, tract. 26. in Iohan.* Hic est panis, qui de cœlo descendit, vt si quis manducauerit ex ipso, nō moriatur; sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intrus, non foris: qui manducat in corde, nō qui premit dente. *Et tract. 50. in Iob.* Refurrexit, à discipulis agnitus: ante oculos eorū ascendit in cœlum: ibi sedet ad dextram Patris: qui iudicatus est, venturus est iudex: audiant & teneant. Respondet, quem tenebo? absentem? Quomodo in cœlum manum

mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti: *Ambrosius lib. 6. in Lucam:* Fide tangitur Christus, fide Christus videtur. *Idem libro de iis qui mysterijs inuariantur, cap. 9.* His igitur sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur substantia. *Et paulo post:* In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Non ergo corporalis escæ, sed spiritualis est. *Cyrillus lib. 5. in Iohan.* Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. *Bernhardus Sermone 28. super Cantica:* Quasi vero cum iam ascenderit, tunc tangi velit aut possit. Et vti que poterit: sed affectu, non manu: voto, non oculo: fide, non sensibus. *Et paulo post:* Tanges manu fidei, desiderij digito, deuotionis amplexu, tanges mentis oculo. *Ex his Patrum sententijs efficitur,* corpus Christi non ventris, sed mentis cibum esse: proinde nec ore corporis, sed ore animæ, hoc est, verâ fide, manducandum esse.

XIII. Quod si hæc conferantur cum ijs, quæ Chamierus disputauit contra corporalem manducationem, procliuè est colligere: Vt manducatio oralis corporis Christi est falsa, inutilis, verbo Dei per omnia contraria, absurda, & impossibilis: ita manducationem mysticam, hoc est, spiritualement, esse veram, vtilem, verbo Dei per omnia consentaneam, nullis absurdis obnoxiam, & possibilem. Vidit hoc nobilis Papista *Caietanus, qui in opusculo tom. 2. tract. 2. c. 3. ita scribit:* Falsissimum est, corpus Christi corporaliter sumi, quoniam spiritualiter, & non percipiendo, sed credendo theologi docent sumi in Eucharistia.

C A P. II.

Argumenta contra spiritualement manducationem diluuntur.

I. Hoc caput partemur in duas sectiones. In prima refutabimus quatuordecim argumenta variorum: in secunda nobis res erit cum Claudio de Xaintes. Quod itaque attinet ad varios illos, *Primum suum argumentum* sumunt ab excellentia noui testamenti præ veteri, & ita disputant ab absurdo. Nisi corpus Christi oraliter manducaretur in Eucharistiæ sacramento, siue in ipsis S. cœnæ symbolis, sacramentum Paschæ & sacramentum Eucharistiæ parem haberent virtutem & efficaciam: quia vtrobique statuitur eadem manducatio, putâ spiritualis. Hoc autem absurdum est. Itaque prærogatiua hæc est Eucharistiæ, præ agno paschali, quod ibi corpus Christi corporaliter etiam manducetur, cum hic non nisi spiritualiter fuerit manducatum.

II. Respondeo absurdum istud colligi ex falsa hypothese. Nam sacramenta V. & N. T. sunt prorsus paria quantum ad substantiam attinet, adeoque quantum ad virtutem atque efficaciam. Differentia est in accidentibus, putâ claritate, facilitate, numero, & similibus. Quam in sententiam *Augustinus epistola 49. qua est ad Deo gratias,* sic ait: Alijs tunc nominibus & signis, alijs autem nunc; & prius occultius, postea manifestius; & prius à paucioribus, & postea à pluribus, vna tamen eademque religio vera significatur. *Idem in enarrat. Psalm. 77. ait:* Idem itaque in mysterio cibus & potus illorum qui non ster, sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. *Et rursus tractatu 26. in Iohan.* Sacramenta illa fuerunt: in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt. Nos itaque sic concludamus contra sententiam aduersariorum. Communio Christi, in sacramentis veteribus significata, non nisi spiritualis fuit. At communio Christi in nouis sacramentis eadem significatur quæ in veteribus. Ergo communio Christi in sacramentis noui testamenti nulla significatur per signa visibilia, nisi spiritualis. Maior est manifesta: quia caro Christi tum nondum existebat: non ergo poterat oraliter, siue corporaliter manducari: neque vlla manducatio carnis Christi, præter spiritualement, significabatur. Minor probatur ex *1. Cor. 10.* Patres omnes in Mosen baptizati sunt nube & mari, & omnes eandem escam spiritualement ederunt, & omnes eundem potum spiritualement biberunt. Bibebant enim ex sequente spirituali petra: petra vero erat Christus.

III. Sed duo excipiunt. 1. sacramenta vetera fuisse figuras significantes; nostra vero sacramenta esse ipsam veritatem, & res futuras. 2. Veteres bibisse eundem potum, & edisse escam spiritualement eandem, scilicet non nobiscum, sed inter sese: quomodo Chrysolomus accipit eum locum.

IV. In primo effugio est absurda confusio signorum & rerum. Nam sacramenta vetera sunt vmbra & typi nouorum, non quasi illa fuerint signa, nostra vero sacramenta sunt res ipsæ, quæ veteribus in suis sacramentis credenda proponerantur. Sic enim sacramentorum sacramenta fuissent, non autem signa fœderis, aut signa gratiæ, sed rerum, quæ ipsis neque data à Deo, neque cognita fuissent, nisi monstra monstris cumulare velimus, fingendo, veteres credendo futurum escam oralem corporis Christi, seruos fuisse. Quando itaque sacramenta vetera dicuntur fuisse typi nouorum, sic intelligere oportet, sicut illud *1. Pet. 3.* vbi baptisimus nominatur *ἀντύτυπος* diluuij, id est, typus similis, correspondens, succedens & idem significans, etsi clarius, quam veteres typi. Ideo vocantur vetera sacramenta typi & vmbra, Christi quidem & ipsius regni, tanquam rerum significatarum, *Col. 2.* nouorum vero sacramentorum, tanquam iconum siue imaginum expressarum, & illustratarum coloribus, *Heb. 10.* id est, typi obscuriores, quum sunt noui. Nempe sicut *ἀντύτυπος*, seu adumbratio & delineatio picturæ, habet relationem ad rem, quæ pingitur, & ad picturam rei absolutam: sic sacramenta V. T. eant vmbra rerum, & vmbra imaginum, id est, typi earundem rerū representatiui, quas representant etiam imagines; sed typi obscuriores, mutandi in nouo testamento in clariore, sicut adumbrationes in imagines illustratos.

V. Quod attinet ad secundum *ἀντύτυπος*, sane Chrysolomus sic accipit eum locum. Sed quod etiam nobiscum eandem escam ederint, videl. Christum, spiritualiter pij, sacramentaliter autem pij & impij, exponunt Augustinus, Ambrosius, & Hieronymus. Et sane apostolus diserte inquit, Petram fuisse Christum; sicut & panis noster Christus est: & aquam fuisse spiritualement potum, id est, sanguinem Christi; sicut nobis vinum est sanguis Christi. Non enim alius cibus & potus spiritualis per verbum Euangelij & sacramenta offertur, nisi caro & sanguis Christi: vt docetur *Iohan. 6.* Fuerunt ergo illorum

horum & nostra sacramenta diuersa signis, eadem re signata.

VI. Secundum argumentum contra spirituales manducationem petitur ex 1. Corin. h. 10. ubi panis appellatur communicatio, seu participatio corporis Christi: nempe ita, vt participato pane etiam participetur corpus Christi. Nam apost. dicit: Vnus panis est, scilicet qui omnibus communicantibus frangitur. Et addit: Vnum corpus multi sumus. Quomodo quæso? Quatenus omnes de hoc pane edentes, vnum corpus sunt, & eiusdem Ecclesie membra, quæ manducant corpus Christi in sacramento.

VII. Respondet: Paulus non dicit, oralem esum corporis, sed panem, quem frangimus, esse communicationem corporis Christi. Nec dicit, hunc panem esse oralem esum, sed communione corporis. Hanc vult quidem iste disputator in oralem communicationem, siue manducationem, conuertere: sed inani conatu. Nam non patitur hoc Scriptura, quoties communione corporis Christi describitur, vt c. præced. est declaratum. Deinde non patitur hic ipse locus apostoli. Allegat enim ritum cœnæ Domini, in qua, tanquam in sacramento, est signum & res signata. Signum est panis: res signata, est communicatio Christi. Cuius hoc effectum commemorat, quod per eam sumus vnum corpus, h. e. membra Christi, seu Ecclesie inuisibiles; non vero Ecclesie visibiles: quia ad hoc sufficit communicatio externa, quæ communis est pijs & impijs. Vera igitur analysis verborum Pauli hæc fuerit. Subiectum est ibi: Panis, quem frangimus: prædicatum in illis verbis, Communio corporis Christi. Quomodo? Quatenus est testimonium & argumentum spiritualis communionis, h. e. incorporationis & infusionis in illam massam humanæ naturæ, quam filius Dei assumpsit, per vnum in ipsa & credentibus habitatur spiritum. At, inquis, vt duplex est vnio in cœna, vna signorum cū corpore & sanguine Christi, quæ dicitur sacramentalis; altera corporis & sanguinis Christi cum credentibus, quæ dicitur spiritualis: ita quoque panis duplici iure est communicatio corporis Christi, sacramentaliter, i. e. in esu corporali siue orali, & spiritualiter, i. e. ratione fidei. At, inquam ego, perperam exponitur sacramentaliter per corporaliter. Nam corpus Christi dicitur edi sacramentaliter, quia editur sacramentum ipsius corporis, non vero corpus ipsum.

VIII. Tertium argumentum est eiusmodi. Si in cœna Domini manducatio corporis Christi, & potus sanguinis ipsius spiritualiter intelligi debent: ergo debent non de ipso Christi corpore intelligi, sed de Christi beneficijs, & in primis de fructu mortis & sacrificij ipsius. Ratio consequentiæ est: quia corpus Christi non est spiritus, sed verum & naturale corpus.

IX. Sed hæc consequentia fallit, quia nititur hac falsa hypothesis: Nihil potest intelligi spiritualiter de Christi vero & naturali corpore. Quam hypothesis refutat vtriusque regula. Corpus Christi consideratur vel secundum naturæ consequentiam, vel secundum muneris gratiam. Posterior iste modus pertinet ad Eucharistiam: quia panis est sacramentum corporis Christi pro nobis crucifixi, h. e. vt est donum, quod Pater cœlestis dat credentibus. Itaque corpus Christi manducatur in Eucharistia, non corporaliter, sed spiritualiter: quia nempe est res sacramenti, quæ non potest manducari nisi à credentibus.

X. Quartum argumentum ita formatur. Spiritualis illa coniunctio cum Christo per nullam communem notionem vocabulorum potest explicari. Est igitur commentitia. Ratio consequentiæ est; quia etsi statuitur illa communicatio esse mysterium, tamen *τὸ πρῶτον* ideo non excluditur. Probatum antecessens: quia coniunctio ista neque fit per contiguitatem, neque per commixtionem, neque per informationem, neque per contactum localem. Dicitur quidem hanc coniunctionem fieri efficacitate spirit. sancti. Sed hoc est dicere causam efficientem, non formalem. Quod si nulla est causa formalis huius coniunctionis, hæc sane coniunctio nulla est.

XI. Duo respondeo. Primum committitur fallacia distributionis. Omititur n. coniunctio, quæ fit per contactum virtuales, vt vocant. Ita videmus amicos locorum spatij distinctos coniungi vinculo beneuolentiæ. Videmus coniunctionem in coniugio non tolli locorum intercedente, vt inter Vlysem peregrinantem, & Penelopem domi commorantem. Videmus fideles per totum terrarum orbem dispersos, ætissimum spiritualis necessitudinis vinculo inter sese copulari. Hinc apost. ait se corpore quidem abesse à Corinthijs, sed spiritu ipsi adesse, 1. Cor. 5. Et idem scribit ad Coloss. 2. Ita nos Christo sumus vniti vnione ætissimâ: quia ipse est caput, nos membra. Ille manet in nobis, nos in ipso, 1. Joh. 6. Pertinet hæc regula philosophorū: Relata ad sui cōseruationem non egent locali contactu. Denique vnio alia est corporalis alia spiritualis: ibi est forma naturalis: hic supernaturalis. Ea vero vtrobiq; est ratio formarum, vt illæ à nobis accurate cognosci nequeant. Quare si philosophi fatentur, se in cognitione formarum plus quam talpas esse, quid amabo nobis dicendum erit de formis illis, quæ supernaturaliter imprimantur? Cæterum vt formæ rerum naturalium per transennam colliguntur ex proprijs effectibus & adiunctis: ita etiam de forma coniunctionis spiritualis & mysticæ, quæ est inter Christum & nos, habendum est. Effectus ipsius est renouatio ad vitam æternam: adiunctum, non posse dissolui. Rom. 8. Hinc colligimus, vnionem in eo esse positam, quæ Christo inseritur & incorporatur. Hoc est quod Christus dicit 1. Joh. 6. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Itaque mansio Christi in nobis, & vicissim mansio nostra in Christo est forma vnionis illius spiritualis. Vbi nec illud est silentio prætereundum: philosophos recte monere, formas rerum vtriusque adumbrari conuenientibus similitudinibus. Quarum catalogum vide c. præced. Hic solum illa est repetenda, quæ apost. scripsit. accessit à coniugio, his verbis: Erunt duo in carne vniam: Mysterium hoc magnum est: Loquor autem de Christo & Ecclesia.

XII. Quinto sic argumentatur: Si manducatio corporis Christi in cœna est spiritualis, vt manducatio metaphorice accipitur, ita quoque vocabulum corporis metaphorice accipiendum est. Sed hoc absurdum. Respondet esse paralogismum consequentis. Nam sæpe numero fit vt subiectum enuntiationis sit proprium, prædicatum vero modificatum: vt, Christus est pastor, vitis, ianua & c. Ita quando dicimus, corpus Christi est cibus, seu manducatur, prædicatum tropicum enuntiat de subiecto proprie accepto.

XIII. Sexto: Sicut anima in vsu S. cœnæ nutritur ad vitam æternam, ita & corpus. Necessè itaque est non solum spirituale, sed etiam corporalem manducationem ibi fieri. Respondet hoc non esse necessè. Etenim anima & corpus nostrum nutriuntur corpore & sanguine Christi ad vitam æternam per fidem, efficacitate spiritus. Nihil hic corporale somnandum est: quia Spiritus Christi habitat in anima & corpore nostro spiritualiter, & ita quoque nos perficit atque reficit.

XIV. Septimo: Si manducatio corporis Christi in cœna est spiritualis, nomine corporis aliquid spirituale intelligendum est, ac propterea non ipsa corpus. Nam corpus non potest esse nutrimentum spirituale. Respondet per infirmitatem istius prosyllogismi, quo probatur consequentia. Etenim corpus Christi est cibus spiritualis, & quidem mere spiritualis, quia corpus Christi per synecdochen hic ponitur pro toto Christo: ita vt hic non attendatur substantia corporea, sed donum, h. e. Christus mediator, Pontifex ille noster, qui semet ipsum in cruce pro nobis obtulit. Quare corpus Christi est nostrum spirituale donum & alimentum, quatenus vestitum est verbo promissionis.

XV. Octavo: Si corpus Christi vere adest in cœna Domini, etiam verè accipitur, adeoque oraliter. Respondet priorem consequentiam esse legitimam, quia corpus Christi verè præsens est animis nostris per fidem, præsentia spirituali, & ideo verè percipitur, perceptione scilicet spirituali. Sed posterior consequentia fallit: quia procedit à non diuiso ad diuisum. Est enim vera perceptio alia corporalis, alia spiritualis.

XVI. Nono: Si per fidem Christo coniungimur, etiam extra S. cœnam, non rectè dicitur, eo spectare S. cœnam, vt cum Christo communionem habeamus: quippe cum iam sumus cum eo coniuncti. Respondet nullam esse connexionem: quia ea est natura communionis nostræ cum Christo, vt quam diu in his terris degimus, sit nobis in illa communionem perpetuo crescendum. Deinde hæc nostri cum Christo coniunctio fit per fidem, quam oportet in nobis quotidie crescere & foueri. Quam ad rem conducunt verbum & sacra eucharistia. Denique vt vita corporis quotidie conseruatur per alimenta: ita oportet quotidie, imo in singula momenta, vitam spirituales sustentare spirituali cibo.

XVII. Decimo: Si manducatio corporis Christi peragitur fide, est fictitia & imaginaria. Fides siquidem est conceptio & imaginatio rei absentis. Respondet esse argumentum theologo indignum. Fides namque saluifica (de qua hic agitur) est *παρομοιωσις*, *συνουσιαστική*, *ἐπιγνώσις*, *ἡλικία* & c. non vero imaginatio, opinio, aut phantasia. Hinc est, quod Abraham vidit diem Domini, & gaudius est, 1. Joh. 8. Hinc est, quod patriarchæ promissiones euangelij eminens conspexerunt, & amplexi sunt, credentes, Heb. 11. Hinc est, quod fideles in terris agentes, suum *πολιτευόμενοι* habent in cœlis, Phil. 3. Quare manet illud apostoli Heb. 11. Fides est illud, quod facit vt extent quæ sperentur, & quod demonstrat quæ non videntur: ita nempe, vt habeat res sibi spiritualiter præsentem. Hoc est, quod August. lib. 33. contra Faustum Manichæum, c. 8. ait: Accedant ad Iesum, non carne, sed corde: non corporis præsentia, sed fidei potentia, sicut ille Centurio. Et idem in epist. Iohann. tract. 1. ait: Nos Christum in cœlo sedentem manu contrectare non possumus, sed Christum fide contingere possumus. Et 1. Joh. 4. Tangit Christum, qui credit in Christum. Vnde fides Corythosorum dicitur scalam a terra in cœlum: & certior quibusuis demonstrationibus. Videatur etiam libellus Tiguri excusus, hoc titulo: *Explicatio problematis, vtrum si dicatur, corpus Domini cum fide percipi, sequatur, id tantum imaginari fieri.*

XVIII. Undecimo sic arguuntur: Vnio corporis & sanguinis Christi cum credentibus est substantialis & essentialis. Ergo non est tantum spiritualis. In quo argumento confunditur modus rei cum re ipsa. Nam vnio corporis & sanguinis Christi cum credentibus est substantialis siue essentialis, si res ipsas vnitas; realis, si veritatem vnionis; spiritualis, si modum spectes. Res certè, quæ vniantur, siue extrema vnionis, sunt substantiæ, seu habent essentialitatem per se subsistentem, & ideo hæc tenentur dicuntur vniti essentialiter: quia non vniantur inter sese vt accidentia. Sed modus est spiritualis, idque triplici de causa. 1. quia perficitur opera spirit. sancti. 2. quia fide tantum percipitur. 3. quia pertinet ad vitam spirituales, non corporales: et hoc beneficium etiam ad corpus pertinet, vt ipse quod spiritualiter perficitur, æque atque anima, iustificando, sanctificando, glorificando.

XIX. Duodecimo rationem sic proponunt: Si eodem genere coniunctionis vnitur Christus cum animis piorum in Cœnâ Dñi, quo fideles V. T. fuerunt olim vniti cum Christo venturo, h. e. spiritualiter: ergo corpus Christi non vnitur cum animis piorum. Quia cū Christus non fuerit actu homo in V. T. non potuit vniri cum fidelibus V. T. ratione corporis, aut secundum se, sed duntaxat secundum spirituales fidei aut gratiæ effectum, quem merito passionis Christi futuræ veteres perceperunt. In hoc argumento multa sunt vitiosa, in primis autem ista duo. 1. quod corpus Christi non accipiunt eo sensu, quo par est. Nam corpus Christi in tota hac disputatione supponit pro ipso Christo, vt est mediator noster. Itaque veteres si vniti fuerunt Christo, etiam corpori Christi. 2. quod vim fidei ignorant. Nam etsi Christus in V. T. non fuit actu homo, tamen Christus *θεωλογησας* fuit veteribus in ipsum credentibus præsens. Itaque illi coniuncti fuerunt cum ipso Christo homine futuro.

XX. Decimo tertio Si vnio siue coniunctio panis cum corpore Christi est corporalis, etiam manducatio corporis Christi est corporalis. Respondet Panis & corpus Christi sunt *ἁμῶς*, i. e. simul tempore vnione sacramentali, sed non sunt *ὁμοῦ*, i. e. simul loco, vnione corporali. Ratio prioris est: quia panis & corpus Christi, se habent vt signum & signatum, & simul percipiuntur in vsu legitimo, licet modo diuerso. Ratio posterioris est: quia corpus Christi est in cœlo, non autem in pane: vt infra probatur pluribus.

XXI. Decimo quarto & vltimo: Patres docent, non fide duntaxat, sed etiam ore, nec tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter siue substantialiter, corpus Christi accipi & manducari. Sic enim Augustinus epist. 118. ait: Placuit spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus, quam cæteri cibi, intraret. Idem sermone 215. de tempore: Videte fratres charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi corpus Christi ingreditur & c. Ambr. ad Theodosium c. 8. Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, cum furore verborum tuorum tantus effectus est sanguis. Leo Papa sermone de resurrectione: Sic facta mensa communicare debetis, vt nihil profus de veritate corporis Domini ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur. Idem serm. 4. die Quadragesimæ: Ore indigno corpus Christi accipiunt. Rursum Augustinus contra aduersarium legis, lib. 2. cap. 9. Mediatorem Dei & hominis, hominem Iesum Christum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fidei corde atque ore accipimus. Gregorius lib. 4. dialogorum: Eius caro ibi sumitur, cuius sanguis iam non in manus infidelium, sed in ora fidelium infunditur. Idem homilia paschali 22. Sanguis agni super vtrumque postem ponitur, Exod. 12. quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

Theophylactus in Colof. 3. Aperte, vestro ore, dixit, id est, quod ex Dominici corporis communicatione sanctificatur. Absurdum enim, ut os illud sermone fecerit inquitur, quod Christum suscipit. Idem 2 Corin. 13. Cum Dei nos templum præferimus, os quidem, quod est huius templi vestibulum, osculamur, per id ipsum Christus ingreditur, cum sacrosanctum sumitur corpus. Plurimæ huius generis loquendi formulæ in Chrylostomo extant: ut homilia 6. in 1. Timot. Nihil ex eo ore prodeat, quod Dominico corpore sepius saginatur. Huc etiam pertinent dicta Patrum, quæ corpus & sanguinem Christi, non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter & substantialiter in Eucharistia adesse & sumi affirmant. e.g. Cyrillus libro undecimo in Iohan. cap. 27. enarrans verba Iohan. 17. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in vnum: Nexus, inquit, vniõnis nostræ ad Deum Patrem, Christus est: nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter vnitus. Consummati ergo sumus, reductique ad vniõnem Dei Patris, mediatiõne Saluatoris, i. e. Christi, Filium enim Dei, naturaliter Patri vnitum, corporaliter substantialiterque accipientes, clarificamur glorificamurque, supremæ facti naturæ participes. Et paulo ante, cap. 26. Nos quia corpore & anima constamus, dupliciter Christo coniungimur. Corporaliter enim per benedictionem (Cœnam Domini) mysticam nobis ut homo vnitur: Spiritualiter, ut Deus, sui spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam & diuinæ naturæ participationem spiritum resuscitat. Item, lib. 10. c. 13. Non tamen negamus, recta nos fide, charitateque, sincera spiritualiter Christo coniungi. Item An putant nobis ignotam mysticam benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis sit, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis suæ, Christum in nobis habitare? Paulo post: Ita & spiritualiter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est. Eadem scribit Iuarius lib. 8. de Trinit. vbi hæc ipsa verba Iohannis tractat.

XXII. Dum itaque generum testimonia adferuntur ex Patribus pro orali manducatione corporis Christi. Primo enim conantur probare corporalem manducationem: deinde corporalem præsentiam & manducationem simul. Primi generis dicta ex Patribus ipsis declaramus, hoc modo. Dicunt illi, corpus Christi comedi ore. Idem & nos dicimus. Nimirum, visibiliter, in sacramento, in mysterio, sacramentotenus: in ipsa autem veritate spiritualiter. Hoc autem ita patet. Sicut Patres dicunt, ore edi & bibi corpus & sanguinem Christi: sic etiam dentibus premi, dentes ei infigi, in frustra illud confringi, tractari & immolari manibus ministrorum; particulas ex eo in terram cadere, ora & linguas sanguine rubescere, & horum similia dicunt. Cur ergo non hæc etiam, sed solum orale esum & haustum, de corpore Christi proprie dicto accipiunt? Abunde igitur Patres refutant Aduersariorum cauillationem.

Cum enim dicunt, corpus Christi premi dentibus, & tamen alibi dicunt, Christum vorari dentibus fas non esse, ut Augustinus de consecrat. dist. 2. cap. verum sub: neque secum, neque inter se pugnant. Editur enim Christus ore, scilicet sacramentaliter, in sacramento: non editur ore, scilicet reuera, in ipsa veritate. Alterius ordinis dicta, quæ ad corporalem & substantialem in pane præsentiam & functionem corporis confirmandam allegantur ex Cyrillo & Hilario, de spirituali manducatione & communionione corporis Christi sunt dicta. Nam corporaliter & spiritualiter vniri Christo, non significat hic Cyrillo, corporali & spirituali modo, sed vniri Christo secundum corpus, & secundum spiritum, siue vniri cum corpore & cum spiritu Christi: ut corporaliter sit idem, quod corporetenus, seu quod ad corpus attinet. Obiectum enim, cui vnimur (hoc est, duæ in Christo naturæ) aliud corporale, aliud spirituale est: vnio autem ipsa, siue modus vniõnis, utrobique spiritualis est, hoc est, non membris & sensibus corporis, sed operatione spiritus sancti perficitur. Nam sicut vniri Christo secundum spiritum, est vnum cum ipso spiritum communem habere, & nostrum spiritum ipsius spiritui conformem fieri: sic vniri ei secundum corpus, est cum ipso corpore coniungi & copulari, eique nostra corpora fieri conformia in hac vita inchoatione, in altera consummatione. Hæc autem vtraque vnio, & cum spiritu, & cum corpore Christi, non aliter fit, nisi virtute spiritus Christi, qui nos & sibi & corpori Christi vnit, id est, spiritum nostrum sibi, & corpus nostrum corpori Christi, copulat & conformat. Hanc esse Cyrilli & Hilarij mentem, prolixè ex ipsorum verbis, seu ex contextu, probat Zacharias Vrsinus in Consideratione Communionis, pag. 233. ad 255. quem vide.

XXIII. Ventilatis argumentis variorum authorum contra spirituale manducationem corporis Christi superest ut accedamus ad ea, quæ Claudius de Xaintes (aliter sanctus) admodum pompose & speciose congegit. Ex ijs primum hoc esto. Discipuli Caluini modo substantialiter esum affirmant, modo negant. Itaque hoc dogma nihil habet certitudinis. Respond. Vnum idemque diuersi respectu rectè affirmatur & negatur, ut constat ex Dialecticis regulis. Ita esus substantialis à nobis asseritur, quatenus Christus substantialiter à nobis percipitur; non autem sola ipsius beneficia nobis applicantur. Rursus negamus esum substantialiter, i. e. corporalem illam vniõnem & permixtionem substantiæ Christi, vt ex illius & nostra substantia vnum quiddam compositum euadat. Assertionis & negationis huius fundamentum habemus in Scriptura, quæ docet Christum spiritualiter nostrum fieri per fidem, & non orali aliqua manducatione. Hinc facile est conciliare illa Zvinglij, cæsam Christi carnem nos à cæde seruare, comesam nihil prodesse, & Caluini, carnem Christi oportere à nobis comedi. Et veram substantiam carnis nobis spiritualiter communicari. Negat Zvinglius carnem Christi comedi, sc. orali. Caluinus affirmat, nempe spiritualiter. Sed Xaintes instat: Zvinglius docet, carnem Christi manducare nihil aliud esse quam credere. at Caluinus hoc diferte negat, quando in Mat. 26. diferte scribit, Quamquam aliud est vesci Christi carne, quam in ipsum credere. Respond. Caluin. distinguit inter instrumentum & effectum, his verbis d. l. Quamquam aliud est vesci Christi carne, quam in ipsum credere, scilicet instrumentum, quam in ipsum credere, scilicet effectum. Itaque non contradicit Zvinglio, sed accuratius loquitur; quomodo videmus Augustinum loqui, quando ait: Crede, & manducaisti. Pergit Xaintes: Caluinus ad inuentionem illam participationem carnis & sanguinis constituit duos ipsius canales & fistulas, nempe ipsam carnem Christi & diuinam spiritus sancti potentiam, adeo ut antequam vis spiritualis ad nos perueniat, opus habeat duplici vitæ ductu, carne Christi, & diuina spiritus omnipotentia. Hic vero quid reprehendit: Sed, inquit, ita sentit damnandum Zvinglium esse suis, quæ nos tantum faciunt participes spiritum Christi, præterita car-

nis & sanguinis mentione. Resp. Zvinglius negat carnem Christi comedam prodesse, nempe orali & corporali comestione. Itaque verbum comedendi non translaticie & ex metonymia sacramentali, sed proprie & simpliciter accipit. Quare non repugnat Caluino. Sic enim Zvinglius scribit in hystoria passionis. Corpus & sanguinem mens fidelis percipit, & percepto spiritus Dei calore concoquit, & in interiora anima viscera traiecit, ex quo intima & misericordia mentis refectio accedit. Pergit Xaintes, & ait, quæri quam participationem Caluinus statuat, veram nimirum, realem & substantialem, vt verè, realiter, ac substantialiter percipiatur Christi caro & sanguis, an tñ spiritualemente & energeticam: vbi sic tergiversari queritur Caluinum, vt tandem in nudè spiritualemente deuoluatur, quam contrarietatem in eius scriptis obseruauerit. Sed profus ridiculum se præbet disputator ille noster, qui hæc duo Vere & spiritualiter inter se opponit, & similiter realem & substantialem perceptionem spirituali. Aliud repugnantia argumentum proponit Xaintes his verbis: Quoties doctrinam suam similitudinibus elucida Caluinus, intra limites efficacie continetur, vt substantiam summoueat. Quemadmodum enim calorem à sole, vigorem à capite, succum ex radice diffundi cernimus: ita de Christi corpore cælis affixo influi vitam & efficaciam tradit, vt de substantia nihil simus solliciti. Respond. Caluinus adhibuit similitudinem verbo Dei familiaris. Nam Christus vocatur sol & caput nostrum, & præterquam quod se ipsum viti comparat, iubet etiam apostolus vt in ipso simus radicari. Voluit ergo Caluinus his similitudinibus docere, nos fieri carnis Christi verè participes, vt eius luce illustrati, calore vegetari, vigore sustentati, succo deniq; nutriti, idq; spiritualiter, per fidem, cum carne ipsius verè vniamur, mediante nempe spiritu, vt quamuis caro Christi sit in cælis, nos in terris, verè tamen illa nobis sit præfens spiritu suo, quomodo videmus solem terris esse præsentem: quæ per radios, caput singulis membris in eodem succo, per spiritum vegetantem, & radicem ramis in eodem succo, per suum. Atque ita liberauimus nostram sententiam à repugnantia, quam nobis non vniam affinxit Claudius.

XXIV. Secundum Claudij nostri argumentum est eiusmodi: Nisi substantiam ipsam ac naturam carnis Christi reuera & substantialiter nos in terra positi degustamus, quid contra naturæ impossibilitatem miraculo ac virtute spiritus sancti est opus? Respond. In eo se exerit inenarrabilis Dei potentia, quod cum tam procul à nobis distita sit caro Christi, vt hæc in cælis, nos in terra simus, eo vsq; tamen fiamus eius participes, vt cum ipsa spiritualiter vnum facti, viuificum omnem succum & vigorem inde quam efficacissimè percipiamus.

XXV. Tertio sic disputat: Si quotidie memoria repetitus baptismus, euangelij prædicatio mentis, in Deum eleuatio, sunt quotidiana, vt vultis, & sufficientia vehicula gratiæ diuinæ atq; efficaciam carnis & sanguinis Domini, quid opus est nouo canali & singulari virtute in Cœna ad infundendam eandem efficaciam de carne Christi in cælo sedentis. Respond. Vnus idemque Christus spiritualiter fide percipiendus offertur in verbo & sacramentis. Nec tamen hoc impedit, quo minus hæc vis peculiari ratione in verbo & sacramentis sese conspicuam præbeat. Placuit nempe Deo adhibere plura media in salute nostra prouehendâ, vt magis ac magis Christo spiritualiter coniungamur.

XXVI. Quarto, quia Claudius ex doctrina Caluini colligit, substantialem seu substantiæ carnis & sanguinis Christi esum & potum ab ipso non negari, sic porro disputat. Si quid nobis irrogatur de Christi substantia, aut eius erit habenda duntaxat portiuicula, aut ipsius integri corporis tota substantia. Si prius responderetur, erit ergo partibilis substantia. Si posterius, sequetur totam substantiam & ipsum Christi corpus pluribus locis adesse. Respond. Neutrum sequitur: quia vnio & communio carnis Christi & hominis credentis ita est substantialis, vt substantiæ vniantur verissimè & efficacissimè, sed spirituali modo.

XXVII. Quintum argumentum sequitur apud Claudium hoc modo. Docet Caluinus, inseparabiles manere corporis & sanguinis Dñi substantiæ, eorundemque efficaciam, ita vt neutra sine altera ista possit. Idem nihil profus de substantia ad nos delabi vel descendere concludit. Ergo ne vlla quidem efficaciam nos in cœna perfrui, siue nihil profus de Christi cœna reportare colligendum est ex Caluini doctrinâ. Respond. Caluinus rectè docet, nullum fieri participem viuificæ Christi efficaciam, qui non sit ipsiusmet Christi, atq; adeo carnis & sanguinis eius, spiritualiter per fidem particeps factus. Hactenus itaque carnem Christi & eius efficaciam ita coherere dicit, vt vna sine altera esse non possit. Non tamen ideo necesse est, vt substantia carnis Christi à cælo ad nos descendat: quia quæ maximo locorum intervallo distant, spirituali vinculo sunt coniunctissima; quomodo videmus corpora cœlestia quantumuis longe distita, tamen per medium ætheris oculis nostris efficacissime coniungi.

XXVIII. Sexto: Si fide peragitur manducatio spiritualis, nihil noui per cœnam de carne Christi aut eius efficaciam nobis accedit: quia qui fidem habet, iam est Christo incorporatus. Respond. Nihil sanè noui accedit nobis ex vfu S. cœnæ, quod ad Christum ipsum, & eius meritum atque efficaciam attinet. Sed magis ac magis Christo spiritualiter adiungi, fidem augeri, charitatem confirmari, omnia quæ habueris dona indes intus sanciri, ac fortassis etiam noua quæpiam obtinere, iustitiam ex fide magis ac magis obsequari, istane sunt nihili? Et vero quam inepte colligit Xaintes? Demum enim ipsi quod postulat, nempe realiter & substantialiter ipsam carnem Christi ore corporis percipi, ab omnibus & singulis communicantibus. Si hoc verum est, an aliquid superest Christi quod isti homines requirant? Nihil, opinor. Quid igitur est noui, quod isti accipiunt: quando cœnam suam repetunt? Certè vnum istorum necessarium est nempe vel vt excedere postea Christum ex corpore fumentium credant, vel Christo corpora numero plura tribuant, vel id ipsum, quod nos docemus, sentiant, nempe perceptionem reperi, vt posteriore prior sanciantur.

XXIX. Septimo ait: Non debet docere Caluinus quidquam amplius de cœna Domini quam continet. Atqui vult metonymiam esse in illis verbis, Hoc est corpus meum, ita vt sensus sit, Hoc est symbolum seu signum corporis mei. Ergo concluditur, Caluinum docere, tantum proponi, accipi, & edifignum corporis Domini, & proinde nullo modo corpus ipsum verum manducari, nec substantialiter, nec spiritualiter.

Respond. Ipse Caluinus in 1. Corin. 11. diluit hoc argumentum his verbis. Constituo

CAP. II. ARGUMENTA CONTRA SPIRIT. MANDUC.

Constitutio sacramentalis hic esse loquendi modum, ubi Dominus rei signat nomen signo tribuit. Nunc ulterius pergendum, & quaerenda metonymie ratio. Hic respondeo, non ideo tantum signo imponi rei signat nomen, quoniam sit figura; sed magis quia symbolum sit quo res exhibetur. *Ex paulo post:* Panis est corpus Christi, quia sermo testatur exhiberi nobis corpus illud quod figurat: vel quia Dominus visibile symbolum illud nobis porrigendo, dicit etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est Christus, qui vacuis figuris nos ludat. *Idem in libro de cena Domini scribit:* visibilia symbola carnem & sanguinem Christi representant: figuram vanam non esse, sed veritati suae & substantiae coniunctam: sacramenta Domini nullo modo a substantia & veritate sua separari oportere: quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi, ut eius participes simus, nobis communicari. Ita Calvinus. Eat nunc Claudius, & vociferetur, ex doctrina Calvinus, corpus Christi in cena sacra neque spiritualiter, neque substantialiter sumi.

XXX. *Octavum argumentum* est a phraseologia, de qua sic declamat Xaintes: Habetis peculiare loquendi proprietates, quas nemo nisi vestrarum proditionum conscius internoscit. Flocculi n. h. occurrunt apud Calvinum, & eius discipulos 1. in sacramento percipi substantiam carnis Dñi reuera, eademque nos arctissime vniri. 2. in signis percipi eandem substantiam, & presentem esse sacramentaliter siue significatione tenens. 3. in cena esse presentem carnem Christi, sed non in signis: & ita esse presentem re ipsa, non tantum sacramentaliter. 4. functione esse realem, quod caro siue substantia carnis fiat spirituali modo. 5. functionem eandem esse spiritualem, non solum quod modo, sed etiam opere ac re ipsa sit talis. 6. carnem Christi esse in caelo quantum ad substantiam, & nihilominus substantiam illam esse in cena vi fidei. Hæc & similia portenta ostendunt, vestram sententiam sibi non constare. *Resp.* Ne sum longus (in superioribus enim hæc sunt pluribus explicata) tenenda est generalis solutio, hunc in modum. Substantia carnis Christi, h. e. totus Christus mediator noster, qui carnem suam obtulit pro nobis, est præfens in legitimo vsu Sacramenti, h. e. reuera adest homini credenti, ita ut quam certo ille sumit panem, tam certo etiam sumat carnem Christi. Itaque caro Christi est præfens in cena, sed non latet in signis: percipitur vere, sed spiritualiter: denique sumitur in sacramento, h. e. in actione integra, quæ est partim terrena & visibilis, partim celestis & inuisibilis.

XXXI. *Non:* Si caro & sanguis Christi tam procul à pane & vino in Eucharistia sunt distita, quam cælum à terra, quomodo potest fieri manducatio realis? *Resp.* Sane optime: quia etsi caro & sanguis sunt in caelo secundum naturam consequentiam, tamen etiam sunt in vsu legitimo eucharistiae secundum muneris gratiam, vi spiritus, interueniente fide.

XXXII. *Decimo* ait, Calvinum fateri externam actionem, cenam iure dici, & nihilominus in externa illa nunquam dicit corpus Christi in ipsa substantia re ipsa adesse, & percipi. At vero si reuera est cena, ibi reuera est corpus Christi, & proinde ibi reuera percipitur, perceptione externa. *Resp.* Cœnæ nomine vel tota actio significatur, quæ constat actione externa & interna: vel solum actio externa, quæ dicitur cœna ratione ordinationis diuinæ, non quod cum illa cohaereat actio interna. Nimirum sicut circumcisio *de Pharaone* dicitur circumcisio. *Rom. 2.* ita cœna sacra *de Pharaone* dicitur: & est cœna. Est n. sacramentum corporis & sanguinis Christi ex *dei* seu instituti Dei.

XXXIII. *Vndecimo:* Apostoli in prima institutione potiti sunt perfecta cœna, cum nihil cogitauerint de caelo, quo corpus Christi nondum ascenderat: cum nondum præditi fuerint fide, ut pote quibus incognitum erat mysterium passionis Christi: *Resp.* 1. Sane sunt potiti: nec illos longius oportuit quaerere Christum in mensa assidentem, quæ circumstantia non variat substantiam manducationis spiritualis. 2. Apostoli fuerunt præditi verâ fide, ut constat ex confessione Petri: *Mat. 16.* Sed fides illa habuit sua incrementa & decremēta.

XXXIV. *Duodecim:* Xaintes locum illum Chrysostomi, quo scribit non graculorum, sed aquilarum esse hoc epulum, ait nihil patrocinari spirituali manducationi: quod non hortetur illis verbis, ut mentem ab eucharistia in cælum transferamus, sed ne contemmur eam sensu aut cogitatione humana, quæ aliquid sit terrenum, cum oia ibi sint diuina & celestia, imo cælum ipsum ibi sit. Quo sensu alibi scribit, ecclesiam esse regiam cæli, imo cælum ipsum; & ne cælum ibi esse dubitemus, mensam illâ videre nos iubet, cuius gratia & propter quod ibi sit constituta. Ideo nō alibi cælum aut corpus Christi considerandum aut intuentum esse fide & cogitatione quæ in mensa ipsa & eucharistia admonet: quia idcirco dixit nō esse graculorum, qui oia merantur sensibus, sed aquilarum, quæ acutius fide perspiciant quid in ipsa mensa sit positum, quod sensibus non obijciatur. *Resp.* Chryf. insigni illa sua sententia, pculdubio respexit ad id, quod vniuersa Ecclesia docet, a signis sursum transferendas mentes, neque tñ interim a signis auertendas esse. Hinc Ecclesia verus illud ingeminauit in celebratione eucharistiae, *Quia caro eius, sursum corda:* & respondit, *Habemus ad Dominum.* Itaque non debemus hæzere in rebus externis, quasi illis per se insit aliquid sanctimoniarum, aut res significatae ipsis insitæ sint & re ipsa contentæ: sed debemus oculis fidei intueri rem significatam, h. e. carnem Christi, quæ in cælis est. Atque hoc ipsum Xaintes non obscure innuit, quando ita exclamat: *Estimate se inter mortales versari, & in terris consistere arbitrari, ac non potius de vestigio in cælum transferri? Quid est enim de terris in cælum velut alis fidei subuectum transferri, si hoc non est, quod nos quoque docemus? Videat igitur Xaintes, quomodo possit mensam eucharistiae appellare mensam celestem absque mentis in cælum translatione. Deinde non ita docemus mentis translatione in cælum esse opus, ut deitate & spiritum Christi in mensa Eucharistiae, cui credentes communicant, negemus adesse.*

XXXV. *Decimo tertio* Xaintes scribit, Calvinum modo dicere carnem Christi ad nos penetrare, modo negat. *Respond.* Ait ad nos penetrare carnem Christi, quatenus vitalis ille vigor ab ea nobiscum per fidem spiritualiter communicata promanans in nos deriuatur. Negat ad nos penetrare ita ut oralimanducatione nobis vnietur.

XXXVI. *Decimo quarto* sic argumentatur episcopus noster: Si quid de carne Christi ab animabus re ipsa percipitur, cum pluribus in locis sint animæ credentium, necesse est vos fateri, Christum alibi etiam quam in cælis haberi secundum carnem. *Resp.* Sane hoc sequitur ex principio & hypothesi Xaintis, qui existimat ex carne Christi aliquid carnale defluere in animum nostrum. At hoc portentum nos cum Scriptura explodimus.

XXXVII. *Decimo quinto* Xaintes ait: Quidquid per fidei vestre imaginationes circa corpus Domini situm in caelo fingitis in animas vestras delabi, nec corporeum, nec spirituale est, sed phantasma & somnium. Nam quia interdum substantiam corporis Christi, interdum solam efficaciam & vim quandam effluentem à carne Christi in cælis sita nobis impartiri, corpusque Christi eo pacto spiritualiter tantum in cena percipi dicitis; oiaibus subductis nihil à vobis in cælis percipitur. *Resp.* Quia fidei imaginationem, sed firmam apprehensionem, non imaginem, sed rem, ita nempe, ut illam ipsam carnem, quæ pro nobis in cælis sita est, percipimus, & vna caro fiamus cum Christo, non carnaliter, sed spiritualiter mystice.

XXXVIII. *Decimo sexto* Xaintes ait: Non est incorporeo modo in cena credendum, quod in nostro, hoc est scripturæ sensu hæc explicentur, vera sunt. Nam si corpus Christi est in cena modo incorporeo, i. e. spirituali, sicut nempe ibi a nobis percipitur. Sed Xaintes intelligit contactum corporalem, quo corpus Christi inuisibile fingit esse sub speciebus eucharistiae.

XXXIX. *Decimo septimo* hoc absurdum nobis impingit, quod duobus modis interpretemur, eam carnem Domini vno, cum per fidem coniungimur toti Christo Deo & homini, ut noster fiat; altero, cum noster factus, vitæ & oia dona in animas nostras instillat. *Resp.* Non cominiscimur duos modos spiritualis communicationis Christi; eum is plane sit vnicus, nempe qui fiat à Spiritu sancto creante in nobis fidem. Huius a perceptionis obiectum dicimus esse Christum, effectum vero duplex, nempe nostram eum Christo spirituale coniunctionem, & ipsius in nobis iustificandis & sanctificandis energiam. Docemus denique, etsi plane vnicus sit modus huius communicationis, Deum tamen duplici ratione uti in hoc mysterio, nempe prædicatione verbi, & sacramentis.

XL. *Decimo octauo* ait, patronos spiritualis manducationis non posse proferre verbum Dei, quo hæc ipsorum dogmata stabiliantur: videlicet totum Christum esse nobis manducandum, & hoc fieri sola fide. Nam Scriptura dicit, carnem Christi manducari, & non meminit fidei. *Resp.* 1. Caro Christi non est separanda à deitate, neque viuifica est absque deitate. Et vero vnio mystica exigit, ut Christo mediatori, non soli eius carni coniungamur. 2. Caro Christi nobis non est viuifica, si non præditi sumus fide. Vtrumque docet Christus *Iohan. 6.*

XL I. *Decimo nono* contendit nostrum dogma fauere Arianis. Cum enim veteres Catholici citarent illud Iohannis, *Ego & Pater vnus sumus*, ut demonstrarent essentiam diuinam in Patre & Filio vnitatem: Ariani instabant, ista necessario non dici de essentia vnitate, cum alij sint intellectuales modi coniunctionum, inter quos etiam aiebant nos vniri Christo spirituali nexu per fidem, non tamen per substantiarum realem aliquam connexionem. *Resp.* Ariani perperam ad voluntatis ac consensus vnitatem traxerunt, quæ pro Patris & Filij secundum essentiam vnitatem ab orthodoxis citantur. Sed quid hoc ad nos, qui vnitatem illam pie credimus, & eam ab vnione mystica, quæ est inter Christum & nos, accurate distinguimus? At enim, inquis, vultis nos spiritualiter tantum cum Christo per fidem copulari, quod dogma, ut Arianum, refellit Cyrillus, *Resp.* Cyrillus in hac disputatione aduersus Arianos inter alia contendit, nos quidem non fide duntaxat & charitate spiritualiter, verum etiam carne nostra cum illo coherere, ut qui non tantum fiamus vnus spiritus cum ipso, sed etiam vnum corpus cum ipso & in ipso, ac proinde vicissim ipsum nobiscum non tantum spiritualiter, i. e. deitatis ratione, verum etiam corporaliter, substantialiter, siue ut loquitur Hilarius, naturaliter, i. e. secundum veram illam carnem suam nobiscum coniungi, ut hoc vinculo & ipsi inter nos, & nos cum illo, adeoque per illum verum Deum & hominem, cum ipso Deo vnum fiamus, tum pietatis consensu, tum sanctæ carnis Christi comunione, tum vnus sancti spiritus participatione. Hæc verò quis vnquam nostrum negauit? Quis expressius quàm nos vigeret solet, nos totos eum toto Christo, & vicissim illum totum nobiscum totis copulari oportere, ut simus & vnus corpus mysticum, & vnus spiritus cum illo, & inter nos quoque, per illum & in illo. Quo sensu recte tuetur Cyrillus, & Christum nobiscum, & nos cum illo, corporaliter quoque, & substantialiter, & naturaliter, & secundum ipsam carnem vniri. Quæ omnia accipit de re, quæ communicatur, non a de modo communicationis, quæ ille spiritualiter fieri vna nobiscum docet fidei nempe instrumēto. Sed obijciatur, Cyrillum adhibere *commiscendi* verbū, & ceræ liquefactæ similitudine non semel uti, Chrysostomum etiam scribere, *Non fide tantum sed re ipsa nos suum corpus effici.* Verum hæc oia de spirituali vnione & comunione sunt accipienda: quia non alia tradunt illi ipsi auctores. Vnde Cypr. diserte ait, *non corporali, sed spirituali transiitione Christo nos vniri, & corpus eius effici.* Hyperbolice a. istam comunione explicant, ut ipsius veritatē ob oculos ponant. Et ideo Chrysost. ait, nos non fide tantum, i. e. spiritu, sed etiam re ipsa, i. e. secundum carnem effici corpus Christi mysticum. Vrgent etiam illa eiusdem *præbens se palpandum & comedendum: carni dentes insigere & commiscari: sub manibus ad tempus detineri: Vasa non eius qui inest partem capiunt, nec sentiunt, vos autem certe.* Sed hæc non alio pertinet, quam ad declarandam sacramentalis tum præsentiae, tum perceptionis veritatē & efficaciam. Nam hæc quoque Chrysostomi sunt, *Ipsum videtis & videndum se præbet.* Quomodo: In sacramento. Sed sit ipse potius suarum hyperbolarum interpretes, sic inquis: *Intellectualibus ipsum oculis intuemur. Nihil enim sensibile tradidit nobis Christus, sed per res sensibiles, omnia intelligibilia.*

XL II. *Vigesimo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL III. *Vigesimo primo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL IV. *Vigesimo secundo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL V. *Vigesimo tertio* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL VI. *Vigesimo quarto* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL VII. *Vigesimo quinto* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL VIII. *Vigesimo sexto* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL IX. *Vigesimo septimo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL X. *Vigesimo octavo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XI. *Vigesimo nono* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XII. *Vigesimo decimo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XIII. *Vigesimo undecimo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XIV. *Vigesimo duodecimo* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XV. *Vigesimo decimo tertio* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

XL XVI. *Vigesimo decimo quarto* sic disputat Xaintes: Sublato reali illo situ carnis Christi in terris, quæ consequatur etiam illa quæ ore ipso fiat perceptio mere imaginariū esse, quidquid de vera ipsius met totius Christi comunione docemus. Quoniam hoc modo omnis speculatio de Christo fuerit realis. Hic a. agitur de perceptione, quæ verè sit realis ac substantialis, non oportet duntaxat illam talē esse obiectorem, sed substantiā ipsam realiter & actualiter à percipienti sumi. *Resp.* 1. Vos mere imaginariū corpus manducatis, quando illud inuisibile, & multis in locis simul esse fingitis. At nos docemus, verū Christi corpus, quod sit in cælis re ipsa positum, verbo tamen omnipotentis Dei fretā fidē spirituali modo complexam credenti copulare, non imaginatione, sed applicatione hypostatica. 2. Sane si corporalis est perceptio, sequitur necessario ipsarum substantiarum corporearum corporealem contactum requiri. Sed scriptura docet, mysticam esse illam coniunctionem. Hinc eleganter August. *Quemadmodum, inquit, Christus in nobis hic, sic nos ibi in illo sumus.* Num vero vel substantiarum contactu, vel modo existendi spirituali in cælis sumus?

6
 Respondeat idem Augustinus: *Christus caput nostrum sursum est, & nos deorsum: Et tamen ille nobiscum est, & nos sursum in illo sumus. Est autem ille in nobis hic, quando ipsius templum sumus, & nos in illo, quando ipsius membra effici-mur.*

XLIII. *Vigesimo primo* Xaintes exagitat quasdam similitudines nostrorum. Prima sumta est à fundo siue prædio; cuius vera possessio non in eo est posita, ut ubique fuerimus, terra ipsa præsens nobis sistatur, sed ut donatio vel emtio rei procul etiam distat ex pactis contentis rata utrimque habeatur. Rursus, ut ex eo fundo viuamus, nõ terream substantiam, sed fructus ipsius comedimus. Fundus noster, ut David ait, Dominus est, Dominus, inquam, pro nobis homo factus. Eum nobis donat Pater, & ipse quoque seipsum vere nobis p̄bet, ut verbo & sacramentis significatur. Nos animo vera fide prædico vere illum nostrum facimus, adeo ut nec corpus Christi in cœlis p̄maneat, nihilominus tñ a nobis in terra positus, ex Patris ipsiusq; Christi pacto nobiscum inuito, possideatur, ut ex eo vite æternæ succum hauriamus. Quid ad hæc Xaintes? Negat fundum actu & re ipsa possideri, sed ciuilitate seu imaginariè duntaxat, nisi pedum positio, accepta ve gleba interuenierit, aut saltem nisi oculi sint iniecti. At vero huiusmodi ritibus, dominiũ non traditur, sed ex pacto & voluntate contrahentium traditum significatur. Eodem modo in Eucharistia, ad solemnem utrinque factam stipulationem accedit traditi panis & poculi usus & potus, quauis pedum positione, vel glebæ prehensione, vel oculorum coniectione significantior. Quod si ritibus illis rerum dominia re ipsa adipiscimur, ex legum humanarum institutione, multo magis in ipsius Christi possessionem re ipsa mitti, solenni illa sacrorum symbolorum receptione dicemur. Caterum Xaintes ciuilem possessionem imaginariam interpretatur, admodum imperitè: cum verissime sit realis. Sed hoc transcat. Audiamus aliam ipsius exceptionem aduersus hanc similitudinem, Dicit, non tantum possideri, sed etiam percipi Christum à nobis oportere. Imo cur non expressiore verbo utens, inseri nos etiam illi, vniri, & incorporari oportere dixit? Vt utitur enim his etiam uocibus Scriptura, & nos semper ita loquimur. Sed modus istius vnitionis, perceptionis, initionis, & incorporationis est mere spiritualis ex perpetuo Scripturæ & Patrum consensu.

XLIV. Altera similitudo nostrorum, quam Xaintes examinat, est à coniugio sumta, quam & ipsam ex prophetis & apostolis repetunt, ut ostendant ad illud spirituale nostrum cum Christo coniugium actuale illam corporum coadunationem minime requiri, siquidem inter absentes quoque verum ratumque inicitur matrimonium. At non tamen, inquit, Xaintes, plenum ac re ipsa consummatum illud dicitur, nisi ad consensum animorum præterea ipsarum substantiarum copula actualis accesserit. Sanè ita est, *Claudi*: quoniam corporale est illud coniugium. At nostrum illud cum Christo spirituale est. Quemadmodum igitur ad corporale plenum coniugium requiritur non modo consensus animorum, verum etiam realis illa & actualis corporum copulatio: ita etiam ad spirituale nostrum cum Christo coniugium non tantum intentio coniungendi, sed vera, & realis, & actualis totius Christi nobiscum coniunctio, sed mere spiritualis, est necessaria. Itaque hic non requiritur corporum coniunctio corporalis, sed totius Christi cum toto homine credente coniunctio mystica.

XLV. *Vigesimo secundo* ita disputat noster episcopus: Si perceptio corporis Christi est duntaxat spiritualis, utique separatur substantia carnis ab eius fructu seu efficacia. Etenim corpus Christi est in cœlis, fructus ab ea ad nos effluens est in terris intra nos. Ita videmus calorem solis, postquam de sole in terram peruenerit, & vigorem, postquam à capite in alia membra se insinuauerit, & succum, postquam de radice in ramos diffusus fuerit, & fructum de fundo in alium locum exportatum, reuera locis diuidi à substantia rerum à quibus emanant. His enim similitudinibus utuntur patroni spiritualis manducationis. Et tamen nolunt videri ij, qui substantiam carnis Christi & eius fructum locis diuidunt.

Respon. Quæ nos de carne Christi, adeoque de toto Christo, tanquam de causa efficiente, dicimus, Xaintes ad materiam quandam à Christo decidam detorquet. Hoc enim volumus, nos ita cum Christo coniungi, ut perpetua vnitione in ipso maneamus, & ille in nobis, ut participes fiamus carnis eius, & virtutis viuificæ quam caro Verbo vnita, & pro nobis in mortem tradita, & nobis verà fide applicata, possidet. Ita neutra (caro, inquam, & vis illius viuifica) separatim communicetur. Est ergo caro Christi in cœlis manet, & nos in terra sumus positi: tamen spirituali modo sumus participes carnis eius, & virtutis illius viuificæ; quia non potest à Christo quisquam viuificari, qui non sit factus ipsius membrum, vel Christi corporis particeps esse, qui non ab eo viuificetur. Et huc faciunt nostræ similitudines: quas ex perpetuo logicorum canone non oportet longius protrahere, quam propositum ipsum patitur. Sed pergit Xaintes: Substantia carnis Christi, Caluino teste, nequit ad nos peruenire, & efficacia nunquam ab illa separatur. Ergo nihil à nobis percipitur in cœna, auctore Caluino.

Respon. Substantia carnis Christi ad nos non peruenit carnaliter, sed spiritualiter. Deinde efficacia carnis Christi latius patet, quam caro Christi: quomodo videmus radios solis latius patere ipso sole. Neque tamen hoc modo separantur vel caro Christi & eius virtus, vel sol & eius radij. Nulla itaque est hæc collectio Xaintis: Breuiter è tribus vnum colligant oportet: Aut substantiam & efficaciam re ipsa & locis diuidi: aut in cœna non solam efficaciam, sed ipsam quoque carnis substantiam intra nos recipi: aut cœnam Caluinistarum puram esse animi imaginationem, in qua neque substantia, neque efficacia, neque vita, neque aliud quidquam recipiatur. Adde quartum, mi episcopo: aut efficaciam & substantiam carnis spiritualiter à nobis percipi.

XLVI. *Vigesimo tertio* contendit duplicem manducationem siue perceptionem à nobis statui: vnam, quam illudendi causa substantialem voce-mus, non quod per eam intra nos ipsam substantiam carnis Christi suscipiamus, sed quoniam nostra intellectualis imaginatio circa substantiam carnis totumque Christum versetur: alteram, quæ spiritualis sit, quoad naturam rei quam adipiscitur, vim vitæ scilicet, sed quoad modum realis sit, quia vim ipsam vitæ non fideremus, sed re ipsa capiat, & intra nostras animas recondat. *Respon.* Duæ res coniunctissimæ, nempe Christus & ipsius beneficia, veluti vita & iustitia, vna eademque apprehensione nobis communicantur. Quæ apprehensio substantialis est, quod ad rem apprehen-

henfam attinet: Spiritualis, quantum ad modum: realis, quantum ad vtrumque.

XVII. *Vigesimo quarto*: Si manducatio carnis Christi spiritualis, est etiam substantialis, cur Caluinus negat Patres V. T. carnem Christi substantialiter comedisse? *Respon.* Caluinus loquitur comparate. Hæc enim sunt ipsius verba, *sacramenta Patrum & nostra secundum plus & minus differre, quia est communis utrisque substantia est Christus, non tamen æqualis est eius exhibitio.* Si utrisque communis est substantia, etiam substantiæ vnioria. Nos autem peculiari ratione dicimus participare carnem Christi substantialiter, quia participamus carnem illam natam, quam veteres participarunt nascituram: sed non aliter tamen utriusque quam spiritualiter. At enim, inquit Xaintes, si nostra & Patrum perceptio non aliter fit quam per fidem, quare Patrum manducatio non æque habebitur actualis atque nostra? *Respon.* Fuit actualis, quatenus re ipsa, seu ipso actu, participarunt carnem Christi promissam. Non fuit actualis, quatenus non fuit participatio rei actu iam existentis.

XLVIII. *Vigesimo quinto*: Si sit vna & eadem carnis participatio in verbi prædicatione, & in baptismo, qua in cœna, ergo vna & eadem virtus postulabitur. Non igitur singulari potentia opus fuerit in cœna. Et tamen Caluinus singularem quandam diuinam potentiam, & particulare miraculum in Cœna requirit. *Respon.* 1. Alia virtus Spiritus sancti à nobis non ponitur in sacramentis quam in verbo, aut in cœna quam in baptismo. Nec tamen hoc obstat quo minus ista vis magis in istis quam in verbo, & rursus magis in cœna quam in baptismo conspicua se præbeat. Nam in sacramentis est specialis & visibilis applicatio. Et rursus in cœna est specialior applicatio, quam in baptismo: quia sumtio panis & vini est actior vnio, quam aspersio aquæ. Itaque si de re sit sermo, est vna potentia Spiritus sancti: si de modo, res vna & eadem aliter atque aliter agit per diuersa symbola. 2. Miraculum vnum idemque requiritur in verbo & sacramentis. Non est tamen istud miraculum in physica verbi actione, aut in sacramentali mutatione, sed in nostra cum Christo coalitione, quæ est magnum mysterium. Si vero inquit Xaintes, eadem est omnipotentia & participatio in verbo & sacramentis, cur Caluinus omnipotentiam & miraculum in cœna duntaxat celebrat? *Respon.* 1. eadem omnibus locis non protinus inculcantur. 2. satis aperte Caluinus prædicat virtutem Spiritus sancti in verbo & sacramentis. 3. peculiariter eam prædicat in cœna: quia ibi sese potissimum exercit, & quia hoc mysterium à nobis exinaniri vulgo clamitant aduersarij.

XLIX. *Vigesimo sexto*: Si in cœna non sit alia participatio, neque cum Christi carne connexio, quam per fidem, quid opus est miraculo, ut res locis suis disiunctæ, & suo loco manentes, spirituali vinculo colligentur? *Respon.* Miraculum in eo est positum, quod res tam procul distat, sint tamen adeo arte & efficaciter coniunctæ, ut Christus nobiscum sit vnum corpus & vnus spiritus.

L. *Vigesimo septimo*: Quia fideles interdum sumunt cœnam absque vilo fructu, propter incogitantiam aut tarditatem, nihil illi à cœna reportant. Nam spiritualiter non sumunt carnem Christi, utpote qui fidem suam non exerunt: neque etiam oraliter participant. *Respon.* Vtilitas vsus sacramentorum non semper ad ipsius quo sumuntur temporis momentum restringitur. Tardius enim interdum regenerantur, qui tamen sunt in infantia baptizati: & multis vsuuenit propter tarditatem, ut cœnæ fructus aliquanto post tempore, plures & meliores edant. Perinde hic est, ut in semine, quod satum in agro, non simul atque satum est germinat.

LI. *Vigesimo octauo*: Si duo nobis porriguntur in cœna, ut Caluinus affirmat, nempe substantia Christi & efficacia, quo pacto vnum exhibetur, nempe efficacia, eodem oportet alterum, puta substantiam, exhiberi. *Respon.* Caro & efficacia Christi, ut res prorsus inseparabiles, eodem pacto sumuntur, id est fide: sed caro mediate, id est, per efficaciam, efficaciam, immediate.

LII. *Vigesimo nono*: Fieri non potest ut quæ se non contingunt, re ipsa coadunentur. Ergo oportet realiter coniungi substantiam carnis Christi cum nostra. *Respon.* Antecedens laborat, si sermo sit de contactu locali. Nam plurima se contingunt, contactu virtuali, ut loquuntur, & re ipsa coadunantur. Si hoc philosophi pronuntiant de contactu virtuali, quid amabo nobis non sentiendum est de contactu spirituali? *Respon.* ex superioribus.

LIII. *Trigesimo*: Quod non est, sumi non potest. Ergo necesse est, ut adsint res eo modo quo sumuntur, id est, adsint re ipsa, ubi resident anima & corpora nostra. *Respon.* 1. confunduntur hic ista duo, esse & adesse. 2. per fidem sumuntur etiam ea, quæ non sunt quidem, sed tamen promissa sunt: ut quando apostolus scribit, veteres eandem nobiscum escam comedisse. 3. sane corpus & sanguis Christi adsunt eo modo quo sumuntur, nempe spirituali. Sed, inquit Xaintes, ut deitas non diceretur re ipsa omnibus rebus adesse, si tantum potentiam ac virtutem diffunderet, & non suam essentiam reuera omnibus in rebus exhiberet: ita caro Christi non potest re ipsa percipi ab anima & corpore, nisi re ipsa illis copuletur. *Respon.* Confunditur hic præsentia generalis cum speciali: id quod norunt anniculi theologi perperam fieri. Deus adest omnibus rebus, quia immensus est. Caro Christi adest omnibus credentibus, quia percipitur vera fide, operatione Spiritus sancti.

LIV. *Trigesimo primo*: Frustra illusiones fiunt à Caluinistis de potentia Spiritus sancti, per quam cohæreant inter se longissime disiuncta. Nam nisi potentia illa applicet reuera vnum alteri ex separatis ut se contingant, non illa coadunabit re ipsa inter se, sed per vinculum commune colligabit, nec tamen efficiet re ipsa coniuncta inter se. Non enim quæ vni tertio reuera annectuntur, propterea inter se connectuntur reuera: ut cœlum & terra si dicerentur per elementa intermedia vniri, non tamen per id inferretur apte coadunari inter se re ipsa, quoniam non maior sit appropinquatio cœli & terræ, quam si nullum interueniret ligamen. *Respon.* Scriptura docet, nos vniri & cum Deo Patre, & cum Christo, & inter nos. Triplex ista vnio non merebitur hoc nomen, si verum est, quod Xaintes scribit. Nam primæ vnitionis vinculum est nostra cum Christo mediatorum coniunctio. Secunda perficitur per spiritum Christi: ut & tertia. In nulla vero horum est contactus corporalis. Sed Xaintes semper hæret in coniunctione crassa & immediata corporum: quam scriptura ignorat.

Quod

Quod attinet ad exemplum de vnione cœli & terræ, istud non facit ad rem: quia cœlum & terra non sunt vnum, quomodo nos sumus vnum cum Deo, cum Christo, & inter nos.

L V. *Vltimo*: Ecclesia per totum orbem diffusa perpetuo ita sensit, vt asseruerit, corporis & sanguinis Christi naturam ita sumi, vt immixta corpori nos totos alant ad vitam immortalem. *Resp.* Contrarium patet ex iis, quæ superiori capite, in primis sub finem, disserimus de spirituali manducatione.

L VI. Sed manum de hac tabula: vbi prius respondero ad illud argumentum quorundam, non esse parem rationem eucharistiæ & Baptismi, vel etiam prædicationis verbi: quod Christus instituerit eiusmodi epulum, vt corpus suum reuera vi promissionis alligauerit pani sacro, & discipulis panem istum in os & manus dederit, adeoque etiam corpus suum. *Respond.* 1. Parem esse rationem inde patet, quod eadem vbi que sit promissio, eadem res promissa, & eadem fides. Discrimen tantum est in modo docendi. 2. Corpus Christi non vnitur pani, vnione aliqua corporali, sed tantum vnitur. Vnitur autem reuera animæ fideli. Neque enim corpus Christi adest propter symbola, sed propter homines credentes. 3. Mutua est inter dationem & receptionem conuenientia. Itaque vt dantur signa corpori, sic corpore recipiuntur: & vt fideli dantur res significatæ, ita quoque fide percipiuntur. Quod attinet ad illud argumentum, quod adferunt contra manducationem spiritualem: Reprehenduntur quidam 1. *Cor.* 11. quod indigne recipiant corpus Christi. At isti non recipiunt fide corpus Christi: quia vtiliter recipiunt, si ita recipiunt. Ergo recipiunt solo corpore: hoc inquam, argumentum plene resolutum vide seq. cap. 4. §. 1. & seqq.

C A P. III.

De manducatione indigna corporis Christi in Eucharistia, sententia Catholicorum.

I. Sequitur de manducatione indigna corporis Christi in Eucharistia. Quam materiam ex nostris accurate persecutus est, quem paulo ante citauimus, *Zacharias Ursinus in Consideratione Communesactionis*; item *Marcellus Beumerus de manducatione infidelium*: ex *Aduersariis, Bellarminus hinc inde in libris suis de Eucharistia, nominatim lib. 1. c. 13.* & ante eum *Claudius de Sainctis* in suis tractatibus de cœna Domini.

II. Sententiam Catholicorum hac de re, quantum ad hypocritarum manducationem, ita recitamus ex Confessione Heluetica posteriore, cap. 21. *Ceterum qui nulla cum fide ad hanc sacramentum mensam accedit, sacramento duntaxat communicat, & rem sacramenti, vnde est vita & salus, non percipit. Et tales edunt indigne de mensa Domini. Qui autem indigne edunt de pane Domini, & de poculo eius bibunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini, & ad iudicium sibi edunt ac bibunt. Nam cum vera fide non accedant, mortem Christi contumelia afficiunt, & ideo damnationem sibi ipsis edunt & bibunt.* Item ex Confessione Belgica, artic. 35. *Præterea quamuis sacramenta sint coniuncta re ipsa significatæ: amba tamen res ista non ab omnibus recipiuntur. Malus enim recipit quidem sacramentum in suam condemnationem, at rem, seu veritatem sacramenti, non recipit. Verbi gratia, Iudas & Simon Magus receperunt quidem ambo sacramentum: Christum vero, qui illo significabatur, minime. Solum enim fidelibus Christus communicatur.*

III. Atque his verbis continetur vna species manducationis indignæ. Veramque speciem illius ita circumscribimus vt dicamus illam cadere partim in indignos, partim in dignos. Dicimus autem, omnes illos esse indignos hoc sacro epulo, qui non sunt præditi vera fide, vt sunt hypocritæ. Digni, qui indigne manducant, sunt qui non recte se præparant ad hoc tantum conuiuium, id quod sæpe numero accidit etiam credentibus, vt docet *Apostolus 1. Cor. 11.* Priores illi non manducant corpus Christi in rei veritate, sed tantum in sacramento. Alia est ratio posteriorum. Quod ita patet. Magnum est discrimen inter dignam & indignam tractationem à digna & indigna persona. Persona digna, id est, homo credens in Christum, interdu digne, interdu indigne sumit panem & vinum, semper vero percipit corpus & sanguinem Christi per fidem. At persona indigna, id est, homo incredulus, semper indigne sumit panem & vinum, nunquam vero percipit corpus & sanguinem Christi. Itaque non immerito aliquis distinxerit inter manducationem indignam, & manducationem indignorum. Atque hæc est indigna manducatio corporis Christi: non vero illa, quæ *Bellarminus* & reliqui *Papistæ* dicunt verum & substantiale corpus Christi ab impiis & incredulis vere manducari oraliter; licet reatum inde sibi contrahant. Argumenta pro nostra sententia hæc adferimus.

IV. *Principio* Scriptura clare negat, infideles aut impios, ullam veram & internam cum Christo habere communionem, quatenus & quamdiu tales sunt. Sic enim *Apostolus* docet *1. Cor. 10.* Non potestis poculum Domini bibere, & poculum demoniorum: non potestis mensam Domini participes esse, & mensam demoniorum. Et *2. Cor. 6.* Quæ concordia Christo cum Belial? Sic *1. Iohan. 1.* Si dixerimus, nos communionem cum eo habere, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincere agimus. Quod si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutua, & sanguis Iesu Christi Filii eius purgat nos ab omni peccato. Ex quibus perspicuum euadit, ipsum Christum, seu corpus Christi ab infidelibus reuera, quidem oraliter, in sacramento non manducari. Sane *ignorant* demoniorum, participes mensæ demoniorum, & bibentes poculum demoniorum, non sunt *ignorant* Christi, neque participes mensæ & poculi Domini reuera, vt cuncte participes sunt symbolorum. At impii sunt *ignorant* demoniorum &c.

V. *Secundum argumentum* ita se habet. Non credentes non manducant corpus Christi. Impii non credunt. Ergo impii non manducant corpus Christi. Maior probatur ex *Iohan. 6.* Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriat: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Et *Augustinus in Iohan. tract. 26.* ait: Credere in eum, hoc est manducare panem viuum. *Hilarius lib. 8. de Trinitate*: De veritate corporis & sanguinis Domini non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, &

fide nostra vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. *Excipiunt* aduersus hoc argumentum, esse fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non credentes, siue impii, non edunt spiritualiter: sed hinc non sequitur, eos non edere corporaliter carnem Christi. Quo pertinet illud *Augustini tract. 26. in Iohan.* Qui non manet in Christo, & Christus in ipso, is non manducat spiritualiter ipsius carnem.

Respond. Qui non credunt, simpliciter & nullo modo edunt ipsum corpus Domini. Distinctionem vero manducationis ipsius corporis, in spirituale & corporale, Patres non agnoscunt. Sic enim *Augustinus de ciuit. Dei lib. 21. cap. 25.* Non est existimandus reuera comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi, aut in quo non manet Christus, aut non ipse in Christo. Locus autem ex *tract. 26. in Iohan.* allatus ad probandam distinctionem manducationis corporis Christi in spirituale & corporale, luculenter eam refutat. Sic enim ait *Augustinus*: Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter eius carnem, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum, ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est. His verbis perspicue testatur *Augustinus*, infideles reuera non corpus Christi, sed duntaxat sacramentum corporis accipere.

VI. *Tertio loco* sic argumentamur: Mortui secundum vitam spiritualem, non edunt cibum vitæ spiritualis: sicut mortui, quantum ad vitam corporalem, non edunt cibum vitæ corporalis. Impii sunt mortui ratione vitæ spiritualis. Ergo cibum vitæ spiritualis non possunt edere. *Excipiunt*, plus esse in conclusione, quam in præmissis: Impii non edunt corpus Christi spiritualiter, cum sint spiritualiter mortui: sed edunt tamen corporaliter, cum corporaliter viuunt. *Resp.* Est petitio principii. Oportet enim probare istam distinctionem, quam cap. 1. & 2. refutauimus. Itaque non est plus in nostra conclusione, quam in præmissis. Neutrius enim vitæ cibus edi potest à mortuis. Viuere corporali vita oportet eum, qui cibum edat, quo vita spiritualis alitur. Sic viuere vita spirituali oportet eum, qui cibum edat, quo vita spiritualis alitur. Et sicut alimentum corporale non potest edi spiritualiter: sic alimentum spirituale non potest edi corporaliter. Præterea spiritualis cibus, vt pote corpus Christi, est cibus animæ. Cibum autem animæ, non potest esse corpus, sed animæ ore manducari. Os animæ est fides. Hoc os cum non habeant impii, cibum animæ non possunt edere. Denique spiritualis cibus caro Christi dicitur, non quia ipsa sit spiritus, id est, incorporea substantia; sed quia manducatur spiritu, seu spiritualiter, id est, animo & corde per operationem spiritus diuini, & quia spiritualem vitam manducata alit. Qui ergo spiritualem cibum fingit edi corporaliter, ex cibo animæ, cibum corporis facit. *Iterum excipiunt* duo ista. 1. corpus Christi est cibus animæ & corporis. 2. Christus promisit etiam impiis corpus suum oraliter edendum.

Respond. 1. Corpus Christi quando dicitur esse cibus animæ, non intelligitur anima, vt est substantia, sed vt est spiritus hominis regenti, seu ipse homo interior. Itaque quando dicitur, quod Corpus Christi sit cibus animæ & corporis, intelligitur substantia animæ & corporis, non vt est substantia, sed vt est substantia hominis regenti. Atque ita corpus Christi est cibus spiritualistum animæ tum corporis. 2. Proferatur ex Scripturis illa promissio.

VII. *Quarto*: Quicumque manducant Christum, viuunt per eum. Impii non viuunt ex eo. Ergo impii non manducant eius carnem. *Excipiunt*, distinguendo maiorem: Qui manducant Christum spiritualiter, viuunt per eum. Vnde sequitur, impios non manducare spiritualiter. *Respond.* Neque Scriptura, neque Veteres hanc distinctionem agnoscunt: ideo que non est recipienda. Christus enim vniuersaliter loquitur: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Nimirum vt calor ab igne, lux à sole, sic vita & salus à Christi carne non potest separari: vbi est Christus in homine, ibi sunt omnia ipsius beneficia: & vicissim, vbi sunt beneficia Christi in homine, ibi est Christus. Christus ergo repudiatus occidit & iudicat: manducatus vero semper viuificat. Sic enim vult & promisit. Cum autem per fidem & vitæ & Christi participes fiamus, impium est alterum ab altero separare.

VIII. *Quinto*: Donum spirituale non nisi spiritu & mente seu anima accipitur. Totus autem Christus est donum spirituale. Ergo non nisi spiritualiter, id est, animo & corde, percipitur. *Excipiunt*, 1. Et si dona spiritualia mente tantum percipiuntur, tamen absque fide hoc potest fieri. Quare non sequitur: Corpus Christi in Sacramentum est donum spirituale. E. fide tantum percipitur. Sane videmus multa dona spiritualia ab impiis excipi sine fide: vt donum sapientiæ, prophetiæ, & similia. 2. Corpus Christi non est tantum donum spirituale, sed etiam corporale.

Respond. 1. Dona spiritualia, quæ piis & hypocritis communia sunt, possunt sine fide accipi. Sed dona spiritualia, quæ sunt propria filiorum Dei, absque fide non possunt accipi. Talis autem est esca & potus spiritualis. 2. Corpus Christi tantum est donum spirituale: quia Christus id diserte docet *Iohan. 6.* Rursus excipiunt: Potest aliquare spiritualis etiam corporeis membris & sensibus percipi vt donum linguarum. *Resp.* Sane potest. Sed esca & potus spiritualis, non nisi spiritualiter, manu & ore spirituali, id est, vera fide, & ventriculo spirituali, id est, animo seu corde spiritu Dei renato, potest accipi: & non nisi spirituali nutritione nos viuificare, hoc est, spiritu vtriusque inhabitante, nosque ei vniente & conformante. Hic nõ ab re fuerit, obseruare multiplicem homonymiã vocabuli *spirituale*. Alias dicitur spirituale essentia, alias proprietatibus, alias subiecto, alias obiecto, alias respectu efficientis, alias respectu effectus, alias modo percipiendi, alias in habitatione, alias significatione. Corpus Christi est spirituale in cœlis, quatenus prædictum est proprietatibus spiritualibus, hoc est, regno gloriæ competentibus. Est spirituale in cœna, quia spiritualiter percipitur. Est spirituale in cordibus, quia ibi habitat per spiritum. Panis eucharistiæ est cibus spiritualis ratione significationis. Porro dona & promissa Dei, aut sensu percipiuntur, idque mediate vel immediate, vt donum eloquentiæ, miraculorum, & similia

lia, quæ per effectus suos incurrunt in sensus: aut sola fide, vt manducatio carnis Christi.

IX. Sexto. Non credenti promissio est inutilis, & nihil exhibet. Præsentia corporis Christi in cœna est promissa. Ergo non credenti corpus Christi non est præsens, & non exhibetur. Clarius ita: Res promissa in sacramentis, non accipiuntur sine fide. Communio corporis & sanguinis Christi est res promissa in S. cœna. Ergo non fit, nisi per fidem. Hoc argumentum aduersarius elidit, negando maiorem, duobus modis. 1. quia incredulitas hominum non abolet veritatem Dei, vt Rom. 3. pluribus docet Apostolus. 2. quia etiam non credentes habent integrum sacramentum, iuxta illud *Augustini de baptis. mol. 3. c. 14.* Non interest, cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti questionem nihil interest. Fieri enim potest, vt homo integrum habeat sacramentum, & peruersam fidem.

Respond. 1. Paulus non dicit, infideles accepisse res promissas in euangelio & sacramentis: sed promissiones de seruando per Christum semine Abrahami, non esse irritas reliquis electis, etsi pereat impia multitudo. Sicut ergo in veteribus, sic etiam in nouis sacramentis, non periclitatur, neque irrita sit veritas & constantia diuinarum promissionum, quando fideles accipiunt cum signis res significatas, inuisibiles, & spirituales: impii autem & hypocritæ nihil, nisi externa & visibilia signa ad exitium. 2. Augustinus hoc vult docere, verbum & sacramenta manere integra, etiam tum, quando homines non credunt illis, aut non recte credunt. Non enim definit ordinatio & institutio diuina, etiam si abutantur ea infideles. Verbum Dei semper manet verbum Dei, hoc est, diuina veritas, siue a credentibus & obtemperantibus, siue a non credentibus aut repugnantibus audiatur. In audientibus autem est ingens discrimen: quorum illi accipiunt, quod promittit Deus credentibus; hi vero, quod minatur non credentibus. Sic etiam sacramenta semper sunt integra, sancta, vera, & perfecta sacramenta, quod atinet ad Deum ordinantem ea ad voluntatis suæ testificationem & in illis offerentem res significatas: & tamen non credentibus sunt inanes ceremoniæ, sicut illis promissio est inanis sonus, non veritatis diuinæ, sed illorum fidei defectu & culpa. Itaque sacramenta semper sunt sacramenta respectu Dei, quæ tamen impiis non sunt sacramenta respectu ipsorum, hoc est, nihil eis, neque promittunt, neque offerunt rerum inuisibilium & significatarum. Ratio est manifesta; quia promissio gratiæ & communionis Christi semper habet adiunctam conditionem fidei, siue in sacramentis, siue extra ea, siue expressam, siue intellectam. Et locutiones sacramentales nihil aliud sunt, nisi adiunctio promissionis huius ad signum visibile, semper habens inclusam conditionem fidei. Hæ enim propositiones: Baptismus nos seruat: est ablutio peccati: est sepultura in mortem Christi: est incorporatio in Christum: exponuntur per illam, Qui credit & baptizatur, seruabitur. Neque Deus mutat sententiam promissionis, sed confirmat additione symbolorum, & idem significat per symbola & verba. Non igitur violat non dando incredulis, sed potius violaret promissionis veritatem, dando ipsis res significatas visibilibus signis sacramentorum; quia sic etiam infidelibus daret, quæ solis fidelibus se daturum promissit. Cum ergo Christus carnem & sanguinem suum se daturum in escam & potum vitæ æternæ, solis credentibus in ipsum promiserit, atque his etiam solis Cœnam suam instituerit, in huius rei testificationem; non facit quidquam contra suam promissionem, cum se non communicat respicientibus & conculcantibus ipsum sua infidelitate. Sic itaque firma est nostra maior. Sacramenta enim sunt externa & visibilia signa gratiæ Dei in Christo nobis factæ, addita promissioni gratiæ, & annexam habentia promissionem gratiæ, atque adeo sunt verba visibilia, idem promittentia, significantia, repræsentantia, confirmantia, & exhibentia fidei & oculis nostris, quod vox Euangelii promittit fidei & auribus. Sicut ergo promissio gratiæ est inanis sonitus, sic sacramenta sunt inane spectaculum, inanis ceremonia non credenti id, quod Deus per verba & signa de voluntate sua testatur & promittit. Nihil enim promittunt, neque verba, neque signa, non accipientibus fide id, quod promittitur. Et quia aliquid aliud præter gratiæ promissionem in sacramentis promitti, aut aliquid inuisibile in eis dari fingunt, sine fide, manifesta idola comminiscuntur & defendunt, secundum dicta, Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: Circumcisio est signum & sigillum iustitiæ fidei. Hinc vt circumcisio proderat seruanti legem, non seruanti autem, præputium facta est: ita baptismus prodest credenti, incredulo non item. Rursus sacrificia expiabant peccatum: & tamen bouem sacrificans infidelis, erat quasi interficiens virum. Ita panis, quem frangimus est communio corporis Christi; & tamen per solam fidem Christus habitat in cordibus nostris.

X. Septimo: Sublato termino sacramenti, tollitur relatio, id est, forma, ac proinde ipsum sacramentum. Impii tollunt terminum Cœnæ, scilicet vniionem cum Christo. Ergo cœna ipsis non est sacramentum, cum pereat ipsis formale sacramenti. *Exceptionem* adhibent geminam. 1. manet interim materiale, quod est panis & corpus Christi. Istud autem materiale est fundamentum relationis. Et hoc materiale accipiunt impii, etiam si terminum non assequantur. 2. sacramentum manet integrum, etsi homo est infidelis: vt patet ex argumento proxime præced. *Respond.* 1. In relatio hoc est perpetuum, vt sublato termino, tollatur relatio. Ita limes non amplius discernens agros, non amplius limes, sed lapis otiosus est. Ergo etiam sacramenta, cum respectu impiorum, amittunt relationem suam ad terminum, non amplius sacramenta sunt, sed otiosa ceremoniæ. Itaque corpus Christi in ceremonia, quæ non est sacramentum, manducari non potest. Non enim promissiones sacramentorum ad ritus debent extendi, qui sacramenta non sunt. Hæc ratio est, quare asseruatio, circumgestatio, & adoratio panis sit idololatria. Maneat itaque hoc, in omnibus sacramentis, sublato formali, id est, ratione sacramenti, nihil esse reliquum, nisi inanem ceremoniam. 2. Sicut verbum Dei integre prædicatur hypocritis, sed non applicatur: ita sacramentum integre administratur iisdem, sed non applicatur ipsis res sacramenti. Nimirum Deus sua ordinatione non definit referre ceremoniam ad suum terminum, etsi huc non referat eam incredulitas impiorum. Deus offert ipsis vtrumque, signum & rem: ipsi

vero abiecta re, signum solum accipiunt, quod manet quidem signum ex parte Dei, atque etiam ex parte deinceps respicientium: sed non ex parte abutentium: nisi forte vocetur ipsorum respectu sacramentum, vt ipsis sit nota & tessera Christianismi, seu communionis externæ in ecclesia visibili.

XI. Octauo: Qui non sunt participes spiritus Christi, neque carnis ipsius participes sunt. Non enim caro eius communicari potest cuiquam sine spiritu. Impii non sunt participes spiritus Christi. Ergo neque carnis. *Excipiunt*, maiorem loqui de manducatione spiritali: esse aliam in cœna manducationem oralem, quæ possit etiam esse sine communicatione spiritus Christi.

Respond. Scriptura sacra & veteres de manducatione carnis Christi simpliciter & vniuersaliter asserunt, eam sine spiritu regenerationis nemini contingere, nusquam facientes mentionem exceptionis aut distinctionis huius, aut manducationis oralis absque spiritu Christi. Contrarium prorsus docent Scripturæ & veteres, non separari nempe spiritum viuificantem à carne Christi, ita vt neque spiritus Christi quisquam particeps esse possit, quin etiam corporis sit particeps, neque carnem maneat quisquam, quin spiritu Christi in eo habitante, Christo vnatur & conformetur. Ratio manifesta est; quia omnes in vnum corpus baptizantur per vnum spiritum: & qui adhæret Domino, est vnus spiritus cum eo, id est, eodem spiritu viuificatur & regitur. Ideo Dominus inquit: Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in ipso, & viuere propter me. Et *Augustinus*: Non est existimandus reuera comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi, aut in quo non manet Christus, aut Christus in ipso.

XII. Nono: Hoc est corpus meum, ait Christus, quod pro vobis traditur. Pro infidelibus corpus Christi non est traditum. Ergo ab his non editur. In hoc argumento aduersarii *revertuntur* minorem: quia pro omnibus sufficiens est victima, etsi non omnibus applicatur. Hinc *1. Iohan. 2.* diserte dicitur, Christum esse propitiationem, non pro nostris tantum, verum etiam rotius mundi peccatis. Et Christus ait *Iohan. 6.* Caro mea est, quam dabo pro mundi vita.

Respond. At nos non de sufficientia victimæ Christi, sed de applicatione loquimur. Sententia enim argumenti nostri hæc est: Quorum peccata expiat, hoc est, quibus applicatur & imputatur à Deo, his in cibum destinatur, & datur edenda victima Christi: non autem iis, ad quos non pertinet. At soli credentes expiantur per hostiam corporis Christi. Ergo solis credentibus datur manducanda. Maior est expressa *Hebr. 13.* Habemus altare, ex quo non habent potestatem edendi, qui tabernaculo deseruiunt, id est, qui alibi, quam in Christo iustitiam quaerunt, & fide sacrificium Christi sibi non applicant. Idem euidenter confirmat Christus in institutione cœnæ, cum panem dicit, nobis esse debere corpus suum pro nobis traditum, & vinum sanguinem suum pro nobis sumum. His enim verbis ostendit, se per hæc symbola, non tantum corpus suum, quatenus verum corpus est, sed etiam quatenus pro nobis traditum est in mortem, & fractum in cruce, repræsentare, ac se testari iisdem hominibus, nempe fidelibus suis; se esse cibum vitæ, quibus est factus victima redemptionis: eosdem se pascere & redimere, non aliquos redimere, quos non pascit: aliquos pascere, quos non redimat, hoc est, quos sacrificii sui applicatione non iustificet. Nihil ergo opus erat aduersarium laborare in probanda sufficientia sacrificii & meriti Christi pro peccatis omnium hominum. Nos enim hanc vltro agnoscimus absque iactura nostræ minoris, quæ de applicatione loquitur, ex parte Dei & ex parte nostra, id est, de imputatione & fiducia satisfactionis Christi.

XIII. Decimo: Apostoli manducabant panem Dominum, Iudas panem Domini contra Dominum, vt scite ait *Augustinus tract. 19. in Iohannem.* Ergo Iudas non edebat corpus Christi. *Excipiunt*, Augustinum non panem Eucharistiæ vocare panem Dominum, sed panem illum viuum, qui de cælo descendit, *Iohan. 6.* panem autem Eucharistiæ vocare panem Domini: quod citra idololatriam nemo sic possit loqui, panem Dominum; quia non est personalis vnio, sed tantum sacramentalis, inter panem & corpus Christi. Quare Augustinus non distinguit sacramentum, quod pariter sumserunt Apostoli & Iudas, sed manducationem viuificantem & exitiosam. Alibi enim expresse dicit, ipsum corpus Domini à Iuda sumtum esse, *form. 11. de verbis Domini, & epist. 162. 163. Respond. Primo,* Est manifestum, Augustinum non discernere hic modum manducandi, sed cibum, qui manducabatur ab Apostolis & Iuda. Neque enim differentia specifica determinat vocem *manducare*, sed vocem *panis*. Et plurima sunt Augustini loca, quæ testantur, hanc ipsius mentem esse: vt cum dicit, impios ad exitium sumere, & dentibus premere, visibile sacramentum carnis Christi, quod hic nominat panem Domini, & opponit panem Domino, tanquam signum significato. 2. Non est idololatria, sed metonymia sacramentalis, si quis panem eucharistiæ in legitimo vsu sumtum dicat esse panem Dominum. 3. Sane Iudas sumit corpus Domini, sed sacramentum tenens, seu in sacramento, at non in rei veritate: de quo quaeritur.

XIV. Undecimo: Panis filiorum Dei non est panis canum. Corpus Christi est panis filiorum Dei. Ergo illum non accipiunt canes, id est, increduli. *Excipiunt.* 1. Corpus & sanguis Christi sunt tantum filiorum, quantum ad fructum & efficaciam viuificantem: sed quod ad substantiam attinet, sunt totius mundi. 2. Mulier Cananæ *Matth. 15* erat canis, & nihilominus tamen Christus ipsi dedit beneficia filiorum. *Respond.* 1. Falsum est, beneficia carnis Christi solis filiis, ipsam vero carnem etiam canibus communicari. Vt enim nemo beneficiorum Christi sine Christo: sic & Christi nemo sine beneficiis ipsius potest habere communionem. Omnis, qui viuere per eum, manducat eum, & omnis, qui manducat eum, viuere per eum. *Iohan. 6.* Præsens autem est in Ecclesia omnibus humanitas Christi, non substantialiter & corporaliter existens nunc in terris, sed spiritaliter; piis, copulatione cum ipsis per spiritum suum; impiis, oblatione in verbo & sacramentis. Viuificat ergo piis merito suo, & vnione cum ipsis per spiritum: & iudicat impios separatione ab ipsis, & latrone sententiæ aduersus ipsos. 2. Cananæ; cum gratiæ Christi fieret particeps, non erat amplius canis: alioqui non potuisset ei dicere, O mulier, magna est fides tua! Vocatur autem

tem canis à Domino, non iam ratione infidelitatis, sed ratione stirpis ethnicae.

XV. *Duodecimo*: Extra usum institutum à Deo nihil habet rationem sacramenti. Sine fide nullus est usus institutus & legitimus cenae Domini. Ergo sine fide non est sacramentum. Hinc Paulus de abutentibus dicit 1. Cor. 11. Non est inter vos edere cenam Dominicam. Quare cum S. cena impis non sit sacramentum, non possunt ibi manducare corpus Christi. Neque vero est, quod nobis obiciant, nos contradicere nobis: quia scribimus sacramentum esse hypocrisis sacramentum ratione communionis externae, & ipsi plane non esse sacramentum. Nam haec posterior enuntiatio respicit communionem internam: quae vnicè spectanda est in sacramento. Nimirum sacramentum aut est actio externa seu ceremonia, aut actio externa & interna simul. Vere itaque dicimus, sacramenta posteriori sensu hypocrisis non esse sacramenta; quia hoc pacto ad integritatem sacramenti requiritur, ut sit sacramentum communionis internae & externae simul.

XVI. *Decimo tertio*: Quibus sacramenta non sunt instituta à Deo, illis nihil promittunt rerum significatarum. Impis cena non est instituta. Ergo nihil eis promittit: ac proinde nihil accipiunt, nisi externa symbola. *Decimo quarto*: Qui nihil accipiunt eorum, quae significantur verbis euangelii, nihil etiam accipiunt eorum, quae significantur symbolis sacramentorum. Idem enim utroque significatur & promittitur: neque signa promissionis repugnant promissioni, aut eam mutant, aut aliquid aliud promittunt, quam promissio, cui sunt annexa; sed eandem confirmant. Impi autem nihil accipiunt significatum verbis euangelii. Ergo neque aliquid significant sacramentis, siue signis euangelio annexis.

XVII. *Decimo quinto*: Paulus non dicit, corpus Domini, sed panem & vinum indigne sumendo, iudicium edi & bibi. Iudicium autem edere non est edere Christum, qui est nobis factus à Deo iustitia. Item, edentes panem indigne, aut reos fieri corporis Christi, eo quod non discernunt, id est, honore debito non afficiunt corpus Christi. Fieri autem reum corporis Christi, & corpus Christi non discernere, non est corpus comedere, teste Apostolo *Hebr. 10.* Ergo non corpus Christi, sed panis editur indigne & ad iudicium; quia profanatio symboli redundat in contumeliam rei signatae.

XVIII. *Decimo sexto & ultimo*. Patres nobiscum faciunt. *Primo* enim docent, impios & infideles nullo modo, id est, neque quantum ad substantiam, neque quantum ad fructum, neque corporaliter, neque spiritualiter manducare ipsum verum corpus Christi, neque bibere ipsum verum sanguinem Christi. *Deinde* affirmant, omnes qui manducant verum illud corpus Christi, habere vitam aeternam. *Primum assertionem* praeter illa, quae paulo ante attulimus, confirmant haec testimonia. *Augustinus citatur in iure canonico, de consecrat. dist. secunda, capitulo*, Quid est, ex sermone de verbis euangelii, haec in sententiam: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Si itaque in me manet, & ego in illo, tunc manducat, tunc bibit. Qui autem non in me manet, nec ego in illo, est accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Idem eadem dist. dist. cap.* Qui discordat, citatur hoc modo, ex tom. 3. sententia 339. Qui discordat à Christo, nec corpus eius manducat, nec sanguinem bibit, etiam si tantae rei sacramentum ad iudicium suae praesumptionis quotidie accipiat. *Idem lib. 21. de ciuit. Dei. 25.* Non dicendum, eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi. *Et paulo post*: Nec isti dicendi sunt manducare corpus Christi, qui nec in membris computandi sunt Christi. *Chrysostomus homil. 24. in 1. Cor. 10.* Aquilae in hac vita facti ad ipsum caelum euolemus, vel potius supra caelum. Vbi enim cadauer, inquit, ibi & aquilae. Cadauer Domini corpus propter mortem: nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissimus. Aquilae autem appellat, ut ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil eum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi & rapere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiae intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilamenim, non graculorum haec mensa est. *Cyrillus lib. 15. in Leuiticum*: Cibus iste sanctus non est communis omnium, nec cuiusque indigni, sed sanctorum est. *Bernhardus in epist. ad fratres de Monte, de vita solitaria*: Sacramentum sicut ad vitam accipit indignus, sic ad iudicium & mortem suam indignus. Rem vero sacramenti nemo percipit nisi dignus & idoneus. Sacramentum enim sine re sacramenti sumentis mors est: res vero sacramenti, etiam praeter sacramentum sumentis, vita est aeterna. Hic nihil habent aduersarii, quod dicant, nisi velint ad suam petitionem principium reuolui: dicta Patrum loqui de spiritali manducatione corporis Christi, non vero de sacramentali, siue orali & corporali manducatione corporis eius. Ipsi enim manducatio sacramentalis siue oralis extenditur ad ipsum Christi corpus. Sed iam saepe ostendimus, distinctionem illam repugnare Scripturis & Patribus. Et vero dicta Patrum modo recitata ferme ita clara sunt, ut manibus possit palpari, illos loqui distincte de sacramento & re sacramenti: & quando dicunt corpus Christi manducari sacramentaliter, metonymice loqui, hoc sensu. Panis facit manducatur sacramentaliter, id est, oraliter: corpus Christi manducatur sacramentaliter, hoc est, sacramentum corporis Christi manducatur oraliter. Iam confirmemus secundam nostram assertionem. *Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 5.* Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum. *Citatur in iure canonico, de consecrat. dist. 2. capitulo* Ante benedictionem. *Idem serm. 18. in psal. 118.* Christus mihi cibus, Christus mihi potus &c. Quomodo morietur, cui cibus vita est? Quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? *Idem de iis qui mysteria inuitantur*: Iste panis vitus, qui descendit de caelo, vitae aeternae substantiam subministrat: & quicumque hunc manducauerit, non morietur in aeternum, & est corpus Christi. *Augustinus tract. 26. in ioban.* Huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis diebus interualis, in mensa Domini praeparatur, & de mensa Domini sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa, cuius est sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit. *Et mox*: Iste cibus eos, à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit.

CAPUT IV.

Argumenta Papistarum, pro manducatione indigna corporis Christi refutantur.

I. *Primum*, & praecipuum, argumentum pro sua sententia, hoc adferunt, aduersarii. Apostolus 1. Cor. 11. 27. ait: Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indigne, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. *Et vers. 29.* Nam qui edit & bibit indigne, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini. Hinc conficitur hoc argumentum. Cuius participatione indigna sunt rei participantes, illud reuera participant. At participatione indigna corporis & sanguinis Christi sunt rei, abutentes illa participatione. Ergo reuera participant corpus & sanguinem Christi. Sane reprehenduntur hic quidam, quod indigne recipiant corpus Christi, & inde dicuntur non vitam, sed iudicium haurire. Itaque omnino fatendum nobis est, indignam manducationem non esse panis tantum: sed panis & corporis Christi simul, seu panis illius, quem Filius Dei affirmat esse suum corpus. Sed videamus solutionem huius argumenti.

II. Paulus loquitur hic de indigna usurpatione sacramenti. Vnde perperam colligitur indigna manducatio corporis Christi. Quod ita euadit manifestum. Paulus, etiam si sacramentaliter loquendo, potuisset dicere, corpus Christi indigne manducari, tamen dixit panem indigne manducari. Et ne possit alius nisi naturalis panis intelligi, addit, Probet se homo, & sic de panis illo edat. Cum dicit, *ex τὸν ἄρτον*, significat panem vnum, non integrum, sed in multas particulas fractum, edi à multis: quod de corpore Christi dici non potest. Deinde Paulus proprie loquitur de illo indignorum genere, qui est infidelitatis, sed non recte se preparant ad hoc sacramentum. Vnde se illis connumerans, fratres ipsos vocat suos, *vers. 33.* Itaque ex hoc loco principaliter, directe, & primario non potest concludi manducatio indignorum, id est, infidelium. Interim potest per amplificationem, extensionem, & argumentationem à minori. Si enim fideles saepe numero indigne usurpant hoc sacramentum, multo magis infideles. Nam illi ex infirmitate, hi ex infidelitate, sacramentum non tractant conuenienti religione. Sed disputemus ex hypothesi aduersariorum, hoc loco intelligi solos hypocritas. Sic itaque respondemus ad syllogismum ab ipsis allatum. Cuius participatione indigna reali & substantiali, sunt rei participantes, illud reuera participant. Cuius autem participatione sacramentali abutentes, reatū contrahunt, id non est necesse ut reuera participant. Iam vero indigni sunt rei participatione corporis sacramentali, hoc est, sacramenti corporis, non autem reali vel substantiali, hoc est, ipsius corporis Christi. Hoc enim non dicit Paulus sed ait, panem indigne manducantes, reos fieri corporis Christi, non discreti, hoc est, contenti & contumelia affecti, non autem manducati cum panis, sed contra potius exclusi & repudiati. Contumelia enim illata sacramento, redundat in rem sacramenti. Nihil itaque ineptius est hoc argumento: Impi sunt rei corporis Christi, manducantes panem cenae. Ergo manducant ipsum corpus. Contrarium enim sequitur: Fiunt rei: ergo non edunt. Si enim ederent, reatus eorum tolleretur. *Urgenti*: Qui indigne ederit panem hunc, quem Christus affirmat esse suum corpus. *Resp.* Sane panis est corpus Christi: scilicet sacramentaliter. Hinc non sequitur, Sacramentum indigne editur. Ergo signatum, siue res sacramenti, hoc est, corpus indigne editur. Sacramenta enim siue signa possunt, res signata non possunt indigne, simpliciter hoc est, sine fide accipi. *Pergunt*: Recus est, non panis & vini, sed corporis & sanguinis Domini. *Resp.* At reum fieri corporis Domini, & ore manducare corpus Domini, non sunt idem, neque *ἀνσπερίστα*. Multi enim sunt rei corporis & sanguinis Christi, in cruce pro ipsorum peccatis mactati & effusi, ipsique in cibum vitae oblati, sed horribili gratitudine ab ipsis contemti, & variis contumelias affecti, qui nunquam in cena oraliter illa ederunt & biberunt de quibus *Hebr. 10.* Quanto putatis acerbiore supplicio dignus censebitur, qui Filium Dei conculcat, & sanguinem foederis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiae contumelia affecterit? Etiam in baptismo Simon magus fiebat reus sanguinis Christi: nec tamen quisquam finxit, substantialiter in aqua praesentem sanguinem, ut eo corporaliter & inuisibiliter Simon perfunderetur, atque ita eius fieret reus. Offerunt etiam impiis in sacramento corpus & sanguis Christi, sicut in verbo: sed in neutro horum offertur ore sumentibus: sed verbum auribus, sacramentum oculis, manibus, ore, corpore; Christum autem fide sumentibus; non auribus, non oculis, non manibus, non ore, non existens corporaliter in loco, in quo existit sonus verbi, aqua baptismi, panis & vinum eucharistiae. Summa itaque haec reedit. Paulus dicit, panem hoc (qui scilicet iam non panis tantum, sed facer panis, sacramentum corporis Christi est) abutentem, indigne eum edendo, fieri reum corporis Christi. *Panis* hic, panis, dum editur indigne, corporis Christi reatum dicit Paulus contrahi. Hunc ergo abusum panis, non corporis Christi, discrete Paulus exprimit.

III. Audiamus nunc *Bellarminum*, de hoc loco Apostoli *lib. 1. Eucharistiae* 13. postquam ex verbis apostoli tale confecerit argumentum: Reprehenduntur quidam, quod indigne recipiant corpus Christi, & inde dicuntur non vitam, sed iudicium haurire: At illi non recipiunt Spiritu & fide corpus Christi, quia vtiliter reciperent, si ita reciperent: Ergo recipiunt solo corpore: subiungit ista verba: Aduersarii duobus modis eludere conantur hunc locum: dicunt enim eos, qui indigne accedunt, duplici de causa reos fieri corporis Domini, & iudicium sibi manducare. Primo quia non recipiunt vere corpus Domini, quod eis in illis symbolis Deus offert; quod idem est, ac si illud in terram abicerent, & conculcarent. Secundo, quia iniuria afficiunt symbola corporis Domini: iniuria autem symboli seu imaginis refertur ad ipsum cuius est symbolum. Sed neutra causa est solida. Ac ut à posteriore incipiamus, miranda est inconstantia Caluistarum. In causa enim imaginum non putant se peccare in Christum & sanctos, cum eorum imagines demoliantur: & rident Catholicos, cum illis obiciunt, honorē & contumelias imaginū referri ad exemplar: nunc autem summum sacrilegium esse volūt, indigne sumere figurā corporis Christi, quod ea iniuria in Christū ipsum redundet.

IV. Sane hoc proprium est signorum, *Bellarmino*, ut contumelia ipsis facta, in eorum auctores vel archetypos redundet. Programmatibus, sigillis, statuis, monumentis principum violatis, ipsos principes ignominia affectos esse omnes iudicant. Quanto igitur magis, hoc valebit in signis, quae Deus ipse ad suam voluntatem testificandam nobis proposuit? Qui ver-

bum Dei contemnit & blasphemat, annon Deum contemnit & blasphemat? Quomodo igitur de sacramentis, quæ sunt verbum Dei visibile, non necesse erit idem dici? Certe *Gen 17.* dicitur, Qui non circumcisus fuerit, excidetur e populis suis; quia fœdus meum irritum fecit. Et tamen ille symbolum fœderis contemnebat. *Leuit 10.* negligentiam Nadab & Abiu in tractatione sacrificiorum, Deus morte vindicat, tanquam sibi factam iniuriam: In propter quis meis sanctificabor. *1. Sam 6.* Bethsemitæ 50070. percutiuntur à Deo propter arcam fœderis curiose inspectam. *2. Sam 6.* perit Vza, quod arcam attigisset. Et in genere de hypocritis & profanis, qui Ecclesiæ societatem externis signis profitentur, dicitur. *Psal 50.* Improbo autem dicit Deus, Quid tua, vt enarres decreta mea, & assumas fœdus meum in os tuum &c. Arguo te, & ordino hæc ante oculos tuos. Eodem modo Paulus dicit, panem hunc, qui est sacramentum corporis Christi, indigne sumtum, reos facere id committentes, rei significata, videlicet ipsius corporis Christi. Nec obsecra sunt cause. Nam primo si fidelis indigne sumat sacramentum, non adferendo eam deuotionem, quam debet, fit reus corporis Christi, quatenus illud in sacramento representatum & oblatum, vera quidem fide accipit, sed tamen neque ipsum Christum, sacramenti autorem, neque sacramentum eius afficit debito honore. Deinde si infidelis indigne sumat panem istum, contemnit Christum sibi oblatum in escam & potum vitæ æternæ, atque adeo nouo crimine cumulat contentum eius in baptismo & prædicatione euangelii, cumque fit *negligens* dæmoniorum, tamen videri vult *negligens* Christi, irridens Christum hac simulata professione, & profanans fœdus & signa fœderis diuini, rapiens ad se, quæ Deus solis fidelibus instituit. Ex his videre est, quam crasum elenchum parium committat Bellarminus, quando suas imagines à Deo prohibitas confert cum sacramentis ab ipso institutis.

V. *Secunda exceptio Bellarmini* est. Non censetur fieri iniuria imagini, nisi quando eo animo quis imaginem violat, vt illi iniuriam faciat: si enim alia de causa imago disceperatur, conculcetur, maculetur, nemo dicit violatum esse eam, cuius illæ imagines sunt. At qui sacramentum Eucharistiæ percipiunt eum conscientia peccati lethalis, rei sunt corporis Domini, & iudicium sibi edunt, etiam si non accesserint animo Eucharistiæ violandi. Non igitur illa causa est huius peccati, quod Eucharistia sit figura corporis Christi.

Respond. 1. Iterum est fallacia parium. Nam eucharistia est sacramentum, ad cuius summionem nos preparare debemus. Quod dum negligimus facere, indigne illud sumimus. At vero si forte conculcemus imaginem principis, id fit ex accidenti, & ideo non censetur ignominia. 2. Sæpenumero in hypocritis & profanis est intentio violandi sacramentum. 3. Etiam tum profanatur sacramentum, quando non est intentio profanandi; si quis nempe non adferat fidem, vel deuotionem.

VI. *Pergit Bellarminus excipere* aduersus secundam rationem. Si ideo peccant, qui indigne sumunt Eucharistiæ, quia illa Christum representat: non liceret homini peccatori aspiceret vel tractare imaginem Christi depictam, neque verbum Dei audire. Nam ista etiam Christum representant, & offerunt. Et cur quæso manna, & aquam de petra sumebant promiscue boni & mali, digni & indigni: & tamen non dicebantur vlli, rei corporis Domini: neque iudicium sibi manducabant, licet illa etiam Christum representarent & offerrent eo modo, quo Eucharistia. *Respond. 1.* Est elenchus *παράδειγμα*. Nam aspiceret imaginem Christi, & sumere panem eucharistiæ toto cælo distat. 2. Peccator, qui accedit ad eucharistiæ, non indigne statim accedit, quia peccator est (nam non accedunt nisi peccatores) sed quia non preparat se, neque discernit corpus Domini. 3. A non scripto ad non esse non valet consequentia. Quare cum par sit ratio cœnæ, quam habuerunt veteres, & illius, quam nos habemus, quod Paulus de hac scribit, etiam valebit de illa.

VII. Quod nostri adferunt de baptismo, etiam infideles ibi fieri reos sanguinis Christi, *Bellarminus hoc modo eludit.* Etsi verum est, peccare, qui sacramentum quodque indigne sumit: tamen de nullo sacramento vsquam legimus dici: *Reus erit corporis Domini, iudicium sibi manducatur.* Nec vllus diceret reum esse Spiritus sancti, qui aquam baptismi indigne tractat. Idem patet ex pœna, qua puniebantur olim, qui sacramentum Eucharistiæ indigne percipiebant. nam vel ægrotabant, vel moriebantur, vt Apostolus testatur: *Idcirco inter vos multi infirmi, & dormiunt multi;* & exempla aliqua refert Cyprianus in serm. de lapsis: qualia de baptismo nusquam inueniuntur: tum denique quod semper in Ecclesia diligentissime cauerint, ne vlla particula Eucharistiæ in terram caderet: at aquam baptismi ipsi proiciunt, dum baptizamus. Quare non ideo solum honoranda est Eucharistia, quia est sacramentum, vel figura, vel signum corporis Domini, sed ob aliam longe maiorem causam: nulla autem fingi potest, nisi quia ipsum Dominum vere continet. nam cætera communia sunt aliis sacramentis & figuris.

VIII. In his Bellarmini verbis hæc *σφάλμα* insunt. 1. Eadem est ratio omnium sacramentorum, quantum ad honorem, qui ipsis debetur. Sunt enim ceremoniæ diuinitus institutæ, in quibus Deus nobis vna cum signo offert rem signatam. Itaque non aliquid peculiare inest cœnæ: quasi videlicet contineat in suis symbolis corpus & sanguinem Christi. 2. Paulus ista verba, *Reus erit corporis Domini, iudicium sibi manducatur:* hanc ob causam inseruit suæ adhortationi. Quia profanatio quædam & abusus sacræ cœnæ in ecclesiâ Corinthiorum obreperat, Apostolus vt illi mederetur, non solum ad institutionem Christi primam ipsos reuocat, monens, vt ritum & formam, à Christo traditam, constanter seruent, & iuxta hanc omnia restituant: sed etiam grauem admonitionem subiicit de recto & legitimo vsu sacræ cœnæ, & hac occasione differit de pœnis, quas sibi accerunt omnes illi, qui indigne vtuntur sacra cœna. Huiusmodi occasio in aliis Scripturæ locis, vbi agitur de sacramentis, non fuit oblata scriptoribus. Nihil itaque mirum, quod circumstantiarum varietas varium docendi modum peperit. Quanquam, vt paulo ante §. 4. ostendimus, pœna contemnentibus circumcisionem, *Gen 17.* fuit denunciata. Et sic in institutione baptismi dicitur: Qui non crediderit condemnabitur. 3. Verba ista, *Reus erit corporis Domini,* peculiariter pertinent ad cœnam: quia illa est sacramentum corporis Christi. 4. Quia par est ratio sacramentorum, ab explicito ad implicitum procedat argumentum: Si abutens cœna Domini fit reus corporis Domini, abutens

baptismo fit reus sanguinis Domini. Hinc quod Paulus de cœna dicit, Chrysolomus ad omnia sacramenta transfert. 5. Recte dicitur, eum qui abutitur baptismo, fieri reum Spiritus sancti; quia ille non solum est author istius sacramenti vna cum Patre & Filio: sed etiam peculiari modo nos regenerat; cuius regenerationis sacramentum est baptismus. 6. Quo tempore Apostolus hanc epistolam scripsit, pestem vel aliam luem contagiosam Corinthi grassatam fuisse, quæ plurimos lecto, maximis cum doloribus, affixos tenuerit, multos etiam per mortem corporalem e rebus humanis eripuerit; colligere est ex illis verbis, *Propterea inter vos multi sunt infirmi, ægroti, & multi dormiunt.* Propterea, id est, propter abusum sacræ cœnæ. Itaque Bellarminus male hinc colligit, illos, qui sacramentum Eucharistiæ indigne percipiebant, vel subitaneo morbo, vel morte fuisse punitos. 7. Veteres cauerunt, ne vlla particula Eucharistiæ in terram caderet: non quod corpus & sanguinem Domini in terram cadere posse existimarent, sed quia symbola consecrata hoc honore merito afficiuntur. Quod attinet ad aquam baptismi alia est ibi ratio. Non enim vt panis & vinum percipi debent ore, ita quoque aqua baptismi. Nam illa debet aspergi, & proinde proijci: 8. Peritio principii est in illis verbis: Nulla autem fingi potest, nisi quia ipsum Dominum vere continet.

IX. Examinauimus exceptionem Bellarmini ad posteriorem nostram rationem: sequitur altera eiusdem exceptio ad priorem nostram rationem, his verbis. Iam altera causa, quam adferunt aduersarii, cur Paulus reprehendat indigne sumentes Eucharistiæ, quod videlicet illi non recipiant vere corpus Domini, quod sacra illa symbola offerunt: nihil habet probabilitatis. Nam Apostolus non dicit eos peccare, quod non recipiant, sed quod recipiant: vbi crimen ponit in ipsa sumptione, non in omissione sumtionis. Præterea illa verba: *Iudicium sibi manducatur & bibit,* aperte indicant, ipsum, quod sumitur ab indignis, adferre illis mortem, cum aliis adferat salutem: hoc enim est sumere iudicium, sumere aliquid, quod sumtum nocet. Præterea illa verba: *Non discernens corpus Domini,* quod aliud significare possunt, nisi, non discernens corpus Domini, sed ita sumens, ac si non esset corpus Domini: vbi certe non negatur manducatio veri corporis, sed asseritur maxime. Præterea, si nolent impii sumere corpus Christi, non accederent ad communionem: ergo cum accedunt, non in eo peccant, quod nolunt corpus Domini, sed in eo, quod illud volunt, cum sint eo indigni. Denique omnes interpretes, atque omnes veteres ita hunc locum semper intellexerunt. Hactenus *Bellarminus.* Videamus singula ipsius glossata.

X. Verum est, Apostolus dicit, indignos aliquid recipere. Dicit enim, *Qui quis ederi panem hunc, aut biberit hoc poculum indigne.* Non dicit: Qui edit corpus Christi, aut bibit sanguinem Christi indigne. Crimen itaque est in sumptione panis & vini, non in sumptione corporis & sanguinis. At quale crimen? Distincte hoc oportet indicare. Indigni duplices sunt. Alii simpliciter, & modis omnibus indigni sunt, videlicet infideles, hypocritæ, manifesti, & impœnitentes peccatores, qui sunt *negligens* dæmoniorum: alii indigni sunt, qui etsi vere pii sunt, veraque & viuæ fide præditi, neque crassioribus vitis contaminati, multiplicibus tamen laborant infirmitatibus & defectibus. Hi cum ad mensam Domini accedunt, vera quidem cum fide accedunt, sed non satis excitata, nec satis discussa conscientia, neque ea, vt par erat, conuersionis sinceritate, parique dilectionis erga Deum & proximum ardore: neque satis attentam mente considerant, quid hic ipsis offeratur, & ipsi accipiant; & in quem finem hæc cœna sit instituta. Hæc indignitas in omnes credentes cadit, in alios maior, in alios minor. Quod attinet ad priores, illi se obstringunt crimine infidelitatis, ingratiitudinis, contemptus beneficiorum Dei &c. posteriores peccant infirmitate. Posita hac distinctione, distincte quoque respondendum est, quomodo illi, qui indigne manducant, manducant sibi iudicium. Tametsi enim Apostolus hoc loco per iudicium intelligit pœnas temporarias: tamen ratio cinando a minori ad maius, etiam intelligi possunt pœnæ æternæ. Temporariæ pœnæ sunt, quibus fideles & pios in hac vita castigat Dominus, quando indignis sacram cœnam tractant, de zelo, fide, & sanctitate sua non nihil remittentes, neque legitime se preparantes ad hoc epulum venerandum. Quam frigiditatem variis modis castigat Deus, laboribus vocationis minus benedicendo, facultates minuendo, dissidia domestica immittendo, liberos, familias, aut ipsos etiam morbis premendo, per mortem corporalem, vel ipsos, vel ipsi charos & viles, auferendo. Et de talibus indignis, quemadmodum de tali etiam iudicio Dei, vel pœna temporali, Apostolus hic loquitur proprie. Sic enim ipse se explicat, *vers. 30.* Propterea multi inter vos sunt infirmi, ægroti, & multi dormiunt. Vbi proprio Corinthiorum exemplo confirmat, quod dixerat, abusu sacræ cœnæ pœnas Dei temporarias, etiam à Dei filiis, attrahi. Deinde *vers. 32.* expresse affirmat, *ideo talia iudicia Deum agere & exerceere, ne conderentur* videlicet fideles, & pii segiores, *in mundum*, id est, cum impiis ad æternas pœnas abripiantur. Præterea illos, in quos iudicium suum exercuit Deus, fratres suos vocat. Ergo infideles illi non fuerunt, neque damnati. Quo pertinet ipsa phraseologia, quam adhibet. Dicit enim, *καὶ οἱ πολλοὶ ἐσθίουσιν καὶ βιβωσκουσιν ἀκαθάρτως* vbi *καθάρτως* est, *νόμιμα* & *καθάρτως* est idē, quod castigari paterne tanquam filium. Sequuntur pœnæ æternæ, per quas iudicia sua exercet Deus in infidelibus & impœnitentibus, qui quod non habeant vestem nuptialem coniunguntur in tenebras exteriores, *Matth. 22.* Has pœnas etsi Apostolus hoc loco non respicit aut exprimit, quia agit de filiis Dei: tamen per bonam conscientiam etiam ex verbis Apostoli deduci possunt. Si enim filii Dei edunt interdum panem Eucharistiæ ad iudicium temporale: hypocritæ illum semper edunt ad iudicium æternum.

XI. Nunc videamus, quam apposite pro se alleget Bellarminus ista verba, *Non discernens corpus Domini.* Ait, hæc verba nihil aliud posse significare, nisi, non discernens corpus Domini, sed ita sumens, ac si non esset corpus Domini. Aio, hæc verba possunt aliud significare, videlicet, non satis digne æstimans dignitatem, vsu, & finem huius cœnæ, in qua corpus Domini offertur & exhibetur. Quemadmodum simili phrasi & *συννομιᾷ* *Hebr. 10.* dicitur, sanguinem fœderis profanum vel communem ducere. Quia tamen locutione nullus sanguinis Christi haustus corporalis intelligitur. Itaque non discernere, seu non diiudicare, non aliud est, nisi communem, seu profanum ducere sanguinem fœderis: non discernere

vere ab alio cibo & potu, & rebus profanis: non debita reuerentia accipere corpus Domini, & quod ad sacramentum, & quod ad rem attinet. Sacramentum enim abusu profanum impium; & rem sacramenti oblatam sibi à Deo vna cum symbolo, respiciunt atque contemunt, atque ita rem signatam à signo diuidentes, vtrumque efficiunt contumelia. Ad pios quod attinet, illi indigne sumunt sacramentum, quando non recte se præparant. Et si enim vere accipiunt verum corpus & sanguinem Christi ad vitam æternam: tamen quia frigide vsurpant ceremoniam à Deo institutam, sumunt panem & vinum ad iudicium suæ castigationem temporariam. Præterea quod ait Belarminus, impii accedere hac intentione, vt sumant corpus Domini, & id eo peccare, quod illud velint, cum eo sint indigni: hoc non est vniuersale; quia multi accedunt, non vt sumant corpus Domini, sed vt larvam quarant suæ hypocrisis. Deinde non sequitur: Impii volunt fumere corpus Domini. Ergo sumunt. Denique perpetua hic est ambiguitas in voce indignorum: quæ apud Paulum non significat incredulos, sed fideles non recte præparatos ad hoc mysticum epulum.

XII. At, inquit, omnes interpretes, atque omnes veteres ita hunc locum semper intellexerunt. Hoc videamus, quam vere ab ipso dictum sit. *Augustinus sent. 338* ait: Qui discordat à Christo, nec panem eius manducat (*panem vocat carnem Christi*), nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis, quotidie indifferenter accipiat. *idem in Iohann. tract. 26*. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter eius carnem, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumit ad Christi accedere sacramenta. *Similiter in hunc Pauli locum scribit Ambrosius*: Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab auctore. Ideo præmonet, vt secundum ordinem traditum deuota mens sit accedens ad Eucharistiam Domini. Quoniam futurum est iudicium, vt quemadmodum accedit vnusquisque, reddat causas in die Domini Iesu Christi; quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi penas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his, qui beneficium eius imitemur ducunt. *Et ibidem*: Hoc enim apud se debet iudicare accedens, quod Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii Dei. *Chrysostomus in hunc locum dicit*: Sicut aduentus Domini, qui magna illa & ineffabilia bona nobis attulit, eos, qui non receperunt eum, magis condemnauit: sic etiam mysteria, maioris supplicii occasio sunt indigne participantibus. Denique quod Paulus de cœna dicit, Chrysostomus ad omnia sacramenta transfert.

XIII. Hactenus primum argumentum: sequitur secundum, ex iisdem verbis. Qui edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit. Ergo indigne edentes & bibentes, corpus & sanguinem Christi edunt & bibunt. *Resp.* Id minime sequitur. Primo enim indigni sunt duplices. Alii simpliciter indigni, alii secundum quid. Illi sunt infideles, & indigne edunt & bibunt, quia sacra symbola non tractant vera fide: hi sunt fideles, sed non rite præparati, qui edunt & bibunt indigne, quia accedunt fide non satis excitata. Deinde ex contrario facile potest intelligi, quid sit indigne edere hunc panem, & poculum hoc bibere. Digne res aliqua & legitime vsurpari dicitur, quando ad vsum suum proprium destinatur, idque competenti modo & ordine, sine vllis corruptelis aut deprauationibus. Indigne ergo ad cœnam Domini accedere est, ritus à Christo institutos non obseruare, sed formam ab ipso præscriptam humanis traditionibus permiscere & adulterare. Hoc enim qui faciunt, quod acceperunt, & traditum est à Domino, non obseruant. Deinde indigne accedere ad sacrum hoc epulum, est, fiducia diuinæ gratiæ & misericordiæ in Christo, & propter victimam ipsius, desitui, vt mortem & effusum Christi sanguinem, tales nihil ad se pertinere putent, ac proinde mortis Domini commemoratione, non magis intra suos animos afficiantur, quam si mundanam quandam & peregrinam historiam recitari, aut decantari audiant. Item indigne accedunt, qui impœnitentes scelerum cœno immergi iacent, & in sceleribus sine resipiscencia pergunt, ita ut quamuis cœna huius sacre vsu, fidem, pœnitentiam, & innocentiam studium cum aliis piis profiteantur, mox tamen vt canis ad vomitum, & vt stus ad volutabrum cœni, redeant, iisdemque, quibus antea sceleribus, secure indulgent. Hi enim non sunt discipuli Christi, quibus ille hanc cœnam suam instituit. Denique etsi aliquis ad hanc cœnam venit, indutus vestem nuptialem, rubram & albam, hoc est, fidei & pœnitentiæ, tamen si non exciter fidem & pœnitentiam suam vt par est, neque deuote fumat sacra symbola, etiam indigne edit & bibit hunc panem & hoc poculum.

XIV. Terti. sic argumentantur ex loco eodem. Quia qui indigne edunt & bibunt, iudicium sibi edunt & bibunt, oportet vt Christi carnem & sanguinem edant & bibant. Nam quia Christus non tantum saluator est & viuificator, sed etiam iudex, non ad vitam tantum, sed etiam ad iudicium suæ damnationem sumi potest. *Resp.* Christus ad iudicium, vel damnationem, non editur vel bibit, sed respicitur, reicitur, & contemnitur: & iudex est, non eorum, à quibus manducatur, sed eorum, à quibus respicitur. Nam de manducantibus eum absque exceptione dicit, Qui manducat me, viuet propter me, *Iohann. 6. v. 54*. Quare manducatus non nisi saluare potest, & ad iudicium absoluit. De impiis vero vel contemtoribus sui dicit: Nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem, *Matth. 7*. Non igitur illi Christum, sed iudicium sibi edunt & bibunt. Nam primo symbola profanant, & per consequens rem signatam, quæ non in ipsis, sed Christi discipulis instituta sunt, ad se rapiunt. Deinde scelerum Dei profanant, cœnæ huius vsurpatione publica præ se ferentes, imo actuale confessionem edentes, quod confederati Dei sint, cum socii tamen diaboli sint. Præterea non discernunt corpus Domini, & conculcant quasi sanguinem Christi. Panem enim, qui corpus Domini sacramentaliter est, communem vel profanum ducunt, & beneficia oblata, infidelitate respiciunt, atque ita Deum, quantum in ipsis est, rident, beneficia Christi cum ipso meto Christo accipere se velle similes, cum nihil minus velint. Postremo se suo iudicio condemnant. Accedentes enim, actualem vel realem edunt confessionem, quod credant

in Christum, quod ipsius sint membra, ipsumque in tota vita sua colere velint, obedientia vera, cum suæ tamen incredulitatis, hypocrisis, & impietatis sibi sint consci. Recte itaque *Augustinus in Iohann. tract. 26*. Huius rei sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitum: res vero ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicumque eius particeps fuerit. Sic Augustinus: Iecirco & apostolus non dicit, indignos edere iudicium, quia oraliter manducant corpus Domini, sed quia non discernant corpus Domini. Itaque si indigne manducans panem, edit sibi iudicium, non edit ipsum Christi corpus. Hoc enim qui edit, non iudicium, sed vitam & salutem edit: sicut in baptismo, qui aqua baptizatur ad iudicium, vt Simon magus, is non baptizatur sanguine Christi. Hoc enim qui baptizatur, liberatur à iudicio.

XV. Quartum argumentum: Qui indigne sumunt, rei sunt, non panis; sed corporis Christi contumelia affecti. Ergo non panem tantum, sed corpus etiam Christi ab eis manducari oportet. *Resp.* Non sequitur. Nam quia Christus cum pane & vino seipsum, corpusque suum & sanguinem nobis offert: ideo externis signis, & corporis atque sanguinis sacramento non recte videntes, in ipsum quoque corpus & sanguinem Christi, adeoque ipsum Christum peccant, & iniuria sacris symbolis illata, in ipsum Christum redundat: quemadmodum qui Imperatoris aut regis statuam euertit, coronam ipsius & sceptrum in lutum proicit, diplomata regia cum suis sigillis luto conspurcat, disperdit, aut pedibus conculcat, non in statuæ saxum, aurum & argentum, non in membranas & ceram, sed in ipsum Imperatorem aut regem peccat, & læsæ maiestatis crimen committit, contemptu & inobedientia: & quemadmodum Adam & Eva lapsu suo, non in fructum arboris, de quo comederunt, sed in ipsam Dei maiestatem peccarunt. Ita sponsa arrham sponsi sui abiiciens & respiciens, sponsum ipsum abiicit & respicit. Impii equidem sanguinem Christi pedibus conculcare dicuntur, *Hebr. 10. 29*. Id quod minime corporis pedibus fit, sed infidelitate, contemptu, & persecutione euangelii, per quod Filius Dei, sanguis fœderis ipsius, & Spiritus gratiæ ipsis offertur. Ita qui sacramenta impio atque indigno vsu profanant, non in panem & vinum, sed in illorum auctorem atque institutorem, Christum, iniuriis sunt; & dona illa, quæ hic eis repræsentantur & offeruntur, Christum videlicet, cum suo merito & efficacia, pedibus quasi conculcant atque polluunt. Cœna enim Domini literarum & sigilli rationem habet, quibus Christus, cum corpore & sanguine suo, omnibusque beneficiis obsequatur. Qui ergo infideli & impuro corde accedunt, signaque hæc sacra ad se rapiunt, in Christum ipsum, auctorem & antitypon, grauiter peccant. Fiunt enim rei corporis & sanguinis Domini. Reus vero est, qui accusatur. Qui ergo contra Christi mandatum, sacramentum, discipulis tantum Christi, hoc est, fidelibus & pœnitentibus destinatum, rapiunt & contaminant, corde, manu, & ore impuris, maximi & enormis peccati à Spiritu sancto rei accusantur. 2. His adde, quod non quisquis manducando reus fit, id ipsam manducat, cuius reus fit. Nam Iudæi, Christum crucifigentes, rei facti sunt corporis Christi, seu ipsius Christi, ipsumque contumelia affecerunt. Neque tamen propterea corpus ipsius ab eis manducatum est. Sic idolothytis vescentes communicant demonibus; neque tamen ideo demonia manducant. Reus igitur impiorum in cœna Domini non est manducatio Christi, sed manducatio panis sacri sine Christo; & quod Christus communionem corporis sui ipsi per panem hunc exhibet ac offert: ipsi vero tantum donum infidelitate & ingratitude horribili contemunt. Sic impune non abeunt Palæstini, quod arcam fœderis, præsentia Dei sacramentum, in Dagonis sui templo collocauerant: & Deus iniuriam huic sacramento illatam, sibi ipsi illatam reputat, & ideo illos seuerè punit. *Sam. 5*.

XVI. Quinto: Si panis & corpus Christi sunt vnum vniuersale sacramentum, hypocrisis simul sumunt ore suo hæc duo. *Resp.* Nulla est consequentia. Nam vniuersale sacramentum non consistit in occultatione rei in signo, aut in eodem rei & signi perceptionis modo: sed in hisce duobus. 1. in analogia signi & signati. 2. in coniuncta perceptione vtriusque in legitimo vsu. Simul enim in vsu instituto percipiuntur, at non similiter: sed signa, corporis membris & sensibus; res autem, vera in Christum fide, per quam habitat Christus in cordibus nostris, & ea purificat & viuificat.

XVII. Sexto: Si hypocrisis credunt vera esse ista verba, *Hoc est corpus meum*, vti que ex vestra hypothesis manducant corpus Christi. Sed credunt. Ergo *Resp.* A ista fides non est saluifica. Postulatur autem in probatione sui, & legitima vsurpatione huius mysterii, vt homo credat huic promissioni Christi: Qui manducans panem hunc, id credit, quod ego per hunc panem ipsi significo, offero & promitto, is vescitur corpore meo ad vitam æternam. Quæ est fides saluifica: quam non habent hypocrisis.

XVIII. Septimo: Nulla potest adferri ratio, cur impii fiant rei corporis Christi, si non sunt rei manducando. *Resp.* Imo potest. Nam modus ille, quo panis est corpus Christi, est in causa, quare manducans indigne, non corpus, sed panem hunc, reus fiat corporis Christi contumelia affecti. Modus ille est, quo memoriale est res memorata, seu, quo panis est corpus Christi sacramentaliter. Quam in sententiam satis multa diximus in superioribus.

XIX. Octauo: Si finis sumtionis est, vna cum pane recipere corpus Christi, hypocrisis sumunt vtrumque. *Resp.* Finis sumtionis symbolorum, visibilium est confirmatio fidei, & gratiarum actio, de tradito pro nobis; & in cibum vitæ communicato nobis corpore Christi, adeoque sumtio seu manducatio corporis Christi per fidem. Itaque finis sumtionis panis non est receptio corporis Christi in pane in ora & corpora piorum & impiorum.

XX. Nonum argumentum est Claudii Xaintis. Si corpus tantum spiritualiter ederetur in cœna, frustra requiretur probatio sui ipsius: quia nemo posset illud nisi digne, fide videlicet præditus, manducare. At apostolus probationem & diiudicationem, requirit, proposito grauissimo aduersus indigne accedentes iudicio. Ergo alium esum præter illum spirituales requirit, corporalem videlicet, ad quem oportet vnumquemque sese per illum spirituales disponere ac præparare, vt iram Domini ex indigno videlicet Christi corporis esu conciliatam, vitare possit. Denique si spiritualiter duntaxat edi potest Christi corpus, si fides defuerit, aut vires suas non obierit, non iam indigna erit manducatio corporis, sed nulla. *Resp.* 1. Tota hæc argumentatio

tatio nititur falsa hypothefi; qua præfupponitur, *Edere indignè panem bene*, idem valere atque, *Edere ipsum calicem corpus Domini*. Sed id falsum esse, constat ex superioribus. 2. Qui fide caret, non edunt corpus Domini, nisi sacramentaliter, & ideo rei fiunt. 3. Nulla est manducatio corporis Christi, si aliquis non sit præditus fide, & nihilominus tamen est indigna manducatio: quia sacramentum indigne manducatur & vifurpatur. 4. Etiam si sola fide corpus Domini editur, non tamen confequitur, digne femper edi a fide præditis, ac proinde fuperuacaneam esse apostoli doctrinam de fui ipsius probatione, & inanem illam grauiſſimi reatus denuntiationem. Nam qui ipſam quoque rem ſacramenti, fideli quidem, at non ita vt decuit comparato animo percipit, grauem penam meretur: non quod accipiat corpus Domini, ſed quia non adfert eam deuotionem quam debebat.

XXI. *Decimum argumentum* eſt eiſdem Xaintis. Multo minus peccat, qui Chriſtum repellit, quam qui indigne recipit. Ergo minus peccant infideles, qui rei fiunt corporis Chriſti reiecti, quam fideles non ſatis recte præparati, qui fiunt rei corporis Chriſti accepti, ex hypothefi Caluiniftarum. *Reſp.* Negatur antecedens: quia repellere Chriſtum, eſt ipſum contemnere: at indigne recipere, eſt aliqua infirmitate laborare. Itaque argumentum hoc non procedit: quia hic non agimus de iis, qui Chriſtum fide temporaria exceperunt, & vix in ipſum veſtibus intromiſſum repellunt, ad vomitum reuerſi: verum de iis, qui vera fide præditi, domum ipſam vſque, at non ita vt fieri potuit & debuit ornam, Chriſtum admittunt, & poſtea caſtigati diuinitus, agnito errore, domi retentum colunt & obſeruant. Itaque non inſiciamur iſtud *θεοῦ ὄφρα*, turpius eiici quam non admitti hoſpitem.

XXII. *Vndecimo*, idem Xaintes ita ratiocinatur. Apoſtolus condemnationi addicit indigne manducantes, vt grauiſſimum hoc ſcelus eſſe oporteat. At non eſt grauiſſimum ſcelus, panem nudum manducare. Deinde hoc idem liquet ex eo, quod tam anxie de præparatione verba facit, qualis neque ad agni paſchalis, neque ad panem propoſitionis eſum requirebatur. *Reſp.* 1. Cur hoc ſcelus ſit grauiſſimum, ſupra ſuſe a nobis indicatum eſt: quia ſi quis infidelis accedat ad hoc epulum, ludificatur Deus, & profanum ducit ſanguinem fœderis. 2. Non mirum eſt, quo propius & euidentius rex noſter, Ieſus Chriſtus, ipſe nobis ſeſe patefacit, eo expreſſius moneri ſubditis, vt digne principem ſuum excipiant. 3. Anxia illæ immundorum ad ſacrificia accedentium purificationes externæ, fuerunt totidem vehementiſſimæ, ipſiſque externis ſenſibus repræſentatæ eius ipſius probationis, pœnitentiæ ac fidei conſonæ, quas ad legitimum cœnæ vſum requirit apoſtolus. *Quid?* Illæ increpationes aduerſus incircumciſos corde, illa horrenda fulmina toties aduerſus eos contorta, qui ad ſacrificia impuris animis accederent vanane fuerunt terribiliora? Annon illa filios Aaronis deuorans flamma, annon illa Oziam feriens dextera Altiffimi, quod arcam præcipitem ipſe ad hoc non ſanctificatus fulcire tentaret, ſatis demonſtrant, patres non minore quam nos religione accedere ad ſuos ritus ſacramentales iuſſos fuiſſe? *Quid* quod ſub Ezechia agnum paſchæ a non ſanctificatis comefum iuſſem proſus pœnis, morbis videlicet, vltus Dominus dicitur. *Paral.* 30. v. 18. 20. quibus aduerſus Corinthios vſum teſtatur apoſtolus?

XXIII. *Duodecimum* argumentum, ex Claudio noſtro, ita habet. Eſt qui purpuram regis aut imaginem violat, reus alicuius culpæ agit quæ ad regem referatur: non tamen ei fuerit æquandus, qui in ipſum regem manus iniiecit, aut alioqui maieltatem ipſam læſerit. Num etiam Iudæi, ſi duntaxat nudam figuram corporis Chriſti in crucem ſuſtuliffent, tot pœnarum rei agerentur, quot nunc aguntur, ex eo quod verum & ſubſtantiale Chriſti corpus tam in dignis modis excruciarunt? Nemo quoque vnquam dixit, immediana manna manducatione, aut panum propoſitionis, corpus Chriſti violatum, aut interfecti Chriſti crimen a Iudæis admiſſum, & damnationem certiffimam inde ſecutam. At Paulus indigne Euchariftia vtentes, ſtatim æternæ morti obnoxios pronuntiat, & illorum peccato & damnationi exæquat, qui Chriſtum ipſum vitæ & ſacramentorum auctorem nefarie crucidarunt, & contumelia atque irreuerentia aſſecerunt. Itaque Euchariftiam apertiffime diſtinguit apoſtolus a puris ſignis & ſymbolis corporis & ſanguinis Chriſti. *Reſp.* 1. Diſſimilitudo eſt in exemplis. Etenim purpura regis conculcari, & ipſe rex in faciem eadē aut conſpui poteſt. At corpus Chriſti corporaliter edi non poteſt ab vilo homine, eſt ſacramentum corporis eius edi poteſt. 2. Omne peccatum eſt dignum morte æterna, Ergo ſi quis Chriſtum nobis loquutum, & pro nobis paſſum, vilo modo in verbo vel ſacramentis contemnit, ita Dei ſit obnoxius. 3. Vtrinque capitalis pœna ſtatuitur, eſt peccet grauius qui regem ipſum, quam qui eius imaginem violat. Ita & hic, eſt grauius peccatum Iudæi crucifigentes Chriſtum, quam qui panem hunc ſacrum indigne tractant, vtrinque eſt pœna eadem, mors æterna, eſt illa in filiis Dei non inuenit locum. 4. Qui infideles ſunt, & accedunt ad hoc epulum, ſpiritualiter Chriſtum crucifigunt. 5. Apoſtolus proprie & ex profeſſo non agit de pœna mortis æternæ, ſed de caſtigationibus filiorum Dei. 6. Contemptor circumciſionis, aut impurus accedens ad ſacra, exterminatur ex populis ſuis: qui ſabbatum violauit, iubetur lapidari: & huiusmodi terribiles minas horrenda iudicia ſunt ſubſecuta. Quanto maiores igitur pœnas merentur nouorum ſacramentorum contemtores, quæ tot modis præſtare veteribus, & in quibus ipſemet Chriſtus, non iam venturus, ſed exhibitus, cum omnibus beneficiis quaſi oculis ipſis conſpiciendum, & quaſi manibus palpandum ſe præbet? Quæ quidem ratione argumentatur apoſtolus *Heb.* 2. v. 2. c. 10. v. 28. Itaque ſacramentorum contemtores ferit quoque iſtud tonitru, *Qui non crediderit, condemnabitur.*

XXIV. *Tertium & decimum* argumentum, ex eodem Xainte, ſic habet. Sicut non ſignum carnis & ſanguinis, ſed caro ipſa & ſanguis conferunt vitam, ita quoque non ſignum ipſum indigne ſumptum parit mortem, ſed ipſa caro & ſanguis, id eſt, Chriſtus ipſe & corpus eius aliis cedunt in vitam, aliis in mortem; aliis in reſurrectionem, aliis in ruinam: propter variam manducantium diſpoſitionem. *Reſpond.* primum. In vſurpatione indigna ſignorum ſacramentalium duplex reatus contrahitur: vnus videlicet & præcipuus relate ex rerum ſignificatarum contemptu, tanto maior, quanto pretioſiores ſunt illæ: alter vero abſolute ex eo, quod ſacra ſymbola, ſacro vſui diuina inſtitutione deſtinata, aliter quam deceat, tractentur. Cum autem vterque hic contemptus in Deum ipſum directe tendat, merito ſigna iſta indigne vſurpata accerſunt iram Dei. 2. Vt euangelium eſt odor vitæ ad vitam ſua natura, odor mortis ad mortem, vitio hominum: ita Chriſtus ſua na-

tura, eſt odor vitæ, & nunquam niſi ad vitam percipitur: at vitio hominum accidit, vt ipſius reiectio & contemptus, non autem perceptio, ſit cauſa mortis. Itaque falſum eſt, vt vitam, ita quoque mortem a Chriſto percepto poſſe emanare.

XXV. *Decimum quartum*, & poſtremum argumentum, colligitur a ſententias Patrum, hoc modo. *Auguſtinus lib.* 1. *de ciuitate Dei* c. 20. *tom.* 7. *air.* 3. *cap.* 1. ut Iudas, non malum accipiendo, ſed male, id eſt, in ſymbolo præbuit: indigne quiſque ſumens Dominicum ſacramentum non efficit, vt quis malus eſt, malum ſit, aut quia non ad ſalutem accipit, nihil accipit: eſt enim Domini, & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dabat Apoſtolus, *Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat*. *contra Creſconium cap.* 2. *Quid* de ipſo corpore & ſanguine Domini, vnicui ſacrificio pro ſalute noſtra, quamuis ipſe Dominus dicat: *Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habet in ſe vitam: nonne idem Apoſtolus docet, etiam hoc pernicioſum male vtentibus fieri, cum ait: Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini?* *Idem epiſt.* 120. *ad Honoratum*, c. 27. Et ipſi adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius: ſed adorant tantum, non etiam ſaturantur, quia non imitantur. *Idem epiſt.* 162. Tolerat ipſe Dominus Iudam, diabolum, furem, & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerunt pretium noſtrum. *Cyprianus ſerm.* de cœna Domini: *Vbi ſacramentum mens perſida tetigit, & in os ſceleratum panis ſanctificatus intrauit. Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius, & Theodoretus in c. 11. prima ad Cor.* in eo ponunt peccatum, de quo loquitur Apoſtolus, quod immundi ac ſordidi puriſſimum Domini corpus ſumere audeamus. *Et Chryſoſtomus* quidem addit exemplum de eo, qui purpuram regiam in lutum abiicit, qui non minus peccare cenſetur, quam ſi eam ſcinderet, *Theophylactus* ponit exemplum de luce ſolis, quæ oculis agris non, non quia non videtur, ſed quia nimalux offendit debiles, & infirmos oculos. *Oecumenius* comparat indigne communicantes cum iis, qui Chriſtum crucifixerunt: qui certe non ſolum peccarunt, quia Chriſtum, vt Deum non receperunt, ſed quia eundem iniuria grauiſſima aſſecerunt. Et hæc quidem adfert Bellarminus. Quibus alii addunt iſta. *Auguſtinus contra Donatiſtas, poſt colloq.* cap. 20. *tom.* 7. *Boni & mali ſimul manducant corpus & ſanguinem Domini, ſed cum magna diſtinctione: iſti in miſericordiam, illi in iudicium.* *Idem lib.* 3. *de baptiſmo cap.* 14. Non intereſt, cum de ſacramenti integritate & ſanctificatione tractatur, quid credat, vel quali fide imbutus ſit ille, qui accipit ſacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad ſacramenti quaſtione nihil intereſt. Fieri enim poteſt, vt homo integrum habeat ſacramentum, & peruerſam fidem. *Idem contra Fulgentium*, cap. 6. Iudas proditor bonum corpus percepit, ſed bono bene non eſt vſus. Ideo malus male vtendo deleſtus eſt.

XXVI. Diſtincte reſpondemus. 1. Cum Patres aiunt & negant corpus Chriſti manducari ab impiis, neque inter ſe pugnant. Editur enim Chriſtus ore & ab impiis, ſcilicet ſacramentaliter, in ſacramento: non editur ore nec ab impiis, ſcilicet reuera, in ipſa veritate. Quod autem Bellarminus excipit ad hanc ſolutionem, ſo ſacramentaliter tantum, ſiue quod Auguſtinus dicit, in ſigno viſibili tantum, non excludere corpus Chriſti, ſed effectum corporis Chriſti: id ineptum eſt. Nam corpus Chriſti a ſuis effectis non poteſt ſeparari, ita vt quicumque corpus Chriſti ſumit, etiam percipiat ipſius effecta. Id enim Scriptura docet, Patresque diſerte tradunt, quando dicunt, corpus Chriſti non poſſe ſumi ad exitum. 2. Similitudo Chryſoſtomi de purpura fauet noſtræ ſententiæ. Nam purpura, & non rex abiicitur in lutum, aut ſcinditur. 3. Similitudo Theophylacti non eſt extendenda vltra tertium comparationis, & proprietatem rerum comparatarum. Non enim vt ſol perſtringit radiis ſuis oculos firmos & infirmos: ita Chriſtus manducatur a credentibus & incredulis. Sed vt ſol oculos firmos illuſtrat ſua natura, ita Chriſtus perceptus a piis illos illuminat & reficit. Rurſus vt ſol non eſt oculis infirmis, vitio ipſorum: ita Chriſtus in ſacramento oblatas, ſed repudiatas, nocet repudiantibus. 4. Oecumenius adducit ſimile, non idem, hoc modo. Sicut Iudæi crucifixerunt Chriſtum, manibus ſcleratorum ipſum tradendo: ita infideles, profanando ſacramentum, crucifigunt ipſum ſpiritualiter. 5. Quo ſenſu Auguſtinus dicat, Panem etiam indigne communicantibus eſſe corpus Chriſti; & etiam peruerſam fidem habentes, poſſe integrum habere ſacramentum: id ſupra declaratum eſt, & ab ipſo Auguſtino ſatis declaratur, in loco hic citato, cum addit, ſic infidelem habere integrum ſacramentum, ſicut habet integrum euangelium, ſymbolum, verbum Dei, hoc eſt ex parte Dei, offerentis in verbo & ſacramentis res vnâ cum ſignis, & iubentis vtrumque ſimul accipi: ſed non ex parte infidelium, qui verba audientes, & ſymbola videntes & vſurpantes, ea quæ vtriſque verbis, inquam, & ſignis, ſignificantur & promittuntur credentibus, fide non accipiunt. Non quidem poſſunt impij ſua infidelitate quidquam de autoritate & veritate verborum & ſacramentorum diuinarum detrahare; ſed poſſunt tamen ſeipſos ſpoliare bonis cœleſtibus, quæ in verbo & ſacramentis ipſis a Deo offeruntur, & efficere, vt euangelium & ſacramenta, quæ ſunt potentia Dei ad ſalutem, & odor vitæ ad vitam omni credenti, ipſi ſint, non tantum inanis ſonitus & inane ſpectaculum, aures & oculos feriens, ſed etiam occaſio iudicii, & odor mortis ad mortem.

CAPVT V.

De Chriſti præſentia in Euchariftia, ſententia Catholicorum probatur & vindicatur.

Hoc argumentum ex noſtris egregie tractarunt, *Petrus Martyr de Euchariftia*, *Iuſellus aduerſus Hardingum*, *Zacharias Verſinus in Conſideratione Commoneſactionis*, *Antonius Sadeel & Fortunatus Crellius*, vterque contra *Gregorium de Valentia*; *Iohannes Angelus Politiannus contra Bellarminum*, & *Andreas Volanus libris tribus*: ex aduerſariis copioſe *Gregorius de Valentia aduerſus Fortunatum Crellium*, *Claudius de Xaintes de exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariftia*, *Robertus Bellarminus lib.* 1. 2. & 3. *de Euchariftia*, *Martinus Becanus de triplici cœna*, & in *Manuali conſtructoriarum*.

II. Ita autem docemus de præsentia Christi in hoc sacramento, ut eam non corporalem, sed mysticam, eamque simul Spiritualem & sacramentalem, statuamus, ideoque ex Confessione Basiliensi, artic. 6. *Confitemur Christum in sacra cœna omnibus vere credentibus præsentem esse: sacramentaliter nimirum, & per memoriam fidei.* Et ex Confessione Heluetica posteriore, cap. 21. dicimus, *Non est absens Ecclesie sua celebranti cœnam Dominus. Sol, absens à nobis in cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis: quanto magis sol iustitia Christus corpore absens in cœlo, præsens est nobis, non corporaliter quidem, sed Spiritu aliter per viuificam operationem, & ut ipse se nobis præsentem futurum exposuit, in ultima cœna Iohan. 14. v. 15. 16. Unde consequens est, nos non habere cœnam sine Christo, interim tamen habere cœnam incremmentam & mysticam, sicuti uniuersa nuncupauit uetus.*

III. Hæc sententia Primo est probanda, deinde vindicanda. Probatur autem triplici argumentorum genere: puta dictis Scripturæ, testimonio veterum, & recta ratione. Quas classes antequam decurramus, operæ pretium fuerit, præmittere explicationem quarundam phrasium: quid nempe sit manducatio, unio, & præsentia corporis Christi sacramentalis & Spirituallis. Nam explicatio ista & collatio multum lucis adferet toti huic tractationi. *Manducatio sacramentalis* est corporalis, oralis, externa & visibilis, quæ proprie est sacramenti, hoc est, panis Domini, metonymice corporis Christi. *Manducatio Spirituallis*, realis, per fidem, interna, & inuisibilis, est rei signata, hoc est ipsius carnis Christi tantum. Sic discernit sacramentalem & Spiritualem manducationem corporis Christi *Augustinus de verbis apost. Ierem. 2.* Illud manducate, refici est. Sed si reficeris, ut non deficiat, unde reficeris. Illud bibere quid est? Mihi viuere. Manduca vitam: Bibe vitam: Habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem id erit, hoc est, vita unicuique erit corpus & sanguis Domini, si quæ in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate Spiritu aliter manducetur, Spiritu aliter bibatur. *Unio sacramentalis*, siue pactionalis, est in analogia signi ad signatum: *Spirituallis*, in coniuncta perceptione utriusque in legitimo vsu, per fidem. Et ita quidem stricte dicitur unio sacramentalis. Alias late complectitur utrumque istud, quod diximus, videlicet analogiam signi & signati, & coniunctam perceptionem utriusque in legitimo vsu. *Præsentia corporis Christi sacramentalis* siue symbolica est, quæ corpus Christi reatiue & gratiose dicitur esse præsens in eucharistia, quia panis est sacramentum corporis. Itaque hæc duo, panis & corpus Christi sunt præsentia tanquam signum & signatum *Agustinus de verbis apost. Ierem. 2.* *Præsentia Spirituallis corporis Christi* est, quæ corpus ipsius mediante Spiritu Christi fidelibus est præsens, præsentia energetica & gratiosa: quæ competit Christo secundum veramque naturam, est in eodem modo secundum veramque naturam. Hæc mystica, gratiosa, & efficax præsentia, ut in toto ministerio, ita nominatim in Eucharistia stabilitur hoc modo.

IV. *Argumenta, quæ ex Scripturis petimus*, pro gratiosa corporis Christi præsentia in Eucharistia, contra corporalem præsentiam eiusdem, reuocamus ad nouem classes. Et primo quidem argumentamur ex articulo fidei de ascensione Christi in cœlum hunc in modum. Corpus existens in cœlo, non simul sua substantia potest in terris existere. Corpus Christi est ibi post ascensionem, donec redeat, *Marc. 16. Act. 1.* Ergo non est substantia sua præsens in pane Eucharistia. Rursus: Qui sursum seu superne est, sedens ad dextram Dei, non est corporaliter in pane Eucharistia. Christus sursum est, sedens ad dextram Dei suo corpore, *Coloss. 3.* Ergo non est corporaliter, seu substantia corporis sui in pane Eucharistia. Ad hæc: Christum oportet cœlo capi, vsque ad temporæ restitutionis omnium. *Act. 3.* Ergo Christus corpore suo ante illud tempus ordinariæ non est in terris. Præterea: Corpus sedens ad dextram Dei in excelsis, non est simul substantia sua præsens in terra. Corpus Christi sedet ad dextram maiestatis in cœlis. *Eph. 1. Hebr. 1. 1. Pet. 3. Act. 7.* Ergo non simul in terra existit. Denique: Qui corpore suo reliquit mundum, & in eo non est, is non est substantialiter præsens corpore in terris. Christus corpore mundum reliquit. *Matth. 26. Iohan. 16.* Ergo non est substantialiter præsens corpore in terris, ideoque nec in pane Eucharistia. Quare si credimus Christum, postquam pro nobis mortuus ac resuscitatus fuit, in cœlos vere & localiter ascendisse, ita ut hunc mundum inferiorem corpore suo vere deseruerit, nec iam amplius corporaliter nobis in his terris adsit; etiam nobis credendum est, ipsius corpus sub speciebus Eucharistia corporaliter non latere; nisi articulum istum ascensionis Christi, prorsus abnegare velimus.

V. *Secunda classis* continet argumenta ex illis Scripturæ locis, quæ adstruunt *veritatem humanæ naturæ Christi*: hoc est, quæ docent, Christum Dei Filium, ex Maria virgine verum hominem esse natum, qui nobis sit per omnia similis factus excepto peccato, *Heb. 2. & 4.* & ipsum verum hominem deinceps in æternum mansurum, qui gloriam quidem cœlestem acceperit, sed naturæ veritatem non deposuerit, nec vnquam depositurus sit, prout ipse statim a resurrectione, saltem ex parte, manifeste restatus est, *Luc. 24. & Ioh. 20.* Videte, & palpare me: denique ipsum nunquam corporaliter simul diuersis in locis, sed semper in vno proprio, siue adæquato loco fuisse. *Ioh. 6.* Testis ibi non erat. c. 11. Gaudeo, quod ibi non fuero. *Matth. 28.* Surrexit, non est hic. Falsum igitur est, Christum corporaliter in cœlo simul & terra adesse: imo in omnibus iis locis simul adesse, vbi Species sacramenti sunt: quia per hoc veritas humanæ naturæ necessario tolleretur; & iam non vnum, vere finitum, ac circumscriptum, sed multa, imo fere infinita, corpora, eidem tribuerentur.

VI. *Tertio* argumentamur à *natura sacramentorum*, seu à genere Eucharistia proprio, quod est sacramentum. In omnibus enim sacramentis vsitatum est, ut res significata non substantialiter in ipsis signis deliteat, sed per eorum tantum significatur, obsignentur, & exhibentur in vsu legitimo. Quæ etiam causa est, quod nomina rerum significatarum tribuantur ipsis signis, per metonymiam sacramentalem: ut quando circumcisio appellatur fœdus Dei, *Gen. 17.* agnus dicitur pascha, *Exod. 12.* sacrificia dicuntur expiare peccata, *baptismus saluare* & c. Ergo & in hoc sacramento res ita se habet: & consequenter verba Domini, *Hoc est corpus meum*, per eundem tropum sacramentalem similiter explicanda sunt: quem videlicet, ipsi etiam Apostoli, vel ex solo ritu agni paschalis, & phrasibus de illo sæpius vsurpatis, *Matth. 26.* satis intelligebant. Vnde porro efficitur, ex verbis illis non corporalem, sed gratiosam corporis Christi præsentiam in Eucharistia concludi.

VII. *Quartum* argumentorum genus petitur ex *circumstantiis primæ cœnæ*, seu primæ Institutionis huius sacramenti: Omnes enim circumstantiæ huius

sacra Institutionis, prout *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11.* describitur; euidenter ostendunt, Christum sub speciebus huius sacramenti corporaliter tunc non latuisse; ac proinde nunc etiam sub iisdem non contineri. Tales autem circumstantiæ hic sunt: accubitus Christi visibilis, in eadem mensa, & perpetuus sermo cum discipulis: scopus eiusdem, instituentis hunc ritum, ut esset memoriale passionis futuræ: panis & vini præparatio ad sacræ vsu: panis vera factio, & vini fusio: Apostolorum silentium, & verbörium Christi simplex approbatio: Christi etiam ipsius actiua manducatio & c. Quis enim credat, eundem Christum in mensa visibiliter cū Apostolis sedisse, ac locutum fuisse; & simul inuisibiliter sub speciebus, illis mutum delituisse: Item viuum & integrum illic suo loco mansisse, & tamen, panem frangendo, suum ipsius corpus fregisse? Item, vinum fundendo, suum ipsius sanguinem fudisse? Item, semetipsum corporaliter comedisse, ac bibisse? Itæ Apostolos ad hæc tam mira & stupenda, prorsus tacituros fuisse?

VIII. *Quintum* argumentorum genus quod Scripturæ suppeditant, sumitur à *coherentia sententiarum* in formula Institutionis. Nā ex antecedentium & consequentium collatione constat, omnino quandā *ἀνάμνησις*, seu cōmemoratio mortis Dominicæ, non autē corporale aliquā Christi præsentiam sanciri: Christus enim ait, *Hoc facite in mei commemorationem.* Et Apostolus, *Annuntiate mortem Domini, donec veniat.* Nulla enim vera *ἀνάμνησις* est eius, qui corporaliter adest.

IX. *Sexto*, argumentamur ab *indignitate rei*. Retera enim indignum esse cœlesti Christi conditione, hoc est, immortalitate & gloria ipsum Christum corporaliter in terris adhuc versari. Sic enim reuera non esset sacerdos noster, *Heb. 4. & 7. & 8. & 9.* Imo Christus etiam cibo corruptibilis similis esset, qui nihil ad salutem iuuare posset sacramentaliter, id est, corporaliter in pane manducatus. Et vere pii ab impiis, in sacramentali perceptione Christi nihil differunt. Quæ omnia certe sunt valde absurda.

X. *Septimo*: Christus præsentiam corporalem pure & simpliciter ut inutilem reicit alioquoties, *Ioh. 14. & 16.* E contrario præsentiam suam gratiosam, tanquam nobis longe vtilissimam, pollicetur, *Matth. 18. & 28.* Et quia corpore discessit à suis, substituit vicariū loco suo, videl. Spiritū sanctū, *Ioh. 16.*

XI. *Octauo*: Qui corpore vteretur est visibilis & circumscriptus de cœlo in nubes, nunc non est in terris inuisibilis & incircūscriptus corpore. Christus corpore suo visibilis & circumscriptus venturus & descensus est de cœlo in nubes, ad iudicandum viuos & mortuos, *1. Cor. 15. Act. 1. 1. Thess. 4. 2. Thess. 1. Matth. 24. & 26.* Ergo non est ante id tempus in terris corpore suo inuisibilis & incircūscriptus.

XII. *Nono* & *ultimo*, Christus monet *Matth. 24.* dicentibus, post ascensionem suā in cœlū, Ecce hic Christus, aut hic (nepe certo aliquo loco in terris) non esse credendū, Dicentes eū in pane existere substantialiter, monstrat Christum post ascensionem ipsius certo loco in terris. Ergo non est illis credendum.

XIII. Atque hæc sunt argumenta ex Scripturis desumpta contra corporalem Christi præsentiam in Eucharistia. Vnde absq; vlllo labore cōcluditur gratiosa ipsius præsentia. Nā euerfa corporali, remanet gratiosa. Sequuntur *testimonia Patrum*, quæ multa sunt. Nos erimus cōtenti sequentibus, *Cyprianus in serm. de Chri. mat.* Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimū cū Apostolis participauit cōnuuiū, propriis manib. panē & vinū, in cruce verō manibus militū corpore dedit vulnerandū. *Trenaus lib. 4. c. 34.* Est altare in cœlis. *Ambrosius de offic. 1. 4. c. 48.* Hic Christus in imagine offertur: illic vero in cœlo in veritate, vbi apud Patrē pro nobis quasi Aduocatus interuenit. Ascende ergo, o homo, in cœlū, & videbis ea quorū vmbra hic erat vel imago. *Idem lib. 10. in Leuit. c. 24.* Paulus nos docuit, quomodo te sequamur, & vbi te reperire possimus, dicens: Si ergo cōsurrexistis cū Christo, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est ad dextrā Dei sedens. Et ne oculorum magis hoc quam animorū putaremus officium, addidit, Quæ sursum sunt, sapite, & non quæ super terram. Ergo non supra terrā, nec in terra, nec secundū carnē te querere debemus, si volumus inuenire. *Chrysostomus homil. 24. in Corinth. Quotquot huius corporis participes efficiamur, & quotquot sanguinē eius degultamus, cogitare debemus, quod illum sursum sedentē qui ab angelis adoratur, hūc degultamus.* *Idem homil. 60. ad populum Antioch.* Quæ sursum sunt, inquit Paulus, sapite: vbi Christus est ad dextrā Dei sedens & c. Ascende igitur ad cœli portas, imo cœli colorū, & tunc quæ dicimus intueberis. *Idem homil. 11. operis imperfecti in c. 5. Matth. dicit, in sanctis vasis non esse verum corpus Christi, sed tantum eius mysteriū contineri.* *Augustinus tract. 30. in Iohan. ut citatur in iure canonico, de consecratione dist. 2. cap. Prima:* Donec seculū finiatur, sursum est Dominus: Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse oportet: veritas autem eius vbi que diffusa est. *Idem epist. 57. ad Dardanum:* Christum vbi que totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli propter veri corporis modum. *Eusebius Emisenus, ut citatur in iure canonico, de consecratione dist. 2. cap. Quia corpus, quod est 35.* Quia corpus assumptum ablatum erat ab oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis sui consecraret. Porro Patres discretis verbis docent, panem Eucharisticum esse sacramentum, mysterium, symbolum, typum, antitypum, figuram, signum, imaginem, similitudinem, memoriam, recordationem corporis Christi: & quod eodem redit, significare, designare, ostendere, repræsentare corpus Christi. Eodem sensu scribunt verbum Eucharistia esse sanguinem Christi. Vide loca prolixè adnotata in *Symphonia Catholica Polana cap. 17. pag. 365.* Vnde patet, ipsos tropum in verbis Institutionis admisisse, nec proinde corporalem, sed gratiosam præsentiam agnouisse. *Ad hæc* docent, naturam, siue substantiam, & essentiam panis & vini non aboleri: sed gratiam tantum adici: siue vsu & finem signorum, non autem essentiam, per consecrationem mutari. Vide *Theodoret. dialog. 1. c. 2. Gelasium de duabus Christi naturis. Hesychium in Leuit. lib. 1. c. 4. & lib. 2. c. 8. & c.* Ergo corporalem & Papisticam præsentiam non agnouerunt. Denique passim docent, Christum secundum humanam naturam, nunquam tantum in cœlo esse, licet secundum Spiritum, gratiam, & virtutem suam, vbi que nobis semper adsit. Vide in primis *Vigiliū contra Eutychem.* Ergo corporalem Christi præsentiam in terra non crediderunt. Sic itaque concludimus hanc secundam classem, & veluti nubem testium: Dogma & interpretatio verborum Scripturæ, repugnans toti inde ab Apostolis orthodoxæ antiquitati Ecclesie, non debet recipi. Tale autem est dogma corporalis præsentia Christi in speciebus Eucharistia, Ergo non debet recipi.

XIV. Superest tertia classis, quæ complectitur argumenta rectæ rationis & vniuersalis experientia, hoc modo. Principio Deus neque facere potest, neque alia veritate & ordinatione sua facere potest, vt vnicum Iesu Christi corpus, quod vere humanum, & finitum corpus est, & in æternum tale manet, vno & eodem tempore, in cælo simul & terra, inque omnibus iis locis, vbi sacra cœna celebratur, realiter seu corporaliter adit. Etenim impossibilis est & contradictoria, secumque pugnans, hæc vnius corporis polytopia siue multipræsencia: quia vnum numero corpus necessario circumscriptum & continuum est, hoc est, semper à seipso diuisum; eoque locis diuisis ac discontinis, sine contradictione adesse non potest. Desinde contradictoria est corporum penetratio, quæ ad illam polytopiam palliandam adferri solet: quia omne quantum necessario extensum est, & habet partem extra partem: eoque necesse est singulas partes suo proprio spatio finire, ac circumscribi: quia dimensiones, seu partes à se inuicem vere diuerse, eodem loco coexistere nunquam possunt: nisi ipsas inter se commiscere velimus. Tertio essentia corporis veri, etiam generalissime accepti, ne cogitatione quidem potest, absque dimensua quantitate; item absque situ, figura, & extensione partium: neque hæc vel esse vel intelligi possunt absque circumscriptiua & locali præsencia: neque hæc rursus absque loci adæquatæ occupatione: cum posterius horum à priori, tanquam effectum proprium ex propria causa, necessario perpetuoque dependeat. Quæ de re vniuersalis experientia, imo communis sensus & consensus omnium gentium, præter euidenter rationem, ex ipsis rerum propositarum definitionibus extractam, manifeste nobis attestantur. Quarto, si corpus Christi est simul in pluribus locis, aut est in omnibus illis locis eodem modo, aut non. Si non est eodem modo, sequitur contradictio. Sic enim vnius eiusdemque corporis præsencia præsencia repugnaret, & aliter esset in locis, quam in loco. Pluralitas autem nihil est aliud, quam vnitates aggregatæ. Sin autem corpus Christi est in omnibus locis eodem modo, & verum est quod isti dicunt de corporali præsencia: ergo corpus Christi nusquam est visibile, siueque dimensionibus circumscriptum, & sua forma præditum, hoc est, vno verbo: Ergo nusquam est verum corpus. Quinto si corpus Christi latet sub accidentibus panis & vini, non est verum corpus: quia hoc est de essentia veri corporis, vt suas habeat dimensiones. Rursus non est verum corpus humanum: quia hoc est de illius essentia, vt sit organicum. Ad extremum, neque secundum naturam, neque secundum sapientiam & potentiam Dei ordinem, neque secundum physicas, neque secundum hyperphysicas leges, neque secundum huius, neque secundum futuri seculi statum, est, aut esse potest verum corpus, vnum & idem, eodem tempore in diuersis locis. Deus enim nec vult, nec facit, nec promittit, nec velle, aut facere, aut promittere potest vnquam, ordini sapientiam & veritatis suæ contraria: quale est, corpus vnum, imo creaturam vnam, simul in diuersis locis existere, simul finitam & infinitam, circumscriptam & incircumscriptam esse.

XV. Hucusque est primâ pars huius capituli in argumentis contra corporalem præsenciam in Eucharistia, vnde grati ofa præsencia necessario concluditur: sequitur altera, quam polliciti sumus impendere vindicationi & assertioni nostrorum argumentorum. Ea iterum erit bipartita. Primo enim percurramus tres classes eo, quo proposuimus ordine, & varias variorum exceptiones diluamus, in scriptis etiam glossis & effugiis quibusdam vbi-quistarum, propter affinitatem erroris: deinde Becani *φλυσις* diluamus.

XVI. Aduersus ea, quæ ex articulo de ascensione Christi in cælum, adferuntur, est generis aduersariorum exceptio quod Christus visibiliter quidem sit in cælo, inuisibiliter autem in his terris sub speciebus sacrae Cœnæ. Sed exceptio hæc est friuola; quia nec vim istorum testimoniorum declarat, quæ de vero ascensu agunt: & principium non obscure petit, tacite id pro confesso sumens, quod maxime in questione versatur: sicut ex sequentibus plenius constabit.

XVII. Primum nostrum argumentum fuit eiusmodi: Corpus existens in cælo, nõ simul sua substantia potest in terris existere. Corpus Christi est ibi post ascensionem, donec redeat. Ergo non est substantia sua præsens in Eucharistia. Hic aduersarii respondent primo ad maiorem, deinde ad minorem. Ad maiorem quatuor modis. 1. per distinctionem: Corpus in cælo existens non est simul in terris, scilicet modo visibili, & circumscripto, secundum physicas proprietates corporis, eo modo quo ascendit: sed potest tamen simul vtrouque esse, modo supernaturali & diuino. 2. per inficiationem: Ascensio non obstabat præsencia in pane in prima cœna. Ergo neque deinceps eam impedit. 3. *τοῦ μὲν* per inficiationem: quia vt Deus Pater simul est in cælo & in terra, sic etiam Christus. 4. *ἄρσεν* per inficiationem. Nam quia corpus Christi existit in cælo supremo, quod non est locus, ab aliis distinctus, sed est beatitudo, maiestas, sublimitas & virtus diuina, & regnum cœleste, patens per omnia loca potest simul esse in pane. Ad minorem respondet, ascensionem & mansionem Christi in cælo non esse physicam locationem, aut inclusionem corporis ipsius in cælo, sed exaltationem in summam gloriam, maiestatem & potentiam diuinam, & occupationem domini cœli & terræ, & sessionem ad dextram maiestatis & omnipotentiam diuinam. Hanc respon- sionem probant quinque modis. 1. Christus ascendit longe supra omnes cœlos, *Eph 1* & sublimior cœlis factus est, *Hebr 7*. Ergo corpus ipsius non est intra cælum comprehensum. 2. Christus ascendit supra omnes cœlos, vt im- plexerit omnia, *Eph 4*. Ergo simul est in cælo & in Eucharistia. Ascendit enim, vt impleat omnia suis donis: quæ inter etiam est corpus ipsius, quod promissit se nobis dare manducandum in Eucharistia. 3. Ascensio Christi declaratur per colloca- tionem ad dextram Patris, & exaltationem in regno cœli & terræ, ita vt Christus emineat longe super omne imperium & potestatem, & omnia sint subiecta pedibus eius, *Eph 1*. *Hebr 2*. 4. Similes phrasæ sunt *Psal 57*. *Ex 107* Exaltare supra cœlos Deus: super omnem terram gloria tua. *Psal 68*. *Pfallite* in sidere cœlorum. *Iob 11*. Altior est altissimis cœlis. *Et 22*. Annõ Deus est in altitudine cœli: Hæc locutiones significant summam exaltationem, gloriam, maiestatem & potentiam diuinam. Ergo idem significatur, cum Christi humana natura dicitur in cælum ascendisse, & in cælo versari. 5. Puerile & impium est commentum, Christum cælo inclusum esse.

XVIII. Videamus *ἄρσεν* exceptiones & *ἄρσεν* φλυσις ad maiorem 1. Distinctio ista est commentitia, & petit principium. Nusquam enim Scriptura do-

cet, idem corpus, aut eandem rem, siue creatam, siue incretam, simul in vno loco circumscriptam & finitam, & in alio aut multis aliis locis incircumscriptam & interminatam existere. Sunt enim ista contradictoria. Est autem futilissima nugatio, corpus Christi esse in cœlis modo circumscripto & visibili, in cœlis & terris simul modo supernaturali & diuino. Vt enim diuerfitas modorum tollat contradictionem, necesse est modos illos non esse ipsam affirmationem & negationem eiusdem de eodem. Si enim sic sumantur modi, sophisticus verborum lus est, quo omnes contradictiones conciliari possent, vt si dicas: Nox est tenebrosa, secundum modum tenebrarum, & lucida, secundum modum lucis. Nihil enim differunt hæc esse tenebrosam, & modus essendi tenebrosam: esse lucidam, seu nõ tenebrosam, & modus essendi lucidam, seu nõ tenebrosam. Sic non differunt, esse circumscriptum, & modus corporis naturalis, id est, modus essendi circumscriptum, vel modus visibilis & circumscriptus: esse non circumscriptum, & modus supernaturalis, id est, modus essendi non circumscriptum, vel modus inuisibilis & incircumscriptus. Adde quod iste modus supernaturalis & diuinus est contranaturam corporis & omnis rei creatæ, eamque destruit ac abolet, & cum creatrice, vbi que præsenti deitate confundit. Sed, inquit, Christus tale quippiam de suo corpore dixit: & post ascensionem vero suo corpore se stitit in terris, *Act 23*. *Et 26*. Quod attinet ad primum, Christus non dixit in pane, sed panem suam esse corpus. Deinde posito, sed non concessio, Christum corpore suo fuisse in terris, quando apparuit Paulo: hinc tamen non sequeretur, Ergo simul visibiliter & circumscripte existebat in cælo & in terra. Si enim circumscriptus tunc extitisset in terra, non vtrique fuisset simul substantia corporis in cælo, aut alibi. Non enim idem foret corpus circumscriptum supra in cælo, & infra in terris, quandoquidem alterum alteri non esset continuum. Neque sequeretur: Fuit simul finitum corpus eius in cælo & in terra. Ergo simul aliquo vel aliquibus locis circumscriptum & visibile, aliis autem multis incircumscriptum & inuisibile est, vel esse potest. Plures enim contradictiones implicarentur: Idem corpus esse circumscriptum & non circumscriptum, aspectabile & non aspectabile, in diuersis & iisdem locis. Denique falsum est, corpus Christi post ascensionem extitisse in terra, visibiliter vel inuisibiliter. Hoc enim Scriptura nusquam docet, sed visum esse hominibus in terra existentibus, ipsum interea existens sursum in cælo: vt patet ex historia Stephani. Quid? *Act 16*. *Et 18*. *Et 26*. *Item que 2*. *Cor 12*. dicitur Christus conspectus esse a Paulo per visionem, & quidem in illis ipsis colloquiis, quæ allegantur ab aduersariis. 2. Omnino ascensio futura impediabat existentiam corporis Christi in pane. Non tantum enim corpus, quod iam ascendit, sed etiam corpus ascensurum nõ poterat esse sub speciebus panis & vini: quia quod ea natura est, vt de terra in cælum sursum euehatur, nõ potest esse vno & eodem tempore in multis locis. Et vero corpus Christi hoc modo ascendisset, & non ascendisset: quia illud, quod erat in pane primæ cœnæ non ascendit. Deinde plures possunt esse causæ vnius rei. Ita Christus ante ascensionem corpore suo non erat in prima cœna propter circumscriptionem. Post ascensionem non est corpore suo in cœna propter istam circumscriptionem, & ascensionem. 3. Vtrique Christus est simul in cælo & in terris, æque vt Pater: sed non corpus Christi. Deinde Christus est nobis præsens in cœna, quomodo promissit, Spiritu suo in nobis habitante: carne autem sua in cælo iam existente, per Spiritum in sua & nostra carne habitantem, nobis vnitus. Spiritus enim in nobis existens, vnit nos carni extra nos existenti, longe arctius, efficacius, & felicius, quam si caro Christi intra nos existeret. 4. Cælum beatorum est locus proprie dictus, in quo sunt angeli & beati homines: etsi non est locus conditionibus miseræ huius vitæ obnoxius. Hinc Scriptura cælum beatorum nominat locum: puta locum habitationis Dei, *Reg 8* locum Dei, *Eccl 26* *Mir 1* domum Patris, mansionem, & locum, vbi futuri sunt sancti cum Christo, *Iohan 14*. habitaculum sanctorum, *1 Chron 20* *Asp 12*. Cælus etiam dicitur esse sursum, terra deorsum, *Ier 31* *Deut 4* Sunt autem supra & infra differentia loci. Denique de terra in cælum ascenditur, & de cælo in terram descenditur, *Iud 13* *Luc 2*. *Matth 28*. Sunt autem ascensus & descensus motus locales ad loca opposita.

XIX. *R. sponso ad minorem*, est manifestissima corruptela ac peruersio verbi Dei, quod docet, ascensionem Christi in cœlos esse translationem naturæ ipsius humanæ ex hoc toto visibili mundo in locum eo sublimiorem. Nam Christus dicitur ascendisse in sublime, *Eph 4* receptus sursum in cælum, *Luc 24*. eleuatus, & profectus in cælum, *Act 1*. penetrasse cœlos, *Hebr 4*. Et ipse dicit, se abire, rediturum, relinquere mundum & *Iohan 14*. *Et 16*. Et de hac mutatione loci, tota vetustas intellexit ascensionem; etiam ipsi Scholastici. Hinc *Augustinus tract 102* in *Iohan*. Reliquit mundum corporali discessione. *Ex tract 30*. Corpus Domini, in quo resurrexit, in vno loco esse oportet. Itaque definitio ascensionis Christi ab aduersariis allata, est falsa, & confundit ascensionem cum sessione ad dextram Patris. Neque enim ascensio Christi in cælum est exaltatio in summam gloriam, & sessio ad dextram Patris: quia Christus postquam ascendit in cælum, confedit ad dextram Patris, hoc est, consecutus est supremum suæ dignitatis & gloria gradum, & plenam deitatis suæ, prius in eo latentis, manifestationem, & imperii cœlestis in humana natura usurpationem, *Hebr 1* *Et 8*. Sed iam excutiamus quinque probationes responsionis. 1. Christus ascendit supra omnes cœlos aspectabiles & illis sublimior est factus. Sed idem ascendit in cælum tertium, siue supremum, vt tibi appareat coram Patre. 2. Christus ascendit, vt omnia mēbra Ecclesiæ impleat suo spiritu, & suis donis, secundum promissiones, nõ autem omnia loca panis Eucharistici corpore suo. Hanc interpretationem confirmat contextus, his verbis: *Dedit alios quidem apostolos &c. ad coagmentationem sanctorum* &c. Quatenus ergo corpus ipsius est donum, eatenus etiam præsens est in Eucharistia. Est autem donum spirituale itaque eo modo est præsens: præsens dico in Eucharistia, nõ vero sub specie panis. 3. Exaltatio Christi nõ exponit, quid sit ascensio, sed ad quid, ad quam gloriam, ad quod officium in cælo & de cælo administrandum, in cælum suo corpore ascenderit, nempe, vt gloriosissime ibi imperet omnibus angelis, & illinc seruet ac regat per verbum & Spiritum sanctum Ecclesiam suam in cælo & terris degentem. *Hebr 9*. *1 Petr 3*. Ita ergo discernitur ascensio à causa finali & fructu suo. 4. Maxima dissimilitudine dicitur Deus & corpus Christi ascendere, descendere, venire, comorari, abire, habitare alicubi. Hæc. n. de Deo dicuntur improprie, de corpore Christi, propriissime. Sed, inquit, dictis de exaltatione Christi, confirmatur præsencia corporis eius in cœna promissa. Verum est: sed eo sensu, quem

Scriptura indicat. Quia enim Christus ad dextram Patris sedens, effundit in fideles Spiritum sanctum, ideo ipsos corporis sui membra facit, in Eucharistia & extra eam. 5. Non sequitur: Christus non est corpore suo in cælo & terra simul. Ergo conclusus & captivus est in cælo. Nam quia Christus est corpore suo in cælo, tanquam in palatio, ubi incomprehensibiles, in omnes partes lætitarum campi patent, quis dicit ipsum ibi esse inclusum carceri? Sic animæ & corpora beatorum non possunt dici captiva in cælesti illo domicilio, propterea quod non simul in cælo & terra degunt.

XX. *Secundum nostrum argumentum* tale erat: Qui sursum, seu superne est, sedens ad dextram Dei, non est corporaliter in pane Eucharistia. Christus sursum est. Ergo. *Excipiunt* aduersarii, esse æquocationem in medio termino, *Sursum existens*: quod Paulus per istam phrasin non intelligat locum, sed virtutes & actiones Deo placentes. Iubet enim querere, non ea, quæ super terram sunt, id est, prauos & vitiosos affectus carnis; sed illa, quæ sursum sunt, hoc est, cælestia bona, virtutes Deo placentes &c. Hoc sensu ministerium Euangelii, in quo Christum querere tota Scriptura iubet, & sacramenta, etsi loci ratione super terram administrantur: tamen non terrena, sed cælestes actiones sunt. *Resp. 1.* Non vrgens ista verba, *Querite, quæ sursum sunt*: sed illa, ubi Christus est. Quæ phrasin certe notat locum, iuxta illud *Ioh. 12.* Et ubi ego fuero, ibi erit & minister meus: &c. *17.* Volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, quos dedisti mihi. 2. Non tantum virtutes & actiones Deo placentes, sed etiam gloriam & felicitatem, quæ sursum est in cælo, iubemur querere. 3. Virtutes non tantum ideo dicuntur supernæ & cælestes, quia placent Deo: sed etiam quia supra sunt in cælo, & de cælo, hoc est, a Deo gloriose & immediate in cælis regnant, dantur angelis & hominibus in cælo degentibus, itemque hominibus in terra existerentibus. 4. Totum ministerium est actio cælestis & terrena. Cælestis: si spectentur operationes Spiritus sancti, quas per ministerium exercet. Terrena: si spectentur ea, quæ ministri agunt. 5. Veteres etiam hunc locum Pauli de Christo localiter sursum existente exponunt: ut *Ambrosius super cor. 3. Coloss. August. ad Gen. ad litteram lib. 6. c. 12.*

XXI. *Tertium argumentum* sumebamus ex *Act. 3.* Christum oportet cælo capi vsque ad tempora restitutionis omnium. *Excipiunt*, esse peruersionem textus: cū verba Petri sint, *ὅτι δὲ ὁ ἀποστόλος δὲ ἰσχυρῶς* *Quem oportet cælum accipere* Quibus verbis significatur, quod Christus occupat cælum, tanquam Dominus & rex cæli. *Resp. Nazianzenus in Orat. 2. περὶ λόγων*, sic eum locum interpretatur, ut nos: *ὅτι ὁ ἀποστόλος βασιλευσὶν ἄρχῃ τοῦ θεοῦ, ὅτι οὐρανὸν δεξίῃ αὐτοῦ ἔχει ἡγεμονίαν ἀποκαταστασῶν.* Et sane Christus ingressus est in cælum, tanquam dominus in domum, pontifex in sanctuarium suum. Sicigitur cælum occupauit, ut cælo caperetur, id est, ut in cælo & non in terra sit, corpore suo. Nempe ut rex ditionem & aulam suam occupat, nec tamen simul in omnibus locis intra & extra aulam est præsens suo corpore: sic Christus cælesti regnum in omnes creaturas administrat, ubique præsens deitate sua, sed retinens corpore suo in cælesti domicilio, tanquam solio regni sui.

XXII. *Quartum argumentum* erat tale: Corpus Christi sedet ad dextram Dei in excelsis. Ergo non est in speciebus Eucharistia. *Excipiunt*, Dextram Dei non significare locum, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut eius nomine, cæli ac terræ dominum administraret. *Respond.* Non argumentatur ex hac particula textus, *Sedens ad dextram*: sed ex altera, *in excelsis*. Nimirum Christus sedet ad dextram Dei, sed sursum, sed in excelsis: id est, regnum cæli & terræ administrat, ubique omnia seruat & regit, sed corpore suo sursum existens, & in cælo, tanquam in arce sua regia residens, atque illinc faciens ubique quidquid vult, suo Spiritu & diuina potentia, non corpore.

XXIII. *Quintum argumentum* sumebamus ex illo, *Relinquo mundum*. Multa hic excipiunt. 1. Reliquit Christus mundum, modo visibili, at non inuisibili. 2. Reliquit mundum, deponendo infirmitates, conditionem, & conuersionem huius vitæ. 3. In prima cæna nondum reliquerat mundum, & erat in cæna. Ergo & nunc est in cæna. 4. Si reliquit mundum, corpus ipsius non est subiectum legibus naturæ, & modis præsentia: vilitatis in hoc mundo. *Resp. 1.* Est petitio principii. Sed probant non esse petitionem principii: quia non esse in mundo est idem, quod non videri, etiam si præsens sit corpore. Nam Christus dicit: Quia vado ad Patrem, non videbitis me. *Et Luc. 24.* Hæc locutus sum, cum adhuc essem vobiscum. Erat sane etiam tunc temporis cum illis, substantia corporis visibilis, sed aberat præsentia familiaris conuersationis. Verum hæc nihil probant. Nā ire ad Patrem, non est inuisibile corpore fieri, sed proficisci in illum locum, in quo gloria Patris manifeste refulget, & communis esse Filio declaratur. Et dicit, se non videndū a discipulis, non quia corpus suum inuisibile effecturus sit, sed quia illud de terra in cælum euecturus sit, ubi visibile & circumscriptum est & manet semper, etiam si oculi nostri illud ibi non possint videre. Est itaque corpus Christi iam in cælo existens, inuisibile, non per se, seu *κατὰ τὸ πῶς ἴσται*, sed per accidens, seu *κατὰ τὸ πῶς ἴσται*. Denique nō valet consequentia: Non versabatur amplius cum discipulis post resurrectionem, mortalis & familiaris, sicut ante mortem. Ergo ante & post ascensionem erat cum ipsis corpore inuisibilis & incircumscriptus. Mortalitas enim & conuersatio terrena, in glorificatione Christi tollitur: sed visibilitas & circumscriptio manent, etiā in conuersatione cælesti. Et Christus reuera ostendit corpus suum esse visibile, palpabile, circumscriptum, & locale, etiam in gloria, ante & post resurrectionem. 2. Visibilitas, circumscriptio, & localitas corporis non pertinent ad infirmitates, quas Christus deposuit, sed ad naturam corporis, quam non deposuit. 3. In prima cæna corpus Christi non erat in pane. Propter visibilem circumscriptioem & locationem inter discipulos: nunc non est in pane, propter visibilem circumscriptioem & locationem inter cælestes, ad quos pertinet, relinquendo hunc mundum. 4. Quia Christus reliquit mundum hunc visibilem, locum & infirmitates mutauit: naturam non mutauit, & proinde nec localitatem & circumscriptioem; quas proprietates essentielles corpus ipsius retinet, siue in terra, siue in cælo existens, quamdiu corpus est.

XXIV. *Ad argumenta, quæ ducimus à veritate humane Christi nature*, respondent, illa nihil concludere: quia, nostris etiam fatentibus, corpus Christi in S. cæna consideratur, non ut natū, sed ut datum; non secundum naturæ consequentiam, sed secundum muneris gratiam. Huc accedit, quod corpus

Christi mansit verum corpus, & nihilominus per ianuas clausas & per lapidem sepulchri traiecit: ascendit per aerem: ambulauit super aquas &c. *Resp. 1.* Etsi corpus Christi non est in S. cæna ut est natum, id est, ratione triuæ dimensionis: tamen verum illud corpus, quod natum est ex Maria virgine, & pro nobis traditum est in mortem, ibi est modo Spirituali; non quod more Spirituum ibi adsit, sed quia virtute Spiritus Christi, vi promissionis, ficitur præsens veræ fidei. 2. Scriptura non dicit, Christum corporis sui substantiā per ianuas clausas & lapidem sepulchri penetrasse: sed ingressum esse subito ad discipulos, cum ostium nemo aperuisset; & resurrexisset; cum nemo hominum lapidem deuoluisset. Sic autem non negatur, Christum ipsum sibi viam patefecisse, ad momentum cedentibus ianua & lapide ipsius corpori; & illo transiisse, ad integritatem aut locum suum subito redeuntibus. 3. Etiam Petrus ambulauit super aquas: etiam Elias, Enoch, & qui cum Christo resurrexerunt, per aerem ascenderunt in cælum: nec tamen ideo corporibus suis fuerunt in multis locis. Non pugnat cum natura corporis, diuinā virtute sustentari & ferri per aquam & aerem, ut non mergatur aut subsidat; etiam grauitatem suam retinens: neque ex graui fieri tam leuē; ut super aquam, aut per aerem, instat volucris, possit ferri. Neque hæc implicant contradictionem. Non enim Domini vel Petri corpus simul erat leuē & non leuē; nec simul consistebat in aquæ superficie, & in aquam mergebatur; nec aqua simul sustinebat, & non sustinebat corpora graua: neque simul Christi & sanctorum corpora ferebantur & non ferebantur, aut nostra ferentur & non ferentur sursum in aere.

XXV. *Ad argumentum à naturā sacramentorum*, quod in iis non vniuntur signum & signatum vniōne & contactu locali, sic excipiunt. 1. Vniō in sacramentis non est localis, sed sacramentalis siue mystica, id est, substantialis & mirabilis, ut conceditis. 2. Ex ista vniōne promanāt, & secundum eam explicanda est vestra hæc propositio, Panis est corpus Christi: nimirum sacramentaliter, seu per rationem & modo vniōnis sacramentalis, quæ panis & corpus Christi substantialiter reuera sunt vnum. Itaque ex vestra sententia, corpus Christi substantialiter est in pane. 3. Locutiones illæ quæ allatae sunt & adferuntur, de circumcissione, agnō, sacramentis alijs, aut falso adferuntur, aut non sunt metonymicæ. Quod ita fit manifestum. *Circūcisio* est ipsum fœdus: quia circumcisio non est sine verbo promissionis. *Agnus* à Mose non dicitur Pascha, siue transitus. Moses enim dicit, *Esse transitum*, hoc est, imminere transitum Domini siue angeli. *Baptismus* propriissime est lauacrum regenerationis: quia est medium; per quod Spiritus sanctus nos regenerat. Ita proprie dicitur baptimus nos seruare, quia est medium; per quod Deus salutem nostram operatur. *Resp. 1.* Vniō sacramentalis posita est in analogiā signi & signati, itemque in vtriusque perceptione in legitimo vsu. Recte itaque dicitur, illam non esse localem, sed mysticam. At non est mysticā eō sensu, quo volunt aduersarii: quasi nempe mysterium in eo sit; quod panis transubstantietur, seu panis fiat corpus Christi per miraculosam transmutationem. Non ita. Nam mysterium corporis Christi, non est ipsum corpus. Verum est: mysterium dupliciter vsurpatur: primo pro re arcana; ut cum incarnatio dicitur mysterium; deinde, pro sacramento. At quādo pbsterior significatio est attendenda, mysterium nominatur, quod quidem per se est res omnibus obuia & conspicua, sed significat rem arcanam & occultam. Hoc sensu sacramenta dicta sunt mysteria in Græca Ecclesia, quia ipsa quidem sunt res externa & sensibus obuia; sed eorum significatio est arcana, & non nisi ex verbo Dei cognosci potest. Ita *Theodoretus dialog. 2.* ait: Diuina mysteria, corpus quod verè est, repræsentant. Cæterum quādo dicimus, vniōnem mysticam esse substantialem & mirabilem in sacramento, hoc volumus, substantiam nostram cum substantia corporis Christi coniungi, sed Spiritualliter, non vero substantiam panis & corporis Christi vniū substantialiter. 2. Hinc iam videre est, quomodo propositio illa, Panis est corpus Christi, sit explicanda: videl. Hoc est mysterium seu sacramentum corporis mei, vel hoc est corpus meum mystice, sacramentaliter. 3. Etsi in celebratione sacramenti verbum promissionis cum signo coniungitur: tamen res significata & signum reuera distinguuntur. Itaque cum circumcisio proprie sit signum fœderis, ut à Mose & Paulo appellatur: improprie dicitur fœdus ipsum, quod *Gen. 17.* est in illis verbis, *Et sim Deus tuus, & semina tua post te.* 4. Quod dicitur de agno, ipsum non appellari transitum, falsum est. Nam *Exod. 12.* dicitur, *Transiit hoc Domino*, id est, Hoc est transitus Domini. Et *Deut. 16.* dicitur mactari & sacrificari pascha. Confer. *Luc. 21. v. 7. 8. 11. 12. 15.* Si baptismus proprie est lauacrum regenerationis, & proprie nos seruat, quomodo solus Deus & eius Spiritus dicitur nos proprie regenerare & seruare? An improprie? Nemo sanus hoc dixerit. Quiddid ergo regenerare & seruare nos dicitur, præter Deum, huic non potest proprie regeneratio & salus tribui. Quare si baptismus improprie nos regenerat & seruat, ideo ipsi hoc tribuitur, quia est organum & medium Spiritus sancti, firmandæ fidei destinatum; id est, sacramentum, symbolum, & testificatio Spiritus sancti, & salutis æternæ creditibus. Est igitur eadem sententia, cum sacramenta dicuntur esse signa, testificantia nobis salutem, & cum dicuntur esse media, per quæ Deus salutem nostram perficit. Sunt enim media perceptionis illorum bonorum, quæ per fidem accipiuntur. Summa est: si baptismus proprie esset lauacrum regenerationis, omnes baptizati renascerentur: quod non fit nisi in legitimo vsu baptismi. Ergo lauacrum regenerationis non proprie, sed metonymicè prædicatur de ceremonia baptismi.

XXVI. Quæ atulimus paragrapho 7. argumentando à circumstantiis primo cæna, sic retulant. Nos adhibere iudicium rationis in examinando miraculo. Sola fide hic esse opus. Cum Cassiano dicendum esse: Ratione quæris dicitis: non reddo. Deus hoc dixit, verbum illius summa ratio est. Sola ad fidem sufficit mihi persona dicitis. Quid mihi querere, quomodo verum sit, quod Deus dixit: cum dubitare non debeam, quin verum sit quia Deus dixit. *Resp. 1.* In mysterio non præmittimus ratione fidei, sed cōtra, fidem rationi. 2. Miraculum ficitum transubstantiationis nō admittimus: miraculum vniōnis & communionis Spirituales inter Christum & credentes, Eucharistiam rite vsurpantes, agnoscimus & adoramus. 3. Si esset miraculum proprie dictum in sacramentis, non manerent signa: contra quam sensus dicunt. Recte itaq; Augustinus dixit, sacramenta non habere stuporem, etsi mirabilia sunt. 4. Solam fidem hic crepant aduersarii: quæ nulla est, cum desititur verbo Dei, quod est mensura fidei adæquata.

XXVII. *Ad argumentum, quod à natura recordationis duci diximus, ita respondent.* 1. Recordatio est etiam præsentium: quia recordamur Dei, qui semper nobis est præsens. 2. Cæna non tantum est recordatio corporis, sed etiam mortis Christi. Mortis, tanquam præteritæ: corporis, tanquam præsentis secundum promissionem in cæna. *Resp. 1.* Non concludimus, neque hoc, neque alio argumento, corpus Christi non esse præsens in cæna. Nam quod spiritualiter præsens est, vere præsens est. Sed concludimus, corpus non esse corporaliter præsens in Eucharistia. 2. Non dicimus simpliciter, omnem rem, cuius est memoria, oportere à nobis abesse. Sed ita ratiocinamur: Memoria, seu symbolum memoriale, non est res ipsa, cuius est memoria, neque necesse est rem commemoratam existere in memoriali, aut in eodem loco cum memoriali: neque eius memoria est, quatenus est nobis præsens, sed quatenus fuit, aut egit, aut passa est aliquid præterito tempore. Memoria enim non respectu præsentis, sed præteriti temporis est, & dicitur. Panis est memoriale corporis Christi pro nobis traditi, & nobis dati in eadē vitæ æternæ. Ergo panis ipsum corpus proprie esse non potest: in pane autem, vel sub specie panis, vel nobiscum in terra corpus existere, non est necesse: ac proinde, cum secundum Christi expositionem, idem sit sensus horum verborum, Panis est corpus Christi pro nobis traditum, & Panis est *μνηστικόν* siue memoria corporis Christi pro nobis traditi; ex neutra locutione colligi potest præsentia Christi corporalis in pane. 3. Recordatio est præteritorum in memoriam reuocatio. Recordari ergo possumus, vel alicuius: qui præsens fuit, nunc autem absens est; vel eius, quod egit, promisit, aut prædixit, qui præsens est. Sic Deum præsentem agnoscimus, diligimus, rimemur, eique fidimus: præterita eius promissa, & beneficia, & argumenta potentia & voluntatis eius erga nos, meminimus, & recordamur. Itaque cum dicimur Dei recordari, hæc est sententia, nos recordari patefactionum, mandatorum, promissionum, factorum, & testimoniorum ipsius, quæ olim cognouimus. Sic & Christi recordamur & admonemur in sacra cæna, ratione præteriti, & fidimus ei, diligimus eum, ratione præsentis temporis. Ad præterita autem pertinet non tantum passio & mors, sed tota humiliatio, & in terris præsentia ipsius corporalis, & in cælum ascensio, omnia ipsius beneficia nobis præstita, omnes ipsius promissiones, & testimonia amoris eius erga nos. 4. Qui sui memoriam, id est, memoriale symbolum seu pignus tradit, ad memoriam, fiduciam, dilectionem, celebrationem sui excitandam & conseruandam, donec redeat, is neque visibilem, neque inuisibilem se præsentem ad tempus fore significat. Christus autem vult, cænam esse sui memoriale, donec corporaliter redeat. Ergo hæc memoria sui nobis commendata, testatur, se ante reditum illum, non fore nobiscum corporaliter. Sicut maritus proficiscens peregre, & aliquamdiu abfuturus, vxori, quam diligit, & à qua diligi vult mutuo, clinodium aut sui imaginem tradens, dicit, Hoc te, quoties adspicis, admonet mei & nostri amoris, donec ad te redeam. Talis memoria haud dubie refutat corporalem mariti præsentiam. 5. Sicut memoria præteritæ passionis Christi, non est præsentis passionis, sed præsentis propter eam remissionis peccatorum cogitatio: sic memoria in terras redituri corporis Christi, & futuræ corporalis præsentia, non est iam in terra præsentis corporis, sed præsentis cum illo iam absente secundum locum corpore, vnionis, id est, præsentia illius spiritualis, & absentia corporalis agnitio & fiducia.

XXVIII. *Quod diximus, in octauo argumento.* Christum corpore suo à nobis discessurum, substituisse vicarium Spiritum sanctum, & ideo corporaliter nobis non esse præsentem, sic refutant. Non est simile exemplum Christi, & aliorum discedentium: quia Christus semper nobis adest deitate, & insuper promisit in eadem concione, Si quis diligit ipsum, forent Pater & ipse veniant ad illum, & mansionem apud illum faciant. Non igitur promissio vicarii absentiam Christi, sed non amplius visibili & familiari conuersatione eum nobiscum futurum esse ostendit. *Resp. 1.* Respectu deitatis Christi est dissimile hoc simile. Discedens enim corpore, non discedit deitate. Itaque respectu huius, vicarium sibi nullum substituit. Secundum corpus autem simile est exemplum, quod ad discessum localem attinet. Ideo enim, quia corpore præsens futurus, & sua voce docturus, & confirmaturus non amplius erat discipulos, alium paraclerum se illis promittit missurum, qui ab ipsis nunquam sit discessurus, & vices suas multo vberius suppleturus, quam Christus ipse præsens corporaliter. 2. Testimonium, quod ex *Iohan. 14.* citatur, non agit de præsentia corporis, sed deitatis. Rursus, non agit de præsentia generali, sed speciali & gratiosa, quæ est etiam extra cænam. Itaque hic habemus illustre testimonium deitatis Christi, & communicationis idiomatum. Christus enim *δαδὲν ἡμῶν* hunc aduentum, & hanc mansionem in fidelibus, sibi cum Patre & Spiritu sancto communem facit.

XXIX. *Quod adfertur nono loco à nobis, docentes, Christum corporaliter præsentem esse in Eucharistia, esse ex illorum numero, qui dicunt, Ecce hic Christus, aut hic aduersarii sic elidunt.* Christus notat illos, qui dicunt, quod certe in loco in terris ipse regnet visibiliter, more regum mundanorum: aut quod alius præter ipsum sit Messias. Hinc non sequitur, illos etiam notari à Christo, qui eum monstrant in pane. Alias enim sequeretur, quod etiam in cælo, in medio & cordibus suorum, & in ministerio verbi & sacramentorum, Christus non sit dicendus præsens. *Resp. 1.* Non tantum visibilem, sed etiam inuisibilem aliquem Christum monstrando, aberrari potest à vero Christo. Itaque Christus his verbis vult, non credendum esse monstrantibus eum, ubi non est, siue visibilem, siue inuisibilem. 2. Non vno tantum modo ostenditur Christus fictitiuus pro vero. Alias enim personæ, quæ non sunt Christus, venditantur pro Christo, vt Theudas, Iudas Galilæus, Barcochab. Alias, quod Christi proprium est munus, aliis personis aut rebus tribuitur, vt sanctis, missis, monachatus, statuis, peregrinationibus religionis ergo &c. Alias fingitur esse Iesus seu verus Christus, is, qui non est, vt cum aliquo in loco in terris monstratur corpore præsens, post ascensionem suam in cælum, siue visibilis, vt cum à monachis in missificatione conspectus dicitur infans, aut massa carnea; siue inuisibilis, vt cum iubetur honorari Christus corporaliter præsens in specie panis, in ciborio, in altari, in manibus sacerdotum. De his omnibus falso dicitur, Ecce hic est Christus. 3. Ad probationem restrictionis Christi quod attinet, non valet hæc consequentia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: Christus non vult corpore præsens monstrari in terra post suam ascensionem: ergo nec in cœ-

lo, nec in sanctis, nec in sacro ministerio. Christus enim verat se monstrari & quæri corpore præsentem, non ubi est, sed ubi non est. Iam vero corporaliter est in cælo, spiritualiter est in Ecclesia & in sanctis, ibique operatur per verbum & sacramenta.

XXX. *Dispicimus, quid excipiant ad testimonia Patrum.* Primo plura opponunt paucis, & dicunt, innumera occurrere apud Patres pro sua sententia, cum nos non nisi pauca possumus adducere. Deinde conqueruntur, nos dicta Patrum corrumpere. *Resp. 1.* Etsi non satis superque, ad solidam causæ probationem, & conscientia persuasionem, esse existimamus, quod sententia nostræ veritatem ex ipso Dei verbo perspicue demonstrare, & possumus, & solemus: & proinde non valde in eo laborandum putamus, quid antiqui Patres hæc de re senserint aut scripserint (neque enim horum autoritas tanta esse potest, vt veritati, ex Scriptura demonstratæ, vel minimum præiudicium adferre debeat) tamen, quia consensus doctorum & bonorum, præsertim antiquorum Patrum, qui Apostolis proximiores fuerunt, in omni controuersia per se gratus ac iucundus est: & nostri aduersarii semper vniuersæ antiquitatis, imo totius Ecclesiæ, perpetuum consensum, in hac ipsa controuersia, pro sua opinione: confidentissime quidem, sed tamen vanissime iactare solent: adeo vt præcipuum suæ causæ firmamentum hic constituere videantur: idcirco ex veteribus Ecclesiæ doctoribus nostram sententiam illustrare solemus. 2. Antiqui Patres, qui fere vsque ad seculum sextum floruerunt, hoc est, vsque ad Gregorium M. non corporalem illam Christi in Eucharistia præsentiam, sed mysticam & spiritualement docuerunt. Id quod non pauci ex nostris, præsertim Oecolampadius, Petrus Martyr, Philippus Mornæus, & Amandus Polanus aperte & copiose demonstrarunt. 3. Aduersarii catalogum Patrum pro suo lubitu amplificant: at nos intra certum numerum consistimus. Itaque nihil est mirum, quod illi certant multitudine. 4. Vtra pars Patres recte alleget, penes cordatum lectorem iudicium esto.

XXXI. *Supereff vindicanda vltima classis nostrorum argumentorum, quæ à reë ratione sumimus.* Etsi enim fundamentum causæ nostræ in solo Dei verbo collocamus: tamen quia aduersarii errorem suum naturali rationi, seu veræ philosophiæ, consentaneum esse putant; nostri officii esse duximus, pro nostra sententia stabilienda in medium adferre rationes: ad quas quid excipiant aduersarii, nunc ordine dispicimus.

XXXII. *Exceptiones illas reuoco ad duo summa capita, impietatem & somnia.* Hæc enim duo nobis obiiciunt Iesuitæ Monasterienses. *Impietatem* in eo collocant, quod absolutam Dei potentiam negemus, adeoque impotentiam Deo tribuamus. Omnipotens enim dici non meretur, qui absolutam independentemque in agendo potentiam non habet, ita vt pro suo nutu, quodcunque voluerit, disponere agereque possit. At huiusmodi potentiam non habet Deus Calvinianus. *Calvinus enim lib. 1. Inst. cap. 17. §. 2.* ait, quod voluntas Dei sit vnica iustitiæ regula, & iustissima causa rerum omnium. Non illa quidem absoluta voluntas, de qua garrunt Sophistæ, impio profanoque dissidio separantes eius iustitiam à potentia, sed illa moderatrix rerum omnium prouidentia. *Resp.* Calvinus non potentiam Dei absolutam, sed voluntatem absolutam reicit, qua nonnulli vtuntur tâquam pallio suorum errorum. e.g. Deus absoluta voluntate vult, vt corpus Christi sit inuisibiliter in Eucharistia. Nos huiusmodi voluntatem non tribuimus Deo, quæ à iustitia & veritate Dei separari queat, aut faciat vt Deus abuti possit sua potentia. Absit à nobis, vt potentia & iustitia diuinæ diuertimur: etiam si plura Deus absolute possit, quam re ipsa velit aut faciat. Voluntas Dei nobis est omnis iustitiæ regula: quia nihil ea superius nobis inquirendum est: nec dubitandum vllomodo, quin omnino, quidquid vult Deus, iustissimum sit: quippe qui nihil iniustum velle possit. Hæc voluntas Calvinus dicitur omnium rerum moderatrix: non quod Deus non possit plura potentia absoluta, quam ordinaria ipsius voluntas, ac prouidentia dicitur: sed quia opponitur hoc epitheton voluntati absolutæ, quam comminiscuntur architecti errorum.

XXXIII. *Et ita quidem in genere obiiciunt, nos negare Dei omnipotentiam.* In specie id probant quatuor modis. Sic enim disputant: Eum nemo censuerit omnipotentem, qui multa ex iis, quæ fieri possunt, perficere non potest. At multa sunt ex iis, quæ fieri non implicat, nec tamen à Deo Calviniano queunt perfici. Ille igitur neutiquam dicendus est omnipotens. Minorem probant quatuor, vt dixi, argumentis. 1. Christus in S. cæna dedit corpus suum & sanguinem, Apostolis manducandum, bibendumque: idque vnum est inter ea, quæ fieri possunt, testibus ipso Christo, & Apostolis, & Patribus, & Ecclesia vniuersa. 2. In iis, quæ fieri possunt, est, idem corpus posse simul esse in pluribus locis, simul in cælis & in terra, in altari & ad dextram Patris. 3. Facere, vt corpus, vel quantitas, sit absque omni, vel adæquato loco, vnum est ex iis, quæ fieri possunt. 4. Possibilis etiam est corporum penetratio. Sed nullis viribus, nulla potentia, id Calvinistarum Deus potest efficere. *Responsionem* ad has obiectiones differemus in caput sequens.

XXXIV. *Somnia, & deliria, nobis obiiciunt numero quinque.* *Somnium* est, inquiunt, & non ratiocinatio: Omnis substantia creata & dimensua, necessario est finita: ergo vno loco, vel vnus loci finibus, est definita. Quasi vero res finita fiat statim infinita, si tribus, vel pluribus definitis ipsa ponatur locis. Infinitum enim est, cuius semper aliquid est sumere extra: vel, quod quantitatem habet, cuius finis nec esse, nec cogitari potest. Corpus autem Christi, siue vno, siue pluribus constituat locis, semper eandem suam retinet quantitatem, quam habet finitam.

Respond. At hoc vere somnare est. Nam, i. nos non concludimus infinitudinem simpliciter dictam & actualement multiplicatam, sed ex finitudine simul ac dimensionem præsentia in vno duntaxat loco omnino consequi demonstramus. Quanquam eadem ratione corpus in omnibus simul locis esse potest, qua in pluribus simul esse fingitur: & per hoc tandem infinitum euadere posset. 2. inanis est petitio principii, quod de corpore Christi polytopo dicitur.

XXXV. *Secundum, inquiunt, somnium est: Omnis magnitudo est continua, & necessario figurata: ergo vno solo loco posita. Nam etiã corpus, quia pluri-*

pluribus est locis, in singulis continuum est; quippe quod habeat in iis omnes partes, termino communi copulatas: inque singulis figuram & formam retinet eandem: ut quod idem numero statuat in illis. *Resp.* Qui perpetuo principium petit, sibi que contradicit, is demum vigilans somniat. Illud autem Sophista noltri hic faciunt: dum & veram continuitatem corporis absque continuitate loci fingunt: & figuram, vndique suis finibus terminatam, extra locum adæquatum protendi asserunt: dumque corpus vnum numero esse volunt, quod pro multis numero locis, non secus, nec minus necessario multiplicatur, atque accidens pro numero suorum subiectorum. Hoccine igitur est somnia refutare?

XXXVI. *Tertium ipsi somnium est:* Omne corpus trinam habet dimensionem: ergo spatium requirit adæquatum. Aut enim quod erat probandum aduersarii assumunt in antecedente: aut dimensio hæc intelligenda erit, non quæ in actuali commensuratione ad locum consistit, sed quæ sit aliquid ea prius, & à loci commensuratione, nutu omnipotentis Dei, separari possit. *Resp.* Dimensio in hac disputatione propriissime à nobis sumitur, pro ipsa locali extensione, hoc est, longitudine, latitudine, profunditate: quæ sane acceptio est visitata. Sic autem accepta dimensio, neque commensuratione loci prior est; neque vllō modo ab ea separari potest. Quin ipsa per se, primo, & immediate, localem quandam extensionem declarat. Itaque non magis à commensuratione illa, quam ipsa à seipsa separari potest. Saltem nec esse, nec existere, sine illa, vel ad momentum potest: ut quæ, recte intellecta, definitionem eius necessario ingrediatur. Ergo & hic Sophista noltri somniant, & principium petunt.

XXXVII. *Quartum ipsi somnium est:* Corpus, quæ vnum est, indiuisum in se est: non ergo potest esse in diuisis locis. Manet, inquit, in singulis locis indiuisum in se (ut quod materiam, formamque, cum omnibus suis partibus, retinet eandem, in locis singulis) sola loca, quæ extrinsecus accidunt, sunt diuisa. *Resp.* Noua contradictio, cum noua principii petitione, vere nouum est Sophistarum somnium. An indiuisum in se est, quod vere alicubi est extra fines essentia suæ, videlicet alibi iam existens? Estne, annon est, Petrus ille, qui Romæ iam est, extra illum, qui Coloniae est? Sic est, vicinus omnino. Si non est. Ergo nec Roma extra Coloniae est. Non enim potest contentum esse, quippe minus, aut saltem æquale, extra suum continens. Nec negari potest, Petrum Romæ simul & Coloniae contineri, si vtrouque est. Denique vbi loca ne contingua quidem sunt, quomodo locata ibi continua esse possunt? Vno verbo: Vnum corpus, vnam habens certam quantitatem, vnamque figuram, vnum eodem tempore locum requirit adæquatum. Sed hac de re pluribus capite sequenti.

XXXVIII. *Plus quam somnium est,* inquit: quod proprietates essentialia a subiectis suis separari non posse docent. Sed omnis vera proprietates, verum est accidens, & vere extra essentiam rei, eaque posterius: ut ob id ab ea, vi transnaturali, vel separari, vel in ea, salua eius vnitate multiplicari possit. Nullæ sane proprietates essentialia assignari possunt eiusmodi, quæ de essentia rerum sunt, & proinde in earum definitionibus, præter genus & differentiam, includi debeant. *Respond.* 1. Proprietates essentialia recte distinguuntur ab accidentibus vulgo sic dictis, quæ diuisiue appellantur accidentia prædicabilia. Alias proprietates recte appellantur accidentia prædicamentalia. Ibi accidens opponitur proprio; hic, substantia. 2. Non omnia accidentia sunt separabilia. Non enim quidquid est extra rei essentiam, continuo à re ipsa, salua manente re ipsa, separari potest. Salua manente, inquam, hoc est, porro existente re ipsa. Non quod hæc propria accidentia immediate & per se essentiam subiectorum constituent: sed quod existentia fulcra & fundamenta sunt: imo quod interdum, diuerso respectu, definitionem illorum ingrediuntur: nempe quatenus de essentia subiectorum sunt respectu actualis ipsorum existentia. 3. Aduersarii sæpe pro accidentibus ea numerant, quæ sunt intima rei principia. Sic enim v. g. dimensiones corporum accidentia vocant: quas tamen ad essentiam corporis pertinere certissimum est.

XXXIX. Ventilauimus hucusque argumenta varia, quibus varii conantur labefactare nostram sententiam: restat ut satisfaciamus *Becano*, qui nouem ista expendit in cœna, quam vocat, Caluinistica. 1. explicat statum quaestionis de præsentia Christi in Eucharistia. 2. ostendit, Caluinistas negare præsentiam Christi. 3. Caluinistas iugulare seipsos. 4. non intelligere quid dicant. 5. Scripturam corrumpere. 6. repugnare Patribus. 7. diuinis miraculis confutari. 8. nullo fundamento subnixos esse. 9. merito suspectos esse debere.

XI. *Statum quaestionis* ita explicat *Becanus*. Potest aliquid quatuor modis esse præsens alicubi. Primo per signum, figuram, vel imaginem sui: quo pacto Imperator est præsens in effigie, quæ illum representat. Secundo, per apprehensionem: quo pacto amicus amico præsens est, quando de illo re ipsa cogitat. Tertio, per effectum vel operationem: quo pacto sol est nobis præsens per lumen & calorem, quem in terris producit. Quarto, per se ipsum: quo pacto sol est præsens in cœlis. Hoc posito, certum est apud omnes, tam Catholicos, quam aduersarios, Christum præsentem esse tribus prioribus modis in legitimo vsu Eucharistia. Primo, quia per externas species panis & vini, tanquam per signa quædam diuinitus instituta, Christi caro & sanguis representatur. Secundo, quia ex illa representatione, Christum fide apprehendimus. Tertio, quia per illa signa operatur in nobis effectum gratia & refectionis spiritualis. Est igitur præsens representatiue, obiectiue, & effectiue seu virtualiter. Iisdem modis fuit præsens in sacramentis & sacrificiis antiquæ legis. Hactenus itaque consentimus. Tota difficultas est de quarto modo, An scilicet Christus non solum per figuram, & per apprehensionem, & per effectum, sed etiam per se ipsum sit præsens in Eucharistia, ita ut caro & sanguis eius ibi sit vere, realiter, & substantialiter. Caluinistæ negant; Catholicæ iungunt, & proinde docent Christum omnibus modis ibi præsentem esse.

XLI. Nimis dilute applicantur modi præsentia huic mysterio. Nam primo præsentia representatiua, siue symbolica, hic non est vulgaris, sed fundata in analogia sacramentali signi & signati. Deinde præsentia ob-

iectiua hic est spiritualis. Idem iudicium est de præsentia virtuali: Denique præsentiam immediatam & substantialem non simpliciter negamus. Sic enim docemus de præsentia Christi in Eucharistia. Christus, Deus & homo, totus est in Eucharistia præsens; in legitimo vsu, ita ut Spiritus eius per verbum & sacramenta exercens fidem nostram, vniat & incorporet nos totos Christo toti, Deo & homini; mediatori nostro, tanquam capiti membra. Est ergo corpus Christi non est in pane, tamen est in cœna. In cœna vero sua est, & estur; etiam in cœlo manens suo corpore: quia cœna simul terrena & cœlestis est actio. Porro est corpus Christi non adest pani in loco; quod existit panis: tamen nobis est præsens ministerio istius panis: quia Spiritus Christi, mediante fide, nos vniat Christo: id quod non accidit pani. Non enim adest Christus ministerio suo propter panem; sed propter sumentem, sibi vniendum. Hactenus itaque Christus per se ipsum nobis est præsens in Eucharistia, est caro ipsius non est præsens in pane. Quare & nos docemus, Christum omnibus illis quatuor modis præsentem esse in Eucharistia.

XLII. *Pergit Becanus*, & ait Caluinistas negare præsentiam Christi, in Eucharistia: quia docent, 1. corpus Christi non alibi esse; quam in cœlo, ac proinde tanto interuallo distare ab Eucharistia; quanto distat cœlum a terra. 2. verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, non proprie sed figurate intelligenda esse; ut sensus sit, Hic panis est signum siue figura corporis mei: vnde sequitur, non corpus Christi vere ac proprie præsens esse in Eucharistia, sed figuram, seu sacramentum corporis Christi. 3. sufficere in vsu Eucharistia, ut per fidem in cœlum assurgamus, ita ut non sit necesse, Christum præsentem esse in Eucharistia.

Respond. 1. Caro Christi vere & tantum est in cœlo secundum naturæ consequentiam. Eadem vere est in Eucharistia, ac non in pane, secundum muneris gratiam. Quæ itaque distat & seiuncta sunt localiter, coniuncta sunt spiritualiter. Præsentia non opponitur distantia; sed absentia. 2. Quia verba ista, *Hoc est corpus meum*, non proprie sed figurate sunt intelligenda, inde sequitur, panem esse figuram corporis; non autem, figuram corporis tantum esse præsentem; sed ipsum etiam corpus. Etenim aduersarius concessit primum modum præsentia; quam dicunt symbolicam. Est itaque corpus Christi in Eucharistia per modum representationis, hoc est, representatur per panem. Ad representationem accedit oblationis seu applicatio, & exhibitio. Nam sacramenta non tantum sunt signa significantia, sed etiam oblationis, & exhibitio: ita ut primum modus præsentia includat secundum necessario, in legitimo vsu: ideoque etiam tertium & quartum. 3. Quando dicimus, nos fide assurgere in cœlum, non negamus, Christum in Eucharistia nobis præsentem esse Spiritu suo: sed hæc duo inseparabiliter connexa esse ex scripturis docemus. Nam qui credit in Christum, ille habet Spiritum Christi, adeoque ipsum Christum in se manentem. Itaque quando cœna celebratur à credentibus, actione externa in his terris, simul ab iisdem celebratur, actione interna & spirituali, in cœlis, ita ut hæc duæ actiones in corde hominis vera fide præditi sunt coniunctæ. Itaque hæc non pugnant inter sese. Nam fides ascendit in cœlum, & Spiritus Christi descendit de cœlo in cor nostrum.

XLIII. *Tertia Becani assertio erat:* Caluinistas seipsos iugulare. Hanc ita probat. 1. Caluinus scribit in *consensione de re sacramentaria*, corpus Christi tanto locorum interuallo à nobis distare, quanto cœlum abest à terra. Sed hanc propositionem euertit *lib. 4. Inst. c. 17 §. 10. Et in cap. 11. prioris ad Corinthios*, vbi scribit, veritatem cum suo signo coniunctam esse. 2. Idem Caluinus docet, panem esse signum corporis Christi absentis, quia in *consens. de re sacramentaria*, ait, signa hic in mundo esse; Christum, quatenus homo est, non alibi quam in cœlo quaerendum esse. Idem *lib. 4. Inst. c. 17 §. 21* ait, panem esse signum corporis præsentis; his verbis: Est symbolum à re signata differt; quia tamen rem, cui representandæ consecratum est, non figurat tantum, cœu nuda & inanis testata, sed etiam vere exhibet & c. 3. Caluinus *lib. 4. Inst. c. 17 §. 5* ait: Interim verò; hanc non aliam esse, quam fidei manducationem fatemur, & nulla alia fingi potest. Sed hanc manducationem euertit dupliciter. Primo, quia illam reicit *d. l. videl. lib. 4. Inst. c. 17 §. 6* his verbis: Sed hoc non perinde conuenit inter omnes, qualis sit eius participandi ratio. Sunt enim qui manducare Christum carnem, & sanguinem eius bibere, vno verbo definiunt, nihil esse aliud, quam in ipsum Christum credere. Sed mihi expressius quiddam & sublimius videtur voluisse docere Christus in præclara illa concione, vbi carnis suæ manducationem nobis commendat. Secundo, quia expresse docet cum *Plessano*, corpus Christi vere, realiter, & substantialiter à nobis manducari, ac proinde non sola fide. Sic enim habet in *libello de cœna Domini*: Necesse est, nos in cœna vere corpus & sanguinem Christi recipere. *Et paulo post:* Intelligimus Christum nobis in cœna veram propriamque corporis & sanguinis sui substantiam donare. *Et in c. 11. prioris ad Corinthios:* Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari corpus Christi. *Et lib. 4. Inst. c. 17 §. 32.* In sacra cœna iubet me sub symbolis panis ac vini corpus & sanguinem suum sumere; manducare ac bibere. Nihil dubito, quin & ipse vere porrigat, & ego recipiam. *Et Plessanus lib. 4. de Eucharistia c. 12* ait: Dum sacra cœna ex præscripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter recipimus. Vides, opinor, Caluinum Caluinum contradicere.

Respond. Nulla profusus hic est contradictio. Nam, 1. corpus Christi est in cœlo vere, proprie, localiter, dimensiuè: in sacra cœna est vere spiritualiter, energetice, sacramentaliter. Nam primo panis Eucharisticus est præsens in sacra cœna. At panis ille est corpus Christi. Ergo aliquid præsens est, quod corpus Christi dicitur. Hoc est, quod visitate dicimus, corpus Christi esse præsens in ministerio sacramentorum. Huc etiam pertinet, quod panis est communio corporis Christi. Deinde corpus Christi manducatur fide. Ergo est præsens spiritualiter. Denique in sacra cœna est operatio eximia corporis Christi: utpote à cuius oblatione &

Itaque esca & potus spiritualis dicitur duobus modis. Primo enim esca & potus spiritualis ita dicuntur sacramentaliter, quia significant escam & potum spirituales. Atque ita hypocrita æque atque credentes participant escam & potum spirituales. Deinde esca & potus spiritualis ita dicuntur realiter. Et ita Christus est esca illa & potus ille spiritualis, cuius participes sunt soli credentes. Quare nos & veteres habemus eandem escam, & eundem potum spirituales, eundem, inquam, non symbolis seu signis, sed partim significatione, partim re significata.

LVI. *Quartum argumentum* (inquit Becanus) sumunt ex illo *Iohannis* 12.26. vbi sum ego, illic & minister meus erit. At ministri Christi non sunt in Eucharistia. E. nec Christus. Respondeo. Aduersarij videntur mihi nugari in citandis Scripturis, &c. At vero, mi Becane, hoc argumentum aut non est inter nostra, aut non est inter præcipua; hoc videlicet sensu. Ministri Christi habent communionem cum Christo spirituales, cum qua pugnat è diametro præsentia corporis Christi in pane. Nam inter istud corpus & ministrum Christi nulla prorsus est communio: quia istius corporis dicuntur etiam participes fieri ministri dæmonis, siue impij.

LVII. Concludit hoc caput *Becanus* his verbis. Eiusdem notæ sunt multa alia, quæ omitto, ne in re seria ludere videamur. Ex Patribus nihil adferunt aduersarij, quod responsione indigeat. Vnum superest argumentum ex ratione naturali petitur, quod est tale: Impossibile est, ut idem corpus simul existat in diuersis locis. Atqui corpus Christi post ascensionem est in cælo, & ibi mansurum est: Ergo non potest simul esse in altari. Respondeo: Maior propositio neganda est. Nec aduersarij possunt illam probare, nisi emendicando rationes quasdam probabiles ex Scholasticis theologis, & earum solutiones omittendo. Quæ autem sint illæ rationes, & quomodo dissolui debeant, commodius explicabitur inferius.

LVIII. Tria respondeo. 1. An argumenta nostra contra præsentiam corporalem sint eiusdem notæ cum quarto illo, quod vidimus paulo ante §. 56. penes cordatum & non-parsialem lectorem esto iudicium. 2. Idem dico de testimonijs Patrum, quæ adducimus. 3. Maior propositio imperite negatur: vt videbimus c. seq. vbi plane persequemur hoc argumentum, & ita persequemur, vt non emendicemus rationes & responsiones ex Scholasticis, sed ex recta ratione, præuia tamen semper S. Scriptura.

LIX. *Nona & vltima Becani assertio est*: Calvinista merito in hac causa suspecti esse debent: nimirum, quia ipsorum sententia de Eucharistia, 1. se ipsam destruit. 2. tam obscura & implicata est, vt ne ab ipsis quidem Calvinistis explicari aut intelligi possit. 3. defendi nequit, nisi corrupendo & deprauando sacra Scripturâ. 4. repugnat Patribus & toti antiquitati. 5. nullis diuinis miraculis confirmata est. 6. nullo firmo fundamento subnixâ est. Adde alias duas causas. Vna est, quod Zvinglius fateatur se eam accepisse à nocturno spiritu. Hic autem spiritus merito suspectus est. Primo, quia ipsemet Zvinglius, cui apparuit, de eo sic loquitur: *At si fuerit, an alius, nihil memini*. Secundo, quia Gretzerus noster in disceptatione de somnio Zvinglij, prolixè probat, fuisse dæmonem. Idem affirmant Lutherani. Nec Calvinista omnino id negant.

Hoc patet ex Dauide Pareo, Calvinista Heidelb. in plectiõib catechisticis, in solutione cuiusdã argumenti Lutheranorum. Lutherani sic argumentantur: Doctrina Calvinistica de Eucharistia, profecta est à dæmone, qui eam Zvinglio inspirauit. Ergo non potest esse vera. Respondet Pareus, retorquendo argumentum hoc modo: Doctrina Lutherana de abroganda Missa est etiam à dæmone inspirata. Ergo similiter non potest esse vera. Perinde agunt, vt poeta cecinit: *Va ribi tu nigra dicebat carabus olla*. Altera est, quod Iudas proditor credatur fuisse primus author huius doctrinæ Calvinistarum, vt perique colligunt ex euangelio Iohannis cap. 6. Nam cum Christus dixisset, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt* (nempe præsentiam corporis mei in Eucharistia) continuo subiungit Iohannes: *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis trahiturus esset eum*. In quem locum ita scribit *Augustinus tract. 27. in Iohan.* Sunt quidam, qui non credunt & ideo non intelligunt, quia non credunt. Et paulo post: Ibi erat & Iudas, qui mansit ad infidandum, non ad intelligendum &c. Ecce, quem ducem sequantur Calvinista. Eum, qui Christo teste, diabolus est. Eum, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum, *Act. 1.16.*

LX. Quis hic non exclamet? Dignum patella operculum. Sed remoueamus operculum, vt pateat venenum maledicentiæ. 1. Diluimus sex priora capita criminationis in superioribus. Quare si conferantur cum superioribus capitibus vt & sequentibus, purgabunt, spero, nos apud bonos & Scripturæ amantes iudices. 2. Non iurauimus in verba Zvinglij, sed sequimur Spiritum sanctum in scriptura nobis prælucentem. 3. Ista verba Zvinglij sunt vstitutum prouerbium in lingua Latina, quando est sermo de re aut persona ignota. 4. Somnium istud Zvinglij fuit *ὄρασμα πλοῦ* quia fuit de re sacra, in negotio reformationis. 5. Gretzerus viderit, quomodo defendat suas rhetoricationes, vt mollissime loquar. 6. Pareus par pari reponit. Non itaq; ponit rem ita esse. 7. Nos omnino credimus præsentiam corporis Christi in Eucharistia, sed non in pane. Dicimus enim corpus Christi ibi esse *ὑποστασιακῶς, ὁμοιωτικῶς, ἰσχυρικῶς, ὡς ἰσχυρικῶς*: at negamus adesse *ὡς ἰσχυρικῶς*. Nihil itaque nobis est commune cum Iuda. 8. Impertinenter allegantur ista verba, *Sunt quidam*, &c. de præsentia in Eucharistia.

C A P. VI.

Examiantur argumenta Papiſtarum pro præſentia corporali in Eucharistia.

I. PAPISTÆ docent ex *Concilio Tridentino sess. 13.* Christum verè realiter, & substantialiter præsentem esse in Eucharistia, modo quodam indiuisibili, & sine extensione locali: vt sunt verba *Becani lib. de triplici cœna, sect. 3. c. 1. Qui sect. 1. c. 5. eiusdem libri* sic ait: Catholici è Scriptura producent quatuor potissimum argumenta, quibus probant Christum in Eucharistia præsentem esse. Primum petunt ex figuris Eucharistiæ. Alterum ex promissione *Ioan. 6. 51.* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Tertium ex institutione, *Mat. 26. 26.* Hoc est corpus meum, quod pro vobis

datur. Quartum ex vsu, *1. Cor. 10. 16.* Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Et *cap. 11. 27.* Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hæc, inquam, sunt argumenta Catholicorum, quæ doctè & copiose persequitur *Bellarminus 1. de Eucharistia, cap. 3. & seqq.* Sic d. l. Becanus. Habemus itaque primam classem argumentorum Papiſticorum: cui adiungunt alias tres, nempe testimonia ex Patribus Ecclesiæ consensus, & conuenientiam rationis. Quas classes ordine percurramus *cap. deo 1. ad p.*

II. *Ex figuris testamenti veteris.* præsentiam corporis Christi in Eucharistia sic demonstrat *Bellarminus*. Figuræ necessario inferiores esse debent rebus figuratis. Figuræ autem sacramenti Eucharistiæ, vel sunt excellentiores, vel non inferiores simplici & naturali pane, significante corpus Christi. Igitur Eucharistia, non est simplex & naturalis panis, significans corpus Christi, sed est ipsum corpus Christi, panis verè cœlestis & superubstantialis. Maior propositio ex apostolo Paulo certissima est, qui *Coloss. 2.* comparat figuram vmbri, impletionem autem corpori. Et *Heb. 10.* comparat eandem figuram vmbri, veritatem autem imaginis. Minor propositio dupliciter probari potest. Primum ex his figuris, quæ sunt æquales panis: vt panis, quem protulit Melchisedec, *Gen. 14.* panes propositionis, *Exod. 40.* panes primitiarum, *Leuit. 23.* denique panis Eliæ datus ab angelo, *1. Reg. 19.* Deinde ex his, quæ sunt præstantiores; vt agnus paschalis, *Exod. 12.* sanguis testamenti, *Exod. 24.* & manna, *Exod. 16.* His figuris V. T. fuit olim præfiguratum sacramentum Eucharistiæ. Itaque necessario debent esse inferiores ipsa re figurata, tanquam vmbra suo corpore, & imagines, rei veritate. At vero nisi corpus & sanguis Christi realiter essent in ipso Eucharistiæ sacramento, siue in ipsis S. cœnæ symbolis, aut speciebus: iam figuratum non esset præstantius suis figuris; sed vel æquale, vel etiam vilius esset: quia, quod ad significationem, & obſignationem, figuræ illæ V. T. si non maiorem, saltem parem cum Eucharistia virtutem atque efficaciam habuerunt. Hoc autem absurdum est. Ergo & illud, vnde hoc sequitur. Et proinde corporalis præsentia Christi in Eucharistia omnino agnoscenda est.

III. Hoc argumentum bis peccat. Et primo quidem est mera petitiõ principij, quando typi illi, seu figuræ V. T. ad sacramentum Eucharistiæ accommodantur, cum accommodari debeant Christo, seu rei significatæ in hoc sacramento, hoc est, morti eius cruentæ & victima salutaris. Verum est, vetera sacramenta fuerunt vmbra, nostra sunt imago. Sed id dicitur de obscuritate veteris, & claritate noui ministerij, tam verbi, quam sacramentorum. Non enim possunt signa rerum exhibitarum non esse clariora, & melius intelligi signis rerum futurarum; sicut narratio præteritorum est clarior prædictione futurorum. Sicut itaque doctrina, sic etiam signa V. T. sunt obscuriora, quam noui. Itaque totum hoc argumentum nititur falsa hypothese, quod sacramenta V. T. fuerint figuræ significantes; nostra verò sint ipsa veritas & res futura, quæ significantur. Neque vero hoc probatur ex *Coloss. 2.* & *Heb. 10.* sed potius aperta hic est Scripturæ deprauatio, & absurda signorum & rerum confusio. Nimis enim alienum est, in dicto *Coloss. 2.* ceremonias V. T. constituere vmbra ceremoniarum N. T. cum ceremoniæ istæ fuerint vmbra siue adumbratio Christi. Similiter nimis alienum est, in dicto *Heb. 10.* futura bona, quorum vmbra fuerunt in lege; exponere de sacramentis N. T. cum ea sint res veteribus & nouis sacramentis, veteribus vmbri, & nouis iconibus seu formis expressis representata; videlicet ipse Christus cum omnibus suis spiritualibus atque æternis beneficijs. Hæc futura bona, quæ *cap. 8. & 9.* nominantur cœlestia, docet apostolus in V. T. obscurius, tanquam vmbra seu delineatione, in nouo clarius, tanquam expressa & viuis coloribus illustrata imagine, proponi atque offerri. Quod vero Patres aliquando dicunt, vetera sacramenta fuisse typos nouorum, id sic intelligere, quasi illa fuerint signa, nostra vero sacramenta res ipsæ sint, quæ veteribus in iuis sacramentis credenda proponebantur, à mente ipsorum, & à veritate prorsus alienum est. Sic enim sacramentorum sacramenta fuissent, non autem signa fœderis, cum ipsis à Deo initi; non signa gratiæ, sed rerum, quæ ipsis neque data à Deo, neque cognita fuissent; nisi aduersarij monstra monitis cumulare velint, fingendo, veteres, credendo futuram præsentiam corporis Christi in pane Eucharistiæ, seruatos fuisse. Nam profecto id credendo, quod ipsorum sacramenta significabant, seruati sunt. Patrum itaque dicta, hanc in sententiam intelligenda sunt. Vt baptisimus *1. Petr. 3.* nominatur *ἀντύπος* diluuii, id est, typus similis, succedens, & idem significans, etsi clarius, quam veteres typi, ita cœna est *ἀντύπος* agni Paschalis. Ideo vocantur vetera sacramenta vmbra, Christi quidem & ipsius regni, tanquam rerum significatarum, *Coloss. 2.* nouorum sacramentorum vero, tanquam iconum siue imaginum expressarum & illustratarum coloribus, *Heb. 10.* id est, typi obscuriores, quam sint noui. Sicut *ὁμοιωτικῶς*, seu adumbratio & delineatio picturæ, habet relationem ad rem, quæ pingitur, & ad picturam rei absolutam: sic illa erant vmbra rerum, & vmbra imaginum, id est, typi carundem rerum representatiui, quas representant etiam imagines; sed typi obscuriores, mutandi in nouo testamento in clariore, sicut adumbrationes in imagines illustratas. Hinc *Augustinus contra Faustum, lib. 29. c. 21.* eleganter ait: Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similiter diuinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post aduentum Christi per sacramentum memoria celebratur. *Et lib. 19. c. 12.* Proinde prima sacramenta, quæ celebrabantur in lege, prænuntiatiua erant Christi venturi, quæ cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt: & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit soluere legem, sed implere. Et alia sunt substituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Hinc iam facile est explicare dicta Patrum, in quibus sacramenta vetera dicuntur fuisse typi nouorum: vt cum Ambrosius super *1. Corint. 10.* ait, mare habuisse figuram mysterij, quod nunc nos percipimus in Domini commemorationem. Fuit nempe typus typi, id est, typus obscurior per clariorem explicatus. Porro si argumentum *Bellarmini* procedit in Eucharistia, par ratione procedet in Baptismo: quia & ille habuit suos typos, vt baptisimus veteris populi per nubem & mare. Itaque in baptismo reuera fit conuersio aquæ in sanguinem Christi, quomodo in Eucharistia panis mutatur in corpus Christi. At hoc non concedet *Bellarminus*. Alterum peccatum huius argumenti est, quod dicit figuræ V. T. esse æquales, vel excellentiores rebus significatis. Itane verò? An vmbra claræ imaginis

Imaginem an imago veritati, potest esse par vel excellentior? Apagē istas nā-

IV. *Secundum argumentum ex Scripturis* ita habet apud Bellarminum: Dominus loquens de pane, quem daturus erat in cœna, diserte dixit: *Panus, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vbi emphasis verbi futuri, *dabo*, satis indicat, verba Christi apud Iohannem, modo citata, optime respondere verbis illis Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis dabitur.* Porro apud Iohannem hoc capite 6. Sæpius agitur de propria & reali manducatione carnis Christi: ut eam in dubium vocare sit ipsi Spiritui sancto bellum indicare. Denique absurdum est dicere, Iohannem solum nihil de hoc augustissimo sacramento scripsisse. Idcirco omnino statuendum est, corporalem Christi præsentiam in Eucharistia hic aperte promitti.

V. Tria respondeo. 1. Nihil de sacramento, seu de ritu cœnæ Domini agitur *Iohan. 6.* qui tum nondum erat à Domino institutus. Vide, quæ prolixè hanc in sententiam disseruit *Chamierus tom. 4. lib. 11. c. 3. & deinceps.* Docetur quidem *Iohan. 6.* & in Institutione cœnæ idem, ratione rei significatæ, seu ipsius carnis Christi: at non ratione signi seu ceremoniæ, quæ in cœnæ institutione demum accessit. Quare hæc duo loca sunt partim similia, partim dissimilia. Similitudo ipsorum est non tantum in corpore Christi, quod manducatur, sed etiam in modo, quo manducatur. Dissimilitudo autem una est duntaxat: quod videlicet *Iohan. 6.* docetur communionem Christi, quæ per fidem fit, tam in usu, quam extra usum sacramentorum: estque non tantum fides, sed ipsa potius in Christum incorporatio; & non tantum beneficiorum, meriti efficaciac spiritus, sed per hunc spiritum in Christo & nobis habitantem, etiam ipsius corporis & sanguinis Christi participatio, qua ipsi tanquam membra capiti, & palmite viti inserimur, etiam si ista communio non nisi per fidem cuiquam contingat. In cœnæ autem institutione huic communioni additur symbolum visibile, manducatio externa panis, & vini sumtio, in recordationem Domini, tanquam illius internæ manducationis & bibitionis pignus, sigillum, & medium, ac proinde exercitium & confirmatio pro incremento fidei. Pertinet igitur textum caput Iohannis, & similia loca, non quidem ad sacramentum cœnæ Domini, sed tamen ad rem eius sacramenti. Neque in sacramento alia manducatio Christi docetur, sed eadem illa confirmatur signo; quæ alibi in Evangelio traditur: manducatio nempe spiritualis, quæ est vera & realis. Sic illa loca Scripturæ, quæ de ablu-tione peccatorum & asperstione sanguinis Christi loquuntur non ad ceremoniam baptismi, sed tamen ad rem signatam baptismi declarandam pertinent. 2. Futurum illud tempus, *dabo*, nihil aliud hic designat, quam carnem Christi tunc nondum pro nobis in mortem fuisse datam; sed suo demum tempore dandam; & sic etiam cibum siue panem nobis viuificum re ipsa efficiendam esse. Hinc patet, apud Iohannem vocabulum panis accipi metaphoricè cum in institutione cœnæ proprie sumatur. 3. Interpretes veteres & recentiores recte docent, causam, quare de signi institutione, ab aliis Evangelistis diligenter exposita, Iohannes cap. 6. nihil narrauerit, esse, quod cœnam, cum Christus concionaretur de re significata & confirmata per hoc sacramentum, nondum erat instituta. Huc accedit, quod Iohannes noluit historiam à reliquis tribus euangelistis copiose traditam repetere. Norum est enim, ipsum ferè in sua historia persequi, quæ à reliquis euangelistis fuerunt prætermissa. Postremo & hæc causa solet adferri, quod Iohannes concionem Christi de nucleo huius sacramenti copiosè recitauerit, adeoque non nihil de hoc sacramento scripserit.

VI. Sequitur *argumentum tertium* apud Bellarm. ex institutione sacramenti, quod habetur *Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1 Cor. 11.* Rectè autè obseruat, hanc institutionem esse præcipuum fundamentum totius controversiæ, atque adeo totius huius altissimi mysterij. Sed non rectè contendit, verba illa huius Institutionis, *Hoc est corpus meum*, proprie & sine tropo accipiendam esse. Est enim hoc probare aggreditur ex circumstantijs: tum quia sunt verba testamenti, simul & præcepti: tum, quia apud familiares, & rudes discipulos, à Christo, iam iam morituro, prolata sunt: tum, quia nec metonymia, nec alius tropus, sine absurditate in ipsidem verbis statui posse videtur, cum nec in pronominè *Hoc* nec in verbo *Est*, nec in prædicato *corpus meum*, locum habere possit: est, inquam, his argumentis probare conatur, verba ista proprie, & sine tropo, accipiendam esse: tamen omnes causæ & circumstantiæ huius sacramenti contrarium suadent, verba nempe illa Christi per tropum omnino accipiendam esse; nec contrarium villo modo concludi potest, vel ex ratione præceptorum, aut testamentorum, vel ex discipulorum, aut ipsius etiam Christi qualicumque conditione. Et ut singula paucis pereuramus (copiosè enim hæc materia tractatur à *Chamiero, tom. 4. lib. 10. cap. 6. & seqq.*) quotiescunque Scriptura, & purior vetustas cum Scriptura loquens, in sacramentis nomina & proprietates rerum significatarum, inuisibilibus, spiritualibus, ac celestibus, tribuit signis visibilibus, corporalibus, ac terrenis, hæc sermonis forma nequaquam docetur, res significatas corporaliter aut substantialiter existere in signis, vel eo loco, in quo signa sunt, aut corporaliter cum signis accipi: sed res per signa representari & exhiberi, & in usu diuinitus instituto communicari, secundum promissionem euangelij. In cœna Domini symbolis visibilibus, panis & vino, tribuuntur nomina rerum significatarum, corporis & sanguinis Christi. Ergo in cœna sua hac locutione Christus nequaquam voluit docere, corpus & sanguinem suum, corporaliter & substantialiter & realiter existere in pane & vino, aut in loco, ubi existunt panis & vinum, aut illa cum his corporaliter & oraliter sumi: sed corpus suum fractum, & sanguinem fufum pro nobis in cruce, se nobis per hæc symbola, panem & vinum, representare & exhibere, & legitime utentibus, fide manducandum & bibendum dare. Hoc itaque fundamentum est nostræ sententiæ: Phrasium sacramentalium in omnibus sacramentis eandem esse rationem & similem sensum, in quibus res de signis prædicantur. Vnde iam facile est colligere nullam esse absurditatem in expositione nostra, qua metonymiam ponimus in prædicato illius sententiæ. Ex eodem etiam fundamento respondemus ad illud argumentum: Verba cœnæ esse verba testamenti, & proinde proprie prolata esse à Christo. Cum enim cœna sit testamentum & sacramentum simul, Christus phrasin sacramentalem optimo iure adhibuit. Sed paulo penitius, inspicimus hoc argumentum.

VII. *Principio* illud est animaduertendum, catachrestice in hac disputatione sumi vocabulum testamenti. Istud enim hic significat fœdus, ut passim in veteri versione Latina: non autem voluntatem ultimam morituri,

ut *Hebr. 9.* ex usu linguæ Græcæ sumitur. Constat hoc ex descriptione, quam addit Christus, nouum testamentum per meum sanguinem, effusum in remissionem peccatorum. Itaque Christus cœnam, non ultimam voluntatem suam, sed fœdus, id est, reconciliationem in ipsum credentium cum Deo, nominauit, quæ est voluntas eius perpetua. Sed quia cœna, quamquam non ex hoc loco, tamen hoc sensu nominari potest testamentum, non tantum quod Christus moriturus eam instituit (sic enim & concio, quam in cœna habuit, & præcatio *Iohan. 17.* & alia instante mortis tempore ab eo dicta, possent nominari testamentum, inter quæ etiam illa sunt, *Abeo ad Patrem, Relinquo mundum*) quam quod hoc fœdus inter Deum & homines; cuius cœna sacramentum & sigillum est, non sancitur neque ratum est, nisi interueniente morte mediatoris: qua in re similitudinem habet cum testamento; quod ratum sit morte testatoris, spectatam ab apostolo ad Hebræos: Ideo detur sanè Bellarmino, quod sit testamentum Christi morituri. Videamus itaque *secundo loco*, an verum sit, quod ipse dicit, testamentum & pacta esse ex eo rerum genere, quæ exquisitissimis & proprijs verbis explicantur. Id neque de testamento, neque de fœdere verum esse sic euincit. Testamentorum verba oportet esse perspicua, diserta, & non ambigua, sicut & fœderum: Sed semper oportere esse propria; & sine omni figura sermonis, quis concesserit: Constat enim apud rectè iudicantes, sæpe orationem figuratam esse clariorem, significantiorem; & aptiorem ad docendum & mouendum, quam est propria. Itaque absint sanè à testamentis figura & tropi, sed alieni à natura testamentorum & rebus legatis; à consuetudine rectè & vitate loquentium, ambiguitatem denique & obscuritatem parientes. Figuras enim vilitas, notas, illustres, emphaticas, ad exprimendam rei, de qua agitur, naturam & vim accommodatas; præsertim oratione etiam propria expositas; à testamentorum & fœderum formulis relegare; est Spiritum Dei sermonis auctorem, loqui docere velle: Talis autem figura est in formulis loquendi sacramentalibus, in quibus manifestum & notum semper fuit Ecclesiæ, signa non esse res significatas; & tamen harum nomina illis tribui, ut fideles confirmantur, tam certò sibi dari à Deo res inuisibiles ac celestes, quam visibiles ac terrenas accipere se sentiunt. Præterquam autem, quod illis, qui norunt, quæ bona Christus nobis promittat in verbo & sacramentis, minime obscurum est, quo sensu horum bonorum symbola tribuantur symbolis visibilibus; ne quidem his figuris admodum claris & perspicuis, Spiritus Christi usus est, sine adiunctis proprio & simplici sermone declarationibus.

VIII. Sed pergit Bellarminus, & ait: Verba legis oportet esse propria: Itaque & ista verba, *Accipite, edite, & bibite.* Sunt enim verba præcepti. Porro dogmata fidei præcipua (quale est illud, *Hoc est corpus meum*) non nisi proprijs verbis tradi solent in diuinis literis. *Resp. 1.* Innumera sunt præcepta diuina verbis figuratis concepta & enuntiata: ut, Circumcidite corda vestra; Attendite à fermento Phariseorum. 2. Verba ista, *Accipite, edite & bibite* proprie intelligenda. Christus enim iubet accipere & edere panem. 3. Dogmata fidei vbiunque traduntur in Scriptura, verbis perspicuis & claris, siue proprijs, siue figuratis, traduntur. Proprijs: ut, Audi Israel, Iehoua Deus noster vnus est. Figuratis: ut, Semen mulieris conteret caput serpentis. 4. Scriptura de sacramentis loquitur metonymicè orationis formâ; etiam in ipsa institutione ipsorum. Præcedit enim, *Gen. 17.* figurata locutio: Circumcisio est fœdus meum. Sequitur demum propria: Est signum fœderis mei. Sic præcedit figurata, *Exod. 12.* Sanguis agni est transitus. Sequitur propria: Sanguis ille erit vobis signum & monumentum transitus. Profus eodem modo præcedit figurata: Hic panis est corpus meum. Sequitur propria: Hoc facite, id est, hunc panem edite (interprete Paulo) in mei memoriam.

IX. Et si ex ijs, quæ hæcenus dixi, patet solutio ad ista duo, quod Christus iam iam moriturus allocutus sit discipulos suos rudes; & proinde proprijs verbis usus sit: tamen aliquid præter ea, quæ diximus, adferendum est. 1. Vix vsquam est maior usus figurati sermonis, quam in vehementioribus affectibus. Ideo Christus vicinus morti multa protulit figurato sermonis genere: ut, Pater si non est possibile, vt à me transeat poculum hoc &c. Si hoc faciunt in ligno viridi, quid fiet in arido &c. Desideraui vobiscum edere hoc Pascha &c. 2. Christus vsurpauit phrasin sacramentalem à medio peritam, & discipulis suis probe cognitam. Vnde & ipsi *Luc. 22.* Christum intelligunt, quando toties ingeminat locutionem istam sacramentalem, machare, parare, edere pascha. Satis ergo intelligebant discipuli, sic panem esse corpus Christi, sicut agnus erat transitus: Quid? Ex festione Christi ad mensam, ex declaratione ista, *Hoc facite in mei recordationem*, item ex illa phrasî, *Hoc est nouum fœdus*: poterant hæc tria colligere. 1. panem non esse corpus Christi visibile, palpabile: nam de inuisibili & impalpabili in crassis ipsorum mentes non veniebat speculatio tam subtilis. 2. panem & vinum esse sumenda ad mortis Christi recordationem. 3. nouum ritum esse nouum fœdus, sicut antiqui ritus erant antiquum fœdus.

X. *Quartum argumentum ex S. Ipturis*, accessit Bellarminus ex duobus locis. Primus est *1 Cor. 10.* Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Vbi consecratio istius sacramenti necessaria esse traditur, dum calix benedictionis appellatur: & panis in mysterio pro nobis frangi, hoc est, immolari seu in cruce offerri dicitur: & idem panis, communicatio seu participatio corporis Christi appellatur. Alter locus est *1 Cor. 11.* vbi quidam eorum, qui sacramentum hoc percipiunt, nempe qui indigne id percipiunt, ipsius corporis & sanguinis Christi, tanquam irreligiose percipientium, rei fieri dicuntur. *Resp. 1.* Consecratio est necessaria, non vt panis fiat corpus Christi per transubstantiationem, sed per cœlestem vocationem, vt loquitur Irenæus. Est itaque necessaria mutatio, non ratione naturæ, id est, substantiæ aut qualitatis, sed ratione officij & usus. 2. Fractio panis non est fractio corporis Christi proprie & realiter, sed sacramentaliter. 3. Paulus duo ponit in cœna Domini, signum, id est, ritum externum & visibilem, scilicet, fractionem panis & distributionem vini; & rem signatam, id est, communionem corporis & sanguinis Christi. Pane enim nominato intelligit rotum ritum, fractionem & sumtionem panis. Idem de poculo iudicium. Hæc igitur tenent subiecti locum in verbis Pauli. Prædicatum est, communicatio corporis & sanguinis Christi. At quo modo cohæreat hoc subiectum & hoc prædicatum? Vtique tanquam signum siue

sacramentum, & signatum siue res sacramenti, & quidem in legitimo usu: ita nempe, ut fractio panis fidelibus solis sit communio corporis Christi. De distributione vini est idem iudicium. Describit enim istam communionem ab effectu, simili, & contrario. Effectum est, quod per eam sumamus vnum corpus: nimirum per fidem in Christum. At non omnes, qui sumunt panem, fiunt membra Christi. Impossibile ergo est, Paulum hoc velle, quod panis sit ipsum corpus Christi realiter, seu ipsa communio corporis Christi: quia illa est incorporatio & insitio in illam massam humanæ naturæ, quam Filius Dei assumpsit, per vnum in ipsa & in sanctis habitantem spiritum. Deinde confert hanc communionem Christi in cœna, cum communione altaris, hoc est, beneficiorum altaris, seu quæ promittebat Deus sacrificantibus in fide Christi. Qui edunt victimas *regiarum* sunt altaris: quod perinde est, ac si dixisset: Manducatio victimarum est *regiarum* altaris. Quid autem est *regiarum* altaris, nisi applicatio victimæ Christi, significata per illas victimas in altari oblatas, ad eos, pro quibus offerantur, secundum hanc promissionem: *Ad expiationem animæ ipsius proficiet*. Sicut ergo vetera sacramenta erant communio Christi exhibendi: sic noua sunt eadem *regiarum* Christi exhibiti. Et sicut idem valent hæc locutiones, Edentes victimas sunt *regiarum* altaris, & Victimæ vel esus victimarum est *regiarum* altaris, id est, victimæ Christi: sic idem valent & istæ, Panis fractus & vinum distributum est *regiarum* corporis & sanguinis Christi, & Sumentes hunc panem & hoc vinum, sunt *regiarum* corporis & sanguinis Christi. Et quemadmodum edentes victimas non erant *regiarum* altaris, nisi credentes: sic edentes panem, & bibentes vinum, non sunt *regiarum* corporis & sanguinis, hoc est, mortis Christi, & membra Christi, nisi credentes. Atque huc etiam spectat collatio istius communio-nis cum suo contrario, videlicet, cum communione dæmoniorum: quæ non est corporalis, sed spiritualis coniunctio cum dæmonijs, quam prohibentur socij sacrificiorum idololatricorum. 4. Quod attinet ad reatum indignæ communicantium, ex illo male colligitur præsentia corporalis: quia reatus non contrahitur manducando corpus Christi, sed sacramentum corporis Christi non religiosè tractando: ut prolixè disputaui paulo antè cap. 3. & 4.

XI. *Secunda classis argumentorum pro corporali præsentia* apud Bellarminum continet testimonia Patrum: unde resultat *tertia*, videlicet consensus Ecclesiæ. Sic enim ait *lib. 2. de eu. haristia, in præmio*: Nos igitur, ut aperitissimè & breuissimè (quantum rei magnitudo patietur) intelligamus: quid Patres senserint, singulos seorsim excutiemus, ordine ætatis, quo in Ecclesia floruerunt. *Et mox*: Est autem illud obseruandum, testimonia Patrum, non quidem æquari per se Scripturarum testimonijs: tamen ex ijs aperte cognosci, quæ fuerit sententia & fides eius Ecclesiæ, quam omnes fatentur veram Christi Ecclesiam fuisse. *Iam* sequuntur apud Bellarminum testimonia Patrum per ætates singulas hoc ordine. *In prima ætate* sunt discipuli S. Andree apostoli, Ignatius, & Dionysius Areopagita: *in secunda* Iustinus, Pius I. Papa, & Irenæus: *in tertia*, Tertullianus, Origenes, & Cyprianus: *in quarta*, Concilium Nicænum, Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Basilus, Gregorius Nyssenus, Optatus Mileuitanus, Gregorius Nazianzenus, Ephrem, & Epiphanius: *in quinta* Gaudentius, Chryl-stomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Synodus Ephesina generalis, Proclus Constantinopolitanus, Theodoretus, Gelasius, Leo, Hilarius Papa, & Eusebius Emisenus: *in sexta*, Remigius & Primasius: *in septima*, Gregorius, & Isichius: *in octaua*, Damascenus, & Epiphanius: *in nona*, Theophylactus, & Paschasius: *in decima*, Stephanus Heduenis, & Fulbertus Carnotensis: *in undecima*, Anselmus, & Oecumenius: *in duodecima*, Euthymius, & Bernhartus: *in decima tertia*, Alexander Aletis, Albertus, Thomas, Bonaventura, & Concilium Lateranense sub Innocentio III. *in decima quarta*, Scotus, Henricus, Durandus, & c. *in decima quinta*, Concilium Constantiense & Florentinum, Thomas Waldensis, Iohannes Gerson, & multi Græci scriptores, ut Nicolaus Cabasilas, Bessarion Cardinalis, & c. *in decima sexta* Concilium Tridentinum, & testimonium Græcorum in censura ad confessionem Lutheranorum. *Tandem* in compendium redigit omnia testimonia, & reuocat ad sex classes, hoc modo. *Prima* est ex modo loquendi Patrum de hoc sacramento: ut, quod Eucharistiam appellant ferè semper corpus & sanguinem Domini, magnum & tremendum mysterium, pretiosum corpus, pignus salutis, pretium nostrum. Disertis quin etiam verbis dicunt, non esse figuram, sed ipsum verum corpus. *Secunda* est ex comparatione huius sacramenti cum alijs rebus: ac primo cum sacramentis Hebræorum. Patres enim affirmant, differre hoc sacramentum à manna, agno paschali, pane propositionis, & similibus rebus, ut veritatem à figuris, & corpus ab umbra, & rem cœlestem, diuinam & inconsumibilem a re terrena & consumptibili. Secundo comparant cum mysterio incarnationis. Tertio comparant Christum, ut est in altari per Eucharistiam, cum eodem Christo in præsepiti, & cum Christo in cœlo. Quarto comparant Christum in Eucharistia, cum angelis apparentibus in forma corporali. Quinto comparant indignè tractantes Eucharistiam cum illis, qui Christum occiderunt. *Tercia classis* sumitur ex mutatione panis. Nam indicant Patres realem mutationem fieri multis modis; quia dicunt, non remanere panem post mutationem; sensus falli hac in re; sic mutari panem in carnem, ut mutabatur per nutritionem Christo comedente. Et comparant istam mutationem cum realibus mutationibus, aquæ in vinum, virgatum in serpentes & c. Denique dicunt, ad istam mutationem requiri omnipotentiam Dei. *Quarta classis* sumitur ex mysterio altissimo, quod Patres agnoscebant in Eucharistia. Dicebant enim, non posse intelligi sine fide: hortabantur sæpe ad fidem certam, & ad non dubitandum de veritate huius mysterij: dicebant, miraculum esse superans humanum captum: non loquebantur de eo coram ethnicis & catechumenis, nisi teçtè, ut illis verbis: *Norunt fideles*: denique interrogantes, Quomodo potest fieri, remittebant ad omnipotentiam. *Quinta classis* sumitur ex veneratione. Nam primo adorabant Eucharistiam; secundo, inuocabant, vel inuocandam dicebant: tertio, diligentissimè cauebant, ne caderet in terram: quarto, non permittebant videri ab infidelibus, vel catechumenis: quinto asseriebant, angelos altare prope altare, dum peragitur sacrificium, & quidem altare inclinato capite. *Sexta classis* sumitur ex effectu, quem tribuunt Eucharistia. Nam primo dicunt, nobis per eam Christum vniri corporaliter: deinde, nostra corpora resurrectura, quia vniantur cum Christi corpore: tertio, donare Christum se nobis per Eucharistiam,

ut eum verè habeamus intra nos, quomodo cupiunt, & non possunt donare se homines ijs, quos amant: coniungi Christum nobiscum non solum per fidem, & charitatem, sed etiam reipsa, cum eum in Eucharistia percipimus: denique, per huius sacramenti perceptionem, nos fieri diuinæ consortes naturæ.

XII. Sed videamus quædam dicta Patrum, maioris lucis causa: & quidem illa, quæ habet *Becanus de cœna Calvinistica, cap. 6*. Hæc enim videtur se legisse, tanquam in primis euidencia. *Origenes homil. 5. in diuersa loca Euangelij*: Quando manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub teçtum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus, ut intres sub teçtum meum. *Hilarius lib. 8. de Trinitate*: De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. *Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica*: Cum Christus ipse dicat, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? *Et infra*: Aquam aliquando mutauit in vinum; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transfurauit? *Et iterum*: Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus. *Itemque*: Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi gustui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse. *Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 4*. Panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. *Et in libro de mysterijs inuicandis, c. 9*. Fortè dicas, Aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, ut adhuc probemus. Quantis vtimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. *Tandem post multa sic concludit*: Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? *Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum*. Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? *Et infra*: Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores. *Augustinus concione 1. in psal. 33*. Verebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum. Verebatur enim illud corpus in manibus. *Damascenus l. 4. de fide, c. 14*. Non est figura corporis & sanguinis Christi: absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum. *Theophylactus in cap. 26. Matth.* Non dixit, Hoc est figura, sed, Hoc est corpus. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis videatur esse panis.

XIII. Quoniam itaque in hoc campo, quasi proprio, Bellarminus & reliqui Papistæ admodum magnificè exultant, nostrarum partium erit non oscitanter hunc laborem in tanta testium nube dilucidanda exantlare. *Principio* itaque nos, si quisquam alius, Patrum dicta, genuina & teçtè explicata, magnificamus. Nam cum puioris & eruditæ antiquitatis testimonia Deus non frustra nobis cõseruata voluerit, gratis ea animis inquirimus & cognoscimus. Sunt enim velut manu ductio ad veram Scripturæ sententiam inuestigandam: & hac perspecta, certitudinem doctrinæ magis in priorum animis confirmant: ut pote inde ab apostolis per fidos eorum auditores & discipulos ad nos vsque propagata. Tunc autem ipsorum testimonium hunc vsum & hanc auctoritatem habent, quando non supposititia vel dubiæ fidei, non mutilata, non deprauata sophistis, & cum alijs ipsorum dictis pugnantibus glossis, non obscura, non ambigua, non inter se dissentanea, non solida & manifestatione carentia, non impropiè & obiter dicta; sed quando Scripturæ & analogiæ fidei consentanea, & ex ea confirmata, asseuerant; quando sibi ipsis eandem acceptis & collatis eorum dictis, constant; quando inter se, aut omnes, aut plerique & optimi, consentiunt; quando non suam priuatam, sed publicam totius Ecclesiæ, tam suæ quam superioris ætatis, sententiam & confessionem recitant; quando ex professio copiosè ac diligenter partes doctrinæ explicant. Eiusmodi ergo cum profertur à nostris veterum testimonia, quid est quod Becanus & reliqui Papistæ clamant, nos aperte repugnare Patribus, nos Patrum auctoritatem non reuereri, nos in tanta luce, tam impudentes esse, ut quorundam Patrum auctoritatem ipsi obiectare audeamus? Ipsi viderint, quas olim rationes Deo & sanctis maioribus, & toti Ecclesiæ reddituri sint, qui suæ auctoritatis tuendæ causâ, falsâ, & cum illorum doctrina ex diametro pugnantia, & ab illis maximo zelo damnata dogmata, veteribus assingunt.

XIV. Deinde in citandis Patrum dictis perpetua hæc regula est obseruanda: Verustos scriptores, inde ab apostolis vsque ad Antichristi regnum confirmatum, hoc est, qui totis quinque seculis post apostolos vixerunt, ferè sic explicare dogmata religionis Christianæ, uti nos ex verbo Dei ea explicamus: post inchoatum autem sextum ferè seculum, hoc est, post Gregorium Magnum, & deinceps, errores non paucos, ut in alijs doctrinæ capitibus, ita in hoc quoque irrepsisse. Sanè vno consensu veteres in scriptis suis, quæ constat esse *veritas*, docent, corpus Christi vno tempore non nisi vno in loco existere, in cœna vero, non nisi spiritualiter manducari. Quæ contra hanc sententiam citantur, aut sunt ab aduersarijs malè detorta, aut petita è scriptis, quæ constat esse supposititia, aut ex recentioribus, & iniuria temporum non vsquequaque sinceris scriptoribus, quales sunt Damascenus & Theophylactus; qui tamen ipsi quoque licet cum Papa videantur alibi loqui (si modo loca illa non sunt deprauata) collatis diligentius inter se ipsorum dictis, aduersarijs non suffragantur. *Porro* quæ oratoriè, hyperbolicè, allegoricè, & encomiasticè à Patribus dicuntur, non sunt ad viuum rescanda.

XV. *Tertio*, ne intra verba consistere videatur nostra oratio, magno illi catalogo Bellarmini opponimus collectionem magno studio à nostris in hoc argumento suscepta: qualis est *Oecotampadii* dialogus ad Melancthonem; *Petri Martyri* defensio contra Gardinerum; *Thomæ Crameri* archiepiscopi Cantuariensis defensio doctrinæ de cœna; *Hessandri* orthodoxus consensus; *Thomæ Becani* collatio cœnæ & missæ; denique *Saduelv*, *Mornas*, *Plessai*, *Sustliui*, *Mortani*, & *Polani* labor, quem in hoc argumento sumserunt. Iam ad sex illas classes nos conuertamus: quas Bellarminus ingeniosè iuxta & fructuose constituit. Nam hoc modo paucis, & veluti *regulæ* possimus

possimus respondere ad omnia illa, quæ copiosè toto libro secundo collegit ex tot authoribus.

XVI. In prima igitur classe sunt appellationes huius sacramenti: quas pfecto nos admittimus. Iustinus n. verbi gratia dicit in apologia 2 nos hæc non tanquam communem panem & vinum sumere, sed tanquam ea, quæ sint corpus & sanguis Christi. Idem & nos confitemur: panem nempe esse corpus Christi sacramentaliter, mysticè, & c. Quoties itaque Patres sacra Eucharistiæ symbola appellant corpus & sanguinem Christi, metonymia sacramentali vtuntur. Id enim patet ex subiecta materia: item ex alijs ipsorum locis, vbi panem & vinum appellant typos, figuras, imagines & c. Idem est iudicium de istis appellationibus, quando vocant pretiosum corpus, tremenda mysteria, pretium nostrum. At proprie loquuntur, quando appellant pignus salutis. Etsi enim est metaphora, non tamen metonymia sacramentalis: & eatenus est propria locutio. Denique si Damasceus, & reliqui, per figuram intelligunt inane signum, seu nudam figuram, cum qua non sit coniuncta rei significata perceptio, recte negant panem & vinum esse figuram. Etenim in legitimo vsu vna cum pane accipimus corpus Christi. Atque hoc sensu particulam cum (vt hoc obiter addam) nostri admittunt, si intelligatur de coniuncta vtriusque manducatione, non autem de eodem manducationis modo.

XVII. Quod attinet ad secundam classem, veteres docent, sacramenta vetera fuisse nouorum typos, sed non eos sensu, quasi nostra sacramenta sint res significata. Id enim prorsus est alienum à rei natura, & mente Patrum. Nam in sacramentis V. & N. T. est vna & eadem res significata, vt supra ex Patribus probauimus. Quia verò differunt gradu claritatis, recte sacramenta vetera dicuntur typos, hoc est, sciagraphia & imagines adumbrata; noua, antitypa; hoc est, imagines expressæ & illustrata: vt paulo ante pluribus est à nobis indicatum. Deinde veteres Eucharistiam, vt paulo ante pluribus est à nobis considerant, vt est actio terrena & cœlestis, cõstans signo & re significata. Et cũ res significata in N. T. sit exhibita, Patres sacramenta noua tantopere p veteribus extollunt. Vnde iam facile colligere est, cur Eucharistiã comparent cũ mysterio incarnationis seu vnionis personalis. Sed hæc collatio fit in genere tantum, non in specie vnionis. Est enim vtrobique vnio, qua ex duabus partibus vnum quoddam integrum constituitur sed in Christo est vnio personalis, in sacramentis est vnio sacramentalis. Et sicut in Christo humana natura dependet, ac vim suam habet à diuina: sic in sacramento signum est inutile, ac ne sacramentum quidem, nisi coniunctam habeat rem signatam. Sed vnio personalis requirit, vt deitas existat semper in natura humana, eamque gestet, seruet, ac viuificet, sibi arcano & arcissimò nexu coniunctam & vnitam: vnio vero sacramentalis nequaquam in eo consistit, vt res signata sit in signo substantialiter aut corporaliter. Itaque similitudo hæc tenet procedit: integrum sacramentum constare ex signo & signato, in legitimo vsu, sicut vna Christi persona ex duabus constat naturis. Clarius: Vt in Christo inuisibilis deitas vnita visibili humanitati, per hanc operans sese exerit: sic in sacramentis inuisibilis deitas, assistens visibilibus symbolis, per ea operatur fidem in cordibus, & carnis Christi nos facit participes. Porro Christus idem qui est in cœlo, & qui iacuit in præsepiti, est in altari, hoc est, in Eucharistiã, sed non eodem modo. Nam ibi est localiter; hic, vi promissionis. At quomodo excusari potest comparatio Augustini, qua Christum in Eucharistiã comparat cum angelis apparentibus in forma corporali? Admodum eleganter. Nam sicut Angeli sua natura inuisibiles apparuerunt in corporibus assumptis, non per mutationem & conuersionem naturæ, sed vt vnica vnio: ita corpus & sanguis Christi, quæ iam à nobis non videri possunt, quia sunt in cœlo, videntur in pane & vino, quatenus per illa representantur. Denique infideles indigne tractantes Eucharistiã, merito comparantur cum ijs, qui Christum crucifixerunt, non quod macent Christum sub speciebus Eucharistiæ latentem, sed quia profanam ducunt sanguinem fœderis, eumque veluti pedibus conculcant: vt pluribus diximus de manducatione indigna.

XVIII. Quæ adferuntur in eia classe de mutatione panis non loquuntur de substantiali, sed tantum de sacramentali mutatione, qua panis mutatur in corpus Christi, non mutatione substantiæ panis in substantiam carnis, sed mutatione vsus & officij. Et quia veram hanc & relatiuam mutationem non sensus externi, sed sola mens, seu fides percipit, Patres dicunt sensus falli in hac re: non quod decipiantur, sed quia ipsorum iudicium fallit, si extendatur ad rem ipsi sublimiorem diiudicandam. Etsi enim sensus falli non possunt circa sua objecta; tamen fallimur nos, & illi nos fallunt, quando volumus ipsos consulere in ijs, quæ superant ipsorum vim & vocationem. Porro & illud recte dici atque intelligi potest, sic mutari panem Eucharistiæ in carnem, vt mutabatur per nutritionem Christo comedente: non quod vtrobique sit mutatio substantialis, sed vera & realis. Nam mutatio ratione officij panis æque est realis, atque altera ista. Quo sensu & illa defendi possunt, quæ adferuntur de realibus mutationibus in miraculis, vt in conuersione aquæ in vinum. Postremo mutatio hæc, vt videlicet panis nobis significet corpus Christi, non potest fieri sine diuina Christi potentia. Christus enim non tantum autoritate sua diuina instituit sacramenta, sed spiritu & virtute sua diuina implet in nobis, quod per sacramenta nobis significat, promittit ac testatur. Vt igitur hunc panem edentes, edamus corpus Christi; sit omnipotentia verbi, nos corpori suo inferentis. Panis ergo substantialiter manens panis, vsu & conditione, hoc est sacramentaliter fit corpus Christi, seu ipsius caro: sit, inquam, ipsius caro, quatenus omnipotentia Christi per panem in legitimo vsu communicatur nobis caro ipsius, pro nobis tradita.

XIX. Quæ in eia classe facile potest intelligi ab ijs, qui norunt, quantum sit miraculum, quod corpus Christi in cœlo existens, mediante salutari vsu panis eucharistici, nobis vnitur in his terris. Hæc enim est coniunctio, quam oportet in eucharistiã principaliter spectare. Nam panis & corpus Christi non vniantur, vnione sacramentali, propter se, sed propter vnionem istam spiritualem. Opus itaque est fide, & ea quidem firma, quæ non quærat, Quomodo, dubitando de veritate; seti potest quætere, Quomodo, inquirendo veritatem. Cæterum quod veteres mysterium eucharistiæ coram ethnicis & catechumenis occultarunt, non arguit præsentia corporalis veritatem, sed mysterij sublimitatem. Ea enim est mysteriorum natura, vt prius explicanda sunt ignorantibus, quam ostendenda, vel potius prostituenda.

XX. Sexta classis est de veneratione huius sacramenti, quam vna cum veteribus geminam agnoscimus. Nam quia diuina virtus Christi se infundit verbo ipsius tam visibili quam audibili, vera fide excepto, (etenim sacramenta non minus quam euangelium sunt potentia Dei ad salutem omni credenti) diuina hæc efficacia cõciliat sacramentis religiosam deuotionem; hoc est, symbolorum reuerentiã & legitimum vsu; & rerum figuratarum fidelem & gratam meditationem, vtramque conuenientibus gestibus demonstrandam. Itaque Christus, vt in alijs diuinis officijs, ita etiam in legitimo vsu Eucharistiæ adorandus est; & signa facta non profano modo habenda sunt, sed reuerenter omnino tractanda. Neque tamen ideo honor rei significatæ proprius, tribuendus est ipsis signis. Quæ deinceps dicuntur de angelis ipsos adfiteri Eucharistiæ, hæc de legitimo vsu vera sunt. Nã angeli procul dubio adfunt & interfunt diuinis officijs, in timore Dei, ex fide, iuxta normam Scripturæ peractis.

XXI. In sexta & vltima classe differitur de effectu Eucharistiæ, quem per omnia probamus; hoc modo. Non solum Spiritus Christi communio-nem in cœna agnoscimus, sed etiam corporis & sanguinis veri veram & substantialem communionem, quæ fit per Spiritum Christi. Hæc itaque communio dicitur substantialis, non quod ad consubstantialitatem, sed vsque ad societatem Christi germanissimam hæc vnitas peruenit; vt sunt verba Cyrilli in sermone de cœna. Et hoc sensu cum Cyrillo lib. 11. in Iohan. c. 27. dicimus Christum in legitimo vsu huius sacramenti corporaliter nobiscum vniri; hoc est, vere secundum corpus, etsi non modo corporali, sed spiritali. Vnum enim Christo secundum corpus & secundum spiritum; seu vnum cum corpore & Spiritu Christi: quia obiectum, cui vnimur, (hoc est duæ naturæ in Christo) aliud corporale, aliud spirituale est. Vnio autem ipsa, siue modus vnionis, vtrobique spiritalis est, hoc est, non membris & sensibus corporis, sed operatione Spiritus sancti perficitur. Nam sicut vniri Christo secundum spiritum, est vnum cum ipso Spiritum communem habere, & nostrum spiritum ipsius spiritui conformem fieri: sic vniri ei secundum corpus, est cum ipsius corpore coniungi & copulari, eique nostra corpora fieri conformia, in hac vita inchoatione, in altera consummatione. Hæc autem vtraque vnio, & cum spiritu, & cum corpore Christi, semel & simul perficitur, virtute Spiritus Christi, qui nos & sibi & corpori Christi vnit, id est, Spiritum nostrum sibi, & corpus nostrum corpori Christi, copulat & conformat, atque adeo nos consortes facit diuinæ naturæ.

XXII. Iam facile est respondere ad ea, quæ Beatus §. 12. ex Patribus attulit, testimonia. Nam 1. Dominus ingreditur testum nostrum, quando manducamus & bibimus corpus eius vera fide, idque extra sacramentum, & in sacramento Eucharistiæ. 2. Panis & vinum veteres sunt caro & sanguis Christi, partim significatione, partim fide, vt ipse Hilarius d. l. dicit: 3. Vt Christus aquam in vinum mutauit substantialiter, ita vinum in sanguinem suum transmutat sacramentaliter. 4. Nos sumus Christophori, quando carnem & sanguinem Christi vera fide intra nos recipimus. 5. Gustus panem & vinum gustat, neque aliquid amplius percipit: at fides percipit non duntaxat panem Domini; sed etiam panem Dominum. 6. De pane sit caro Christi sacramentaliter, non substantialiter. 7. Natura panis mutatur, non quod substantiam deponat, sed quia nouam proprietatem & conditionem, quam prius non habebat, acquirit, nempe, vt iam non tantum panis, sed sacramentum corporis Christi sit. 8. Vt omnipotentia Dei in creatione, sic etiam in Eucharistiæ perfectione primas tenet. Perfectio enim ista consistit in vnione mytica Christi & credentium, quæ confirmatur & promouetur per hoc sacramentum. 9. Vtrique altare est sedes corporis Christi, & calices sunt portatores sanguinis Christi sacramentaliter: quatenus nempe symbolum corporis est in mensa siue altari, & symbolum sanguinis in calice. Itaque sacramentum corporis & sanguinis, non verò substantia carnis & sanguinis est in altari & calice. Interim substantia vtriusque percipitur in Eucharistiã legitimo vsu. 10. Christus ferebatur in manibus suis, nempe sacramentaliter. 11. Panis non est figura corporis Christi, hoc est, vnibræ, seu figura inanis: sed est ipsum corpus sacramentaliter. 12. Panis ineffabili operatione transformatur, non ratione substantiæ, sed ratione significationis, seu officij.

XXIII. Sed, inquit, aduersarij, vos glossis vestris vim facitis literæ & sententiæ Patrum. Grauis vtique accusatio: si vera. Sed non est vera, vt patet ex his testimonijs. Dionysius in hierarch. ecclesiast. c. 3. præclare ait: Per venerabilia signa Christus signatur & sumitur. Sic Hilarius lib. 8. de Trinitate: Nosque vere sub mysterio carnis corporis sui sumimus, & per hoc vnimur ei. Et Chrysostomus super 1. Corint. 10. Nos Christo per hunc panem vnimur. Similiter Augustinus de verbis apostoli, ser. 2. Tunc vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi; si quod in sacramento visibiliter sumitur; in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Idem in psalm. 98. Non hoc corpus, quod videtis, manducatur estis, & bibitur illum sanguinem, quem suscipiunt, qui crucifigunt me. Sacramentum aliquod vobis commendatum: spiritaliter intellectum viuificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari: oportet tamen inuisibiliter intelligi. Ex his & similibus Patrum dictis, concludimus, res internas & spirituales nobis per sacramenta tanquam signa & organa diuinitus communicari, non autem illis includi.

XXIV. Restat vltimus labor huius dissertationis, an sententiã de præsentia corporali sit consentanea rectæ rationi? Quam priusquam aggrediar, operæ pretium facturus mihi videor, si ex Beatio nonnulla delibent de duplici præsentia carnis Christi, quam ille cap. 1. de Eucharistiã Catholicorum summarim ita describit. Catholici docent in Concilio Tridentino sess. 13. Christum vere, realiter, & substantialiter præsentem esse, non solum in cœlo, sed etiam in sacramento Eucharistiæ. Vnde agnoscunt duas præsentias: Vnam vocant sacramentalem, qua Christus vere, realiter, & substantialiter præsens est in Eucharistiã, modo quodam indiuisibili, & sine extensione locali: alteram naturalem, seu quantitatiuam, qua vere, realiter, & substantialiter præsens est in cœlo, modo quodam diuisibili, & cum extensione locali. Itaque corpus Christi in Eucharistiã habet quoddam esse sacramentale, in quo multa spectari possunt. 1. præsentia in loco. 2. præsentia cum speciebus consecratis. 3. vnio cum ipsdem speciebus. 4. modus existendi indiuisibiliter, & sine extensione locali. Præsentia corporis Christi in loco seu spatio (in quo sunt species consecratæ) est accidens quoddam reale distinctum ab omnibus

omnibus accidentibus, quæ Christus habet in cælo, & propriè reuocari potest ad prædicamentum vbi: Præter hanc præsentiam Christi in loco, datur alia *præsentia cum speciebus consecratis*, quæ nihil est aliud quam indistantia à speciebus, hoc est, vnio localis. Itaque quoties transfertur hostia de loco in locum, toties mutatur præsentia Christi in loco, & tamen non mutatur præsentia Christi cum speciebus consecratis. *Vnio corporis Christi cum speciebus* non est formalis physica, qualis est inter materiam & formam, inter substantiam & accidens, inter humanitatem Christi & personam verbi, neque effectiua physica, qualis est inter magnetem & ferrum: sed sacramentalis, qualis est inter signum & rem signatam. Constat enim species panis & vini esse signum sensibile; & corpus & sanguinem Christi esse rem signatam. *Modus existendi indiuisibiliter* sic explicari potest. In quantitate est duplex extensio: vna in toto, altera in loco. Prior extensio pertinet ad essentiam quantitatis; posterior est proprietatis eius, quæ separari ab ea potest. Hinc fit, vt corpus, quod habet in se quantitatem, consequenter habeat duplicem extensionem: vnam, qua in seipso; alteram, qua in loco est extensum. Vnde sequitur, si à quantitate per diuinam potentiam auferretur posterior extensio, salua priori; fore, vt corpus, licet in seipso extensum, non tamen haberet extensionem localem, sed quasi indiuisibiliter existeret in loco, ita vt totum esset in toto, & totum in qualibet parte. Hoc autem factum est in hoc mysterio. Nam corpus Christi, quod in se diuisibile & extensum est, habens omnia membra inter se ordinata & distincta; existit indiuisibiliter in sacramento, id est, totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ. Atque hinc patet differentia inter hunc modum, quo Christus indiuisibiliter est in sacramento, & inter modum, quo Deus indiuisibiliter est in mundo, & angelus indiuisibiliter in loco, & anima indiuisibiliter in corpore. Nam Deus, angelus, & anima, non solum carent extensione locali, sed etiam interna: at corpus Christi habet internam extensionem, quamuis localem non habeat. Porro hæc duæ præsentia partim inter se conueniunt, partim differunt. *Conueniunt* in tribus. 1. quod vtraque sit accidens reale, inherens corpori Christi. 2. quod vtraque produci possit per realem actionem: naturalis quidem per motum localem; sacramentalis autem per actionem adductiuam, qua fit præfens in Eucharistia, cum antea tantum præfens esset in cælo. 3. quod vtraque sit fundamentum propinquitatis & distantia. *Differunt* etiam in tribus. 1. quod præsentia naturalis habeat duplicem extensionem: vnam ex parte subiecti, alteram ex parte loci seu spatij. At præsentia sacramentalis licet sit extensa ex parte subiecti, non tamen ex parte spatij. 2. quod corpus Christi per naturalem præsentiam ita occupet & repleat locum, in quo est, vt inde excludat quamuis aliam quantitatem naturali modo existentem. Non enim naturaliter dari potest penetratio quantitatum. Hoc autem non fit per sacramentalem præsentiam. Nam corpus Christi in sacramento patitur secum in eodem loco quantitatem panis. 3. corpus Christi per naturalem præsentiam coextenditur loco, ita vt totum sit in toto, & pars in parte. Itaque hæc duæ præsentia differunt realiter. Primo, quia vna est naturalis, altera supernaturalis. Secundo, quia naturalis essentialiter includit extensionem partium in loco, quam sacramentalis non includit. Quamuis enim localis extensio non sit de essentia quantitatis (cum à quantitate separari possit) est tamen de essentia præsentia naturalis, quæ fit per quantitatem. Non enim concipi potest, corpus esse naturaliter præfens in loco per suam quantitatem, sine extensione locali.

Ex his efficitur, sacramentalem præsentiam differre à præsentia angelicâ, ex parte subiecti, quia præsentia angelicâ est in subiecto spirituali & indiuisibili, ac proinde ipsa quoque spiritualis & indiuisibilis est; præsentia autem corporis Christi in sacramento, sicut est in subiecto materiali & diuisibili, sic ipsa quoque materialis est & diuisibilis. Conuenit tamen ex parte loci, quia vtraque constituit suum subiectum indiuisibiliter in loco. Superest, vt explicemus, an præsentia sacramentalis dependeat à naturali? Opus autem est distinctione. Nam duplex est dependentia: vna intrinseca & essentialis, altera accidentaria. Igitur præsentia sacramentalis non pendet intrinsece & essentialiter à naturali; pendet tamen accidentariè, seu ex arbitrio & voluntate Dei. Etenim Christus nunc est præfens in sacramento, ex vi illius institutionis, quam ipse fecit existens extra sacramentum.

XXV. *De his Becani paradoxis* merito vsurpaueris illud: *ἡ ἀπορία*. Primo itaque opponamus illis veram doctrinam de præsentia & ipsius modis: deinde refutemus absurditates absurdissimas. *Est autem præsentia primo* in se, vel in alio. Illa dicitur entitatiua; hæc est vel in loco siue spatio, vt sol est in cælo; vel in termino correlatiuo, vt causâ est in effecto, effectum in causâ, pars in toto, genus in specie, animus in patinis &c. *Secundo* præsentia est localis, vel illocalis. Illa est creaturarum, earumque spiritualium & corporearum: hæc est solius Dei, vt pote qui solus est supra & extra locum. Videas tamen in illocalitate etiam vsurpari, ita vt opponatur localitati circumscriptiua: atque ita quilibet Spiritus dicitur illocalis, siue sit infinitus, siue finitus. Rursus præsentia illocalis etiam vsurpatur de spirituali & pactionali: itidem latè sumto vocabulo *illocalis*. *Tertio* præsentia est indiuisibilis, vel diuisibilis. Illa est sine extensione partium in spatio, vt in Deo, angelis, & anima hominis: hæc est connaturalis corpori quanto; vnde & quantitatiua dicitur. *Quarto* præsentia est immediata, vel mediata. *Quinto* est corporalis, vel spiritualis. *Sexto* est absoluta, vel relatiua. *Septimo* est naturalis, vel supernaturalis. *Octauo* est realis, vel intentionalis. *Nono* est sensibilis, vel insensibilis. *Decimo* est substantialis, vel accidentalis. *Vndecimo* est symbolica, obiectiua, virtualis, vel essentialis. *Duodecimo* est separabilis, vel inseparabilis. *Decimo tertio* est generalis, vel specialis. *Decimo quarto* est naturalis, vel pactionalis. *Decimo sexto* est durabilis, vel momentanea. De his modis sunt istæ regulæ. 1. Vnumquodque ens sibi intime est præfens. 2. Præsentia illocalis, proprie dicta non potest esse entis localis. 3. Præsentia localis est inseparabilis à creatura. 4. Præsentia indiuisibilis non potest esse corporis alicuius physici & propriè dicti. 5. Præsentia corporis immediata non potest esse nisi corporea: mediata potest esse spiritualis, obiectiua, virtualis, symbolica. 6. Præsentia relatiua fundatur in absoluta: & accidentalis in substantiali. 7. Præsentia supernaturalis non tollit naturalem, neque est ipsi contraria. 8. Præsentia pactionalis non aduersatur naturali. His ita præmissis veniamus ad paradoxâ Becani, & illa refutemus.

XXVI. *Principio* dicit, duas esse corporis Christi præsentias: vnam localem, alteram sacramentalem. Rectè sane. Sed quod vtramque tribuit cor-

pori, quatenus est corpus, id est, substantia corporea, vehementer hallucinatur. Etenim corpus Christi, qua corpus, admittit vnam duntaxat præsentiam, eamque corporalem, substantialem, localem, inseparabilem, absolutam, immediatam. Idem, quatenus est datum pro vobis in mortem, & in Eucharistia repræsentatur per panem, atque exhibetur animæ fideli, habet præsentiam spiritualem, illocalem, separabilem, relatiuam, & mediatam. Hæc siquidem præsentia fit Spiritu Christi: & proinde non fit immediatè, neque absolutè, sed mediante persona & Spiritu Christi, respectu fidei: quia totus Christus est in Eucharistia, efficacia Spiritus sui. Facessat itaque hypothesis illa, quod corpus Christi præsentia naturali, seu physica, sit in cælo, modo diuisibili: præsentia sacramentali, in pane, modo indiuisibili. Admittit enim corpus Christi, æque atque corpus nostrum, vnam duntaxat præsentiam, videlicet naturalem istam, qua omne corpus extenditur localiter, ita vt totum sit in toto, & pars in parte, qua ita occupat spatium quod replet, vt ab eo necessario excludat omnem aliam quantitatem extensam & in loco alio existentem. Ratio est; quia hæc est natura corporis in prima creatione a Deo ipsi indita, vt per hanc sit id quod est, & ab omnibus alijs naturis distinctum sit. Ergo si corpus Christi est verum corpus, oportet vt hanc naturam retineat, quamdiu est & manet verum corpus.

XXVII. *Deinde* si esse sacramentale, quod habet corpus Christi in Eucharistia, non oportet metiri præsentia substantialem, qua substantia corporis eius sit in illo loco, in quo sunt panis & vinum, sed præsentia totius personæ, Spiritus, & virtutis. Itaque præsentia corporis Christi nulla est in pane, sed in Eucharistia. Et nihilo minus tamen panis & corpus Christi vniuntur; vnione symbolica, quæ consistit in analogia signi & signati, & vnione spirituali, quæ fit per fidem: ita vt præsentia Becani, quam vocat cum speciebus consecratis, sit frustra. Quod dicit de vnione signi & signati, verum est, si rectè explicetur.

XXVIII. *Tertio loco* disputat de duplici quantitatis extensione: vna absoluta seu entitatiua, altera respectiua seu locali, vt alij loquuntur. Quæ distinctio probi est commatis. Sed *τὸ πρῶτον* falsa est: vbi dicit, priorem extensionem pertinere ad essentiam quantitatis, ideoque esse inseparabilem: posteriorem esse eius proprietatem, ac proinde separari posse. Itane verò? At omnis proprietates est inseparabilis: quia etsi non pertinet ad essentiam à priori, illam videlicet constituendo; verè tamen ad illam pertinet à posteriori, ipsam nempe necessario consequendo. Hinc illud: *Ἐστὶ τὸ ἴδιον* non sunt *συμβαλόντες* nisi *φύσεις*, tamen sunt aliquid *παρεστώμενον τῇ φύσει*. Quid? Proprietates constituunt existentiam rei, iuxta illud *πλοῦθος* &c. Plura requiruntur ad existentiam rei, quam ad essentiam; puta proprietates. Ideo positò corpore quanto in rerum natura, ponitur vtraque ipsius extensio, absoluta & relatiua. Est autem perpetua petitio principij, quando Becanus dicit, in hoc mysterio extensionem posteriorem virtute diuina separatam esse à quantitate corporis Christi, salua priori. Itaque corruunt sequentia, quæ super hoc ruinosum fundamentum extruuntur: videlicet indiuisibilis existentia corporis Christi in hoc sacramento; discrimen inter hanc indiuisibilem existentiam & illam, quæ est Dei, angeli, & animæ nostræ; denique conuenientia & differentia præsentia naturalis & sacramentalis, prout ab illo vtraque assignatur. Excipe tamen ista duo. 1. quod præsentia naturalis & sacramentalis corporis Christi differat realiter. 2. quod sacramentalem pendeat à voluntate Dei. Hæc enim rectè dicuntur de præsentia sacramentali, prout à nobis illa est explicata.

XXIX. Nunc sequuntur *argumenta pro præsentia corporali, qua supponitur ratio* adiuta varijs principijs fidei, vt sunt verba Bellarmini: qui totam hanc quæstionem fecit in duas partes. Primum enim quærit, an potuerit Deus reipsa præfens exhibere corpus & sanguinem Domini, in specie panis & vini: deinde an voluerit. Quare tota nostra disputatio deinceps futura est de possibilitate, & veritate huius rei. Tamen enim *Chamierus* copiosè disputauit *tom. 2. lib. 6.* de veritate corporis Christi: tamen hoc loco breuiter adferemus nonnulla, quæ hoc argumentum amplius illustrabunt; & melioris ordinis causa primam partem, quæ est de possibilitate, partiemur in sex quæstiones. 1. Quæ sit regula cognoscendi, quid Deus possit? 2. An corpus possit esse illocalis, seu, An corpus possit alicubi esse non occupando locum, seu, An fieri possit, vt corpus sit alicubi præfens indiuisibiliter, & sine extensione locali? 3. An fieri possit, vt idem corpus sit præfens in duobus vel pluribus locis? 4. An idem corpus existens in duobus locis habeat vtrobiusque eandem formas, siue substantiales, siue accidentales? 5. An idem corpus existens in duobus locis, si mutetur in vno, mutetur etiam in altero? 6. An penetratio corporum sit possibilis? Ventilemus singulas.

XXX. *Regula cognoscendi quid Deus possit* alia est generalis, alia specialis. *Regula generalis* iterum est popularis, vel magis philosophica. Illam sic ferè enuntiamus: Deus potest omnia, quæ non pugnant cum bonitate, iustitia, veritate, perfectione, & beatitudine ipsius. Hæc enim non sunt potentia, sed potius impotentia. Ita Deus non potest mentiri: non potest mori: non potest seipsum negare: non potest velle aut facere contradictoria. Hanc eandem regulam ita efferimus magis philosophicè: Omnipotens non potest facere illa, quibus repugnat fieri ex se, & sua natura: seu, quæ facere est deficere. Quare cum quæritur, possitne omnipotens hoc vel illud efficere, prius dispiciendum est, an hoc illud sit eiusmodi, cui fieri non repugnet ex se, & sua natura. Neque enim ad omnipotentiam facit præstare, vt tria & quatuor non sint septem, vt homo non sit animal, aut non sit animal rationale. Quia hæc, & his similia, fieri repugnat, eo quod manifestam inuoluunt contradictionem. Quod si enim est homo, vtrique animal, & quidem rationale sit, necesse est. Sin autem animal rationale non est, nec etiam homo erit. Porro subijs, quæ simpliciter & vbi que contradictoria sunt, seu quibus ex se & sua natura fieri repugnat, includuntur & illa, quæ in creaturis quidem fieri possunt, ac solent, in Deo autem non possunt, vt Deus non potest mori: item ista, quæ ex hypothesi diuinæ voluntatis, siue decreti Dei, sunt impossibilia. Etsi enim priora illa eiusmodi non sunt, quibus fieri simpliciter repugnat ex se & sua natura, puta vbi que sine omni subiecto; & hæc posteriora per se absolutè sunt impossibilia: tamen vtraque sub contradictorijs includuntur per reductionem, vt loquuntur. *Regula specialis* ita habent. 1. Potentia Dei non est separanda ab eius voluntate. Nam quæ Deus velle non potest, facere non potest. 2. Quidquid possunt causæ secundæ efficere vi diuinitus sibi indita, id potest Deus efficere modo longe perfectiori. 3. Deus non potest

Respondet. Id demum est monstra monstris cumulare. Nam si Deus potest separare partes corporis indiuisibiliter in puncto existentis, indiuisibile est diuisibile. 4. Si corpus Christi esset indiuisibiliter in hostia, iam omnes partes essent inter se confusæ, & non magis distaret pes à capite, quam à femore; quod est absurdum. Consequentia patet, quia omnes partes essent simul in qualibet parte hostiæ, etiam in indiuisibili puncto; ac proinde nulla esset inter illas distantia, sed omnes essent æque inter se propinquæ. Quod autem hoc absurdum sit, patet, quia est contra naturalem compositionem corporis. Hæc enim requirit certum membrorum ordinem ac dispositionem, quæ non potest consistere cum illa partium omnium confusione. *Respondet Becanus.* Duplex est distantia: vna, quantitativa; altera, localis seu spatialis. Prior sequitur ex intrinseca extensione, quam quantitas habet in se, & consistit in eo, quod inter partes distantes tanta quantitas intercedat, & cum tanta densitate vel raritate, quanta sufficit ex natura rei ad occupandum tantum spatium. Posterior sequitur ex locali extensione, & consistit in eo, quod partes corporis actu occupant partes spatij inter se distantes. Si ergo sermo sit de priori distantia, sic partes corporis Christi non æquè inter se distant. Si de posteriori, sic æquè distant, quia omnes sunt indiuisibiliter præsentis eidem spatio. Hinc rectè dixit Hilarius, *Vbi est pars, ibi est totum* vt habetur apud Gratianum cap. Vbi, de consecrat. d. 2. *Resp.* Distantia rectè distinguitur in quantitativam, & localem. Sed in accommodatione iterum est petitio principij. Oportet enim primo demonstrare præsentiam corporis Christi indiuisibilem, & deinde istam distinctionem accommodare huic negotio, id est, corpori Christi, quod est vnum numero visibile, circumscriptum, organicum.

XXXIV. Accingamur ad 3. quæstionem, An vnū numero corpus possit esse in diuersis simul locis? Nos negam⁹. Papatæ vtuntur hac distinctione: naturaliter fieri nō posse, supernaturaliter posse. Hoc pbant sequentibus argumentis. 1. Quidquid nō implicat contradictionē, hoc à Deo fieri potest. At nō implicat contradictionē, vt idē corp⁹ sit in multis locis; nec aduersarij poruerūt hactenus ostendere vllā contradictionem. Ergo à Deo fieri potest. 2. Non est impossibile, vt vna eadēq; essentia sit simul in distinctis psonis; vt vna persona terminet distinctas naturas; vt idē homo sit in distinctis temporibus. semel in principio mundi, & iterū post resurrectionē mortuorū; vt idē æternitatis spatium, seu punctū, diuersis temporibus coexistat; vt aliquid è nihilo fiat, & rursum in nihilum redigatur; vt vnus loc⁹ capiat distincta corpora p penetrationē. Ergo non est impossibile, vt idem corp⁹ sit in distinctis locis. Nā illa priora non min⁹ superant captū nostrum, q̄ hoc posterius. Si ergo illa creduntur vt possibilis, cur similiter hoc possibile non erit: psertim quia hæc *πολυλογία* corporis, rationi minus est absurda, q̄ illa modo dicta: Quod si liberū sit cuiuslibet, hæc vel illa religionis Christianæ dogmata admittere, cur non abijcimus oīa fidei mysteria? Facilius est intelligere, Christum esse in cælo & in Eucharistia, q̄ nos asserimus, quā intelligere, Christum non alibi esse quam in cælo, & nihilomin⁹ esse in Eucharistia, q̄ asserunt Caluinus & Beza. Si ergo hoc putant esse possibile cur illud dicunt esse impossibile. 4. Accedit efficax ratio ex Scripturis. Cōcedunt aduersarij, Christum post ascensionē semper fuisse, & mansurū esse in cælo vsq; ad diē iudicij. Atqui post ascensionem bis apparuit Paulo in terra. Ergo tunc fuit simul in cælo & in terra. Ergo non est impossibile, idē corpus simul esse in diuersis locis. Minor patet; quia semel apparuit illi in via, cū iret Damascum, Act. 22. v. 6. 14. c. 26. 16. & semel in castris, cū à militibus custodiretur, Act. 23. 10. vnde ipse Paul. 1. Cor. 15. ait, se Christum vidisse. 5. Si Deus aliū mundū conderet extra hunc, & ab hoc nostro disiunctum aliquanto interuallo, Deus & in illo esset mundo, & in hoc nostro tot⁹: nec tñ in illo esset spatio intermedio, vt q̄ sit nihil. At in eo casu vn⁹ idēq; simul esset in duob. vbi & spatij disiunctis. Nihil ergo repugnat, vnum aliq; ens esse, & pmanere vnum etiam sit in plurib. locis. 6. Anima rationalis tota secundum substantiā est in corpore toto, & tota in singulis partibus corporis. Ergo pari ratione idē numero corpus in diuersis locis simul existere potest. 7. Intrinseca corporis vnitas nō destruitur p accidentariā locorū pluralitatē. Neq; n. vnitas rei intrinseca destruitur, si accidentaria vn⁹ generis, plura sc. loca, in ea p potentiam Dei multiplicentur. Potest itaq; res vna numero manere vna, & tñ in locis esse plurib. disiunctis. Atq; hæc sunt præcipua argumenta pro *πολυλογία* vnus corporis. Ea nunc ordine perlustremus.

XXXV. *Generalis aduersariorum distinctio est.* naturaliter vnū corpus non posse esse in plurib. locis simul, supernaturaliter posse. At neq; secundum naturā, neq; secundum sapientiā & potentiam Dei ordinē, neq; secundum physicas, neq; secundum hyperphysicas leges, est, aut esse potest verum corp⁹, vnū & idem eodē tempore in diuersis locis. Deus n. nec vult, nec facit, nec pmittit, nec velle, aut facere, aut promittere potest vnq; ordinē sapientiæ & veritatis suæ contraria; quale est corpus vnum, imo omnino creaturam vnam, simul in diuersis locis existere, simul esse vnā & non vnā, localem & illocalem & c. Est n. de ratione corporis esse locale, & suis terminis, magnitudinis & figuræ, circumscriptū esse. Imo est de ratione oīs creaturæ, siue corporeæ, siue incorporeæ, esse finitū & vno tempore non nisi vno in loco. Hinc iā patet *solutio primi argumenti.* Nā contradictoria sunt, corpus non-corporis, circumscriptum non-circumscriptū, vnum non-vnum, locale non-locale & c. Atqui si vnū numero corpus est in multis locis, hæc oīa sequuntur: quia de ratione corporis est substantia sua terminari, & quidem vno loco, diuisibiliter, continuè & c. Itaque non est de ratione corporis sua substantia non terminari vno loco, diuisibiliter & c. Vno verbo contradictio est, finitum quoddam esse extra fines essentia suæ.

XXXVI. *In secundo argumento* diuersa confunduntur. Itaq; ordine euoluem⁹ singula. primo recitantur q̄dam, q̄ non implicat contradictionē, & p inde illa nihil commune habent cum hac q̄stione, vt sunt oīa exempla excepto vltimo de penetratione corporum. Itaq; hoc argumentum nihil plane concludit; quia priora exempla sunt aliena & dissimilia, postremum petit principium. *Deinde* primum exemplū ita plene solent pponere. Si vt possibilis creduntur alia q̄dam, quæ longè difficiliora sunt intellectu, aut certè æquè sublimia, q̄ sit corpus idem plurib. esse locis, hoc etiam traditum à tota Ecclesia ante Caluinū, potest iustissime credi vt verè possibile. At vel difficiliora, vel æquè difficilia sunt alia fidei mysteria, & in primis incōprehensæ Trinitatis. In hac n. plures sunt psonæ, reipsa à se inuicē distinctæ; vt hic loca plura realiter diuersa. Et vt vna est in omnibus essentia, substantiaque singularis: ita in hac polytopia vnum est singulare corpus; quod tñ non idē est reipsa cum locis, sicut est vnum idemque reipsa essentia diuina cum trib. personis. *Resp.* In

rebus quæ hic in collationem veniunt, est non solum diuersitas, sed & contrarietas. Nam quia Deus est imensus & absolute simplex diuersa hypostasibus vnā eademq; essentiā, similiter infinitam & simplicem, ex æquo participant: at finitudo, cōpositio, continuitas, localis extensio & c. vnus numero corporis realē in diuersis simul locis existentiam omnino necessariōq; phibent. *Ο μούσα & πρεχάρεν* Cū sunt in mysterio Trinitatis: quæ non possunt esse in vlla creatura. Deinde q̄ in hoc argumento inspergitur obiter dogma hoc *πολυλογία* à tota Ecclesia ante Caluinum esse traditum, id ex superioris & huius capituli collatione facile est refutare. Hoc loco solum teneatur illud *Augustini epist. 57. ad Dardanum:* Tolle spatia locorum à corporibus. & nusq; erunt, & quia nusquam erunt, ne erunt quidem. *Tertio* sic argumentantur à mysterio incarnationis. Difficilius est, vnam hypostasin esse simul in duabus naturis perfectis, & dissimilibus, creata vna, & increata altera; & cum quarū vna re idem sit, & differat ab altera: quam vnam aliquā substantiam corpoream, simul esse in duobus locis; a quibus cæteroqui & simul abesse, & ad quos successiue possit moueri. At vnam hypostasin esse in duabus eiusmodi naturis, docet mysterium incarnationis Christi. Potest igitur etiam vna aliqua substantia & res in duobus locis esse, vt nihilominus maneat vna, sicut vna manet hypostasis in duabus naturis. *Resp.* Et hoc exemplum alienum est ob duō illa attributa, spiritualitatis & immensitatis, quæ in natura simul & hypostasi diuina locum habent: in creata vero, præsertim humana & corporea, neque habent, neque habere possunt. *Quarto* idem corpus bis sit, seu reproducitur, diuersis nempe temporibus. Itaq; & hoc exemplum est alienum. *Quaritur* enim, an idē numero corpus simul possit statui à Deo in plurib. locis. *Quinto* idē punctū æternitatis coexistit diuersis temporibus, præterito nempe, præterito, & futuro, quia æternitas est. Nunc immobile siue semper stans, quod eodem modo se habet semper. Itaq; dicitur coexistere tñ fuisse, esse, & fore; non formaliter, quasi ista tria sint simul in æternitate, sed virtualiter. Ergo & hoc exemplum nihil facit ad rhombum. Idem est iudicium de penultimo. putata productione è nihilo, & reductione in nihilum. Id enim non implicat, vt loquuntur. Neque vero hac ratione cuiuslibet liberum est, admittere vel rejicere dogmata fidei: quia fides & Scriptura sacra reciprocantur. Itaque dogma, quod non est fundatum in sacris literis, merito exploditur ex cholis theologorum.

XXXVII. *Tertium argumentum* nihil valet. Nam Caluin. & Beza ex Scripturis vtrumq; asserunt, carnē Christi esse in cælo tñ præsentia corporali, substantialiter, secundum naturā corporis, præsentia entitatiua & locali: & eandē esse in Eucharistia p sentia sacramentali & spiritali, vt est cibus animæ credentis. An hoc, amabo, est paradoxum? *Quartum argumentum* capite præced. soluius. Hic tamen aliquid est addendum, quia Becanus ait Caluinistas hoc argumentum eludere: quod alij dicant, Paulum non vidisse Christum in propria persona, sed in specie aliena: alij contendant, Paulum vidisse quidem Christum in propria persona, non tñ in terra, sed in cælo apparentem; quo pacto Stephanus eum vidisse legitur. Act. 7. Ita Becanus. Sed nos tertiam sententiam supra tuebamur; videl. Paulum vidisse Christum in ecclasi. Constat enim ex Act. 16. c. 18. c. 26. & 2. Cor. 12. Christum esse conspectum à Paulo per visionem, & quidem in illis ipsis colloquijs Christi cum Paulo, quæ allegantur in argumento. Per visionē autem videre est ideam absentis, diuina virtute sic imprimi & representari, siue sensui siue menti, ac si præsens astitet ob oculos: & in visione ecclastica aliquid videre, est rapī in locum, in quo est id, quod videtur. Ad hanc ergo visionem nihil est opus existentia corporis eodem tempore, in duobus locis. Et cum Paulus Christum in tercio cælo viderit, siue corporalibus, vt Stephanus, siue mentis oculis, & vt ipse loquitur, in ecclasi, non potuit firmiori argumento refutationē Christi confirmare. Sed *obicit Becanus.* Textus dicit Dñm adstitisse Paulo. Certe si Christus Paulo adstibat, in terra fuisse necesse est, vbi Paulus erat. Non n. vnus alteri dicitur adstare, nisi prope sit. Si ergo Christus fuisset in cælo tantum & Paulus in terra, quomodo alter alteri potuisset adstare? Accedit, quod Scriptura non dicit, Christum in cælo apparuisse, sed in terra, siue in via, Act. 9. 1. Et c. 22. 6. Subito circumfulsit me lux copiosa: Vnde illa lux, nisi à corpore Christi glorioso? Sicut ergo lux erat circa Paulum, ita verisimile est, Christum non longe abfuisse. *Resp.* Hæc omnia conueniunt optimè cum visione ecclastica. Nam Christus Paulo ecclastico, existens in via, adstitit eidem rapto in cælum: denique lux copiosa ipsam in via circumfulsit; non emanans à corpore Christi sed à fulgure.

XXXVIII. Superfunt tria argumenta: è quibus *quintum* continet exemplum fictitium, & nititur duplici hypothese fallā. Nam & Deus in spatio isto intermedio existeret, & spatium istud tenera foret aliquid: quod vtrūque negatur in isto argumento. Sed male. Nā si Deus duos mundos faceret aliquanto interuallo à se disiunctos, & totus existeret in vtrōq; isto mundo, non a. in spatio intermedio, vtrūque à seipso diuideretur, & non esset idem numero. Deinde etsi spatium istud per se omni creatura vacuum esset, tñ ideo non foret nihil. Sed mittam⁹ ficta, & examinem⁹ *sexum argumentum.* Anima rationalis in corpore, inquirunt aduersarij, est *πολυλογία*, seu multilocalis; quippe q̄ est in toto corpore tota, & tota in singulis partibus. Ergo & corpus diuina virtute potest esse in plurib. locis. *Resp.* non lequi: quia anima non est in corpore tanquā locatum in loco, sed tanquā forma in formato. Deinde anima non est in loco circumscriptiue, sed definitiue. Non itaque vt anima, ita quoq; corpus potest se habere ad locum. Deniq; essentia animæ est indiuisibilis, & indiuisibiliter informat cōtinuum corpus. At vnum numero corpus, idque diuisibile, q̄ habet partem extra partem, collocatur in disiunctis locis indiuisibiliter, ex mente aduersariorum. *Septimum* idemque vltimum argumentum, valde captiosum est: quatenus vnitatem rei, & vnitatem corporis confundit. Potest n. res vna manere, & tamen esse in locis plurib. disiunctis, si nempe sit actu infinita, vt est Deus. At res aliqua creata, finita, corporea, & numero vnica (quale est corpus Christi) vno eodemque tempore, absque sui distractione, diuersis separatisq; locis substantialiter adesse non potest. Neq; valet ratio, quod plura loca, tanquam accidentia vnus generis, in vna corporis essentia produci queant. Nam corpus illud debet statui in multis locis separatis, & proinde loca illa non introducuntur in vnam istam essentiam.

XXXIX. Stabiliamus iam negatiuam nostram, & argumentorum firmitatem asseramus contra Becanum. 1. Angelus *Matth. vigesimo octauo, quinto*, dicit: Scio, quod IESVM quæris. Non est hic: surrexit enim. Hic videmus angelum ita argumentari: Christus surrexit ex sepulchro.

Ergo

Ergo non est in sepulchro: frustra ergo illum hic quaeritis. Quæ argumentatio non valeret, si idem corpus posset simul esse in diuersis locis. Respondet Becanus, angelum argumentari ad mentem mulierum, cum quibus loquebatur. Illæ quærebant corpus Christi mortuum in sepulchro, ut illud viderent. Respondit ergo angelus non amplius ibi esse Christum mortuum, sed iam à mortuis resurrexisse: perinde ac si ego alicui sciscitanti: & quaerenti dicerem, Quæris Petrum? Non est domi: iam nunc ad templum egressus est. Resp. Quia angelus loquitur ad mentem mulierum, vulgari modo cum illis agit, & proinde, subtile illam *πρόσωπον* ignorans, præsupponit, corpus Christi ideo non amplius esse in sepulchro, quod inde discesserit, & in alium locum se receperit. 2. Si vnum corpus posset simul esse in duobus vel pluribus locis, eadem ratione posset esse in omnibus, & consequenter vbique. At soli Deo conuenit esse vbique. Hinc Patres probant contra Macedonium, Spiritum S. esse Deum, quia est vbique. Similiter contra Eutychem, humanam Christi naturam non esse confusam cum diuina, quia diuina est vbique; non autem humana. Respondet Becanus. Duplex est differentia inter Deum & creaturam: quod ad existentiam in loco. Vna, quod Deus de facto sit vbique, non autem creatura. Altera, quod Deus necessario & naturaliter sit vbique; per intrinsecam & incretam immensitatem; ac proinde non possit non esse vbique. Hoc autem de creatura non potest dici. Patres ergo iuxta priorem differentiam argumentantur. Nam si solus Deus de facto est vbique certe Spiritus S. conuincitur esse Deus, quia est vbique. Et Christi humanitas conuincitur non esse confusa cum deitate, quia non est vbique. Quod si Deus poneret aliquod corpus in omnibus locis; iam quidem de facto esset vbique; non tamen naturaliter & per intrinsecam immensitatem; sed contingenter, & per replicationem. Resp. Hoc vero est principium petere. Nam quaeritur, an Deus possit efficere, ut creatura, quæ est finita sua natura, sit vbique; hoc non probatur à Becano, sed supponitur. At nos id nulla ratione fieri posse sic euincimus; quia vbiquitas est proprietates creaturæ essentialis; & fluit ab ipsius esse dimiuto, ut loquuntur. Itaque per nullam replicationem Deus vel vult, vel potest efficere, ut creatura sit vbique; hoc est, finita & infinita simul. 3. Si idem corpus esset in duobus locis, iam esset simul vnum & multa. Nam corpus, vt est in terra, non continetur cum eodem, vt est in celo. Ergo est diuifum: Ergo non est vnum: Et tamen ponitur esse vnum. Ergo est vnum, & non vnum: quæ aperta est contradictio. Respondet Becanus. Ex duplici locali præsentia vnius & eiusdem corporis non sequitur, idem corpus esse in se diuifum: sed præsentia inter se diuisas & distinctas inesse eidem corpori. Hoc autem non est contrarietatem vnius ex parte subiecti, sed ex parte præsentia localis. Nos autem non dicimus, esse vnam præsentiam localem, sed esse duas in vno subiecto. Quod autem obijciunt, corpus existens in terra, non continuari cum eodem existente in celo, ac proinde diuifum esse: hoc verum est ratione præsentia localis, non autem corporis secundum se. Est enim vnum & indiuisum corpus, quod habet duas præsentias locales, non continuatas, ac proinde diuisas. Hinc etiam soluitur, quod alij obijciunt, fore, ut idem à seipso distaret. Nam idem à seipso distaret secundum diuersas præsentias, non autem secundum entitatem suam præcise sumtam. Respondet. At vero corporis Christi (vt & cuiuslibet corporis, quod est numero vnum) præsentia localis est diuisa vna, quæ nempe est in celo; & non in terra. Quod attinet ad præsentiam sacramentalem, illa non est localis, sed partim symbolica, partim spiritualis. Deinde si maxime concedatur, duas esse præsentias locales vnius corporis, tamen per hanc distinctionem non euitatur absurdum. Etenim corpus quod habet duas præsentias locales, duas quoque habet essentias, & proinde non est vnum, ideoque reuera distat à seipso. 4. Si idem corpus ponatur in duobus locis, & in altero, vel utroque circumscribitur, iam erit extra aliquod locum, & non erit extra illum: quod implicat contradictionem. Nam quod est circumscribitur in aliquo loco, hoc ita circumscribitur illo loco, vt extra illum locum non sit. Si ergo ponatur in duobus locis, iam erit extra illum locum, quo circumscribitur; & sic non erit circumscribitur in loco. Erit ergo circumscribitur & non circumscribitur, quæ est manifesta contradictio. Respondet Becanus. Vt corpus sit circumscribitur in aliquo loco, solum requiritur vt commensuratur illi loco, ita vt termini loci & locati sint simul. Non autem requiritur, vt non sit alibi, tanquam in alio loco. Potest enim duobus locis commensurari, quia hoc non implicat. Respondet. Circumscribitur præsupponit finitatem. Hæc autem requirit, vt creatura qualibet sit in vno certo & finito loco, idque vel definitiue, vt spiritus, vel circumscribitur, vt corpus. Itaque implicat, vnum numero corpus vno eodemque tempore duobus locis commensurari. 5. Corpus existens circumscribitur in loco, est æquale locato. Ergo si est in duobus locis, est æquale vtriq; loco simul. Ergo est maius vno loco seorsim sumto: Ergo non est illi æquale: Ergo simul est æquale & non æquale: quæ est noua contradictio. Respondet Becanus. Corpus existens in duobus locis circumscribitur, habet duplicem extensionem localem, & per vnam est æquale vni loco, & per alteram alteri. Vnde nulla apparet contradictio. Resp. At corpus Christi est in celo extensum in se, & extensum in loco; in Eucharistia vero est extensum in se, non tamen extensum in loco, quia ibi est indiuisibile; ex hypothesi Ergo est sibi ipsi inæquale, & proinde est corpus non corpus. Deinde non saluatur contradictio in allato argumento: quia distinctio repugnat naturæ subiecti. Est enim contra naturam corporis, vt vno eodemque tempore sit æquale duobus locis, & ijs quidem inæqualibus. 6. Si idem homo posset esse in duobus locis, sequeretur posse simul viuere & non viuere; caleferi & non caleferi; moueri & quiescere; vulnerari & sanum esse; amare Deum in vno loco, odisse in altero & c. Hæc autem est contradictio. Respondet Becanus. Nulla est contradictio: quia v. g. Petrus potest esse calidus in vno loco, & frigidus in altero, quia in vno calor est præsens, in altero non item. Rursus potest in vno loco moueri, in altero quiescere: quia in duobus locis habet duas præsentias locales, quarum vna non pendet ab altera. Eadem ratione potest in vno viuere & sanus esse, in altero mori & vulnerari: quia causa corruptens potest applicari in vno loco & non in altero. Sed non potest in vno loco amare Deum, & in altero odisse: quia hi actus sunt omnino contrarij. Resp. Quæ vero sunt hæc Chimæ? Annon hæc ratione vnum corpus est non vnum: vnum v. g. calidum, alterum frigidum? Sanchez merito aliquis exclamauerit:

Causa patrocinio, non bona, peior erit.

Deinde pari ratione efficitur si corpus vno in loco potest esse calidum, in al-

tero frigidum, etiam in vno potest amare Deum, in altero odisse. Nam sicut in vno loco potest habere præsentem ignem, in altero non; ita in vno potest habere Spiritum sanctum præsentem, in altero Spiritum malum. Non enim est vnum numero corpus, seu idem numero homo. 7. Si idem corpus posset esse in duobus locis, posset etiam bis esse in eodem loco, cum par sit ratio. At consequens falsum. Respondet Becanus, duo accidentia solo numero differentia posse simul esse in eodem subiecto, & consequenter, idem numero corpus posse esse in eodem loco per plures præsentias solo numero differentes. Resp. At vero hoc est absurdum, vt duo accidentia numero distincta sint in eodem numero subiecto. Sed absurdum in hoc argumento nullus est finis: quia si idem corpus posset esse in duobus locis, per se non esset absurdum. Itaque facillat commentitia distinctio præsentia corporis Christi, & triumphet illa, qua nos cum Scriptura & veteri Ecclesia, sine contradictione dicimus, Corpus Christi esse præsens in multis locis spiritualiter, & non esse, nisi vno in loco corporaliter.

XL. Quæstio quarta sequitur: An idem corpus existens in duobus locis, utrobique eadem formas habeat, siue substantiales, siue accidentales? Respondet Becanus distinguendo. Quædam formas per se pendet à loco, vt præsentia localis, propinquitas, distantia, situs: alia non item; vt quantitas, albedo, scientia, paternitas & c. Quando idem corpus ponitur in duobus locis, necessario habet diuersas formas prioris generis; vt si Petrus simul existat Romæ & Moguntia, habet diuersas præsentias locales, & sic deinceps: sed habet utrobique eadem formas posterioris generis, si non fiat nouum miraculum; vt si Petrus Romæ existens, ponatur simul Moguntia per actionem adductiuam, ponetur ibi cum eadem qualitate & quantitate, quam habet Romæ, nisi fiat nouum miraculum. Ita enim vt Petrus per vnum miraculum existit in duobus locis, sic per miraculum alterum in vno loco potest esse albus calidus & c. in altero niger, frigidus, & c. Respondet. Idem numero corpus habet eandem materiam & formam, & proinde eandem qualitates. Habet, inquam, vnam formam substantialem, & eadem formas accidentales. Itaque monstrata est philosophia Becani, constans perpetua principij petitione, & Chimærarum multiplicatione. 2. Sophista ludunt miraculis, vt pueri pilis. 3. Actio adductiua debet esse eiusdem numero corporis, & earundem proprietatum, imo & accidentium: vt si Petrus adducendus sit Romam, ille ipse, talis & tantus, est adducendus, qui, qualis, & quantus est Moguntia.

XLII. Quæstio quinta est eiusdem farinae: An idem corpus existens in duobus locis, si mutetur in vno, mutetur etiã in altero? Respondet Becanus distinguendo. 1. de mutatione locali; quæ possit in vno loco moueri, & non in alio, quia duas habet præsentias locales. Ita Christus quiescit in celo, & localiter mouetur in altari. 2. de alteratione; quæ possit v. g. in vno loco caleferi ab igne vicino, & in alio loco non caleferi vi eiusdem ignis. 3. de augmentatione & diminutione: quod possit in vno loco quantitariue augeri per cibum & potum, quem habet in isto loco, & non augeri in altero, in quo cibum & potum non habet. 4. de corruptione & morte, quod possit in vno loco corrumpi vel mori, & non in alio; quia causa corruptens potest applicari in vno loco, & non in altero. 5. de actionibus extrinsecis, quæ sunt per sensum, intellectum, & voluntatem; quod homo existens in duobus locis, si in vno eliceret actus immanentes, qui requirunt præsentiam obiecti vel agentis extrinseci, non necessario eliceret illos in alio; vt Petrus existens Romæ, videret Pontificem, quem non videret idem existens Moguntia: si vero in vno eliceret actus immanentes, qui non pendet ab extrinsecis, vt est actus amoris vel odii circa Deum, eliceret eisdem in altero. Respondet. 1. Hypothesin non concedimus, quod idem numero corpus sit numero idem, quando habet duas præsentias locales. Itaque corrumpit, quæ ex illa hypothesi extrahitur. 2. Actus amoris & odij circa Deum dicitur non pendere ab extrinsecis. At hoc falsum est: quia amare Deum, id vero proficitur à gratia.

XLII. Verum enim uero missis & ultra montes Calpios relegatis istis nugis, aggrediamur sextam, siue vltimam, quæstionem, utpote magis plausibilem: An videl. penetratio corporum (quæ etiam dicitur penetratio dimensionum & diametrorum) sit possibilis, seu, An duo corpora possint esse in vno loco proprio & adæquato: Nos negamus: Papistæ autem. Fundamentum nostræ sententiæ innotum & perpetuum est, contradictoriam, siue antipathicam, esse hanc penetrationem: quia tandem vel ex toto, vel saltem ex parte, corpus illo locale, adæquato; in corpore efficiat. Id quod sic ostendimus. Corpus omne per intimam naturam suam constitutionem, necessario trinam habet dimensionem. Et hæc dimensio, pereandem essentiam suam constitutionem, necessario est in loco adæquato. Ergo nullum corpus est, aut esse potest, quod vel in totum vel aliqua sui parte, illo locale sit, siue in loco adæquato non sit. At penetratione illa data, continuo sequitur illocalitas, vel totalis, vel partialis: quia quantum loci, v. g. mea dimensio, hic & nunc replet, vel occupat, tantundem vt tua, vel alia aliqua concedat necesse est. Secus si neutra in loco proprio, & verè adæquato existeret cum proprio vnius, quatenus & quædiu est tale, alterius commune dici non possit; nec quædiu locato per omnia æquale est, idem simul alteri commensurari queat. Aiuunt quidem Sophistæ, utrumque corpus esse in vno loco; proinde neutrum esse illo locale. Sed aiunt tamen, non probant. Imo re ipsa idem aiunt, & negant: quia idem proprium, simul & commune, idemque æquale, simul & inæquale esse statuunt: vt ex modo dictis abundè liquet. Itaque mera hic est contradictio, semperque erit. Itaque & impossibilis est, semperque erit. Corporis essentialis proprietates, imò essentia ipsa, perimitur omnino, quia ipsi localitas illa dimensua, quam diximus, vel in totum, vel ex parte subtrahitur: Sed videamus, quid obiciant aduersarij. Ex possibilibus, & nullam in se contradictionem inuoluentibus, sunt, Christus egressum ex vtero Virginis, virginali claustro non aperto, ad ipsos ad apostolos, ianuis clausis; exiisse ex sepulchro, lapide non dimoto, penetrasse celos, sine eorum ruptura, vel scissura: Quod postremum etiam locum habet in corpore Enoch & Eliæ. Porro Matth. 19. camelus per foramen acus traduci posse dicitur. Respondet. Principium petitur in omnibus hisce exemplis: cum reuera nihil horum in Scripturis legatur. Nam quod attinet ad natiuitatem Christi ex virgine, falsum est & absurdam, corpus Christi penetrasse vterum clausum. Neque enim in eo vertitur miraculum, sed in hoc, quod virgo concepit è Spiritu sancto, & peperit verum hominem. Naturale est, quod Christus homo natus est ex homine: supernaturalis, quod natus est ex virgine, hoc est, ex femina, quæ non cognouit virum. Deinde Scriptura non docet, Christum per ianuas clausas, ad discipulos, venisse ad discipulos, sed ianuis clausis, & c. id est, cum essent clausæ; neque illum penetrasse per lapidem sepulchri, aut per celos tanquam per corpora solida.

In duobus prioribus exemplis, aut creatura cessit creatori; aut ianua parietis & lapis miraculose supra naturam fuerunt extenuati & veluti liquefacti, tantisper dum Christus transfret; aut corpus Christi subito fuit immutatum, manente nihilominus vera ipsius natura; aut denique angelorum ministerium Christo fuit præsto, ut alias. In posteriori exemplo sumitur hypothesis, quod cæli sint solidi. At liquidos esse, id est, pertransibiles ac peruios, multis rationibus doceri solet. Et vero si solidi essent, annon virtute Dei soliditas illa ad tempus posset permutari liquiditate eiusmodi qualis est aeris? Hic teneantur istæ regulæ. 1. Genitui consequentiales, non significant modum, sed tempus actionis. 2. Christo volenti, omnia corpora hincere, & corpori eius transitum præbere, ac rursus coire, in momento possunt & coguntur, nemine animaduertente, & natura neque illorum, neque corporis Christi mutata. 3. Deo non est difficile, corpus quodcumque in momento sic attenuare, & subtile efficere, ut per angustissimos meatus instar aeris penetrare queat. 4. Deus varias habet rationes traducendi corpus aliud per aliud. Denique Christus *Mat. 19* vtitur ficta comparatione, hoc modo. Sicut impossibile est, ut camelus per foramen acus transeat, nisi forte camelus supernaturali ratione mutetur, extenuatione aut liquefactione extraordinaria; ita impossibile est, ut iniustus & auarus Mammonista introeat in regnum celorum, nisi singulari Dei gratia immutetur & regeneretur. Idcirco Christus statim subiungit, apud Deum illa quoque possibilia esse, quæ apud homines impossibilia sunt. Cæterum quæ hic scripsi de immutatione subita corporum, nullam contradictionem in se includunt: quia si corpus aliquod crassum aliquo tempore vel momento redigatur ad subtilitatem, non definit esse corpus. Placet hic adscribere insignem locum ex *Consideratione Zachariae* *Vrsini*, pag. 86. Neque implicaret contradictionem Scriptura si diceret corpus Christi aliquo tempore vel momento fuisse redactum ad subtilitatem spirituum, h. e. factum fuisse substantiâ in corporeâ siue spiritum: non enim eo tempore si aut fuisse corpus: aut si diceret, factum fuisse tam subtile, ut per tenuissimos corporum solidorum poros potuerit transire: non enim tum simul fuisse crassum & suam figuram ac soliditatem retinens. Circumscriptum autem & incircumscriptum simul esse idem corpus, contradicunt. Quæ elegantia sententia primam huius disputationis partem de possibilitate præsentia localis siue corporalis concludo: ubi prius illud monuero, Claudium Xantes hoc ipsum subolfecisse, quando scripsit, corpus Christi spirituale esse, & proinde modo spirituale esse in pane, hoc est, non occupare locum. Quod ego sic interpretor, corpus Christi in pane non esse corpus, sed spiritum.

XLIII. Postquam igitur prolixè disputauimus, esse impossibile, ut corpus Christi in cælo existens simul existat corporaliter in pane Eucharistia: iam paucis *videmus de voluntate Dei* an Deus voluerit id facere. Bellarminus affirmat, & tribus argumentis confirmat. 1. *à natura & constitutione hæresis*; quia dogma istud corpus Christi non esse in pane eucharistia, est hæreticum, utpote nouum, à Berengario scilicet inuentum, & à Zvinglio, Calvino illorumque discipulis arreptum. Quod si illa doctrina est hæresis, contraria erit veritas fidei: proinde veritas à Deo reuelata. Sic itaque constat, Deum hoc voluisse & fecisse. 2. *à consensu Ecclesiæ*; quia Ecclesia Latina, Græca, & Barbaria sensit. Huc accedit diligentia Ecclesiæ. Nulla siquidem quæstio vnquam sæpius ac diligentius est examinata, quam hæc ipsa. 3. *à miraculis*, quia Deus varijs signis, ac miraculis non paucis doctrinam istam hæcenus confirmavit. *Respondet primo.* Dogma de præsentia corporis Christi corporali in pane Eucharistia, id, inquam est nouum: non vero illud de præsentia symbolica & spirituali, utpote quod in Scriptura traditur. 2. Ecclesia tota non semper ita sensit, ut aduersarij volunt; ut suo loco probatum est. Inanes fabulæ, aut præstigie Satanae, pro certis historijs & miraculis adferuntur. Neque enim Deus id confirmat miraculis, quod pugnat cum ipsius oraculis. Porro duas nostrorum *obectiones*, quarum altera est ab inutilitate præsentia corporalis, altera ab indignitate rei, Bellarminus soluit inficiando, & ait, nobis utile esse, & Christo gloriosum, eiusque erga nos amore & bonitate dignum, ut corporaliter ipse se nobis vniat: nempe ut ipse ita intimum suum erga nos affectum testetur, utque nos æternam vitam tanto certius ab ipso nos accepturos speremus. *Respondet deo*, neutrum istorum hic consistere posse: quia Scriptura docet Christum per fidem habitare in cordibus nostris, & hæc esse *πληροφωρον*, qua certum sumus de salute nostra: item corpus Christi in statu gloria constitutum, non posse iterum pati, hoc est manducari, immolari &c. Neque valet effugium Bellarmini, Christum ista non pati in propria specie, sed in aliena. Nam hæc est mera petitio principij, & Christo affingit duas formas, vnam in propria, alteram in aliena specie. Atque hæc de præsentia corporali, sequitur de transubstantiatione.

C A P. VII.

Argumenta nostra contra Transsubstantiationem.

AVSPICEMVR hoc caput verbis Bellarmini *lib. 3. de Eucharistia cap. 11.* Grauiissima controuersia de reali præsentia Domini corporis expedita, sequitur alia de ratione, & modo, quo corpus Domini in Eucharistia esse incipit. Sic Bellarminus. Est autem legitima hæc ordinis ratio. Postquam enim disputatum est, Christum esse præsentem in Eucharistia, disputandum superest, quomodo fiat præsens: *Papiste in Concilio Tridentino sess. 13. can. 4. & 2.* docent, Christum fieri præsentem in Eucharistia per conuersionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem Christi; remanentibus solis accidentibus: & hæc conuersionem recte appellari transubstantiationem, sicut eam appellarunt Patres in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Itaque docent, Christum fieri præsentem per transubstantiationem: quam illi masculè, tanquam Helenam aliquam, defendunt, nominatim *Gregorius de Valentia, Claudius Santes sine Xantes, Bellarminus & Pistorius*. At è nostris eandem animosè oppugnant *Martyr, Iuellus, Sadeel, & Morneau*. Quorum vestigijs insistentes, hunc arietem è verbo Dei, orthodoxis Patribus, & recta ratione confectum, opponimus huic pomærio turris Babylonice. Ita, inquam, argumentamur. Omne dogma, quod in Scripturis sacris neque quantum ad nomen, neque quantum ad rem ipsam siue definitionem, nec explicitè, nec implicite, contine-

tur: sed illis ex diametro repugnat: cum analogia fidei pugnat: euerit naturam rei, de qua agit: nouiter excogitatum est: perpetuis conflictatur contradictionibus: infinita absurda parit: est principium horribilium errorum & superstitionum: destituitur calculo Patrum; denique in scholis proprijs in vtramque partem disceptatur id, inquam, est falsum, & proinde pro articulo fidei non est habendum, sed ex Ecclesia Christi exterminandum. Transubstantiatio Papistarum est eiusmodi dogma. Ergo. Minor constat vnde cum assertionibus, quas ita probamus.

II. *Nomen transubstantiationis* in Scripturis expressum non est, fatentibus Papistis. Neque etiam ex illis potest concludi; quod ne tentatum quidem hæcenus fuit ab aduersarijs. Est etiam ignotum præ antiquitati: Primo autem vsurpatum in Concilio Lateranensi, anno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto, attestante Pistorio in suo *odh. q.* Sed *Bellarminus libro tertio de Eucharistia cap. 23.* excipit tria. 1. Stultum esse cum de re constet, litigare de nomine: de re autem ita constare, ut non possit magis: cum Patres non solum hæc conuersionem aperte tradiderint (ut sunt verba *Bellarmini de vna Lutheranæ p. 4.*) sed etiam varijs vocabulis explicare edocuit sint; dum alij *transmutationem*, alij *transformationem*, alij *transselementationem*, alij *transitum* seu *migrationem* d. *pane in carnem* nuncuparunt. 2. licuisse Concilio Niceno in ipso symbolo ponere nomen *ὁμοούσιος*, & Concilio Ephesino nomen *θεοτόκος*. Maiori igitur ratione licuisse Concilio Lateranensi nomen transubstantiationis ponere, cum plures episcopi & patres fuerint in Concilio Lateranensi, quam vel in Niceno, vel in Ephesino, cumque ante Concilium Lateranensem extiterint innumerabilia veterum de transubstantiatione testimonia, & multa nomina eidem æquiualentia, uti sunt quæ paulo ante recitauimus. 3. si mutatio solius formæ recte dicitur *μεταμορφωσις*, *transformatio*, & mutatio externæ figuræ, transfiguratio, mutationem substantia etiam recte dici posse transubstantiationem.

Respondet. 1. At hic non constat de re. Itaque merito de nomine instituitur disceptatio. Quod attinet ad Patres, & illorum phrasæologiam, de illis videbimus suo loco. 2. Dispar est ratio. Res enim vocibus *ὁμοούσιος* & *θεοτόκος* significata, extant in Scriptura sacra, suntque in classe eorum, quæ iuxta Nazianzeni diuisionem, etiam non dicantur in Scripturis, tamen sunt. Transubstantiatio autem est in eorum classe, quæ in Scripturis nec sunt, nec dicuntur. Nam non tantum in Scriptura non habetur, sed etiam ei in faciem contradicit. Quod attinet ad comparationem Concilij Lateranensis cum Niceno & Ephesino, illa est iniqua: tum quia præstantia conciliorum non ex numero episcoporum, sed ex consensu cum Scriptura, est colligenda; tum quia antiquitas, quam aduersarij tenerrime amant, comparationem illam non admittit. 3. Transformationem dicimus, quia rem ipsam habemus: transfigurationem, quia hæc vox præterquam quod est symbolum rei certæ, etiam est *ἡ ἑξ. φ. θ.* At transubstantiatio cuius amabo rei est symbolum? Vetus sane veraque est sententia: Nomina debent esse symbola rerum. Verum enimvero ne videatur *ἀμφισβήτησις* *πρὸς λόγου*, accedamus ad rem ipsam.

III. *Sires ipsa, seu definitio transubstantiationis*, habetur in S. literis, aut totidem verbis ibi occurrit, aut per bonam consequentiam inde potest probari. Sed neutrum hæcenus præstitum est ab Aduersarijs? Quid? Scorus, Petrus de Aliaco seu Cameracensis, Andradius, & Iohannes Fischerus fatentur, Transubstantiationem, & præsentiam Christi corporalem, in Missa, non posse probari ex Scripturis. Ad hæc non eodem modo proponitur definitio transubstantiationis, seu *μετουσίωσις*, à doctores Scholasticis; sed reperiuntur de ea opiniones non tantum diuersæ, verum etiam contrariæ apud Pontificios Scriptores. Quod tam verum est, ut Bellarminus id non modo diserte fateatur, sed etiam contra multos, in quibus nominatim est Durandus, acriter disputet *libro tertio de Eucharistia cap. vnde c.* Vide etiam *Lombardum libro quarto distinct. 11. c. 12.* Quid? quod in ipso iure Pontificio sententiæ habentur non pauca, quæ cum transubstantiatione è diametro pugnant. Præterea a plerisque omnibus hodiè Pontificijs transubstantiatio vocatur conuersio, siue essentialis mutatio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi: cum res ipsa ostendat, definitionem conuersionis ei non conuenire. Est enim conuersio formæ substantialis in aliam mutatio. Atqui forma panis non mutatur in formam corporis Christi, ut ex pane dici possit corpus Christi factum esse, sicut ex aqua factum est vinum *Iohannis 2.* quod agnoscit *Lombardus libro quarto distinct. vnde c.* & Bellarminus *libro tertio de Eucharistia cap. decimo c. 11.* Quam in sententiam vide plura paulo post, ubi de contradictionibus erit sermo. Audiamus hic *exceptionem Bellarmini*. Falsissimum esse pronunciat illud axioma, quod nihil pro articulo fidei sit proponendum, quod non possit ex Scriptura probari: cum ex nulla Scriptura, sed ex sola traditione probari possit, quod libri prophetarum & apostolorum sint Sacra Scriptura. Remoto autem ab articulis fidei, quod illi libri sint Scripturæ diuinæ, simul concident omnes alij articuli, qui ex Scripturis illis probantur. Axioma igitur illud vniuersam fidem destruit.

Respondet. Quod Scriptura sit verbum Dei, probatur testimonio Spiritus sancti, quod est supra Scripturam: probatur testimonio Scripturæ, quod est intra Scripturam: probatur testimonio Ecclesiæ, quod est infra Scripturam. Falsus itaque Bellarminus hoc loco. Imo & sibi contrarius. Nam *lib. 1. de verbo Dei c. 2.* scribit, Scripturis sacris, quæ prophetis & apostolicis literis continentur, nihil esse notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendam neget.

IV. Porro transubstantiatio non solum non destituitur certis, manifestis, & firmis Scripturæ testimonijs: sed etiam repugnat huic Dei verbo in Scripturis adnotato. Nam ordo verborum Institutionis Sacramentis (prout earecitantur à tribus euangelistis, *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22* & ab apostolo, *1. Corinth. 11.*) euidenter ostendit, panem & verè vocari panem, & verè esse corpus Christi; videlicet pro ratione sacramenti. Etenim panem in ipsa actione expresse nominant, non vero speciem panis. Atque hoc etiam in primis ostendit altera ipsorum verborum pars, in quibus de vino, seu poculo, agitur: quod diserte *genimen vitis*, item *nouum testamentum*, id est, nouum fœdus in sanguine Christi appellatur.

Non igitur substantia signorum hic immutatur. Deinde Apost. 1. Cor. 10. & 11. non minus post, quam ante consecrationem, vocat simpliciter panem & vinum, seu poculum, dum ait, *Panem quem frangimus* Item *Edat de hoc pane & bibit de hoc poculo*. Ergo nullam agnovit transubstantiationem. Ad id, si panis est corpus Christi, 1. Cor. 10. 16. aut oportet agnoscere transubstantiationem: quod haecenus non ausi sunt affirmare aduersarij. Præterea, illa verba Pauli, 1. Cor. 10. 17. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: Nam omnes vnus panis participes sumus; non poterunt constanter exponi, neque recte deducuntur ex verlu priore 16. Deniq; in nullo Scripturæ loco vocabulum panis accipitur pro solis accidentib; panis. Duo excipit Bellarm. 1. Pronomen *Hoc* denotare panem qui benedictione mutatus sit in corpus Domini. 2. Apostolum vocare panem etiam post consecrationem, non spectrum, nec accidentia sine subiecto, sed verum cibum super substantialiẽ, qui panis dicitur, vel quia ex pane factus est, vel quia figura panis externã retinet, vel quia habet effectus & proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis, siquidem manna vocatur panis in Scriptura frequentissimè. Resp. 1. Est petitio principij. Hoc enim est *verbum*. An panis sit corpus Christi, cum hac additione siue subintellectu, panis mutatus. 2. Eadem est fallacia in secunda exceptione. Deinde panis super substantialis non potest fieri ex pane substantiali. Iam q̄ sequuntur rationes confirmant nostram sententiam; quia si panis ille dicitur panis, quia retinet figuram panis, vel quia habet effectus & proprietates panis; vtq; panis est vere panis in Eucharistia. Nam figura supponit quantitatem, & hæc substantiam; itemq; effectus & proprietates panis non possunt separari a pane vero: Deniq; Hebræi generaliter loquuntur, quando oẽm cibum appellant panem. At Apost. dicit, *Hunc panem*. Respicit ergo ad illum ipsum panem; de quo dixerat, q̄ Christus illum accepit, frægerit, distribuerit. *Pergit excipere Bellarm.* Scripturam vocare ordinariẽ res vt apparent exteriorius; sic n. serpentem æneum vocat serpentem. Et vocatur panis in Eucharistia, quia non solum est cibus, sed est cib. solidus, præcipuus, substantialis, qualis est panis triticens inter cibos corporales. Resp. 1. Est disparitas in exemplis. Nam ex hypothesi Papistarum remanent accidentia panis. At accidentia serpentis ænei non erant sine subiecto. Huc accedit, quod serpens æneus ita dicitur æquiuoce. Num ergo panis eucharistiæ etiam est panis æquiuoce: Rursum, si appellatur panis, quia panis esse apparet, est apparentia ista vera, vel falsa. Si est vera, vicimus. Si est falsa, quale est sacramentũ, in quo signa sunt fallacia? 2. Nullum erit discrimen inter panem factæ cœnæ, & ipsum Christi corpus, sed simpliciter erunt *verba*, si panis in Eucharistia idem significat, quod panis super substantialis, qui est cibus solidus, præcipuus & c. qualis est panis. Nam ita erit metaphora: quomodo videmus *lobanus* 6 accipi vocem panis. At proprie vox panis accipitur in sacramento eucharistiæ. Nam 1. *Corinth. 11. versic. 23.* dicitur Christus accepisse panem, & gratis actis fregisse ac dixisse, *Accipite & c.* Vnde *vers. 27.* ita infert apostolus: Itaque quisquis indigne ediderit panem hunc, reus erit corporis Christi. Hic coniunctio rationalis ostendit connexionem sermonis illius. Sic igitur disputo. Vocabulum panis hoc loco aut accipitur vno eodemque modo in *v. 23.* & *v. 27.* nempe proprie: aut sunt quatuor termini in syllogismo apostolico; nimirum si *v. 23.* panis dicitur proprie, *v. 27.* autem modificatè. Posterius est absurdum. Ergo prius erit asserendum. Præterea si panis accipitur pro cibo cœlesti: igitur accidentia mutati siue transubstantiati panis erunt cibus cœlestis. Sed concludamus vno verbo: Si panis mutatus dicitur panis, quia est panis super substantialis, panis accipitur metaphoricè: quod est absurdum.

V. Iam ostendamus, quomodo transubstantiatio pugnet cum analogia sibi Principio autem pugnat cum simbolo apostolico, quod docet, corpus Christi esse numero vnum, visibile, quod non amplius sit in hoc mundo, sed in cœlo. Quæ hæc conciliatur cum transubstantiatione, quæ producit, vel vt illi amant loqui, adducit aliud corpus, quam quod prodijt ex vero virginis Mariæ, & in cœlum ascendit. Deinde omne sacramentum constat verbo, & externo elemento. At sola accidentia non veniunt nomine elementi. Quare cœna Domini apud Papistas non habet elementum externum, & proinde non est cœna. Excipit Bellarminus, species sensibiles esse illud elementum. Respondeo. Elementum in sacramentis est substantia: vt patet ex inductione. Et notum est illud *Trenas libro tertio aduers. hæret. cap. 34.* Eucharistia constat duobus rebus, terrena & cœlesti. Mera accidentia non sunt res terrena & cœlestis. Ergo nisi verus panis & verum vinum ratione substantiæ suæ maneat in sacra cœna (sicut aqua in baptismo) non conuenit ei definitio sacramenti. Pertinet huc, quod supra pluribus diximus, vltimissima veteris ecclesiæ collatio inter doctrinam de sacra cœna; & mysterium personæ Christi. Sicut hic in vna persona sunt duæ naturæ, essentij distinctæ, at in supposito, seu personaliter, vnitæ: ita in Eucharistia res duæ sunt, terrena & cœlestis, sacramentaliter vnitæ. Tolle iam cum Pontificis substantiam panis & vini, & substitue nuda accidentia: & protinus Marcionitæ ac Valentiniani ex proposita & recepta similitudine concludent, *quod* allumisse phantasma siue speciem corporis, non verum corpus Tertio sacramenta sunt signa visibilia, instituta ad confirmandam fidem rerum inuisibilium. At si panis eucharisticus definit esse panis, nosque in simbolo externo hallucinamur, quomodo fides nostra, in hoc sacramento confirmabitur. Recte Scotus ex Ambrosio: In sacramento veritatis, inquit, nihil debet esse falsum. At si substantia panis & vini desit, erit falsitas in accidentibus. Duo excipit Bellarminus. Primo ad fidem inuisibilium confirmandam satis esse, si externum signum verè percipiatur. 2. supra ordinem naturæ hoc fieri, vt accidentia panis & vini substituuntur. Respond. 1. requiritur vt utrumque, & vt signi substantia maneat, & vt percipiatur. Quomodo enim vere percipiatur panis, qui non amplius est panis? 2. in sacramento veritatis nihil est falsum, neque supra, neque infra ordinem naturæ. Quarto analogia signi & signati omnino requirit, vt illius, hoc est, signi, vera maneat substantia: quippe cuius natura, fractio, perceptio, nutriendi actio & c. hic necessaria est, ad totum ipsius rei signatæ mysterium representandum. Ita vt sacramentum ipsum tollere putandi sint, qui substantiam signorum hic aboleri contendant: quippe qui formalem rationem sacramenti euertunt. Perit ergo analogia, ipsis etiam Papistis decantata, inter facultatem nutriendi in pane & vino naturalem, & inter fructum cœnæ, nempe nutritio-

Qui enim nudis accidentibus vim nutritiuam adscribunt, digni sunt, qui meris accidentib; alantur dum corrigant istum errorem. Hic tamen Bellarminus excipit, non requiri vt panis verè nutriat, sed satis esse si naturaliter representet rem quæ verè nutrit, representationem autem & significationem illam fieri per accidentia. Ita Spiritus S. apparuit in specie columbæ ob analogiam inter columbam & Spiritum sanctum, & tamen non opus fuit, vt illa columba esset vera columba, quo ad substantiam; sed satis fuit, vt speciem exteriorem columbæ haberet. Et serpens æneus Christum representauit ob analogiam inter Christum & serpentem, & tamen non fuit ille verus serpens quoad substantiam. Resp. 1. Panis in eucharistia est symbolum sacramentale, quod est vera substantia. 2. Columba ista iuxta Tertullianũ & alios fuit vera columba. 3. Si columba ista fuit simulachrum columbæ, vtq; istud nõ fuit sine subiecto. 4. Similiter serpens æneus, licet non fuerit verus serpens, tamẽ non fuit accidens sine subiecto. 5. In Eucharistia non proponitur nobis visio aut apparitio, qualis fuit Spiritus S. in specie columbæ; neq; figura aut typus, qualis fuit serpens æneus. Atq; hinc etiam patet solutio ad illud effugium, q̄ etiam sancti viri fallebantur, qui angelos in specie humana sibi apparentes, veros homines fuisse putabant. Nam est dispar ratio apparitionum & sacramentorum: & in apparitionibus istis nunquam fuit accidens sine subiecto.

VI. Transubstantiatio (vt ad quartum argumentum accedam) euertit naturam rei, de qua agit: panis, inquam, & vini, ipsiusque etiam benedictionis diuinæ, & corporis atq; sanguinis Christi. Nam, vt ordiat *a benedictione diuinæ*, qua mediante conchitur sacramentum, certum est, illam res conseruare inuertas. At benedictio in Eucharistia Papistis efficit, vt panis intereat & annihiletur. Excipit Bellarm. Nego panem annihilari, assero a. verissimè conuerti. Nam etiam si panis nihil sit, tamen id, in quod ipse conuersus est, non est nihil, *lib. 3. de Euchar. c. 24.* Et ibidem: Admitto panem per consecrationem interire, vt ei succedat corpus Christi: sed aliud est interire & corrumpi; aliud annihilari. Corruptio siue interit, quidquid definit esse: at non annihilatur, nisi quod ita definit esse, vt nihil ei succedat, ita vt eius definitio terminetur ad nihil. Resp. 1. Materia panis post consecrationem, aut manet & est aliquid, aut est nihil. Si manet & est aliquid, iam non est transubstantiatio, sed tm̄ transformatio, quia non tota substantia interijt. Si est nihil, ergo fit annihilatio. Neq; est quod proferatur successio corporis Christi. Nam corpus Christi non est factum ex materia panis, vt fatetur Bellarm. Ait enim conuersionem istam non esse productiuam, sed adductiuam: etsi Thom. p. 3. q. 75. art. 1. ait, non posse dari aliquem modum, quo Christus vere incipiat esse in hoc sacramento, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum. 2. Quidam ex Papistis, concedunt substantiam panis annihilari. Adhæc transubstantiatio euertit naturam benedictionis sacramentalis, quia illa non mutat substantiam, sed vocationẽ, vsum & officium elementi seu rei terrestris. Sed videamus, quomodo transubstantiatio euertat naturam panis & vini: Prius autem tollit panis & vini substantiam, remanentib; ipsorum accidentibus, deinde euertit naturam accidentium, ponendo illa sine subiecto, cum tamen esse in subiecto ingrediatur definitionem accidentis. Excipit Bellarm. in hærentiam in subiecto, non pertinere ad essentiam accidentis, cum lux primigenia Gen. 1. tribus dieb; fuerit accidens, quippe qualitas, sine subiecto. Resp. 1. Si accidens potest per se subsistere, iam non est accidens, sed substantia: 2. Lux primigenia fuit qualitas corporis lucidi, seu corpus globosum lucidum; solis quippe vicaria. Deniq; *metaphysic. nostra euertit naturam corporis Christi*: vt pote quod ante annos 1628. operante Spiritu sancto natum est ex Maria virgine, nec denuo fieri potest ab homine modo inuisibili; tum quia iam ante actũ existit; tum quia est vnum numero visibile, finitum, longum, latum, profundum & c. tum denique quia panis non est materia corporis humani: vt alia infinita iam præteream. Excipit Bellarminus. 1. per transubstantiationem corpus Christi non produci; sed succedere substantiæ panis. 2. corpus Christi ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne Mariæ virginis, sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est cœlum, ex die fit nox, & etiam ex aqua factum est vinum. Respondeo Primo: Est contradictio in adiecto, dicere transubstantiationem adductiuam. Nam transubstantiatio est conuersio, siue productio, non vero adductio, aut successio. 2. Si corpus Christi fit ex pane, vt cœlum ex nihilo, vt dies ex nocte, nulla est iterum transubstantiatio: quia neque nihil transubstantiatum fuit in cœlum, neque dies in noctem. 3. Si eo modo ex pane fit corpus Christi, vt ex aqua factum est vinum, consequens fuerit, & corpus ex materia panis fieri, & perire etiam accidentia panis vna cum substantia, sicut in vino illo *Canaanæ Iohann. 2.* non amplius erant accidentia aquæ. Atque ita transubstantiatio euertit naturam panis & vini, benedictionis sacramentalis, corporis & sanguinis Christi. Vnde porro efficitur ipsam rationem sacramenti & sacramentalis vniõnis perire.

VII. Inquiramus in natales Transubstantiationis. Est autem, vt diximus, nouiter excogitatum hoc dogma, nimirum sub Innocentio III. in Concil. Lateranensi, anno 1215. Sed inquirunt, ante Concilium Lateranense, innumeraabilia extant veterum testimonia de transubstantiatione. Id falsum esse, patet ibi sequentibus.

VIII. Nunc excutiamus contradictiones perpetuas, quib; laborat nostra Transubstantiatio. Et vt rem ab duo exordiat, primo querunt ipsius patroni, Num ea, quæ dicuntur de corpore Christi ratione specierum siue accidentium, quib; coniunctum est, vt videri, tangi, moueri, dicantur de ipso verè & proprie, an per aliquem tropum? Quidam prius affirmant; alij posterius. Deinde, quid proprie demonstrat *Hoc* in verbis Domini, *Hoc est corpus meum*; adeo inter ipsos non conuenit, vt hic in nouem minimum opinionões sint diuisi, hoc modo. 1. Alii volunt, *Hoc*, dum a sacerdote proferuntur verba, nihil demonstrare, sed recitatiue tantum seu materialiter proferri. Sic glossator Gratiani, Innocentius III. Scotus ex parte, & Scotistæ plerique. 2. Alii, quod *Hoc* sit demonstratio non ad sensum, sed ad intellectum tantum, quasi dicat Christus, *Hoc*, id est, signatum per hoc, est corpus meum. Sic Alensis. 3. Alii contra, quod *Hoc* sit demonstratio non ad intellectum, sed tantum ad sensum, quia demonstrat panem, non tamen simpliciter, sed prout conuersus est in corpus Christi. Hos refutat Thomas. 4. Alii, quod *Hoc* sit demonstratio mixta ad sensum & intellectum, quasi dicat *Hoc est corpus meum*, id est, illud in quod panis diuina virtute est transmutandus, est corpus meum. Sic Scotus, Richardus, Marsilius. 5. Alii quod *Hoc* nõ demonstrat terminum a quo, id est, panem determinatè; quia tunc locutio nondum esset vera, quod

panis sit corpus Christi ante finem prolationis: neque etiam terminum ad quem, id est, corpus Christi determinate; quia tunc prolatio verborum non caufaret transmutationem: sed quod demonstrat quiddam commune utriusque termino indeterminate, seu in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus, ut sit sensus: Hoc quod continetur sub his speciebus, est corpus meum. Sic Thomas Aquinas. Sed Thomas de Argentina Aquinatis opinionem ut falsam refutat. 6. *Alu*, quod *Hoc* demonstrat corpus Christi, non quod tunc ibi sit, sed quod tunc ibi erit, cum substantia panis in ipsum transubstantiata fuerit. Sic Thomas de Argentina. 7. *Alu*, quod *Hoc* partim verba Christi & prolationem verborum, partim aliquid indeterminate monstrat, q. d. Hoc est corpus meum, id est, ad huius verbi prolationem à sacerdote factam hoc totum transit in corpus meum. Sic Bonaventura. 8. *Alu*, quod *Hoc* habeat demonstrationem vagam, ut sit sensus: Hoc, id est, existens sub hac forma panis, est corpus meum: ut cum quis fores pulsans dicit, Tu aperi: *Tu* habet indeterminatam demonstrationem; quia qui est extra domum, & dicit, Tu aperi, nesciens quis sit intus: nihil determinate demonstrat per *Tu*, sed indiuiduum vagum seu incertum appellat. Tu quisquis es. Sic Antifidorensis & Durandus. 9. *Bellarminus* simulat se retinere velle glossam Thomæ Aquinatis: sed nescit quid sentiat. Nam modo dicit; *Hoc* monstrare panem materiale, *lib. 3. de Euchar. cap. 29.* modo id rursus negat, *lib. 3. ib. cap. 23.* modo dicit demonstrare species, non quidem in casu recto, ut sit sensus: Hæ species sunt corpus meum: sed in obliquo, hoc modo: Sub his speciebus est corpus meum; *lib. 1. Euchar. cap. 11.* modo denique per *Hoc* intelligit edulium; ut sit sensus, Hoc edulium est corpus meum: *Tertio* querunt, utrum in Eucharistia substantia corporis sit sine magnitudine? Durandus affirmat; Occam negat. *Quarto* de modo existentia corporis Domini in Eucharistia, Durandus sentit, formam panis conuerti, materiam non conuerti: alij contra; materiam non formam; alij utramque materiam & formam simul, adeoque totam substantiam, ut Concilium Tridentinum, quod anathema dicit non assentientibus. Rupertus docuit, panem Eucharistia hypostaticè assumi à verbo: quem refutauit & hæreses damnauit Algerus. Durandi sententia pugnat cum Concilio Tridentino, & hæretica à Bellarmino pronuntiatur, licet ipse Durandus non videatur hæreticus. *Porro*, per eum panis substantia, de modo existentia accidentium; in quoniam ea fundentur; graue est dissidium. Conueniunt non fundari in substantia panis & vini, ut in subiecto: nec in forma substantiali eorum: nec in substantia corporis & sanguinis Christi: nec in aere circumstante: sed in nihilo. Sed schisma in eo est, an omnia accidentia specierum sint sine omni subiecto. *Alii* volunt, solam quantitatem esse sine omni subiecto: qualitates vero materiales licet possint esse sine subiecto primo & substantiali, non tamen esse, nec esse posse sine subiecto proximo & accidentali. Qualitates igitur fundari in quantitate dimensua, quantitatem in nullo. Sic Thomas 3. quæst. 77. dubi. 2. *Alii* contra volunt, non solum qualitates, sed & quantitatem esse sine subiecto omni, tam accidentali & proximo, quam substantiali & primo. Sic Scotus in 4. d. 12. q. 2. Marfilus, Occam, Biel, *Bellarminus* concludit magisterialiter, accidentia sustentari à Deo modo supernaturali, & esse in seipsis; negatiue, non positiue: sed non subsistere per se: simulque esse in alio; nempe Deo, ut in conseruante, non ut in subiecto, *lib. 1. cap. 8. & 24.* Sed pergamus in contradictionibus. *Quæritur*, an panis substantia redigatur in nihilum, an refoluatur in materiam primam, vel quorsum euolet? Bellarminus sane fatetur, panis substantiam interire: sed tamen negat cum Thoma annihilari, licet nihil eius remaneat post consecrationem. Contrarius Thomæ Scotus est, quem vicissim oppugnat Caietanus. Et de *uini conuersione* pugna maior est. Cum enim constituentur, vino admiscendam esse aquam, quæritur de aquæ conuersione. Vbi alij dicunt, redigi in nihilum: alij, mutari in sanguinem: rursus alij, conuerti in vitalem humorem Christi. Durandus ait, Quis audeat definire? Thomas docet, aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem Christi. *Nec desuere* inter Papistas, qui dicerent, substantiam panis manere, ut Cameracensis, seu Petrus de Aliaco in 4. sent. qu. 6. Cumque *Concilium Tridentinum* sess. 13. cap. 4. dicat, totam substantiam panis & vini conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi: tamen *Bellarminus* negat creati siue generari corpus Christi ex pane, ac proinde ait conuersionem non esse productiuam, neque conseruatiuam, sed adductiuam: Quam sic explicat, non quod corpus Christi per hanc adductionem deserat locum suum in cælo, vel quod per motum localem huc de cælo adducatur: sed solum, quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea erat solum in cælo, iam etiam sit sub speciebus panis: & non solum sub illis per simplicem præsentiam siue existentiam, sed etiam per vnionem quandam, qualis erat inter substantiam panis, & accidentia panis, excepta tamen inharrentia. Sed *Lombardus* 4. dist. 13. consentiente Thoma, repugnat Bellarmino, quando scribit, angelum cœlitus ad consecrandum viuificum corpus aduenire. Adducit autem verba canonis Missæ: Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum. Ad quod Bellarminus respondet, improbabiliter ita sentire Lombardum & Thomam. Nondum finis est natiuitatis. *Quæritur* enim, quid conuersio efficiat circa corpus Christi? Vbi dicunt, certum esse, corpus Christi per hanc conuersionem mutari accidentaliter, quia acquirit nouam præsentiam sacramentalem. An etiam substantialiter? Alij putant Christum substantialiter vniri speciebus sacramentalibus: alij, substantialiter conseruari in Eucharistia per nouam actionem substantialem, distinctam ab ea actione, qua in cælo conseruatur. Vtrumque hoc negat Becanus. *Rursum* quæritur, quid efficiat hæc conuersio circa panem? Aiunt, certum esse, substantiam panis desinere: difficultatem esse de modo desinendi. Alij putant desinere per solam subtractionem influxus diuini: alij per aliquam actionem positiuam. Hi iterum eandem actionem, qua corpus Christi introducit. Alij per illam, qua accidentia panis separantur à subiecto, & per se constituuntur. *Adde*, quod contradictorium est, substantiam signorum ita profus aboleri, ut nihil de ea remaneat, & tamen non verè ipsam annihilari: *scilicet*, veram conuersionem signorum hic fieri, & tamen ipsa nullatenus, ne quoad materiam quidem, permanere: *item*, conuersionem hanc fieri vi quinque verborum, & tamen non fieri successiue, imo eandem reuera factam esse antequam hæc omnia verba pronuntiata sint. *Porro* Thomas existimat virtutem aliquam creandi inesse verbis cœnæ ad conuersionem faciendam. Sed Biel id negat, & ait,

verba nihil efficere per virtutem insistentem, sed per virtutem diuinam ad-sistentem. *Simi* es *dissenfiones* sunt in illis quæstionibus: An à Christo expressa & instituta sit certa verborum forma, ad transubstantiationem necessaria: Num propositio illa, *Hoc est corpus meum*, proferatur à sacerdote recitatiue vel signifiatiue: An illis solum verbis, *Hoc est enim corpus meum*, fiat transubstantiatio: An sacerdos virtute istorum verborum panem transubstantiet in corpus Christi, si ad veneficia eo vti intendit: An conuersio sit formalis, substantialis, vel alterius generis: Quo tempore fiat transubstantiatio, an prolata vltima litera M, vel prolatis illis verbis. Hic est sanguis meus &c. Quomodo accidentia panis & vini veneno inficiantur: Quomodo modo vini accidentia inebriant: Quomodo vermes nascantur ex speciebus Eucharistia: Si mus comedit species panis, quid de corpore Christi fiat: An Christi corpus sub speciebus in stomachum descendat, & vomitu reijciatur: Cum sola accidentia post consecrationem supersint, quomodo panis Eucharisticus frangatur. Hæc & similes *λαβυραυδαεις* quæstiones dici non potest quam variè & contrariè disceptent: ut videre est apud *Iohan. Gerbardum de cœnâ cap. 12. num. 12. 9.* Sed excipiunt, 1. hæc talia ingenij exercendi, veritatisque illustrandæ causa esse à veteribus ita disputata. 2. confundi contradictiones apparentes & veras. 3. apud nostros etiam occurrere contradictiones in re Eucharistica. *Respon.* 1. At vanitas rei, vanitasque ingenij hic concurrunt. 2. Iudicium esto penes cordatum lectorem, an contradictiones allatæ possint conciliari. 3. Contradictiones apparentes occurrunt apud nostros, non veræ.

IX. Octauum nostrum argumentum est, transubstantiationem *infinita* *secum trahere absurda*, tum theologica, tum philosophica. Posita enim transubstantiatione, 1. verba Christi, *Hoc est corpus meum*, non possunt recte & constanter exponi. 2. cœna non est sacramentum, sed miraculum non miraculum. 3. verba Pauli 1. *Corinth. 10. & 11.* non possunt conciliari cum verbis Christi. 4. vox panis in descriptione cœnæ simul proprie & tropicè est intelligenda. 5. non potest consistere analogia & vnio sacramentalis. 6. verba eadem eodem loco variè sunt exponenda. 7. non est rata collatio piæ antiquitatis inter S. cœnam & personam Christi. 8. concedenda est duplex conuersio, aquæ in vinum, & vini in sanguinem. 9. neganda est veritas exteriorum elementorum. 10. multa indignissima de corpore Christi sunt concedenda, à quibus piæ aures merito abhorrent. 11. sequitur Christum duo habere corpora, alterum quod ex Maria assumpsit, alterum quod formatur ex pane. 12. separatur corpus Christi à sanguine. 13. separatur corpus Christi ab anima. 14. corpus Christi in prima cœna fuit visibile & inuisibile. 15. fallum est, panem frangi. 16. corpus Christi est cibus corporalis &c. Atque hæc sunt *theologica* & *philosophica* sunt, quod transubstantiatio 1. ponit accidentia sine subiecto. 2. accidentibus tribuit proprietates & effectus substantia. 3. introducit annihilationem, seu abolitionem naturæ. 4. ponit effectum sine causa, v. g. nutritionem absque substantia nutriente. 5. quantitatem constituit subiectum accidentium. 6. ponit ex accidentibus vermes generari & cineres. Hæc, & similia *ad uia* vide apud *Sadlet de sacramentali manducatione cap. 3.* Vbi minime prætereundum est, sensus & experientiam vniuersalem per hoc dogma constitui fallaces.

X. Nono, transubstantiatio est *principium horribilium superstitionum & errorum*. Hinc enim *apologia*, repositio hostiæ consecratæ, circumgestatio eius in processionibus, abusus eiusdem in sanandis morbis, profligandis spectris, expellendo diabolo &c. aliaque similia suam habent originem. Quæ etiam pertinet horribilis illa blasphemia, cum in *stellæ clericorum* sacrificuli dicuntur creatores creatoris sui, eoque nomine B. Mariæ præferuntur, quod ipsa semel tantum Christum conceperit & pepererit, illi, quoties libet, creare possint.

XI. Penultimo loco diximus, transubstantiationem *desitui Patrum calculo*: 1. quia Patres vocabula panis & vini in hoc mysterio semper retinent, nusquam vero nudam speciem vel sola accidentia panis & vini appellant. 2. quia duas res, terrenam & cœlestem in Eucharistia agnoscunt. 3. quia materiale panis manere statuunt. 4. quia oculorum & sensuum iudicium circa externa symbola non reijciunt. 5. quia naturam panis manere asserunt. 6. quia conferunt vnionem sacramentalem panis & corporis Christi cū vnione personali duarum naturarum in Christo. 7. quia conferunt vnionem panis & corporis Christi in cœna, cum virtute Spiritus sancti in baptismo. 8. quia conferunt eandem vnionem cum dono immortalitatis corporibus nostris olim conferendo. 9. quia externa symbola ita tractant, vt transubstantiationem à se statui ipso facto negarent. 10. quia symbola sacra videntur typum, antitypum, figuram, imaginem, memoriam, recordationem corporis & sanguinis Christi. Decem itaque constitui possunt classes testimoniorum ex Patribus. Nos breuiter ex singulis classibus illustriora dicta seligimus. *Prima classis.* *Clemens I. Episcopus Romanus, Petri discipulus & successor, vt volunt Papista, lib. 7. Constitutionum apostolorum, cap. 26. in mystica gratiarum actione, quæ consecrationem sacramentorum subsequitur, ita dicere iubet:* Tu Domine omnipotens, Deus æternæ, quem admodum hoc dispersum erat, & congregatum factum est vnus panis: ita congrega Ecclesiam tuam à finibus terræ in regnum tuum. Etiam gratias agimus tibi, Pater noster, pro pretioso sanguine Iesu Christi, qui effusus est pro nobis, & pro pretioso corpore, cuius hæc antitypa perficimus, ipso nobis ordinante, vt annuntiauerimus eius mortem, per quam tibi gloria in secula, Amen. *Et lib. 8. c. 17.* Offerimus tibi regi & Deo secundum ipsius ordinationem panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes. *Et paul. p. st.* Mittas Spiritum sanctum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, vt ostendat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui. *Sic itaque Clemens etiam p. consecrationem agnoscit panem.* Ignatius epist. 6. ad *Philadelph.* Vna eucharistia vtamini: vna enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis qui pro nobis effusus est, & vnus calix qui nobis omnibus distributus est, & vnus panis qui omnibus fractus est. *Iustinus Martyr apologia 2. pro Christianis.* Non enim vt communem panem, neque vt communem potum ista sumimus. *Ibid.* Precibus peractis panis offertur & vinum. *Clemens Alexandrinus pedagoga lib. 2.* Quod autem vinum esset quod benedictum est, ostendit rursus, dicens discipulis, Non bibam ex fructu vitis huius, donec bibero ipsum vobiscum in regno Patris mei.

Secunda classis & octava. Irenaeus lib. 4. aduersus haereses cap. 34. etiam post consecrationem panem adhuc agnoscit: Quemadmodum qui est à terra panis percipiens uocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & caelestis: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Tertia & quinta classis. Origenes in cap. 15. Matth. Quod si quidquid ingreditur os, in ventrem abit, & in secessum eicitur; & ille cibus qui sanctificatur per uerbum Dei, perque obsecrationem; iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eicitur. Chrysostomus ad Casarium monachum: Antequam sanctificetur panis, panem nominamus: diuina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus quidem ab appellatione panis, dignus autem est habitus Domini corporis appellatione; etiam si natura panis in ipso permanet. Theodoretus dialogo 1. Seruator certe noster nomina commutauit; & corpori quidem id quod erat symboli ac signi nomen imposuit, symbolo autem quod erat corporis. Et manifestum est institutum Christi in hac nominum mutatione, iis qui sunt diuinis mysteriis initiati. Volebat enim eos, qui diuinorum mysteriorum sunt participes, non attendere naturam eorum quae uidentur; sed propter nominum permutationem, mutationi quae fit ex gratia credere. Qui enim quod natura corpus est, triticum & panem appellauit, & uitem rursus seipsum nominauit, is symbola & signa, quae uidentur, appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adiciens. Idem dicit 20. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à natura sua. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & uideri; & tangi possunt; sicut & prius.

Quarta & sexta classis. Augustinus in libro sententiarum Prosperi, ut citatur in iure canonico de consecrat. dist. 2. c. Hoc est, quod est 48. Hoc est quod dicimus: hoc modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiae duobus confici, duobus constare, uisibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: sacramentum & re sacramenti, id est, corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine: cum ipse Christus uerus sit Deus & homo: quia omnis res illarum rerum naturam & ueritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiae sacramento & re sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur sacramentum & res sacramenti, id est, corpus Christi.

Septima classis. Ambrosius lib. 2. commentariorum in Lucam: Cum ex duabus naturis homo, id est, ex anima & corpore subsistat: uisibile per uisibile, inuisibile per inuisibile mysterium consecratur. Aqua enim corpus abluit, Spiritu animae delicta mundantur. Damascenus lib. 4. c. 14. Quemadmodum in baptisate, quia consuetudo hominibus est aqua lauari, coniunxit aquae gratiam Spiritu sancti, & fecit eam lauari regenerationis: hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare & uinum bibere, coniunxit his suam diuinitatem, & fecit ea corpus & sanguinem suum, ut per ea quae sunt consueta & secundum naturam, in his quae supra naturam colloeretur.

Nona classis. Hefychius lib. 2. in Leuit. c. 8. Tradit fuisse morem in Ecclesia igni tradi quaecumque remanere contigerat in consumptum. Euagrius lib. 4. hist. Eccles. c. 36. refert, Constantinopoli fuisse uisatum, pueros ex schola uocare ad comestionem partium residuarum.

Decima classis. Eusebius Emisenus, ut citat Gratianus in iure canonico dist. 2. de consecratione. capitulo. Quia corpus, quod est 35. Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris & sideribus illaturus, necessarium erat, ut die coenae sacramentum nobis corporis, & sanguinis sui consecraret. Augustinus in psalm. 49. Non hoc corpus, quod uidetis, manducabitis, nec bibetis illis illum sanguinem, quem fusi sunt qui me crucifigunt: mysterium uobis commendando: Spiritualiter intellectum uiuificabit uos: Dionysius in hierarch. Eccles. Sunt symbola, quibus ii, qui inuisibilia, facti in Deum transeunt. Ambrosius in I. Cor. 11. Testamentum ergo sanguine constitutum est, in cuius typum nos calicem sanguinis mysticum ad corporis & animae nostrae nutritionem percipimus. Clemens Romanus lib. 5. constit. c. 16. Cum uero antitypa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset: Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem cap. 19. Sic enim Deus in euangelio quoque uestro reuelauit, panem corpus suum appellans, ut & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram panem dedisse. Dionysius hierarch. Eccles. Positis in diuino altari ueneratione dignis signis; per quae Christus & significatur, & percipitur. Origenes contra Marcionitas dialogo 3. Si, uti obloquuntur isti, carne desititurus erat & ex sanguis: cuiusmodi carnis, cuius corporis, & qualis tandem sanguinis, signa & imagines, & panem & poculum, ministravit, iussitque per illa discipulos memoriam sui renouire, Chrysost. in psalm. 12. Istam mensam praeparauit feruis & ancillis in conspectu eorum; ut quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi, panem & uinum secundum ordinem Melchisedec nobis ostenderet in sacramento. Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. Huius sacrificii caro & sanguis post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur. Idem lib. 2. de doctr. in Christ. c. 3. Sacramento corporis & sanguinis sui praegustato significauit, quod uoluit. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, cap. 14. Nec panem (scilicet Christum rep. obauis) quo ipsum suum corpus representat.

XII. Undecimum, idemque ultimum, argumentum contra Transsubstantiationem nobis est, quod cum ante, tum post Lateranense Concilium in scholis disputatum fuit in utramque partem de hoc dogmate. Unde recte colligitur, non fuisse articulum fidei. O 10 Frisingensis anno 1141. credidit & scripsit, panem & uinum manere in Eucharistia. Scotus 4. sent. dist. 11 q. 3. ait: Veritas Eucharistiae saluari potest sine ista Transsubstantiatione. Item: Substantia panis magis representat Christi corpus in ratione nutrimenti spiritualis. Item: Non uidetur expresse haberi (in scriptura) non esse ibi substantiam panis. Nec inuenitur, ubi Ecclesia istam ueritatem determinet solemniter. Occam in censura theol. c. 6. l. 4. q. 6. Substantiam panis manere, hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium, & sacris scripturis minus repugnans. laem 4. sent. dist. 11 q. 6. docet, hunc modum, quia non repugnat rationi nec auctoritati Bibliæ, & esse rationabiliorem & faciliorem ad

tenendum inter omnes modos. Petrus de Aliaco Cardinalis Caueracensis in 4. sent. dist. 11 q. 6. art. 1. Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet & c. Quidquid tamen sit de hoc, pater, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati Bibliæ. Iohannes Parisiensis anno 1310. disputauit; panem per consecrationem non transsubstantiari. Pius Mirandola in conclusionibus. Sine conuersione panis in corpus Christi, uel panicitatis annihilatione, corpus Christi manducatur, quatenus nempe quaecumque creaturam Deus suppositare potest: quo posito & panis remaneat & corpus sit cum pane. Langus scriptor Pontificus, & Maximiliani II. Imperatoris, Confessorialis, ut est in Indice Expurgatorio Belgico & Hispanico, transsubstantiationem non agnoscit, sed aperte contendit cum corpore & sanguine Christi remanere ueram panis & uini substantiam. Cassander in conuult. ad Maximil. II. ait, transsubstantiationem & nomine & re nouam esse: tutius esse Patrum & uerbis & sententiis stare; eo denique uentum, ut ad idololatriam proxime accedatur. Iohan. Escherus Koffensis episcopus lib. contra captiuit. Babyloniam Lutheri, fatetur ex scripturis non posse probari transsubstantiationem. Benedictus Arias Montanus in Luc. 22 v. 19. Hoc est corpus meum, id est, uerum corpus meum in hoc sacramento panis continetur sacramentaliter. Et paulo post: Cuius arcanam & mysteriis referentissimam rationem ut explicatiorem habeant Christiani; dabit aliquando Deus. Tannerus in compend. relat. coll. qui Ratisb. part. 2. cap. 6. transsubstantiationem refert inter ea, quae in scriptura sola non continentur; nec ex ea sola euidenter deducuntur.

CAP. VIII.

Fundamenta transsubstantiationis conuelluntur.

I. Confutato igitur hoc modo transsubstantiationis dogmate, restat ut examinemus argumenta, quibus tanquam fulcris illud stabilire conatur Papista: Sequemur autem hic ductum Bellarmini, qui omnibus modis hanc suam Hellenam exornare studet, quatuor classibus argumentorum in medium adductis. In prima classe sunt uerba illa Institutionis; Hoc est corpus meum. in secunda, testimonia Patrum: in tertia, consensus Ecclesiae: in quarta, conuenientia rationis.

II. Becanus de coena Lutherana cap. 4. ita scribit: Fundamentum huius doctrinae de conuersione substantiae panis in corpus Christi, sumitur ex illis uerbis: Hoc est corpus meum. Hinc dupliciter possumus argumentari: Primo contra Lutheranos, ex ipsorum concessione. Illi enim concedunt, Christum de pane dixisse, Hic panis est corpus meum. Vel hoc intelligunt de pane mutato, in corpus Christi, uel de pane, ut panis est. Si de pane mutato, iam nobiscum sentiunt. Si de pane ut panis est, iam falsa est eorum propositio. Non enim panis triticeus proprie est caro Christi; sicut nec uinum est proprie sanguis Christi. Et mox: Deinde, possumus absolute argumentari hoc modo: Hoc, quod sub his accidentibus continetur, est uerum corpus Christi. Ergo non est uerus panis triticeus. Ita Becanus. Respond. I. Fundamentum conuersionis male sumitur ex illis uerbis: ut pote quae sacramentalem unionem & mutationem arguunt. At unio sacramentalis in eo est posita, ut panis & corpus Christi sint unum partim analogia, partim plerophoria fidei, partim denique uel promissionis Dei, quae est fundamentum analogiae sacramentariae, & plerophoriae fidei. Deinde mutatio sacramentalis non mutat substantiam aut qualitates, sed officium: ut ex scripturis & Patribus iam ante non semel est ostensum. 2. Uerba Christi sunt intelligenda de pane, ut est panis uerus, sed benedictione sacra sublimatus, id est, ad sublimem & nobile officium uocatus. Est itaque metonymia sacramentalis in his ipsis uerbis. 3. Est quidem communior sententia Pontificiorum, propositionem Christi sic resoluendam esse, ut Becanus resoluit, Quod sub specie panis continetur, est corpus meum. Sed uel illa manifeste petit principium. De eo enim queritur, an sub specie panis contineatur corpus Domini. Duo, inquam, queruntur; unum, an corpus Christi contineatur sub pane; alterum, an panis ille sit species siue accidens merum: Et posito contineri, propositio illa eodem iure posset ita resolui: id, quod sub panis substantia continetur, est corpus meum. Itaque probanda prius erant ista duo; corpus Christi contineri sub pane, & substantiam panis aboleri, quam sic resoluerent.

III. Audiamus nunc Bellarminum. 1. lib. 3. Euchar. c. 19. sic ait: Haec uerba necessario inferunt, aut ueram mutationem panis, ut uolunt Catholici, aut mutationem metaphorica, ut uolunt Caluini, nullo autem modo sententiam Lutheranae admittunt. Nam Dominus accepit in manibus panem, eumque benedixit, & dedit discipulis, & de eo ait, Hoc est corpus meum. Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit, Hoc est corpus meum. Vel igitur benedicens mutauit in corpus re ipsa, uere, & proprie: uel mutauit improprie, & figurate, addendo significationem, quae non habebat: uel nullo modo mutauit. Si mutauit re ipsa, uere, & proprie: ergo panem mutatum dedit, & de pane mutato uerissime dixit, Hoc est corpus meum. Id est, quod sub specie panis continetur, non est amplius panis, sed corpus: & hoc est quod dicunt Catholici. Si quis uero dicat, panem mutatum esse figurate, tamen datus erit Apostolis panis, qui figurate erit corpus Domini, & illa uerba; Hoc est corpus meum: huius sensum habebunt, Hic panis est figura corporis mei: Haec autem est sententia Sacramentariorum, quam & nos, & Lutherani communi sensu reuicimus. Si quis denique dicat, nullam fieri mutationem, is cogetur dicere; panem non mutatum datum esse Apostolis, & de illo esse dictum, Hoc est corpus meum, id est. Hic panis uerus ac triticeus, uere, & proprie est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, siue agamus de re ipsa, siue de propositione. Nec enim ullo modo fieri potest, ut una res non mutetur, & tamen fiat alia: esset enim ipsa, & non esset ipsa. In propositione autem affirmatiua, necesse est, ut pro eodem supponant subiectum & praedicatum: alioqui esset falsa praedicatio. Non igitur potest fieri, ut uere sit propositio, in qua subiectum supponit pro pane; praedicatum autem pro corpore Christi: panis enim & corpus Domini res diuersissimae sunt.

IV. Resoluamus orationem istam Bellarmini. 1. Mutatio vera, & mutatio metaphorica perperam opponuntur. Nam verum & falsum sunt opposita, non autem verum & metaphoricum: quia metaphoræ possunt esse veræ, ut omnes tropi. 2. Mutatio metaphorica inepte sic dicitur. Etenim tropi sunt notiones secundæ, quæ sunt nomina nominum, seu conceptus conceptuum, non autem ipsarum rerum. Itaque cum tropus sit modificatio vocis, non recte ad res ipsas transfertur. Ita non recte dico, quod homo homini sit Deus metaphoricus, aut diabolus metaphoricus. Recte autem dico, homo homini est Deus, diabolus, vel lupus, per tropum, per metaphoram, seu tropice, metaphorice. 3. Mutatio sacramentalis est vera mutatio: quia fundamentum habet in re. Sed in qua re? Num in substantia panis? num in eius qualitatibus? Non utique: sed in usu, officio, vocatione cœlesti. Quæ ratio in omnibus sacramentis obtinet. Facessat itaque substantialis mutatio: quippe quæ nihil commune habet cum sacramentis. Hinc ita iam argumentor. Verba institutionis S. cœnæ, *Hoc est corpus meum*, omnino mutationem aliquam significant. Ergo vel substantialem, vel accidentalem. At non substantialem: quia illa non conuenit cum natura sacramentorum. E. accidentalem, & quidem sacramentalem. 4. Propositio ista, *Hoc est corpus meum*, est locutio seu phrasis sacramentalis, Scripturæ & veteribus vtitissima de omnibus sacramentis: imo non tantum de hac specie signorum, vel locutione de sacramentis, in quibus peculiaris quædam & maior causa est sic loquendi, videlicet exhibitio & perceptio rerum signatarum cum signis & per ea; sed in omni etiam sermone de toto genere signorum, in quibus tantum qualificatio: similitudo vel significatio est. Hinc *Augustinus ad Bonifacium* has locutiones, quibus sacramentum corporis, Christi corpus, & sacramentum sanguinis, sanguis Christi esse dicitur: confert cum istis, *Craftina dies est passio Domini*, *Hodie Christus resurrexit*, loquendo de die Dominico. Item, *Christus in sacramento immolatur*, *Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem*. *Idem in Leuit. q. 67. & contra Adimantum c. 12.* confert cum illis, *Septem Spicæ, septem boues, sunt septem anni*, *Petra erat Christus*. Recte itaque nostrates docent, has propositiones, *Panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi*, sunt noui testamenti, sunt *signa* corporis & sanguinis Christi, esse similes istis, *Falces sunt imperiû*, *Hoc est Irena*; *Hoc est Hercules*, id est, hæc statua repræsentat Herculem. Quamquã in his exemplis est magna etiam dissimilitudo. Atque hæc est causa, quod *Caluinus in 1. Cor. II.* in hæc verba, *Hoc est corpus meum*, ita scribit: *Constitutum sacramentalem hic esse loquendi modum, ubi Dominus rei signatæ nomen signo tribuit. Nunc ulterius pergendum, & quærenda metonymiæ ratio. Hic respondeo, non ideo tantum imponi signo rei signatæ nomen, quoniam sit figura: sed magis quia symbolum sit quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutantur quiddam a rebus terrenis & profanis, quoniam a sacramentis Domini habent aliquid diuersum, non admitto. Vocatur Hercules, statua Herculis sed quid illic est præter nudam inanemque figuram? Columba autem vocatur Spiritus, quia certa sit tellera inuisibilis Spiritus præsentia. Ergo panis est Christi corpus, quia serio testatur exhiberi nobis corpus illud quod figurat: vel quia Dominus visibile symbolum illud nobis porrigendo, dat etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est Christus, qui vacuis, figuris nos ludat. Ex his *Caluini* verbis colligere in promptu est, sacra symbola Eucharistiæ non esse tantum figuras & memosyna corporis Christi, ut repræsentandi vel in memoriam duntaxat reuocandi, sed etiam media participandi. Atque hoc peculiare habent locutiones sacramentales, quales in Scriptura sunt istæ: *Circumcisio est fœdus*, *Agnus est transitus*, *Sanguis victimarum est sanguis fœderis seu reconciliationis*, *Baptismus est ablutio peccatorum per sanguinem Christi*, *Fractio panis in Eucharistia est fractio corporis Christi pro nobis fracti in cruce &c.* Sunt autem hæc prædicationes fundatæ in vnione sacramentali, quæ est coniunctio signi & signati in legitimo usu. Illæ igitur duæ sunt causæ locutionis sacramentalis, analogia signorum & rerum, & coniuncta in legitimo usu perceptio. De prioribus sic ait *Augustinus epist. 23. ad Bonifacium*: Ex similitudine cum rebus, sacramenta pleurumque ipsarum rerum nomina accipiunt. *Et in sent. Prop. de consecrat. dist. 2.* Cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi: vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. His *Augustini* verbis *Gl. ffator Decretorum* adiecit: Cœlestis panis, id est, cœleste sacramentum, quod vere repræsentat carnem Christi, dicitur corpus Christi, sed improprie: vnde dicitur suo modo, sed non rei veritate, sed significante mysterio. Ex quibus verbis colligere est, veteres interdum opponere hæc duo, rei veritatem, & mysteriû, figuram, signû &c. non hoc sensu, quod illis subdit aliqua falsitas, sed quia per rei veritatem intelligunt vel ipsas rerum substantias, vel efficiaciam Spiritus. De coniuncta vero perceptione signi & rei in usu legitimo ait idem *Augustinus de verbis Apostoli serm. 2.* Manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi; si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audiamus etiam *Lombardum, qui lib. 4. dist. 12.* sic ait: Illud quod offertur & consecratur a sacerdote, vocatur sacrificium & oblatio, quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii & immolationis factæ in ara crucis. 6. In verbis Bellarmini est contradictio. Primo enim ait: De pane Christus dixit, *Hoc est corpus meum*. Mox subiungit: Non potest fieri, ut propositio sit verâ, in qua subiectum supponit pro pane. Iam dispiciamus, quomodo resoluenda sit hæc propositio, *Hoc est corpus meum*. Subiectum & prædicatum hic supponunt pro pane. Et si enim panis & corpus Christi sunt res diuersissimæ: tamen de se inuicem affirmantur, quia corpus Christi accipitur metonymice, ita ut hic sit sensus: Panis est sacramentum corporis Christi, seu, est corpus Christi sacramentaliter. Quæ analysis præterquam quod nititur analogia & vnione sacramentali, quæ in omnibus sacramentis cernitur; etiam confirmatur illa collatione veterum, quod propositiones istæ, *Verbum est caro*, *Panis est corpus Christi*, sint similes. Non enim mutationem siue conuersionem panis in corpus Christi, sed veram veri corporis significationem & *significationem*, in sumptione & per sumptionem legitimam huius panis, docere Patres, certum est ex totius doctrinæ ipsorum collatione. Nam quando conferunt cœnam Domini cum persona Christi, ex cœna instituunt confirmare aut declarare veritatem carnis, & duarum in Christo naturarum distinctionem. Sic enim*

ratiocinantur: Sacramentorum significationes veræ sunt. At panis & vinum significant corpus Christi, & eius sanguinem. Ergo Christus habet veram carnem, & verum sanguinem. Sic enim *Tertullianus lib. 4. contra Marcionem*: Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritas esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Concludunt item hoc modo: Cœna Domini in hunc usum instituta est, ut veræ carnis & veri sanguinis Christi fiamus *significati*. Ergo si non vana est eius significatio & institutio, Christus habet veram carnem. Sic *Leo ad clericum & p. e. e. Constantinopolitanam*: In omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium lingua, veritas corporis & sanguinis Christi, inter communis sacramenta fidei taceatur: quia in illa mystica distributione spiritualis alimonie, hoc impertitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra est, transeamus. Transire in ipsius carnem, est carni Christi vniri & conformari. Hoc fieri non posset, atque ita cœna suum finem non assequeretur, nisi veram carnem & naturam similem nostræ carni, Christus haberet. Utuntur & hac declaratione: Quod in typo fit, etiam in archetypo fieri potest, & suo modo fieri debet: quod in Eucharistia, etiam in ipso Christo. At panis nominatur corpus Christi, & corpus panis, salua natura panis & corporis. Ergo etiam Deus homo, & homo Deus esse & dici potest: saluo naturarum discrimine. Hæc ex *Theodoro*, *Chrysostomo*, & *Gelasio* sunt manifesta. Vnde porro patet, iniquam esse istam quorundam comparationem (ut hoc obiter addam) qua dicunt locutiones illas de Filio Dei, *Filius hominis est Filius Dei*, *Deus est homo &c.* & istas locutiones sacramentales, *Panis est corpus Christi*, *Vinum est sanguis Christi &c.* esse simillimas. Non ita est. Nam in propositionibus illis, *Homo est Deus*, *Deus est homo &c.* de indiuiduo seu persona Christi prædicatur natura seu essentia diuina vel humana, quarum vtraque est illi personæ substantialis, hoc est, ipsius substantiam constituentis. In hac autem propositione *Panis est corpus Christi*, prædicatur de signo res signata, quæ neque substantia, neque pars substantiæ seu signi siue elementi, hoc est, panis, est. Vnde homo Deus, & Deus homo est personaliter, hoc est, realiter, substantialiter: sicut indiuiduum diuinum aut humanum natura est Deus aut homo. Panis autem est corpus, nequaquam realiter, vel substantialiter, sed duntaxat sacramentaliter, hoc est, significatiue, symbolice, mystice, sicut sacramentum est res sacramenti. Vera autem comparatio hæc est. Sicut in Christo duæ naturæ sunt in vna persona, vnde vnio dicitur personalis: ita in Eucharistia est res terrestris & cœlestis, quæ sunt vnium in sacramento, vnde vnio dicitur sacramentalis. Item: Sicut in Christo duæ naturæ retinent suas proprietates: ita in Eucharistia res terrestris & res cœlestis retinent suas proprietates. Nimirum duæ naturæ in Christo vniantur mystice in vna substantia, siue supposito: at res terrena & cœlestis vniantur mystice in vno sacramento, id est, in actione illa, quæ est partim terrestris, partim cœlestis. Atque ita componuntur, id est, affirmate enuntiantur, *Deus & homo*, quia nomen Deus vel homo, indiuiduum personam vnus Christi significat, de qua essentia diuina vel humana, aut etiam alterutrius propria vel accidentia prædicantur, v. g. *Deus est homo*, *Deus est mortuus &c.* Proinde istæ propositiones analogia quadam ad prædicationem Speciei, aut indiuidui, vel proprii, vel accidentis de indiuiduo referuntur. Sed panis & corpus Christi componuntur & affirmate enuntiantur, quia nomen corpus accipitur metonymice. Idem iudicium est, quando proprietates & accidentia corporis Christi de pane enuntiantur, v. g. *immolari*: aut proprietates & accidentia panis de corpore Christi, ut *elevati*, in manibus verari.

V. Bellarmino adiungamus *Pistorium*, qui in suo hodegetico ita disputat. Verba institutionis, *Hoc est corpus meum*, sunt accipienda simpliciter in sensu siue intellectu naturali & proprio. Itaque si cœna Domini est corpus & sanguis Christi, *ad hoc valde est*, esse panem & vinum. Nam quia panis & corpus Christi sunt disparata, non possunt de se inuicem prædicari, nisi personaliter vniantur. Itaque panis transubstantiatur in corpus Christi. *Respondeo* 1. Logicorum Maxima est: Disparata desinunt esse disparata, quando fiunt comparata, ut *Herodes est vulpes*, *Christus est via*, *Falces sunt imperium*, *Agnus est transitus*, *Circumcisio est fœdus*. Iam vero in sacramentis cernitur comparatio, id est, analogia. Et hæc facit, ut recte dicamus, *Panis est corpus Christi*, perinde ut in duobus posterioribus exemplis. 2. Disparata (materialiter sumta) vniantur vnione substantiali, vel accidentali. Illius exemplum est in Christo *θεω & ἄνθρωπος* seu in vnione personali duarum naturarum, quia Deus est homo, & vicissim homo est Deus: huius exemplum est in metaphoris, ut *Christus est lux*, & metonymia siue vnione sacramentali, ut *Panis est corpus Christi*. Huius loci est regula: Quotiescunque Scriptura sacra, & purior vetustas Ecclesiæ, cum Scriptura loquens, in sacramentis nomina & proprietates rerum significatarum, inuisibilium, spiritualium, ac cœlestium, tribuit signis visibilibus, corporalibus, ac terrenis, hæc sermonis forma docetur, res per signa repræsentari & exhiberi, & in usu diuinitus instituto communicari, secundum promissionem euangelii. 3. Ex verbis Christi transubstantiatio panis non magis, quam ex ista propositione, *Verbum caro factum est*, conuersio diuinæ naturæ *τὸ θεῖον* in carnem humanam conuincitur potest. Sicut enim non sequitur, *Verbum caro factum est*: ergo *Verbum* mutatur in carnem, aut caro in verbum: ita non sequitur, *Panis est corpus Christi*: ergo est mutatus in corpus Christi: *Verbum est caro factum*, & tamen *Verbum* non mutatur in carnem. Ergo etiam panis potest esse corpus Christi, ut non mutetur in corpus. Rursus, ut *Verbum est caro*, non mutata natura carnis: ita panis est corpus, non mutata natura corporis visibili in inuisibilem. 4. Christus non dixit, sub speciebus seu accidentibus panis & vini corpus & sanguinem suum adesse. Ergo non minus transaccidentatio, quam transubstantiatio fieret, si particula *Hoc* demonstraret nihil aliud quam solum corpus præsens.

VI. *Deinde sic concludit Pistorius*: Mutatio sacramentalis aut fit in corpore Christi, aut in pane. Non autem fit in corpore Christi. Ergo fit in pane: & per consequens substantia panis conuertitur in substantiam corporis Christi. *Resp. 1.* Militat argumentum, si recte explicetur mutatio sacramentalis, quæ nempe omnibus sacramentis est communis, hoc est, quæ elementum sanctificatur, & vsui siueque sacro destinatur, iuxta regulam: *Accedit* verbum

tur, quod vinum in sanguinem transmutatur: Si enim ad nuptias corporis inuitatus stupendum miraculum operatus est cur non multo magis corpus & sanguinem suum, filius Sponsi dedisse confitebitur? Nemp̄ sub Specie panis datur tibi corpus; sub Specie vini, sanguis Christi. Etiam si sensus tibi aliud renuntiet, fides tamen te confirmat. *Damasceus lib. 4. c. 14.* Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum per potum, in comedentis ac bibentis corpus & sanguinem mutantur: sic propositionis panis ac vinum per Spiritus sancti inuocationem & aduentum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur. Et *Chrysostomus homil. 83. in Matth.* Qui hæc in altari sanctificat & transmutat, ipse Christus est, qui olim in cœna operatus est. *Theophylactus in cap. 6. Ioban.* Attende, quod panis, qui a nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quadam carnis Dei, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit: Panis quem ego dabo, figura est carnis meæ, sed caro mea est. Transformatur enim panis, arcanis verbis per mysticam benedictionem, in carnem Domini. *Gaudens in tractatu de paschate:* Dominus, qui producit de terra panem; de pane rursus, quia promissit, efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, de vino etiam facit sanguinem suum. *Vide similia apud Bedam in libro de mysteriis Missæ, Anselmum in epistola de corpore & sanguine Domini, Bernhardum in sermone de cœna Domini; & alios passim. Hæc ex Becano.*

XII. Audax profecto vox est Bellarmini, Patres inde à tempore Apostolorum vsque ad annum Domini 1200. agnouisse transubstantiationem: cum totum hoc contentiosum dogma, primitiuæ, ac Romanæ etiam ecclesiæ multis seculis fuerit ignotum. *Galasius* enim Papa Romanus, qui anno Christi 500. decessit, contra Eutychem & Nestorium disputans, discrete inquit, substantiam panis non mutari. Theodoretus etiam, cuius dialogi Romanæ sunt editi, in *ἀπερίστολον*, id est, in primo dialogo ait: *ὅτι τῆς φύσεως μεταβάλλεται, ἀλλὰ τὴν χάριν τῆς φύσεως προσομιθῆναι.* Et in *Ἀσυνκλήτο*: Panis priorem substantiam, formam, & figuram retinet. Nec Petri Lombardi seculo, circa an. Christi 1170. quidquam adhuc certi de transubstantiatione in Ecclesia definitum fuisse, ex sententiarum lib. 4. dist. 11. apparet. Postea Innocentius III. Pontifex in Concilio Lateranensi, circa annum Christi 1215. Primus modum conuersionis publico decreto determinauit, Capitulo firmiter in Decretalibus. Honorius III. anno 1220. iussit includi capsulæ singulari, & flectere genua cum eam præterirent, & incendi lynchos. Anno 1269. Urbanus instituit circumgestationem.

XIII. In genere respondemus ad testimonia Patrum, 1. Frustra citantur Patres, ubi sententia non prius est probata ex Scripturis. Nam quæ inde probatur sententia, in folio veritatis est collocata. 2. Dicta Patrum cum Scripturis consentientia merito acceptantur: dissentientia ab eis, bona cum ipsorum gratia repudiantur. Neque enim Patres in thronum Dei collocare oportet. 3. Discernendi sunt Patres orthodoxi in primitiua Ecclesia, à scriptoribus Pontificiis posteriorum & sequiorum seculorum. In specie ita respondemus. 1. Insignia aliquot dicta veterum, quæ ad stabilendam transubstantiationem detraherentur, sunt corrupta & deprauata ab aduersariis. 2. Patres ex Patribus exponimus. e. g. Citant Papistæ *Ambrosium lib. 4. de sacram. c. 4.* Panis iste panis est ante verba sacramentorum. Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi: consecratio autem fit verbis Domini Jesu, à quo facta sunt omnia. Quod si tanta vis est in sermone, ut inciperent esse, quæ non erant, operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur: Ipse dixit, & factum est: tu ipse eras, sed eras verus creatura: postquam consecratus es verbo Dei, noua creatura es. Hic nos Ambrosium ex Ambrosio explicamus. Nam verba antecedentia, quæ prima fronte videntur fauere transubstantiationi, lucem accipiunt ex verbis sequentibus, hoc modo. Sicut homo vetus fit homo nouus per verbum: ita panis fit caro Christi per verbum, videlicet non mutatione substantiæ, sed status. Caterum Patres exponimus ex Patribus non vno modo. Aut enim vnum & eundem exponimus ex seipso, aut alios ex aliis. Et rursus vel contextum totum, id est, antecedentia & consequentia, vnius authoris consideramus, aut vnum locum cum aliis conferimus. Ita cum Bellarminus citat ex *Irenæo lib. 4. c. 34.* ista verba, Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui: nos explicamus ea ex illis, quæ ibidem occurrunt, Qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis est panis, sed Eucharistia, constans ex re terrena & cœlesti. Bellarminus citat illud Augustini ex *Bedam 1. Cor. 10.* Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi. Nos explicamus illud ex sententiis Augustini apud Prosperum: Sacrificium duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine. 3. Locutiones Patrum tropicæ sæpe confunduntur cum propriis, per fallaciam homonymiæ, vel figuræ dictionis. Nam vocabula ista *μεταβολή, μεταβολή, μεταβολή* &c. non significant conuersionem aliquam substantialem, sed mutationem sacramentalem, quæ est *βιβάσις*, hoc est translatio in nobiliorem statum, videlicet diuina sanctificatio & separatio à communi pane & vino, & benedictio atque destinatio ad usum hunc peculiarem, ut nimirum elementa illa sint organa siue media exhibendi & communicandi corporis & sanguinis Christi. Quam interpretationem ipsi Patres non obscure innuunt, ut cum Irenæus loco paulo ante citato ait, panem percipere vocationem Dei, ut non sit iam communis panis. Confirmatur etiam ex eo, quod vniorem sacramentalem & personalem inter se conferunt. Neque enim Apollinari & Eutychanis, humanam in Christo naturam à diuina absoptam docentibus, opponià Theodoro, Gelasio, & aliis veteribus, similitudo vniõnis duarum rerum in Eucharistia potuisset, si panis naturam in corpus Christi transubstantiari vetustas credidisset. De vtraque vniõne procul dubio recte vsurpatur illud: *ἓν ἔστιν, ἓν ἔστιν, ἓν ἔστιν*. Porro vox *μεταβολή* in hoc mysterio significat *μεταβολήν, μεταβολήν*, à verbo *μεταβιβάζω*, participare. Vox *Species* non infert transubstantiationem, sed notat substantiam panis & vini. 4. Quando mutationem sacramentalem patres conferunt cum mutationibus miraculosis, rhetoricantur, & hoc volunt, veram in Eucharistia fieri mutationem, eamque tum ratione signi, quod mutatur quantum ad usum & officium, seu essentiam & naturam relatiuam; tum ratione percipientis, qui vna cum signo accipit signatum vera fide, & fit noua creatura. 5. Quando negant panem esse figuram, intelligunt nuda & inania signa. 6. Responsum breuem ad singula Patrum dicta vide apud *Gerhardum tract. de cœna, cap. 12. num. 139.*

XIV. *Tertiam argumentorum classem* petit Bellarminus ex definitione & consensu Ecclesiæ. Nam Latina, siue occidentalis, Ecclesia iam per annos saltem quingentos dogma hoc pro articulo fidei definiuit in sex Conciliis generalibus, puta Romano sub Nicolao II. an. 1060. Romano sub Gregorio VII. an. 1079. Lateranensi, sub Innocentio, an. 1215. Romano; anno 1413. Constantiensi, an. 1414. & Florentino, an. 1439. At fieri nequit, ut tota Ecclesia tot seculis in errore grauissimo fuerit: præsertim cum multos insignes viros, vitæ innocentia, miraculis, & aliis diuinis donis claros, toto hoc tempore habuerit: v. g. Thomam, Bonauenturam, Franciscum, Dominicum &c. *Resp. 1.* Toto isto tempore fuerunt, qui aliter sentirent, ut ex cap. superiori constat. 2. Toto quoque hoc tempore non potuit conuenire inter authores & defensores huius dogmatis, ut etiam cap. superiori ostendimus. 3. Etiam Ecclesia errare potest. 4. Concilia & miracula non præiudicant verbo Dei. 5. Etiam sancti viri sanum & stipulas quandoque ædificant super fundamentum. 6. Rei in propria causa, ut legitimi testes perperam citantur. Vide *Gerhardum de cœna c. 12. num. 140.*

XV. *Quarta argumentorum classis* apud Bellarminum colligit argumenta ex congruentia secundum rationem. Vbi hoc notandum est, præcipuam Bellarmini rationem inde peri, quod omnino corporalis aliqua Christi præsentia hic allerenda sit. Cum igitur ille modus, qui Lutheri placuit, videlicet *Consubstantiatio*, seu realis diuersarum substantiarum coniunctio, absurdus sit, hinc suum istum *Transubstantiationis* modum omnino verum & realem esse, apodictice concludere sibi videtur: sed frustra, ut patebit. Nam primo fundamentum illud est ruinosum, quod Deus voluerit, corpus Christi vere, ac realiter, hoc est, corporaliter, communicari fidelibus manducandum. Voluit enim illud fieri mystice, sacramentaliter nempe ac spiritualiter. Deinde posito, quod Deus voluerit illud fieri corporaliter, non tamen necessario inde inferitur, corpus Christi esse sub accidentibus panis: quia potest etiam aliud inferri, nempe corpus Christi esse sub panis substantia. Sed, inquit Bellarminus, ratio indicat, conueniens fuisse, ut substantia panis recederet, & accidentia remanerent. Ac primo congruum fuisse, ut substantia panis abesset, probatur quatuor rationibus, 1. conuenientius fuit, ut solum Christi corpus ad accidentia panis ordinem haberet, & illa soli Christi corpori deseruirent. Ita enim non duæ substantiæ, sed vna abisdem accidentibus demonstratur. Quod in sacramento hoc sublimi valde est conueniens. 2. si vna cum corpore Christi substantia panis sub istdem accidentibus contineretur, periculum esset, ne simplices adorarent panem. 3. non videtur rationi consentaneum, ut simul maneat cibus ventris, & cibus mentis, panis terrenus, & panis cœlestis. 4. si panis substantia adesset, non posset corpus Domini sumi, quin solueretur ieiunium. Deinde congruum fuisse, imo etiam necessarium, ut panis accidentia maneat, probatur itidem quatuor rationibus. 1. quia etiam accidentia abessent, nullum esset in Eucharistia signum visibile: proinde nullum esset sacramentum. 2. quia non posset vilo modo vera esse sententia Domini, *Hoc est corpus meum*, si ita mutaretur totum in totum, ut nihil in vtroque termino commune remaneret. 3. quia hoc modo maius est meritum fidei. 4. quia horror esset, humanam carnem in propria specie manducare.

XVI. Respondemus ad argumenta primi ordinis. 1. Analogia sacramentalis inter panem & corpus Christi requirit, ut panis sit verus panis, præditus essentia, viribus, & proprietatibus panis vniuoce dicti. Itaque accidentia panis habent ordinem ad panem tanquam ad subiectum inhærentiæ, ad corpus Christi tanquam ad correlatum, ut videlicet signum habet ordinem ad signatum. Sed, inquit, ista analogia manet, quia accidentia panis æque atque illius substantia, imo melius, referri possunt ad Christum, panem illum vitæ. Sed, inquam ego, analogia expirat. Nam illa consistit in hisce, quod ut panis est cibus plane necessarius, præcipuus & per se sufficiens, vtilissimus, communissimus, quotidianus, in primis roborans, & fastidium non creans; ita caro Christi est alimonia nobis ad vitam æternam necessaria, quæ sola sufficit, & communis est omnibus credentibus, ipsos quotidie confortans. Eant nunc aduersarij, & ostendant, quomodo protalis huius comparationis possit in solis accidentibus panis habere locum. Et Apostolus ait, Panis est communicatio corporis Christi, Panis quem frangimus, non vero accidentia panis. Subtilis illa Speculatio non conuenit simplicitati Scripturæ, sacramentorum, & fidei. 2. Si statuenda est transubstantiatio, ne simpliciore adoret substantiam panis, statuenda etiam est transaccidentatio, ne adoret accidentia. Sed & absurdum dogma absurda ratione, ducta ab accidenti, probatur. 3. Analogia sacramentaria omnino requirit, ut simul maneat cibus ventris, & cibus mentis. Etenim non accedimus ad Eucharistiam, ut fedemus famem: tamen similitudo, quæ debet esse inter signum & rem signatum, requirit, ut panis verus, & nutriendi facultate præditus adhibeatur, licet illo tempore ista facultas non exeat in actum. 4. Si non potest corpus Domini rite sumi nisi accipiens, ergo Christus post esum agni paschalis non rite instituit Eucharistiam: ergo peccarunt Apostoli, qui postquam cœnassent, corpus Domini sumserunt.

XVII. *Argumenta secundæ ordinis* ita diluuntur. 1. Si sola accidentia panis sunt in Eucharistia, nullum est signum in Eucharistia: quia in quolibet sacramento sunt signa substantialia & accidentalia, e. g. in circumcissione præputium & ipsius abscissio; in paschate agnus, eiusque vis nutritiua, comestio &c. in baptismo aqua, vis purificandi, aspersio &c. Et impossibile est ut accidens sine subiecto inhærentiæ existens hoc est, non existens, sit signum. 2. Sententia Domini non est vera, si particula *Hoc* non refertur ad substantiam panis: quia tum est nota non-entis, hoc modo, Accidens sine subiecto, id est, non-ens est corpus meum. Et amabo si panis substantia conuertitur in corpus Christi, anno totum mutatur in totum. 3. Meritum fidei nullum est in genere: quia meritum Christi est nostrum meritum, si vera fide apprehendatur. Deinde nulla est fides, ubi nullum Dei verbum. At ubi Deus in verbo suo dicit, accidentia panis manere in Eucharistia? 4. Maior est horror mentis, quam horror corporis. Horret autem animus ad dogma hoc portentosum. Sed quid ago? Meræ hic sunt petitiones principii. Ad alia igitur abeamus. Quanquam in hoc dogmate vix possunt esse alia, id est, nihil præter perpetuas principii petitiones.

XVIII. Sophista nostri ultimo loco probant *possibilitatem transubstantiationis*; ita ut hæc argumenta possint constituere quintam classem, addendam illis quatuor apud Bellarminum. Argumentantur autem hoc modo. 1. Non

Non est impossibile aut contradictorium, aliquid transmutari substantialiter in ens vere præexistens: quia quotidie experimur panem & vinum transmutari in corpus nostrum, seu in carnem, & sanguinem nostrum. Atque hæc est naturalis transubstantiatio. 2. Supernaturales transmutationes siue transubstantiationes, ignota physice, dantur plures: puta creatio mundi, vxoris Lothi in statuam conuersio, & his per similes. Talis etiam est transubstantiatio panis in Eucharistia. Nam ex pane corpus Christi efficitur, non est producere ipsum corpus Christi; sed in Christi corpus præexistens substantiam panis commutare. Itaque transubstantiatio non est generatio, philosophis decantata; sed supernaturalis quædam mutatio, qua corpus Christi, quod ante solum erat in cælo, iam etiam fit præsens sub speciebus panis in terra. Nec propterea Christus deserit cælum; sed extendit se ad alium locum, ut utrobique sit præsens. Sic anima, quæ prius est tantum in corpufculo bipedali iam infantis; post extendit se ad corpus septempedale, cum infans factus fuerit adolefcens, aut vir; ac nihilominus manet, ubi prius fuerat. 3. Idem numero, integrum manens, reproduci potest per omnipotentiam Dei. Nam Deus, si Petrum v. g. destruat Romæ, potest iterum producere eundem numero Parisiis, ut ex mysterio resurrectionis constat. Et si hoc potest, potest etiam Petrum producere Parisiis, si saluum relinquit Romanis. Si neges hoc sequi, quæro ob quam causam? Num forte potentia Dei diminuitur per imbecillas vires Petri, ut omni sua vi eum Parisiis producere nequeat, si Romæ adhuc in corruptis viuat? Aut adferne Deo adiumenti aliquid, ad Petrum producendum Parisiis, quod Petrus Romæ sit destructus? Quæ hæc vis, ut Petrus mortuus & destructus Deum iuuet ad eandem materiam formamque sui corporis reproducendam? iuuare eum vero non possit, ut reproducatur, sed impediât, si viuus & saluus sit? 4. Apud Cannibales, siue Anthropophagos substantia vnius hominis conuertitur in substantiam alterius, puta per nutritionem. Ponamus itaque puerum totum à viro deuoratum, carnemque totam illius in substantiam huius conuertam: ita ut quæ materia fuerat antea pueruli, ea sit facta pars viri. In resurrectione vtri horum materiam illam carnemque tribues? Si viro: resurget osseus puer, & in carne sua non videbit Deum. Si autem puero: iam vir resurgens, non recipiet carnem suam; hæc in ea conspiciet Deum. Hic si idem sapius refici posse dicas, statim te expedias, alias hæsurus. Et hæc quidem argumenta sunt *lesuitarum Monasteriensium* pro possibilitate transubstantiationis. *Bonauentura* habet ista argumenta. 1. Virtus diuina in infinitum excedit omnem virtutem creatam: Ergo nihil est, quod faciat inferiori hæc natura, quæ maius facere possit virtus summa. Est lacus in Hybernia; in quo si palus aliquis infigatur, quidquid terræ immergitur, in ferrum conuertitur; quidquid vero aquis operitur, in lapidem commutatur. Iam vero est facilius transitus panis in carnem, quam ligni in ferrum vel lapidem: Ergo si virtus inferior, quod maius est, facit, virtus superior, quod minus esse videtur, annon poterit? 2. Item teste philosopho in *Metaphysicis*, est lacus in quem panis proiectus in lapidem commutatur. Adde quod, ubi maius est symbolum, ibi facilius est transitus; teste eodem in *lib. de generat.* Sed certum est, maius esse symbolum panis ad carnem, quam panis ad lapidem: Ergo si natura creata potest illud, quod maius esse videtur, annon poterit virtus summa, quod minus est. 3. Ad extremum virtus creata panem tota die vertit in carnem, & vinum in sanguinem; quia dum panis comeditur, in stomacho concoquitur, in liquorem conuertitur, & tandem in substantiam carnis commutatur: Ergo multo magis panis in altari in corpus Christi mutari potest, cum super panem profertur verbum, *Hoc enim est corpus meum*. Sic *Bonauentura* probat possibilitatem transubstantiationis in Eucharistia. *Postibilitatem existentia accipientis sine subiecto* ita probat *Gardinerus*. Non est definitio accidentis, inesse subiecto, sed aptum natum esse, ut in subiecto esse possit. Denique obiciunt, hæc omnia, id est, transubstantiationem, & propriam existentiam accidentis, confirmatam esse miraculis.

XIX. Antequam singula ista argumenta excutiamus, duo ista præmutationis loco præmittimus. 1. Aperta est contradictio, aliquid transmutari substantialiter in ens vere præexistens. 2. Transubstantiatio in genere sumpta, & recte definita, etiam ipsi naturæ, multoque magis Deo est possibilis. In omni enim generatione, & corruptione, quædam fit transubstantiatio, hoc est, substantialis mutatio, v. g. oui in pullum, seminis in plantam vel animal. Atque hæc est transubstantiatio naturalis: quemadmodum & illa, quando lignum coniectum in lacum, singulari virtute *metamorphosin* præditum, conuertitur in metallum. Sic etiam possibilis veraque est transubstantiatio supernaturalis, diuino miraculo facta: ut cum aqua in vinum, *Iohan. 2.* mulier in statuam salis: *Gen. 19.* virga Moïsi in serpentem, *Exod. 3.* fuit mutata. Sed hæc nihil ad Papisticam, hoc est, fidentiam, & contradictoriam illam transubstantiationem: qualis nec fuit, nec erit vnquam, neque esse potest: utpote quæ omnimodo repugnat naturæ Dei; naturæ ipsius rei, toti Scripturæ, & omni rationi angelicæ & humanæ.

XX. *Primum argumentum lesuitarum Monasteriensium* est plane *absurdum*. Quid enim? An alimentum ab animali assumptum, vertitur in substantiam, iam in eiusdem corpore vere præexistentem? An, inquam, panis & vinum, hodie à me forte sumpta, transmutantur in illam ipsam numero carnem, & sanguinem, quæ hæc tunc in me nec consumpta, nec attrita sunt? nec proinde in saturatione vlla, immediate & perse, indigent? An ex alimento nihil noni accedit corpori alito, ubi ex infante adolefcens; aut vir efficitur? Imo an potest idem esse, hoc est, præexistere; & simul tamen fieri, hoc est, non præexistere? Quid quæso insanius cogitari potest? In secundo argumento est contradictio, & principii petitio. Nā sibi contradicit, qui aliquid in aliud substantialiter transmutari dicit; & tamen id produci negat, in quod transmutatio fit. Essentia namque transubstantiationis; ut vnius subiecti vel quasi subiecti (si verum forte non adit) abolitionem; ita alterius productionem; omnino in se continet. Ergo & principium petit, qui talis monstri exempla vsquam extate dicit. Nusquam enim sunt, nusquam esse possunt. Non mundi creatio talis est: Non talis est vxoris Lothi in statuam salis conuersio. Non animæ progressiua cum auferente corpore talis extensio est. Omnia hæc dissimilia; imo contraria sunt: Nā præterquam quod mutatio semper hic visibilis, aut sensibilis est; quodque non nisi in vno loco; inque vno eodemque subiecto simul & semel accidit, aut accidere potest;

nulla etiam hic substantialis mutatio fit in rem vere præexistentem. Cū enim mundus è nihilo crearetur, nondum mundus ipse extabat, sed nihil in mundum, ante non existentem, mutabatur. Sic vxor Lothi non in statuam salis præexistentem; sed tunc primum esse incipientem conuersa fuit. Idem de virga Moïsi, in serpentem mutata, iudicium. Animæ extensionem quod attinet, illa fit non extensione corporali, sed potius intensione & applicatione Spirituali; quæ non nisi æquiuoce dici potest extensio progressiua. Quæ deinceps adferuntur de promotione, seu extensione corporis Christi ad diuersa simul loca, nouis antilogiis referta sunt & proinde principium petunt. Vt nihil dicam de eo, quod Sophistæ nostri in hac materia nusquam pedem figunt, sed ab vno latibulo ad aliud confugiunt. Iam enim veram productionem hic fieri negant, sed successionem tantum, necio quam, corporis Christi inducunt. Mox eandem productionem in scenam reducant, non modo ut possibilem, sed & facilem, congruam, & decoram. Huc enim pertinet sequens argumentum à reproductione seu replicatione, quam vocant. Hoc itaque *argumentum numero tertium*, examinemus, & rem totam à capite arcessamus. Reproductio, seu replicatio, seu replicata creatio, est eiusdem numero entis, iam destructi, iterata productio. Itaque non est eiusdem rei permanentis. Fieri enim non potest, ut ens numero vnum & idem: manens in se integrum, & omnino idem, secundo, tertio, quarto &c. à Deo efficiatur: quia in ente sic productio nec materia proxima, nec forma indiuidui propria, nec actio Dei numerice vna est. Nam v. g. Petrus Romæ existens habet materiam proximam. Itaque idem numero Petrus, non tamen ante mortuus, aut destructus, si alibi creetur, puta Colonia, annon ex nihilo creatur, vel ex alia aliqua materia? Rursus Petrus Romæ existens habet formam propriam; nempe animam suam singularem, proprietatibus characteristicis præditam. Itaque idem Colonia reproductus accipit animam quandam aliam; cum aliis quibusdam characteribus indiuiduantibus, ut sunt locus, tempus, ætas, &c. Denique actio Dei vere præterita, qua Petrus semel vere productus est Romæ, non potest esse eadem numero cum actione Dei iam nunc alibi præsentis; aut olim alibi futura. Impossibilis itaque & antiphatia est ista reproductio. Quod etiam inde constat. Si ens vnum numero, integrum manens, v. g. corpus Christi, infinities reproducitur; ens idem erit prius & posterius, creatum & creandum, viuens & non viuens, degens simul sub polo Arctico & Antartico &c. quæ omnia sunt monstri similia. Frustra vero sunt Sophistæ nostri, quando resurrectionis mysterium allegant. Nam in resurrectione non viuus, sed mortuus, hoc est, qui ad tempus non extiterunt; iterum esse incipiunt. Quæstio autem nostra est de eodem homine viuo, & integro permanente: Deinde nulla contradictio est, Petrum annihilatum, vel alio modo vere destructum, iterum produci: quia ipsa annihilatio, aut destructio, per se docet, Petrum non viuum, & integrum manentem, sed corruptum & destructum hic denuo reproduci. Sed reproduci aliquid, quod per se integrum idemque maneat, apertissima contradictio est: quæ nullam Dei impotentiam, sed absolutam rei impossibilitatem arguit. Nempe, quia sic idem fieret, & non fieret, idemque vere esset & non esset. Quod enim vere iam est, id extra causas suas existit, & perfectionem suam essentialem obtinet, denique ad metam suam naturalem peruenit. Quod autem fit; id tantum esse incipit, & aliquatenus in suis causis delitescit, denique in via est ad terminum, sed metam nondum apprehendit. Sed, inquitur, si Deus hunc vniuersum mundum in nihilum redigat, potest eundem proflus numero recreare; & si non redigat, non poterit secundo eundem efficitur? nisi coerceat forte infinitam Dei potentiam creatura, ut quod poterat Deus, quando mundus hic non erat, id non possit, cum mundus iam existit. Quod cum sit absurdum asserere; necesse est hoc largiari; Deum rem eandem omnino & sapius posse reproducere, & diuersis locis eodem tempore conseruare. Habes huius rei manifestum exemplum in Christo; quem *Matth. 23. sec. 11.* adstitisse sibi locutumque B. Paulus commemorat; quem tamen vsque ad diem restitutionis Sacra Scriptura testatur in cælis remanere. *Respons. 1.* Non sunt paria, rem semel destructam reproducere, & eandem simul diuersis in locis conseruare. Nam illi quidem nulla est contradictio, præsertim respectu diuinæ potentia, qua fieri plane potest, ut idem numero redeat: quod alioqui per naturam hanc creatam fieri non potest: hic vero apertissima est contradictio, quatenus vna & indiuidua finita rei substantia verbis quidem asseritur, at reipsa, per locorum pluralitatem tollitur; dum continuas vnius corporis omnino tollitur per istam multiplicitatem, qua termini eius statuuntur in pluribus vbi: ut iam nihil dicam de aliis absurdis fictitiæ reproductio- nis, quæ paulo ante collegi. Sed, inquitur, quidquid potuit Deus mundo nondum existente, idem potest mundo iam existente. Sed, inquam, hoc non est simpliciter & absolute verum. Nam, ut multa alia præteream, potuit Deus tunc non esse creator: at iam non potest non esse; ex quo mundum semel condidit. Non quod Deus non æque potens iam sit, atque fuit ab æterno: sed quod potentia Dei cum eiusdem veritate, ac sapientia, cæterisque attributis, pugnare nullo modo possit. Pugnaret autem, si vel facta infecta redderet, vel contradictoria simul vera, simulue falsa efficeret. 2. Nulla est consequentia. Christus Apostolo tunc adstitit. Ergo corpore suo simul fuit in cælo, & in terra. Annon enim in Spiritu, hoc est, Spirituali visione illi adesse potuit, ut quidem *1. Cor. 15. 20.* Petro, in ecclasiis raptus, adfuisse dicitur: Annon etiam potuit vocem prope Apostolum, in aere formare, siue que corporis speciem, modo quodam singulari, tunc eidem exhibere? Annon per angelum, ut legatum suum, ipsi adstiteret, & per eundem loqui potuit? Annon etiam, ad temporis punctum, corpore suo potuit cælum deserere, ut Apostolo tunc extra ordinem familiariter se reuelaret? Ex quibus sententiis primam supra tuebamur, non vno in loco. Ad vltimam sententiam quod attinet, illa non pugnat cum *Matth. 3. 21.* Ibi enim agitur de ordinaria mansionem seu commorationem corporis Christi in cælo, cui extraordinaria ad temporis momentum de cælo descensio, siue extra cælum patefactio, minime repugnat. *Quartum argumentum* facillime soluitur ex *Matth. 22. 67.* *1. Cor. 15.* Nam facile est Deo, separatim suam vniciue carnem restituere, etiam si mille modis immutata sit: præsertim si ad ingentem illam mutationem corporis nostri (utpote quod Spirituale resurget) respiciamus. Non enim tales erimus in resurrectione, quales hic sumus. Porro ponamus vnum eundemque hominem partim à pisce, partim à lupo, partim à coruo deuoratum, & piscem ab alio homine comestum &c. hic vnus hominis sub-

stantia

stantia conuertitur in varias substantias. At Deus potest hæc omnia facilius separare, quam homo adhibito igne separat heterogenea, & congregat homogenea: vt in mineris, massisque confusis videre est.

XXI. *Bonauentura argumenta* ex iis, quæ diximus, facile soluntur. Nam exempla, quæ ab ipso adferuntur, agunt de transubstantiatione naturali, qua corporis transmutandi substantia & accidentia pereunt, & in aliam substantiam & accidentia conuertuntur. Quod autem Seraphicus ille doctor ait de symbolismo seu convenientia maiori inter panem & carnem, quam inter panem & lapidem, id gratis dicitur. Nam transelementatio tum facilior est in symbolizantibus, vt loquuntur, quando nulla est contradictio. Et Deo omnia sunt æque facilia, ita vt ibi symbolica & ἀσυμβολα in transmutatione non contradictoria frustra allegentur. Sed vno verbo: Transelementatio in Eucharistia dissimilis est exemplis allatis, nec est possibilis ordine diuini consilii, & veritati atque honori corporis Christi repugnat. Id enim cum extra panem sit, idem non potest latere sub speciebus panis: cumque semel formatum sit in vtero Mariæ virginis, non potest de nouo creati per verba, quæ illi vocant operatoria, super panem musitata. Concludamus itaque hoc apagogico εἰς ἀδυνατόν. Hoc factum est ex pane, aut ex nihilo. Hoc factum est in vtero virginis. Ergo quod factum est in vtero virginis, factum est ex pane, aut ex nihilo.

XXII. *Argumentum Gardineri* vulgo sic incrustant. In hæsiō accidentis alia est aptitudinalis, alia actualis. Prior est de ipsius essentia & inseparabilis, posterior secus se habet. Sed hoc est principium petere. Hæc enim est definitio substantiæ, quod sit ens per se subsistens: & ista accidentis, quod sit ens substantiæ inhærens. Itaque si accidens actu est, actu inhæret: si potentia est, aptum est inhære. Vnde porro patet contradictorium esse, si quis dicat accidentia panis in Eucharistia retinere aptitudinalem inhærentiam. Sunt enim actu. Ergo actu inhærent. Neque illud valet effugium, vt Deus supplet defectum omnis causæ, ita eundem suppleat defectum subiecti. Nam Deus supplet tantum defectum causæ efficientis & materiæ, non vero finis & formæ: & supplet tantum in genere causæ efficientis, non autem in genere materiæ seu partis essentialis: quia fieri non potest, vt prima causa fiat materia, seu pars essentialis alicuius rei. Ita quoque non conuenit naturæ Dei, vt fiat subiectum accidentis, in primis accidentis corporei. Excipiunt: accidentia esse in Deo, non tanquam in subiecto, sed tanquam in causa conseruante. Verum hoc modo accidentia non sunt accidentia, vt pote quæ non habent subiectum inhærentia.

XXIII. *Argumentum vltimum*, quod à miraculis ducunt, supra excusimus de præsentia corporis Christi. Hic breuiter opponimus istum syllogismum. Miracula contra doctrinam veritatem nihil valent. Transubstantiatio veræ doctrinæ, quæ agnoscit panem & vinum in sacramento, aduersatur. Ergo miracula ad eam confirmandam nihil valent. Atque hæc est transubstantiationis doctrina: cuius duæ sunt veluti propagine, videlicet permanentia seu duratio, & adoratio corporis Christi sub specie panis. Docent enim Papistæ, Christum fieri vere, realiter, ac substantialiter præsentem, vt illorum verborum, *Hoc est corpus meum*; & manere præsentem non solum durante actione, sed etiam extra actionem, quamdiu species conseruantur; & proinde ibi religiose adorandum esse, & hostiam esse reseruandam siue reponendam in eodem religiose. Contra reseruandam disputauit Chamierus *tom. 4. lib. 7. c. 4. ad 11.* contra adorationem, *d. l. c. 1. 2. 3.* Itaque nolumus actum agere. Hæc interim quæstio nobis restat, *An totus Christus secundum substantiam sit præsens in Eucharistia?*

XXIV. De hac quæstione ita respondemus. Præsentiam & manducationem Christi in Eucharistia proxime referimus ad corpus Christi, & eius sanguinem, ex ipsius Christi verbis: non quod, vel corpus à sanguine; vel corpus & sanguinem, ab anima; vel totam humanam Christi naturam, ab ipsius diuina natura diuellamus (quis enim nescit, quod Iohannes docet apertissime c. 1. euangelii & epistola sua, τὸν λόγον esse vitam ipsam, & scaturiginem illius vitæ, quæ ad nos per humanam eius naturam, eiusque passionem dimanat) sed quia Christus hac ratione voluit, suam mortem nobis ante oculos versari, quasi ad viuum depictam; quandoquidem per eam vita nobis communicata est. Solet autem in Scripturis tota Christi obedientia, eiusque efficacia, vno mortis vocabulo significari. Propterea Paulus ait in celebratione cœnæ Domini, mortis Christi memoriam in primis esse recolendam. Fit autem mentio corporis & sanguinis, cibi videlicet & potus: vt ita plenum perfectumque nutrimentum spirituale in vno Christo constituamus. Rursus corporis & sanguinis representatio fit distincte per panem & vinum, quia corpus crucifixum, & sanguis fusus ob oculos nobis ponuntur. Est ergo Christus totus, Immanuel siue θεὸς μετὰ ἡμῶν, est nobis præsens in Eucharistia: tamen distincte crucifixio corporis, & fusio sanguinis eius, tanquam duæ primariæ partes magnæ ipsius passionis ibi representantur, illa per panis fractionem, hæc per vini fusionem.

XXV. Ab hac sententia toto cælo dissident Papistarum somnia, quæ apud *Becanum c. 4. de Eucharistia Catholica* sic incrustantur. In Christo potest spectari quadruplex substantia, nempe diuinitas, anima rationalis, caro, & sanguis. Est ergo quæstio, An secundum hanc quadruplicem substantiam sit in Eucharistia? Ratio dubitandi est, quia non aliter est ibi, quam per conuersionem panis & vini: at panis & vinum non conuertuntur in diuinitatem, aut animam rationalem, sed tantum in carnem & sanguinem. Ergo est ibi tantum secundum carnem & sanguinem. Dicam pauca, quid statuentum sit. Et primò quidem totus Christus secundum substantiam est præsens in Eucharistia, non solum sub vtraque specie, sed etiam sub singulis speciebus separatim sumtis, vt totus sub specie panis, & totus sub specie vini. Nam quia corpus Christi est in Eucharistia, & post resurrectionem non est amplius moriturum; & denique quia Christus est vna persona in duabus naturis subsistens; hinc necessario sequitur, corpus Christi esse sub specie panis, & quidem viuum, adeoque animarationali informatum; & denique ita, vt ibidem sit persona Verbi, & consequenter diuinitas. Deinde licet Christus totus sit sub specie panis, & totus sub specie vini: non tamen eodem modo est ibi totus. Ratio est: quia aliquid Christi est sub specie panis, vi sacramenti, vt caro; aliquid per naturalem concomitantiam, vt sanguis, anima, persona Verbi. Idem dicendum est de specie vini. Nam vi sacra-

menti, est ibi sanguis; reliqua per concomitantiam. Porro persona Verbi vbique est secundum se, per immensitatem: ratione vnionis cum humana natura est in Eucharistia per concomitantiam. Denique etsi alii ex Catholicis dicunt vnionem in Eucharistia fieri vi sacramenti, seu vi illorum verborum, *Hoc est corpus meum*: alii per naturalem concomitantiam: tamen mihi videtur opus esse distinctione. Vel enim loqui possumus de possibili, vel de facto. Si est sermo de possibili, non repugnat vnionem fieri præsentem in Eucharistia vi sacramenti. Si autem sermo est de facto, vnio non est præsens vi sacramenti, sed per concomitantiam. Ratio prioris est: quia si Christus voluisset consecrare per hæc verba, *Hic est Christus*, aut, *Hoc est corpus personæ Verbi* vnium iam vi talium verborum esset in sacramento non solum corpus, sed etiam vnio corporis cum Verbo, seu totus Christus. Ratio posterioris est: quia verba, quibus de facto Christus consecrauit, formaliter non significant vnionem. Nam particula illa, *Corpus meum*, solum denotat identitatem illius corporis in Eucharistia, cum corpore, quod ratione vnionis est personæ Verbi, non autem denotat corpus illud habere talem vnionem vbique existit.

XXVI. Multa in his verbis sunt ψευδολογία. Et primo quidem in Christo non solum spectatur quadruplex substantia, videlicet diuinitas, anima, caro, & sanguis: sed sextuplex, videlicet persona constans ex diuina natura & humana, natura humana constans anima rationali & corpore, & corpus constans carne & sanguine. Deinde falsa est hypothesis, hoc est, ruinosum vel potius nullum fundamentum, totius discursus: quando Christus non aliter dicitur esse præsens in Eucharistia quam per conuersionem panis & vini. Tertio, si corpus Christi est viuum sub specie panis, quomodo panis conuertitur in animam, per quam corpus viuunt? Et si totus Christus est sub specie panis, quomodo conuertitur panis in deitatem? Et si totum corpus est sub specie panis, quomodo panis conuertitur in corpus, & non in sanguinem? Quarto, Christus totus est præsens in sacramento, non solum præsentia generali, sic enim vbique est, sed præsentia speciali, quatenus nempe spiritu suo adest omnibus iis, qui legitime vtuntur hoc sacramento. Quinto, hæc præsentia gratiosa & spiritualis non fit absque fide. Sexto, vnio sacramentalis fit vi consecrationis; at vnio spiritualis fit vi promissionis Dei & apprehensionis fidei. Septimo, naturalis concomitantia hic non habet locum: quia corpus & sanguis Christi considerantur non ratione naturæ, sed ratione passionis illius magnæ, in qua sanguis fuit separatus à corpore, vt pote fusus. Octauo, particula *meum* satis manifeste indicat relationem, qua corpus illud innuitur esse corpus Filii Dei. Non itaque notat corpus illud phantasticum & inuisibile sub specie panis, quasi illud sit idem cum corpore Christi vero & visibili, quod secundum naturam suam est in cælo, secundum representationem in Eucharistia, & vi apprehensionis fidei in corde communicantis.

CAPVT IX.

Missa sacrificium reuocatur κατὰ δόξαν καὶ ἀνασχεμαστικῶς.

I. Diuinum Eucharistiæ sacramentum cum aliis multis modis miserè corrumpunt Romanenses, tum vero nefarie illud adulterant, quando præter & contra vniuersam scripturam sacram conuertunt in sacrificium, hoc est, opus toto genere diuersum, illique indunt nomen Missæ: quæ neruus est regni Pontificii, Ecclesiæ Romanæ Palladium, Pandora errorum, & idolum abominandum. De hoc itaque eminenti sacrificio superest disputatio, quæ magnò partium studio disceptata est. Eam enim ex nostris præcipue oppugnarunt *Quero amparatus, Caluinus, Inellus, Sadeel, Mornaus, Sutilius*: ex aduersariis *Eccius, Faber, Cæcilianus, Catharinus, Gregorius de Valenzia, Bellarminus, B. canus*, eandem strenue propugnarunt. Nos compendii nostri memores adferemus hanc sententiam, quantum satis erit. Hanc vero sequemur methodum. Principio quidem differendum nobis erat de voce. Sed quia Chamierus illam explicauit *lib. 6. c. 2.* hoc labore supersedebimus; & partem tractationem ipsius rei in essentialia & accidentalia Missæ. Essentialia concernunt Missam publicam, & priuatam. Missa publica spectatur in sua substantia, qualitate, & efficientia. Missa priuata reiecta est à Chamiero *lib. 7. c. 12. ad 20.* Accessoria Missæ sunt in genere linguæ, modo vocis, ceremoniis, & canone Missæ.

II. *Substantia Missæ* à Bellarmino sic exprimitur *lib. 1. de Missæ c. 5.* Vtrum in Missa, siue in actione cœnæ Domini, si rite celebretur, Eucharistia Deo offerri debeat: ille affirmat, nos negamus. Affirmatiuam d. l. ita explicat, vt dicat sermonem esse de sacrificio externo, visibili, vere, ac proprie dicto: ac potissimum de ipso genere sacrificii proprie dicti, id est, de oblatione visibili Deo facta, ministerio sacerdotum. Nostram negatiuam ita proponimus. Solum Christus est sacerdos N. T. Solaque Christi mors, non vero Missa, est vnicum & perpetuum noui testamenti sacrificium. Quæ thesis cum sit bimembris, vtraque pars probanda erit. Vtraque autem probata euerteret Missam: prima κατὰ δόξαν καὶ ἀνασχεμαστικῶς, altera ἀνασχεμαστικῶς hoc modo.

III. *Solum Christum esse sacerdotem N. T. solumque eius mortem esse vnicum & perpetuum noui testamenti sacrificium* probatur ex epistola ad Hebræos, hoc modo. I. Apostolus *cap. 7.* prolixè docet, solum Christum esse æternum N. T. sacerdotem, qui sacerdotium habeat ἀπο ἀθανάτου, hoc est, intransituum; vel, qui functionem habeat non transeuntem ad alios; siue, qui collegam, aut successorem, aut socium nullum habeat: quique multis V. T. sacerdotibus idcirco opponatur, quia illi mortales fuerint, ipse vero iam sit immortalis. Ergo hic honos cum aliis communicandus non est: & per consequens, nullus terrenus sacerdos ipsum Christum substantialiter hic offerre potest. Ibidem docet, sacerdotem N. T. se ipsum obtulisse, ideoque esse sacerdotem & victimam simul: ita vt hæc sit nota characteristica sacerdotis N. T. II. *Cap. 8.* negat Apostolus, Christum, si in terris adhuc ageret, sacerdotem nostrum futurum. Afferit autem, ministrum illum esse cœlestis tabernaculi. Vnde patet, officium Christi sacerdotale iam non amplius in terris exerceri: & consequenter, ipsum ab homine mortali reuera non offerri. Vbi enim actu sacerdos est, ibi & realem oblationem peragi necesse est. III. *Cap. 9.* Apo-

locis constat, Christum non alia ratione offerri Deo, nisi propter veram & realem ipsius mortem: adeo ut huius locutionis, *Christus oblatus est*, necessario hic sit sensus, *Christus mortuus est*. Quamobrem si Christus vere offertur in Missa, vere ibi occiditur. *Excipiunt*: 1. sacramentalem fieri immolationem: quia vi transubstantiationis separatim conficitur corpus, & separatim etiam sanguis conficitur: licet, propter concomitantiam non separentur. 2. Missam esse sacrificium incruentum.

Respondeo ad 1. Transubstantiatio illa nihil commune habet cum sacrificio. Nam in transubstantiatione conficitur, id est, fit, quod non erat: at in sacrificio non conficitur, hoc est, non fiebat; sed conficiebatur, id est, occidebatur victima. Deinde contradictoria sunt corpus & sanguinem separatim confici, & propter concomitantiam corpus à sanguine non separari. Denique si in Missa fit immolatio sacramentalis; non igitur est vera & externa immolatio, sed representatiua, quam concedimus. Si autem hæc immolatio est sacramentalis, est visibilis, hoc est, perficitur representatione signi: ac proinde inuisibilis oblatio Missatica nulla est. *ad 2.* Omnis distinctio, quæ non solum desinitur verbo Dei, sed ei aduersatur, sibi que ipsa contradicit: ridicula est, nedum theologica. Distinctio autem sacrificii proprie dicti & propitiatorii in cruentum & incruentum, quæ hic toties in scenam producit, est talis. Ergo. Minorem probō. 1. Non potest ex Scriptura locus adferri, qui faciat mentionem sacrificii realis, externi, & propitiatorii, quod sit incruentum, & in N. T. habeat locum. 2. Scriptura docet, oblationem Christi & vnicam, & semel factam, non amplius faciendam esse *Hebr. 9. & 10. Sparsim.* At si Christus non tantum semel sacrificio cruento sese obtulit, sed etiam quotidie pro nobis offertur sacrificio incruento; ergo plura sunt & varia eiusdem sacrificia. Porro si vera esset distinctio allata, iaceret argumentum Apostoli *Hebr. 9. Non ut saepe offerat: aut quin oportuisset cum saepe passum fuisse.* Imo (si quidem verum dicit distinctio) potest saepe offerri Christus, nec tamen propterea pati, quia potest offerri sacrificio incruento. At enim commentum istud præcidit Apostolus, cum ait hæc duo esse consecratoria *ἑὸν ἅγιον*, Christum saepe offerri, & Christum saepe pati. Rursus *Hebr. 10.* ait Apostolus: *Si lex potuisset sanctificare, certe hostia desissent offerri.* Ex quibus concludo: Postquam Christus qui potest sanctificare, exhibitus fuit & oblatus, cum non amplius esse offerendum: alio qui Christus esset inferior legalibus victimis. Atqui si incruente potest offerri Christus, quomodo stabit quod toties inculcat Apostolus, Christum semel oblatum esse, eumque non esse saepius offerendum. Præterea Apostolus affirmat, sine sanguine non fieri remissionem peccatorum. Contra, Pontificii dicunt fieri remissionem peccatorum incruento sacrificio, hoc est, sine sanguine. 3. Victima dicitur sacrificari, cum immolatur Deo. Id autem fieri non potest sine sanguinis fusione. Quare qui dicit sacrificium, cuius victima est Christus, esse incruentum: ille dicit sacrificium non-sacrificium. Nam si incruentum est, non est sacrificium Christi: & si est sacrificium Christi, non est incruentum. *Excipiunt*, fusionem sanguinis in Missa esse sacramentalem. *Respondeo*: Ergo Missa non est sacrificium externum & reale, sed sacramentum veri & vnicum sacrificii Christi, hoc est, nihil differt ab Eucharistia.

XII. *Secunda ratio huius loci est*: Natura sacrificii Christi ea est, ut à nullo alio fieri potuerit quam ab ipso Christo. At in Missa offertur Christus à sacerdotibus pluribus. Ergo Missa nihil commune habet cum sacrificio Christi. *Excipiunt*: Sacerdotes nostri sunt tantum ministri sacrificii quod fit in Missa, Christus autem est primarius ac verus sacerdos, qui sacrificium illud facit.

Respondeo. 1. Ergo cum sacerdotes vestri offerunt tam pro se, quam pro populo, Christus etiam pro se offert: quia ministerium & instrumentum referuntur ad causam efficientem. 2. Si Missa sacrificium est ipsum Christi sacrificium, quod in cruce oblatum est, Christus in cruce non obtulit se solus, sine ullo ministerio secundariorum sacerdotum. Vel, si Christus in cruce se obtulit solus (ut reuera fecit) absque ministerio sacerdotum secundariorum, & in Missa se offert, per sacerdotum ministerium: Missa non est idem sacrificium cum sacrificio Christi.

XIII. *Tertia ratio est eiusmodi*. Si ea est ratio sacerdotii Christi, ut sit idem sacerdos qui victima; & Christus solus est victima illa semel pro nobis oblata: certe solus Christus est sacerdos. Antecedens verum est. Verum igitur est consequens: & vi consequentis sacrificium Missæ reiiciendum est. Breuiter: Christus est ipse sacerdos, & simul victima. Papistici sacrificii non sunt victima. Hic nihil habent, quod excipiant. Sequitur itaque *quarta ratio*: Si qui noui testamenti sacerdos est, idem quoque mediator est noui testamenti, & solus Christus est mediator N. T. certe solus Christus est N. T. sacerdos. Verum est primum. Verum igitur est secundum: & vi consequentis, Missa sacrificium est reiiciendum. Assumptum habet duo membra. 1. Eum, qui N. T. est sacerdos, esse quoque N. T. mediatorem. 2. Christum solum esse mediatorem N. T. Vtrumque probatur ex 1. *Tim. 2. Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui semetipsum dedit redemptionis pretium.* Sic *Hebr. 8. Christus excellentius ministerium sortitus est, quo præstantiora Testamenti est mediator.* Neque hic iuuat effugium, quod solus Christus sit sacerdos primarius, & ideo etiam solus Mediator. Nam hæc distinctio nulla est, ut paulo ante demonstrauimus: quia nempe Christus dicitur sacerdos primarius respectu sacerdotum V. T.

XIV. *Quinta ratio sequitur*: Christus semel se obtulit, *Hebr. 9. v. 26. c. 10. v. 10.* Papistæ quotidie ipsum offerunt. Itaque quotidiana Papistarum oblatio euertit naturam oblationis Christi. *Sexta ratio*: Sacrificium Christi est intransituum, *Hebr. 7.* At non est transituum, si sacrificium Missæ successit in locum sacrificii semel in cruce peracti. *Septima*: Christus per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, *Hebr. 9. 14.* Apud Papistas Christus immolatur ab Ecclesia per sacerdotes, inquit *Conciliū Tridentinū sess. 22. c. 1.* Itaque sacrificium Christi, & sacrificium Missæ non sunt eiusdem nature.

XV. Iam videamus, quomodo sacrificium Missæ tollat verum discrimen inter vetus & nouum testamentum. Quiddam præfiguratur, adumbrat, & representat Christi sacrificium in cruce pro peccatis generis humani, ad veteris testamenti Leuiticæ ceremonias pertinet, teste Apostolo *Col. 2. 17. Hebr. 10. 1.* Sacrificium Missæ representat sacrificium Christi in cruce, asserente *Concilio Tridentino Sess. 22. c. 1.* Ergo sacrificium Missæ pertinet ad Leuiticæ ce-

remonas V. T. Quod verum esse facile credent ij, qui ritus Missaticos diligenter conferent cum ceremoniis Leuiticis V. T. Aut itaque sacrificium Missæ negandum est, aut tollendum illud V. & N. T. discrimen. *Excipiunt*, assumptionem syllogismi principalis non recte assumi è propositione: quia sacrificia legalia præfigurantur, seu adumbrantur sacrificium Christi representando simul & præfigurando, at sacrificium Missæ adumbrat tantum representando.

Respondeo: præfigurare accipitur vel de tempore, vel de modo. Ibi est præfiguratio futuri, quæ est propria V. T. hic est præfiguratio rei eiusdem eodem modo factæ. Itaque Missa æque præfiguratur sacrificium Christi, si est sacrificium proprie dictum, atque sacrificia V. T. Præfiguratur, inquam, non futurum, sed præteritum, per modum præfigurationis sacrificiorum in V. T. Si tamen ita velint, habeant hunc syllogismum: Nullum dogma, quo legalium ceremoniarum vmbra reuocantur, recipiendum est. Dogma de externo & reali Missæ sacrificio est eiusmodi, ut eo legalium ceremoniarum vmbra reuocentur. Quare hoc dogma non est recipiendum. Minorem probō: Sacrificia externa & realia spectasse ad legis pædagogiam & ad vmbra V. T. manifestum est ex libris Mosis, & ex epistola ad Hebræos. Quare qui vsum istorum externorum sacrificiorum reuocant, ad veterem legis pædagogiam regrediuntur. *Excipiunt*. Non reuocamus sacrificia legalia. *Respond.* Quid iuuat nominis mutatio, quando res sunt eadem? Nam in V. T. fuit sacrificium externum, quod fuit oblatum per sacerdotem secundarium, hoc est, talem, qui representauit Christum, adhibitis variis ceremoniis. At hæc omnia quadrant in liturgiam Missæ.

XVI. Nunc colligamus *absurditates*, quibus sacrificium Missæ laborat. Huiusmodi autem sunt potissimum numero quatuor. *Prima absurditas*. Si quotidie Christus in Missa sacrificatur, Christus quotidie satisfacit pro peccatis. Sed hoc est absurdum. Ergo & illud. Ratio consequentiæ est: quia posito sacrificio Christi, ponitur satisfactio pro peccatis, tanquam effectum necessarium causæ continentis, *Rom. 4. Quis traditus est propter peccata nostra. 1. Petr. 2. Quis peccata nostra perulit in suo corpore super lignum.* &c. Assumptionis absurditas probatur: quia satisfactio Christi semel est facta, tunc videlicet, cum se obtulit in cruce, ut constat ex locis citatis. Et Christus in cruce pro nobis moriens, aut perfecte satisfecit Deo, aut imperfecte. Si imperfecte; quale est ipsius *λυτρωσις*? Sane *λυτρωσις* non *λυτρωσις*. Si perfecte; cur quotidie sacrificatur, ut pro nobis satisfaciatur? *Excipiunt*, Christum in Missa sacrificari, ut eius satisfactio semel in cruce facta pro nobis, nobis applicetur. *Respondeo*. 1. Est hic manifesta implicatio contradictionis. Nam satisfactionis applicatio infert satisfactionem prius factam. At isti volunt, in ipsa applicatione esse faciendam. Repugnat autem idem esse factum, & faciendum. 2. Si iterum sacrificari debet Christus, ut eius sacrificium semel factum nobis applicetur: ergo simili ratione, incarnari iterum debet Christus, & iterum mori, & iterum resurgere, ut fructus incarnationis, meritum mortis, & beneficia resurrectionis eius nobis applicentur. Par sane hic est ratio. 3. Si Missa est applicatio sacrificii Christi; non est igitur ipsum Christi sacrificium. Vtenim donatio rei, est aliud, quam res donata: ita applicatio, aliud est, quam res applicata. 4. Si in sacramento baptismi sacrificium Christi & mors ipsius nobis vere applicatur (ita docente Apostolo *Rom. 6. Coloss. 2.*) nec tamen in baptismo fit sacrificium; nihil est causæ, quam obrem necesse sit in cœna fieri sacrificium, ut mortis Christi beneficium nobis applicetur. 5. Ea demum ratio applicandi sacrificium Christi tenenda est, quam ipse Christus instituit. Ea autem est duplex, ut ante dictum est: vna, interior, efficacia Spiritus sancti creatis fidem in nobis; altera, exterior, in ministerio verbi & sacramentorum. Fateor quidem, ipsam prædicationem esse aliquod sacrificii genus, nempe Spirituales & figurate dicti, quemadmodum Paulus de prædicando euangelio verba faciens, *Rom. 15. Phil. 2.* ad sacrificium alludit. Verum quid hoc ad nostram Andromachem, id est, Missam? Nam in prædicatione Euangelii Christus offertur, non Deo, sed nobis, ut ipsum vera fide recipiamus: & per eandem prædicationem non Christus sacrificatur, sed nos ipsi Deo sacrificamur, quatenus verbi Dei gladio Spirituualiter mactati, Deo consecramur, & nostri oblatio fit accepta per Spiritum Christi, *Rom. 15.* Sed quid multa? Christi sacrificium nobis applicatur, dum Christus offertur, non Deo, sed nobis, vera fide apprehendendus.

XVII. *Secunda absurditas* est, quod Peccator est sacerdos, offerens victimam, quæ simul est sacerdos, nempe Christum Iesum. Sic itaque sacerdos peccator offert sacerdotem non-peccatorem. *Tertia absurditas* est quod sacrificii Romani in sua Missa apud Deum intercedunt pro Christo: cum Christus pro nobis intercedat. *Hebr. 7. & 9.* Sic enim inquit in canone Missæ: Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata &c. Vbi non moramur Bellarminum, qui sacrificiorum nomine intelligit panem & vinum: quod dicit vocari sacrificium, quia sit materia sacrificii propitiatorii. Nam supra disputauit, ex materia panis non fieri corpus Christi. Et Concilium Tridentinum non nouit nisi corporis Christi sacrificium. Christus etiam seipsum obtulit Deo, non panem & vinum. Denique panis & vinum non potest offerri pro peccatis. *Quarta absurditas* est, quod Missa dicitur esse sacrificium externum, in quo tamen corpus & sanguis, quæ offeruntur, nusquam apparent. Sed plures absurditates ex dictis, & dicendis, abunde possunt colligi.

XVIII. In apodixi nostra sequitur, *Missam aduersari naturæ sacrificiorum N. T.* Si enim quoties apostoli loquuntur de Christianorum sacrificiis, hoc est, iis, quæ a Christianis fieri debent: non faciunt mentionem alicuius externi & realis sacrificii, sed Spirituales tantum sacrificia proponunt: certe nullum reale & externum sacrificium agnoscere debemus. Verum est antecedens. Verum igitur est consequens: & vi consequentis, Missa sacrificium reiiciendum est. Assumptum probatur ex *Rom. 5. & 12. Phil. 2. & 4. 1. Petr. 2. Hebr. 13.* vbi iubemur ut corpora nostra sistamus Deo hostiam viam: ut ipsi offeramus sacrificium laudis; ut offeramus victimas beneficentia &c.

XIX. *Missa etiam aduersatur sacra cœna*, & quidem multis modis. Et primo quidem, si sacramentum cœnæ institutum est, ut Christus nobis offeratur vera fide & summa cū reuerentia percipiendus; & repugnet, Christum nobis offerri à Deo, & Christum à nobis offerri, vel sacrificari, Deo: certe Christus non offer-

rumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. *Cyrillus in Leuit. lib. 9.* An ignoras tibi quoque, id est, omni Ecclesiæ Dei & fidelium populo sacerdotium datum? Audi quomodo Petrus dicit de fidelibus: Genus, inquit, electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es, & ideo offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam pudicitiae, hostiam iustitiæ, hostiam sanctitatis. *Ibidem.* Stat ergo etiam nunc verus noster Pontifex Christus, & implere vult manus suas incenso composito, minuto: & ab vnaquaque Ecclesia, quæ sub cælo est, considerat quid offeratur: quam integre incensum suum diligenterque componat, quam minutum id faciat: id est, quomodo vnusquisque nostrum opera sua ordinet &c. Plura in hanc sententiam vide apud *Sadelem aduersus Missam cap. 6.* & *Polanum in Symphonia Catholica cap. 17.*

XXII. *Vltimum argumentum apodixis nostra restat*, hoc modo. Omne dogma, quod secum pugnat, neque potest sine contradictione explicari, ineptum est. Dogma de Missæ sacrificio est tale. Ergo. Minorem probamus. *Primo* dicunt, Missam esse sacrificium externum, & quidem visibile: & tamen hostia ipsa, hoc est, ipsum Dei corpus, visibiliter non adest. Potestne amabo sacrificium externum & visibile esse, vbi id quod offertur est inuisibile? Panis, inquiunt, & vini accidentia videntur & externa sunt. Certe: sed aut panis & vini accidentia offerretis Deo (quod negatis) aut offerretis corpus Christi, hoc est, sacrificium inuisibile. Proinde non habetis sacrificium externum. *Deinde* dicunt, esse sacrificium reale & externum, sed tamen incruentum: esse Eucharistiam, hoc est, gratiarum actionem, & commemorationem oblationis Christi pridem factæ, & tamen adhuc quotidie Christum offerri: Christum sacrificari, & tamen non ad satisfactionem pro peccatis. *Tertio* dicunt, idem esse cum sacrificio crucis: & tamen nec idem sacerdos adest, nec eadem hostia, aut actio, aut passio hic conspicitur. *Quarto* dicunt, sacerdotalem consecrationem ad essentiam huius sacrificii pertinere: & tamen negant, ipsa symbola, quæ vere consecrata sunt, amplius superesse, aut Deo substantialiter offerri. *Quinto* dicunt, destructionem rei oblatæ ad eandem rei essentiam pertinere: & tamen negant corpus Christi occidi aut vere destrui. *Sexto* rogant Deum per Christum, vt Christum oblatum recipiat: vt Deus Pater Iesum Christum Filium suum acceptum habeat: vt Deus benedicat hæc dona, hoc est, corpus & sanguinem Christi. Si Filius Dei Patri est acceptus, si hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata (ita enim loquuntur in Canone) sunt corpus & sanguis Christi, adeoque ipse Christus: cur rogant vt Deus Christum ipsum acceptabilem habeat, & hæc munera oblatæ sanctificet? *Porro* cur corpus & sanguinem Christi in cælo (vbi Christus est) deferri volunt per manus angeli? *Octauo* potestne quidquam dici absurdius, dum rogant vt corpus Christi Deus acceptum habeat, quem admodum olim accepta habuit Abelis & Abrahami sacrificia? *Nono* dicunt se offerre illud ipsum sacrificium, quod Christus obtulit: & nihilominus rogant, vt Deus accepta habeat & benedicat hæc sancta sacrificia illibata, vtque suscipiat preces eum oblationibus hostiarum: dicunt se offerre hostias placationis, rogantque vt per hæc salutis nostræ sacrificia perpetuam misericordiam consequantur; & paulo post orant, vt hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis exuti vitam mereantur æternam. Habent itaque hostias & sacrificia in plurali numero, & sacrificium singulare. Caterum quia verba illa Canonis præcedunt consecrationem, quidam per dona, munera, & sacrificia intelligunt substantiam panis & vini, atque ita suæ sententiæ de Missæ sacrificio renuntiant: sequeretur enim, non Christum ipsum, sed panem & vinum offerri Deo in Missa, idque (vt sequitur in eorum prece) pro animarum redemptione: quo vix aliud quidquam detestabilius dici potest. Alii exponunt verbum præfens pro futuro, quoniam, inquiunt, mox futura est Transsubstantiatio: ac proinde verba illa de corpore & sanguine Christi exponunt. Sed corpus & sanguinem Christi, adeoque Christum ipsum dici hostias, non hostiam: sacrificia, non sacrificium; quis patienti animo ferat? Sed pergamus in contradictionibus Missalibus. *Decimo* dicunt, sacerdotem tam pro seipso, quam pro aliis sacrificare: sed vetant eum ad altare accedere nisi post peccatorum confessionem & absolutionem. Quomodo itaque respectu sacerdotis sacrificium istud propitiatorium esse potest? *Vndecimo* dicunt, corpus & sanguinem separatim confici, & tamen propter concomitantiam corpus à sanguine non separari. *Duodecimo* dicunt, fundi sanguinem in Missa incruente, & tamen vere, hoc est, fundi non fundi, sanguinem non sanguinem. Sed quis Andabatium Missæ satis explicet?

CAPVT X.

Fundamenta Missæ subuertuntur.

I. **P**osteaquam aduersariorum sententiam superiori disputatione refutauimus: iam nobis subducenda sunt & subuertenda ea fundamenta, quæ illi suis erroribus substernunt. Ea vero apud *Bellarminum libro 1. de Missa cap. 6.* reuocantur ad tres classes, his verbis. Primum adferemus testimonia Scripturarum. Tum veterum Patrum. Postremo rationes. Ac ex diuinis literis primum locum obtinebunt figuræ Testamenti veteris. Secundum, vaticinia prophetarum. Tertium, testimonia ex Evangelio. Quartum, ex Actis Apostolorum. Quintum, ex epistolis B. Pauli. Hanc Bellarmini methodum *negi videtur* sequemur, in scriptis hinc inde nonnullis quæ à *Becano lib. 1. Manuali cap. 10.* & à *Pistorio in Hodegetico* adferuntur ad sacra sua Eleusinia mangonizanda. *Becanus* argumentatur 1. ex typis seu figuris V. T. 2. ex vaticinio Malachiæ. 3. ex colloquio Christi cum Samaritana. 4. ex Apostolo Paulo. 5. ex consensu Sanctorum Patrum. *Pistorium* habet nouem argumenta, hoc ordine. 1. ab agno Pascha-

li. 2. à manducatione Christi in Eucharistia. 3. à verbis illis Institutionis, *Traditur, frangitur, effunditur.* 4. à sanguine V. T. 5. à natura cibi Eucharistici. 6. quod corpus & sanguis Christi in Eucharistia vocetur victima. 7. à typo Melchisedeci. 8. ex *Act. 13. vers. 2.* vbi occurrit vox *λεωπρεπός.* 9. ex *Malachia cap. 1.* Hæc omnia reuocabimus ad methodum Bellarmini.

II. *Prima itaque classis testimoniorum S. Scriptura recitat figuræ V. T. numero quatuor*: videlicet sacerdotium & sacrificium Melchisedeci, agnum paschalem, sanguinem V. T. & alia sacrificia V. T. Ad hanc classem in genere respondemus, 1. principium in ea peti, quatenus illi typi, seu figuræ, ad ipsam Eucharistiam, tanquam rem significatam typis illis, perpetam referuntur, quæ proprie ad rem significatam in Eucharistia, id est, ad Christum pertinent. 2. falsas definitiones perpetui sacerdotii & sacrificii Christi, iam olim per Melchisedecum, agnum paschalem, sanguinem V. T. & alia sacrificia legalia, varie præfigurati, in medium adferri. 3. falsas versusque testamenti proportionales, itemque cibi victimalis & comestionis ipsius, ineptas explanationes adduci. Iam vero non ex ratiocinationibus humanis, sed ex aperto Dei verbo extruuntur dogmata Christiana. Et à typis siue figuris non ducuntur argumenta Apodictica, si non ex ipsa Scriptura ostendi possit applicatio. Vbi memoria repetendum est, quod supra non vno in loco monuimus, typum esse vel typi typum, vel rei significatæ peti typum. Ita v. g. agnus paschalis est typus typi, hoc est, Eucharistia, & est typus rei significatæ, id est, Christi. Nam in N. T. habemus typos, non præfigurantes rem significatam, sed respondentes typis veteribus, & ab iis distinctos quemadmodum pictura viuus coloribus illustrata differt à pictura adumbrata. Nunc examinemus typum, quem Bellarminus in prima acie collocat, quem Becanus solum virget, quod sit præcipuus.

III. *Sacerdotium & sacrificium Melchisedeci* describitur *Gen. 14. 18.* Hinc tria colligit *Becanus*. Primo, Melchisedech fuisse sacerdotem Dei altissimi. Secundo obtulisse panem & vinum in sacrificio: idque in gratiarum actionem, pro victoria ab Abrahamo parata. Tertio, ea oblatione præfigurasse sacrificium Christi, quod in vltima cæna sub specie panis & vini peractum est. Atque ea de causa, Christum in Scriptura vocari sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci, non autem secundum ordinem Aaron, *Psal. 110. 4. Hebr. 6. 20. & 7. 11.* Nam sacrificium Christi in vltima cæna non fuit cruentum ex animalibus, sicut sacrificia Aaronica: sed incruentum sub speciebus panis & vini, sicut sacrificium Melchisedech. Ita breuiter *Becanus*; etsi pluribus hoc argumentum persequitur. *Pistorius* summam ita disputat. Christus est similis Melchisedeco in ipso sacerdotio, quale solus Melchisedech gessit, non etiam alii: cuius tota ratio inquirenda est in sacrificio, nempe in pane & vino, quod Melchisedech Deo obtulit (nam ita verbum *מלך* *Gen. 14.* accipiendum esse, probatur ex Rabbini iuxta & Christianis, & ipsis circumstantiis textus: & non de prolatione panis & vini ad reficiendum exercitum Abrahami, quantum & hoc certa ratione dari potest, nempe de conuiuii post sacrificium Abrahamo & præcipuis eius ducibus instituto) non in benedictione, quæ etiam ab iis, qui sacerdotes non sunt, proficisci potest, nec vlla alia in re, præterquam in sacrificio panis & vini. Quare quemadmodum Melchisedech obtulit panem & vinum: ita etiam Christus id ipsum, nempe panem & vinum, hoc est, suum corpus sub speciebus panis & vini obtulit. Neque enim solum panem & vinum offerre debuit, vt Melchisedech: quia debuit esse præstantior typo. Itaque obseruatione ordinis impleuit figuram Melchisedeci: quia à pane & vino exorsus, retentis speciebus panis & vini, in sacrificio corpus suum & sanguinem fecit. Neque vero in cruce hoc potuit fieri: quia ibi Christus non fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedeci. Ergo necessario sequitur, tantum in Eucharistia Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedeci, nimirum sacrificando, seu offerendo, panem & vinum, hoc est, corpus suum & sanguinem. Hæc eadem apud *Bellarminum* fuscè disputantur: quorum summa huc redit. Christus, quatenus est æternus N. T. sacerdos, debuit omnino similis esse Melchisedeco, *Psal. 110. Hebr. 7.* Alia vero propria similitudo, seu conuenientia, inter vtrumque inueniri non potest, quam incruenta oblatio Christi, sub speciebus panis & vini: & ea quidem perpetua, seu continenter durans: prout ipse Christus est actu sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeci: nemini succedens, nec vllum successorem habens; sed semper seipsum per vicarios sacerdotes, in terris, incruento modo, offerens. Hoc autem in Missa tantum impletur. Ergo illa est sacrificium hoc insigni typo præfiguratum.

IV. *Primo* respondemus ad totum hunc discursum, illum nullo subnixum esse fundamento. Nam quia Apostolus *Hebr. 7.* comparisonem Christi cum Melchisedeco accuratissime explicauit, neque tamen vllam fecit istius sacrificii Missæ mentionem: merito reuicimus comparisonem illam aduersariorum. Certum enim nobis est, collationem inter Melchisedecum & Christum non aliter accipi, vel etiam vltius extendi debere, quam epistola ad Hebræos, quæ ex professo illud argumentum tractat, ostendit. Omnis igitur glossis neque in isto textu fundatis, neque reliquæ Scripturæ consentaneis, pedem figamus in collatione Apostolica, quæ est eiusmodi inter Melchisedecum & Christum. 1. Melchisedecus rex fuit simul & sacerdos: ita & Christus. 2. Fuit rex Salem, q. d. pacis: ita Christus est princeps pacis. 3. Benedixit Abrahamo tanquam maior: Christus, maior omnibus Leuiticis sacerdotibus, benedixit nobis, & tollit omnem maledictionem à nobis. 4. Melchisedec fuit *אֱלֹהִים*, quia parentum eius nulla fit in Scripturis mentio, & quia civili ratione neque patrem neque matrem habuit regem aut sacerdotem: ita Christus esse *אֱלֹהִים* in humanitate, *ἀπαρτος* in Deitate. 5. Nullos ille habuit in sacerdotio successores, in Scriptura expressos: ita Christus manet sacerdos in perpetuum. Hactenus Apostolica collatio: in qua nulla fit mentio de sacrificio panis & vini. Neque vero Apostolus hoc omisit de dicitur opera, propter ruditatem Hebræorum, quos erudiendos susceperat: vel quia scriberet Iudæis infidelibus: vel, quia non pertineret ad scopum: sed, quia in

Agnus Paschalis appellatur *קרבן*, *Korban*, & *זבח*, *Zeuach*. 2. Idem fuit immolatus. 3. Vox Græca *θυσία* significat sacrificium. At illa *Luc.* 22. usurpatur de agno paschali.

Resp. 1. Vox *Korban* est generalis, adeo ut omnes oblationes legales illa significetur, *Leuit. 1. v. 3. 10. 14. c. 2. v. 1. 4. 5. 7. 14. & c.* Unde apud Marcū: *Korban, quod est donū.* 2. Nōmē *Zeuach* (cuius vsus est frequētissimus in sacrificiis, proprie dictis, aliquando usurpatur in ceremonia agni paschalis, idque propter maetationem seu immolationem. Immolatio autem sola non sufficit ad constituendum sacrificium: quia immolabatur agnus paschalis, non ut Deo offerretur, id quod est sacrificiorum proprium: sed ut manducaretur ab Israelitis. Et si ergo agnus fuit maetatus: non tamen propterea vetus illa ceremonia fuit vnquam numerata inter sacrificia externa & legalia, quæ quidem proprie dicta fuerunt sacrificia. 3. Vox *Zeuach* interdum etiam late significat sacrificia Spiritualia, ut *Psal. 50. & 51.* Itaque hinc non potest colligi, agnum paschalem fuisse sacrificium proprie dictum, eo quod aliquando vocetur oblatio, vel sacrificium. 4. Vox *θυσία* *Luc. 22.* & alibi est idem quod maetare: ut patet ex circumstantiis textus, & rei natura. Sed inquit, *1. Cor. 5.* verba illa de Christo, *καὶ ἡμεῖς ἰδοὺν*, Beza sic exponit, Pascha nostrum sacrificatum est. *Respondeo* Et recte quidem. Nam Christus fuit & maetatus & sacrificatus: quæ duo significat vox *θυσία*, pro subiecta videlicet materia.

XIII. Pergamus ad illustrationes principalis syllogismi Pistoriani. 1. Eucharistia immediate successit Paschæ. In paschate autem fuit immolatio. E. etiam in Eucharistia est immolatio. 2. Christus in cruce non proprie est agnus paschalis: quia ibi nulla fuit mandata vel peracta manducatio: neque (quod addit Bellarminus) inter vesperam & vesperam, sed in meridie Christus est crucifixus. *Respondeo ad 1.* Successit cœna in locum agni paschalis, sed non ut continuatio & complementum eius, sed ut sacramentum peculiare N. T. sicut baptismus successit in locum circumcissionis. Itaque S. cœna tanto intervallo distat a paschate, quanto expressa imago ab umbra, *Hebr. 10. 1.* Ergo nec illud sequitur: Eucharistia successit paschati. In paschate autem fuit immolatio. Ergo etiam in Eucharistia est immolatio. Nisi velis etiam concludere: baptismus successit circumcissioni. In circumcissione fuit amputatio præputii. Ergo etiam in baptismo est amputatio præputii. Porro si valerent ea concludendi ratio, contra Papistas licebit sic argumentari. In agno paschali fuit maetatio cruenta, & realis effusio sanguinis. Ergo etiam in cœna Dominica erit maetatio cruenta, & realis effusio sanguinis Christi. Quomodo itaque erit sacrificium incruentum? *ad 2.* Si Christus in cruce non fuit agnus paschalis, quomodo dicit *Iohannes cap. 19. 36. Facta sunt hæc, ut Scriptura impleveretur: Os non comminuetur ex eo.* Quod dictum de agno paschali extat *Exod. 12. 46* Rursus, si Christus in cruce non fuit pascha, quomodo Apostolus dicit *1. Cor. 5. καὶ ἡμεῖς ἰδοὺν*? & quomodo possunt consistere, quæ de hoc agno dicuntur *Esa. 53. 7 Iohan. 1. 29 1. Petr. 1. 19. & 2. v. 24. Apoc. 5. 12.* Neque vero est necesse, ut singula typorum circumstantiæ inveniuntur in re adumbrata. Quod qui requirere volet, hæc is incurrit infinitas absurditates, fatente Bellarmino. Satis est si conueniant in eo, quod Scriptura intendit. Sic agnus paschalis & Christus conueniunt in maetatione, immolatione, morte. Quamquam nec ipsa manducatio, Spiritualis nempe, separatur ab immolatione Christi in cruce. Nos enim in Eucharistia, & extra eam, & manducare iubemur, & manducamus corpus Christi in cruce immolatum, *1. Cor. 11. v. 24. 25. 26. 1. Cor. 5. v. 7.* At non iubemur in cœna id demum immolare.

XIV. Sed Bellarminus & Pistorius instant: Nullus agnus paschalis potest manducari, antequam maetetur. Christus fuit manducatus in sacra cœna a discipulis, antequam maetaretur in cruce. Ergo necesse est præcessisse aliam maetationem, nempe incruentam in ipsa Eucharistia. Itaque agnus paschalis fuit typus Christi pro nobis olim immolati, *1. Cor. 5.* immolati, inquam, non in cruce, sed in S. cœna: quia victimalis cibus prius immolandus est, quam comedi possit; prout in agno paschali factum fuisse constat.

Respondeo: Sunt quatuor termini propter ambiguitatem in voce manducati. Nam propositio loquitur de agno paschali V. T. qui fuit manducatus corporaliter, & ideo prius maetandus. Assumptio loquitur de manducatione sacramentali & Spirituali corporis Christi.

XV. Iam obruamus etiam hanc commentitiam figuram quibusdam absurdis, siue incommotis. 1. Si propter typum agni paschalis in Eucharistia Christus quotidie immolatur, oportet eum quotidie mori. Nam agnus paschalis est figura Christi morituri. 2. Si Christus quotidie in Eucharistia immolatur, ut satisfiat typo agni paschalis: ergo Christus sua morte non impleuit figuras legales. Retorqueamus insuper argumentum ab hoc typo petiit in aduersarios. 1. Si ex agno paschali nihil reseruandum erat, & Pontificii hostias in Missa consecratas diligentissime asseruant: ergo agnus paschalis non fuit figura sacrificii Missæ. 2. Si agnus paschalis fuit maetatus maetatione cruenta, & Missa est sacrificium incruentum, ille non fuit huius typus. Denique colligamus absurditates, quæ ex incruento Missæ sacrificio, quod Christus in prima Eucharistia obtulit, sequuntur. 1. Sacrificium incruentum est representatio sacrificii cruenti, semel in cruce peracti, inquit Papistæ. Sacrificium Christi in prima Eucharistia est incruentum, affirmantibus iisdem. Ergo sacrificium Christi in prima Eucharistia est representatio sacrificii cruenti in cruce semel peracti. Quæ conclusio implicat contradictionem: quia in Institutione primæ cœnæ Christus nondum fuit oblati in cruce. Si dicant, representasse sacrificium futurum: Ergo fuit umbra legalis pertinet ad V. T. 2. Immolatio Christi in Eucharistia aut facta est ad remissionem peccatorum, aut non. Si prius: ergo inutile & superuacaneum fuit sacrificium in cruce. Nam ubi est peccatorum remissio, iam non est amplius oblatio pro peccatis *Hebr. 10. 18.* Si posterius: ergo sacrificium incruentum in prima Eucharistia non fuit sacrificium propitiatorium: ergo specie diuersum a sacrificio crucis. 3. Si Christus in prima cœ-

na se immolauit ad remissionem peccatorum: sequitur, aut duplicem immolationem esse pro peccatis, aut sacrificium in cruce non fuisse propitiatorium pro peccatis. At vtrumque falsissimum. Sed concludamus hunc rotum ab agno paschali paralogismum aduersariorum hoc syllogismo. Exhibito corpore cessant umbræ, *Col. 2. Hebr. 7. 8. 9. 10.* Christus in quo tanquam corpore complementum habent figuræ Leuiticæ, est exhibitus. Ergo cessant umbræ, nec vlla restat agni paschalis impletio in Eucharistia.

XVI. Tertia figura, quam aduersarii allegant, est sanguis V. T. *Exod. 24.* qui respondet sanguini Christi, in ipsa S. cœna immolati: quippe in qua verba illa de sanguine N. T. verbis Moïsi de sanguine quæ simillima, aperte vsurpata sunt: in qua etiam Christus nouum testamentum vere condidit, quod demum postea in cruce confirmauit: imo in qua ipse sanguinem noui testamenti Apostolis suis, vere bibendum dedit. Id quod sine præuio sacrificio, seu oblatione, fieri non potuit.

Resp. nōdo 1. Sane Christus, quando dixit, *Hoc enim est sanguis meus noui fœderis*, *Matth. 26. 28.* respexit ad illam sententiam Moïsi *Exod. 24. 8. Ecce sanguis fœderis*. Sed hinc non sequitur: Ergo sanguis ille in V. T. fuit figura Eucharistia. Fuit enim figura sanguinis Christi. 2. Christus non condidit nouum testamentum in Eucharistia: quia vox *testamentum* in verbis Christi significat fœdus gratiæ, quod habet rationem testamenti, quatenus morte Ilii Dei sancitum est. At hoc fœdus non est demum in Eucharistia initum: sed in ipso paradiso, quando Deus promisit semen mulieris. 3. Christus dedit sanguinem suum in Eucharistia discipulis bibendum sacramentaliter & Spiritualiter. Itaque non opus fuit præuio aliquo sacrificio.

XVII. Quartam figuram apud Bellarminum constituunt varia V. T. sacrificia, de quibus *Leuit. 1. 2. & seqq.* copiose videre est. At hæc respectu comestionis? & aliarum similibus actionum, in iis vsitatarum, non nisi in sacrificio illo Christi, quod ipse in S. cœna obtulit, impleta fuerunt.

Respondeo: Est mera petitio principii. Nam illa sacrificia vel impleta sunt in vnico sacrificio Christi in cruce peracto, vel quotidie in nobis impleuntur, quando sacrificia Spiritualia Deo offerimus, idque in Eucharistia, vel extra illam. Sic v. g. Sicut aspersio populi apud Moïsem est applicatio fœderis ad populum: ita in S. cœna bibitio vini & sanguinis Christi, est applicatio fœderis ad communicantes vera fide præditos.

XVIII. Atque hæc prima classis est argumentorum pro sacrificio Missæ. Secunda classis habet vaticinia V. T. quæ sacrificium Missæ denotant apud Bellarminum. Vbi notetur generalis responsio. In locis, quæ adferuntur, vel nulla vera de sacrificiis N. T. vaticinia continentur: vel de Spiritualibus tantum fidelium ipsorum, partim actiuis, partim passiuis oblationibus agitur. Ibi sunt fides & opera bona: hic est conuersio per euangelium. Sed ordine videamus vaticinia. *Primum est 1. Sam. 2. 35.* vbi prædicitur ipsi Eli, alium sacerdotem post ipsum exoriturum, qui semper coram Christo Dei versaturus sit; nempe Samuelem, aut Sadocum: sed tamen vtrumque consideratum, velut typum sacerdotum Christianorum, qui sub N. T. vires Christi in sacrificio Missæ implere solent.

Respondeo. Est petitio principii: quia nos negamus, in N. T. esse sacerdotium & sacerdotem proprie loquendo, præter sacerdotium Christi, quod est intransituum. Deinde propheta illa impleta fuit partim in successione Samuelis, partim in electione Abiatharis, & substitutione Sadoci. *Reg. 2. 27.* vbi propheta ista adimpleta dicitur. Itaque non adhuc impletur quotidie. Denique eo loco altum est silentium de nouo sacrificio. *Secundum vaticinium est Proverb. 9. vers. 1.* vbi dicitur ipsa Sapientia, id est, Christus, sacrificium suum immolasse, & vinum miscuisse: id quod in ipsa S. cœna continuo impletur. *Respondeo*: Locus ille agit de Ecclesia, quam Christus, summa illa Patris & nostra sapientia, hic inchoat & fundat tanquam domum, in cœlis perficit. In hac domo parat epulas; id est, vitam æternam, quam hic inchoatione, ibi consummatione, percipimus. Ad has epulas nos inuitat per ministros suos. Deinde quidam hunc locum accommodant ad S. cœnam, non quia est sacrificium propitiatorium, sed Eucharisticum.

XIX. Tercium vaticinium est *Esa. 19. 21.* vbi Ægyptii, hoc est, omnes ethnici, iam conuersi, dicuntur Deum culturi hostiis, hoc est, sacrificiis Missæ. *Resp.* Intelliguntur ibi sacrificia Spiritualia fidei, spēs, & charitatis. *Excipiunt.* At *vers. 19.* fit mentio altaris in loco visibili constituti. Non itaque intelliguntur sacrificia Spiritualia, quoniam ad illa nullum altare visibile est necessarium.

Respond. 1. Propheta non dicit, altare illud futurum visibile. 2. Alludit ad cultum externum tum vsitatum, ut significet cultum Spiritualem gentium. 3. Loquitur de vnico tantum altari. Ergo prædixit altare N. T. externum & visibile, quod est vnicum duntaxat, videlicet ara crucis, in qua Christus vnicum & æternum sacrificium propitiatorium obtulit. Et Christus hodie etiamnum est vnica illa ara, in qua sacrificia nostra Spiritualia offerimus. 4. Sacra cœna est sacrificium sacramentaliter, & ita mensa, in qua celebratur, est altare sacramentaliter, id est, symbolice, significatiue, repretentatiue. 5. Quando dicit, futurum altare in media Ægypto, intelligit publicam religionis N. T. professionem.

XX. Quartum vaticinium est *Esa. 61. 6. & 66. 21. 1er. 3. vers. 18. 21.* vbi nominatim *Esa. 66.* Deus ait: *Assumam eos iis (scilicet Christianis) sacerdotes & Leuitas.* Sic *Esa. 56.* *Adducam eos in montem sanctum meum, & latificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum, & victima mibi placebunt super altari meo.* Hæc prophetiæ loquuntur de temporibus N. T. seu de Ecclesia Christiana, in qua futuros esse sacerdotes, futuraque altaria Esaias prædixit: ac proinde futurum etiam externum sacrificium. Hoc enim postulat relatio inter sacerdotes, altare, & ipsum sacrificium.

Resp. 1. Esaias vaticinatur de Spirituali cultu N. T. Loquitur autē figurate: quia dicitur styli prophetici, iteq; cōueniētia V. & N. T. sic fieri postulabat. Nam quæ ibi prædicit nō re ipsa, hoc est, externa ratione, sed Spirituali significatio-

ficatione in N. T. impleri debuerunt. 2. Esaias prædicit c. 61. futuros sacerdotes in N. T. his verbis *Vos a sacerdotibus Dei vocabimini*. Vbi non loquitur de ministris Ecclesiæ singulariter, sed communiter de omnibus fidelibus. Confer 1. Pet. 2. A. 10. 8. 9. Nam apud Esaiam, qui non sunt sacerdotes appellandi, illi dicuntur alieni, & filij peregrinorum. Itaque distinguit hos sacerdotes non a reliquo populo Christiano, sed a reliquo mundo. 3. Idem Esaias cap. 66. prædicit, noui testamenti temporibus assumendos ex fidelibus sacerdotes Leuiticos (nec enim extat copula in contextu Hebraico) non quod stare debeat sacerdotium Leuiticum (est enim mutatum, inquit apostolus Heb. 7.) sed ita significauit propheta ministerium euangelicum Leuitico successurum. Sic enim Paulus gentes sacrificabat Deo, cum eas ad euangelij cognitionem adducebat, Roman. 15. Et hac ratione pastores N. T. possunt appellari *israëlitæ*, siue sacerdotes. Alioquin nomen sacerdotis nusquam tribuitur ministris euangelij in N. T. fatente ipso Bellarmino lib. 2. de Pontificis Roman. cap. 13. Ratio est; quia solus Christus est Pontifex siue sacerdos N. T. Excipit Pistorius, nihil sibi istud officere. Vtrumque enim esse verum: Et Christum solum esse sacerdotem N. T. & ipsius oblationem esse vnicam, & semel factam, & perficere sanctificatos. Et nihilominus tamen ministros N. T. esse sacerdotes, nempe secundarios; & sacrificium Missæ esse incuruentum. Itaque solus Christus est vnicus sacerdos N. T. nempe primarius; sacrificij sunt secundarij. Rursus Christi sacrificij est vnici, nempe cruentum; sacrificij a. Missæ est incuruentum. Quæ vtrique distinctio etiã à Bellarmino adhibetur, li. 1. de Missa c. 6. & 21. Hanc exceptionem Pistorius ita pbat; Christus vnicus est magister & doctor; & tamẽ in Ecclesiã multi sunt doctores. Nimirum Christus est dominus, ceteri sunt ministri. Ita Christus vnicus est summus Pontifex: ceteri sunt sacerdotes ei ministrantes, per quos ipse Christus, præsens, inuisibiliter omnia operatur. Respondet. 1. Est clenchus parium. Nam in sacerdotio & sacrificio Christi, quemadmodum illud accurate descriptum est in epistola ad Hebræos, nihil quidquam reperitur quod possit competere vlli homini. Tale enim est illud sacerdotium & sacrificium, vt inclusam habeat plenissimam satisfactionem pro nostris peccatis: ex qua cetera promanant omnia, quæ de eo dicuntur. Iam ex vniuersa Adami posteritate nullus est, qui præstare possit eam satisfactionem: quæ laus solius Christi est propria. Vnde nulli hominum, præter illum, nomen istud (quod fit sacerdos N. T.) attribui potest. 2. Ista distinctio non potest stare cum his verbis apostoli Heb. 7. 27. *Qui non habet necessitatem quotidie offerendi*. Hoc enim fecit semel, seipsum offerendo, Heb. 9. 12. videlicet per proprium sanguinem, & per spiritum æternum. 3. Si distinctio illa locum haberet, multitudo sacerdotum Leuiticorum non recte opponeretur vni sacerdoti noui testamenti, Heb. 7. 23. Rationes enim vnitatis illic positæ tam non possunt ferre pluralitatem sacerdotum N. T. quam nec pluralitas illa in V. T. potuit assequi perfectionem. 4. Nusquam in Scripturis, vbi partes siue officia ministerij euangelij describuntur, mentio extat sacrificij externi. 5. In ordine distinctorum ministrorum Ecclesiæ N. T. 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. non recitantur sacerdotes. 6. Cum in docendo, baptizando, sacramentam eorum administrando, ius clauium exercendo, distinctæ sint partes Christi, vt domini, & ministrorum: nihil potest in sacrificio illo Christi ostendi, quod sit ministrorum, sed omnia sunt solius Domini. Quod tam verum est, vt ex Pontificis plerique omnes secuti Concilium Tridentinum sessio 22. cap. 2. affirmant, eundem in sacrificio illo esse hostiam, & offerentem, nempe ipsum Christum, *αὐτὸς ὁ θεὸς καὶ ἁγίος ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς*. Hoc autem Pistorius ita explicat: Non nos, inquit, sed ipse quotidie se offert. Bellarminus aliter: Christus in cruce quidem seipsum obtulit: sed in sacrificio Missæ, non ipse se offert, sed offertur ministerio sacerdotum, lib. 2. de Missa, cap. 4. Quinam vero, o boni, erant sacerdotes, qui ipsum offererant in primâ Eucharistia, cum nondum essent apostoli constituti sacerdotes? Qui si nulli fuerunt, vnde discrimen fingitis, inter oblationem istam, & illam in cruce? Cum Christus ipse immediatè & hic & illic se obrulerit, ex vestro sensu? Cur denique Bellarminus l. d. scribit, sacrificium Missæ a tribus offerri, a Christo, ab Ecclesiã, a ministro, & quidem ita, vt hic sit superior Ecclesiã: Sed ad alia.

XXI. *Quintum vaticinium est Dan. 8. & 12. vbi dicitur Antichristus aboliturus iuge sacrificium; quod non potest intelligi de spiritualibus sacrificijs, quæ multa sunt & multiplicia. Intelligendum autem esse hunc locum de fine mundi, perspicuum est ex ap. 12. vbi propheta loquitur de resurrectione mortuorum. Illis igitur nouissimis temporibus erit iuge sacrificium auferendum, id est, Missa, quæ in Ecclesiã quotidie celebratur. Respondet. 1. In neutro loco est vaticinium de sacrificijs N. T. quod ita patet. Daniel cap. 8. intelligit Antiochum; qui iuge sacrificium Iudæorum reuera ad tempus è medio sustulit. Si excipiant, Antiochum esse typum Antichristi: facile hoc damus. Quemadmodum enim Antiochus Epiphanes (verè cognominatus Epimanes) è medio sustulit iuge sacrificium Iudæorum, atque ita totam rationem & normam cultus Leuitici abstulit: sic Antichristus in N. T. abstulit sacrificium Christi, quando in eius locum substituit necio quas nugas. 2. Quod attinet ad cap. 12. ibi iuge sacrificium prædicitur abolendum per Romanos: id quod factum est tempore vltimi excidij vrbs Hierosolymæ, vt patet ex Matth. 24. vbi Christus explicat hanc prophetiam Danielis de abominatione desolationis. 3. Si iuge sacrificium, de quo Daniel locutus est, de sacrificio Missæ intelligendum est: ergo vnicam in toto terrarum orbe Missam celebrari oporteret, & in vno tantum loco & bis in die, mane videlicet & vespere. 4. Sacrificia spiritualia Christianorum non sunt multiplicia, si & vespere. Est enim vna fides, & vnum baptisma, Eph. 4. At Missa est multiplex: vna pro defunctis, altera pro viuentibus, tertia pro defunctis & viuentibus, quarta de sanctis &c. hæc priuata, illa publica.*

XXII. *Sextum, & vltimum vaticinium, est Malach. 1. ver. 11. vbi Deus prædicit, gentes olim sibi mundam oblationem sacrificaturas in omni loco. Quod non nisi de mundissima Christi hostia accipi potest: præsertim cum sacrificia nostra, iuxta Euangelicos; semper hic immunda sint. Bellarminus libro primo de Missa, cap. 10. appellat hoc insigne testimonium. Et Pistorius in hodgegetico hunc locum ita clarè Missam denotare affirmat, vt claris esse nihil possit.*

Respondet. Malachias agit de passua gentium oblatione, hoc est, per euangelij conuersione & sanctificatione. Cum qua oblatione passua coheret oblatio actiua, & qua gentes conuersæ offerunt Deo fidem & vitam sanctam. Hoc ita probat. Apostolus Roman. 15. 16. procul dubio ex hoc ipso

Malachia dicto mutuatus est phrasin suam, *ἱεραργεῖν τὸ εὐαγγέλιον*. Sic enim ait: *Data est mihi gratia à Deo, vt sim λειτουργός (minister) Iesu Christi in gentibus, ἱεραργεῖν (Sacrificans) euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium, accepta & sanctificata in spiritu sancto*. Conferantur quæso hæc verba cū verbis Malachia, quæ ita sonant: *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus: dicit Dominus exercituum*. Celebratis verbis propheta amplitudinem regni Messia in N. Test. idque per collationem cum statu V. T. Nomine autem mundæ oblationis intelligit ministerium Euangelij (interpretante apostolo, *ἱεραργεῖν τὸ εὐαγγέλιον*) quod peruasit totum orbem. Quæ Euangelij prædicatio inter omnes gentes non fuit sub V. T. vbi Iudææ terminis Ecclesiæ Dei ordinariè concludatur. Atque hæc interpretatio non solum consonat phrasi prophetica; sed etiam circumstantijs, ipsi rei, totique Scripturæ V. & N. T. E contrario explicatio Pistoriarum dissentit à phrasi prophetica, circumstantijs, ipsa re, totaque Scripturæ sacra. Nam principio Missa destituitur verbo Dei: & proinde non potest esse oblatio munda. At prædicatio Christi crucifixi confirmata administratione baptismi & Eucharistiæ, vera in super fide nobis applicata, & in mundo corde conseruata, est oblatio munda. Deinde verba Hebraica ita sonant: *In censum oblatum nomini meo, & oblatio munda*. Vox *Mincha*, qua vitur propheta, significat rerum inanimatarum oblationem, vt constat ex *Leuit. 2*. Itaque si oblatio hæc, *Mincha*, de qua propheta loquitur, intelligenda est de Missæ sacrificio, certè in illo offertur panis, non autem corpus Christi. Tertio meminit Malachias incensi & oblationis *Mincha*. Itaque hæc vocabula propriè pertinent ad cultum legalem. Ergo metaphorice sunt accipienda de cultu noui testamenti proprio. Si metaphorice dictum, & propterea non reale, externum, incuruentum, &c. Denique quid sint incensa N. T. docet Iohannes Apocal. 5. vbi preces sanctorum vocat phialas aureas plenas suffituum. Et cap. 8. ait: *Data sunt illi incensa multa vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum*. Sic Paulus Philip. 4. opera charitatis vocat odorem bonæ fragrantia. Quæ cum ita sint, Malachias, alludendo ad legales ceremonias, qui mos est prophetarum, describit spirituale Dei cultum in Ecclesiã Christiana futurum, qui absoluitur prædicatione & acceptatione, adeoque praxi Euangelij, per totum orbem disseminati. Excipiunt multum modis. 1. Becanus ait: Non potest intelligi prædicatio Euangelij; tum quia nulla est proportio inter sacrificia Iudæorum, & prædicationem Euangelij: tum quia nulla connexio est: Sacerdotes Mosaici offerunt mihi panes pollutos, & animalia cæca, clauda, languida. At Christiani prædicabunt Euangelium. Huc accedit, quod non omnes prædicant Euangelium. Dicunt autem aduersarij, omnes pios ac fideles N. T. offerre Deo sacrificium mundum, de quo loquitur Malachias. 2. Idem Becanus in Manuali (vnde & ea quæ antecedunt, sunt desumpta) ait: Catholici cum antiquis Patribus dicunt esse corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini. Caluinistæ, esse bona opera, vt orationem, gratiarum actionem, elemosynam, & similia. Sed facile refelluntur. Primo, quia bona opera, teste Caluino, non sunt munda, sed potius sordes, macula, inquinamenta: vt ipse loquitur lib. 3. Inst. cap. 12. §. 4. & cap. 15. §. 3. Deinde Malachias opponit oblationem nostram oblationi Iudæorum, ex parte rei oblatæ. Quæ oppositio in eo consistit, quod panes & animalia, quæ offerbantur in sacrificijs Iudæorum, sæpe erant vitiosa & immunda: at id, quod offertur in nostro sacrificio, sit mundum. Hoc aliud esse non potest, nisi corpus & sanguis Christi: Nam reliqua omnia, quæ Deo offerimus, sæpe vitiosa & imperfecta sunt. Denique Malachias, non solum loquitur de munda, sed etiam de noua oblatione, quæ successura sit sacrificio Mosaico, & futura propria Christianorum. At bona opera, neque noua sunt, neque succedunt sacrificio Mosaico, neque sunt propria Christianorum, cum fuerint visitata ab initio mundi, à patriarchis, prophetis, apostolis, & eorum successoribus. Ergo bona opera non sunt oblatio munda, de qua loquitur Malachias.

Respondet. 1. Omnino est proportio inter sacrificia Iudæorum, & prædicationem Euangelij in N. T. vt patet ex Roman. 15. 16. Nam per illam non Christus sacrificatur, sed nos ipsi, Deo sacrificamur; quatenus verbi Dei gladio spiritualiter mactati, Deo consecramur, & (vt apostoli verba vsurpamus) nostri oblatio fit accepta, sanctificata per spiritum sanctum. Quod spectat quod idem apostolus 2. Timoth. 2. monet, doctorem verbi debere *ὁρδομεῖν* verbum Dei. Quæ metaphora procul dubio sumpta est à ritu sacerdotum secantium victimas. Porro nisi esset proportio inter cultum V. & N. T. propheta in prædictionibus suis de Ecclesiã N. T. non toties alluissent ad ceremonias legales: Et hæc proportionem clarè ponit nobis ob oculos *Ephes. cap. 6. 6.* vbi prædicit fore, vt veri Israelitæ offerantur Deo tanquam oblatio *Mincha*, idque Hierosolymæ super montem sanctum Domini. Est itaque elegantissima proportio inter cultum legalem V. T. & cultum spiritualem N. T. cuius pars est prædicatio Euangelij, itemque administratio sacramentorum. At hæc proportionem non obseruant aduersarij: quia Missa ipsis est sacrificium externum, qualia fuerunt sacrificia V. T. & qualia non esse debent sacrificia N. T. post mortem Christi, vnicum illud *καταλαβόντων* omnium sacrificiorum. 2. Est optima connexio: Sacerdotes Mosaici offerunt mihi panes pollutos &c. hoc est, cultum meum contaminant, dum non obeunt eum ex præcepto legis. At in N. T. prædicabitur euangelium inter ethnicos, qui non erunt contemptores euangelij, sed cultu isto rite defungentur ex præcepto meo. Seu Sacerdotes Mosaici offerunt mihi victimas pollutas: at Christiani præcones euangelij offerent mihi sanctam & impollutam hostiam, quando Gentes mactabunt cultro Legis, & illas odore Euangelij refocillatas mihi offerent. 3. Missa non est victima sancta & impolluta: vt pote quæ aduersatur verbo Dei. 4. Est non omnes in N. T. prædicant euangelium: tamen hoc sacrificium ad omnes pertinet. Nam prædicatio euangelij includit theoriam & praxin, quatenus ex auditu oritur fides. Itaque prædicatio euangelij est oblatio munda, quatenus proficitur à pastoribus, & acceptatur ab auditoribus corde fidei & mundo. 5. Prædicatio euangelij synecdochicè complectitur ipsi lectionem, meditationem, collationem, &c. 6. Irenæus, Augustinus, & alij sancti Patres, locum Malachia interpretantur de prædicatione sanctorum, eamque dicunt esse purum illud sacrificium.

7. Veteres nonnulli ad Eucharistiam hunc locum accommodarunt, respectu spiritualium sacrificiorum, quæ in cœna Deo offerimus, scilicet fidei orationis, gratiarum actionis &c. 8. Priorum opera, licet in se ex parte immunda sint: tamen oblata Deo in Christo munda dicuntur. *1. Timoth. 2. 8.* & apostolus *Hebr. 13.* docet, his talibus hostijs Deum *σεβασθῆναι*. 9. Oblatio Iudæorum ex parte rei oblata non erat immunda per se, sed quia non offerebatur secundum legem. Nam cultus Dei, exhibitus secundum verbum ipsius, per se est mundus. 10. Nos offerimus Deo rem mundam, quando Christum in ara cordis offerimus vera fide, & eundem in Eucharistia offerimus repræsentatiuè. 11. Sane oblatio N. T. quæ fit à Gentibus, est noua; quia opponitur vmbri veteribus, & extendit se per vniuersum orbem.

XXIII. *Tertia classis* apud Bellarminum habet testimonia quædam ex ipso Euangelio: vbi figuræ & vaticinia, hæcenus commemorata, iam impleta narrantur. Horum *primum* est *Iohan. 4. 19. ad 25.* vbi dicuntur veri adoratores, hoc est, Christiani, in Spiritu & veritate Patrem adoraturi, hoc est, Spirituale Christi sacrificium, per typicam illam præfiguratum, & proinde externum & reale, Deo oblaturi. Hic enim de externo & publico Dei cultu ex professo agitur, hoc modo. Nomen *adorationis* non sumitur pro simplici adoratione, quæ poterat vbiq; fieri, sed pro sacrificio, quod non poterat vbiq; offerri, sed apud Samaritanos in monte Garizim; apud Iudæos in templo Hierosolymitano. Eodem sensu sumitur *Gen. 22. 5.* Item *Iohan. 12. 20. Act. 8. 27.* Vbi fit mentio illorum, qui ex longinquis regionibus venerant Hierosolymam, vt ibi adorarent, h. e. sacrificarent: quia ibi erat locus sacrificij. Deinde ex circumstantijs textus hoc idem patet. Nam Samaritana, videns Christum esse prophetam, proponit illi quæstionem de schismate Iudæorum & Samaritanorum: Vtri rectius facerent ac sentirent, Samaritani, qui offerebant in monte Garizim, an Iudæi, qui contendebant, non ibi, sed in templo Hierosolymitano, offerri oportere? Christus dupliciter respondet. 1. de loco. 2. de modo. De loco sic: *Veniet hora, quando neque in monte h. e. neq; in Hierosolymis adorabitur.* Quasi dicat: Qui erunt deinceps Christiani, neque in hoc monte, neque in templo Hierosolymitano tantum, sed in omni loco offerent sacrificium. De modo sic: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate:* id est, Iudæi non offerunt sacrificium in Spiritu, sed secundum externam ceremoniam. *Cor autem longe est à me.* Samaritani non offerunt in veritate, quia non offerunt vero Deo, sed idolo: *Vos adoratis, quod nescitis.* At Christiani qui erunt veri adoratores, offerent sacrificium vero Deo, cum interna mentis deuotione. Sic Becanus: satis acutè. *Resp. deo. 1.* Non concluditur quæstio. Quæritur enim de sacrificio externo & reali. Conclusio autem est de sacrificio, quod offerunt veri adoratores, vero Deo, cum interna mentis deuotione. Hanc conclusionem nos concedimus. 2. Retorquemus argumentum in aduersarios. Iudæi & Samaritani obulerunt sacrificia externa, illi legalia, isti idololatrica. Itaque Christiani neutra debent offerre. Non externa; quia Christus cultum legalem antiquauit, & substituit cultum nouum. Non idololatrica; quia vt sacrificia legalia sunt propria Iudæorum, ita idololatrica, gentium. Iam vero Missa est sacrificium legale & idololatricum. Legale; quia est externum, quale non conuenit cum statu N. T. Idololatricum; quia fabricat Christum nouum, cumque includit speciebus panis & vini, ibique hoc idolum adoratur. 3. Locus *Iohan. 4.* loquitur de adoratione directè, indirectè de vniuerso cultu, adeoque etiam de sacrificijs. Idem est iudicium de loco *Iohan. 11. & Act. 8. 4.* Locus *Gen. 22.* proprie significat, *incuruare se.* At hoc non est sacrificium offerre. 5. Summa huc redit. Christus *Iohan. 4.* distulit de discrimine V. & N. T. adeoque agit de Spirituali, non autem de corporali & externo cultu: ac proinde non stabilis, sed tollit sacrificium Missæ, vt potè quod postliminio reuocat apparatus ceremoniarum Leuiticarum.

XXIV. *Secundum testimonium ex Euangelio*, est *Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.* vbi iussit nos Christus id ipsum facere in S. cœna, quod prior ipse fecerat. Ipse vero se victimam realiter obtulit: tum, quia Melchisedeci typum sic impleuit; tum, quia in præsentia, corpus suum pro nobis frangi, & sanguinem reuera iam tum effundi. Item, quia apostolus ait, corpus Christi, pro nobis fractum, illic vere distribui, *1. Corinth. 10.* At corpus Christi non in cruce, sed tantum in specie panis, fractum est, *Iohan. 19.* Denique, quia calix ipse pro nobis effusus esse dicitur, *Luc. 22.* Id quod non nisi de sanguine Christi, in calice illo realiter præsentate, intelligi potest.

XXV. Multa hic accumulatur, quæ distinctè videbimus. *Primum argumentum* est eiusmodi. Quod Christus fecit in S. cœna, id nos iussit facere: & id debemus facere. Atqui Christus seipsum victimam illic obtulit. Ergo. *Minor probatur primo ex typo Melchisedeci:* quia Christus illum impleuit in Eucharistia. Sed nos paulo ante probauimus, Christum impleuisse typum Melchisedeci, non instituendo Eucharistiam, sed seipsum pro nobis offerendo in ara crucis: vbi factus est cibus & potus noster, vera fide percipiend. Deinde verbo illo: *Hoc facite:* nõ directè de integra institutione Eucharistie, sed de acceptione, comestione, & bibitione symbolorum loquuntur: etsi interim verum est, nos debere facere, quod Christus fecit. *Secunda probatio minoris* ita habet. Quidquid Christus enuntiat in sacra Eucharistia, verbo temporis præsentis, illud de actu præsentis, & non demum futuro, intelligendum est. Atqui traditionem sui corporis, siue, vt Paulus appellat, fractionem, & fusionem sui sanguinis, Christus enuntiat in S. Eucharistia, verbo præsentis temporis: *Trahitur frangitur, effunditur.* Ergo traditio corporis Christi, siue fractio, & effusio sanguinis eius, de actu præsentis, & non demum futuro, intelligenda est: & per consequens, in Missa est sacrificium proprie dictum.

Resp. 1. ad propositionem. Scriptura sæpe res futuras per enallagen describit verbis præteriti vel præsentis temporis, ppter certitudinem: vt in prophetis videre est, de regno Christi vaticinantibus: Sic Christus *Iohan. 10. 15.* Ego, inquit, pono animam meam pro ouib. *Ioh. 14. 41.* Nunc clarificatus est filius hominum. *Lu. 22. 2.* si *9* hominum vadit, &c. 2. ad assumptionem Christi per enallagen temporis, quæ diximus, loquitur de futuro, tanq; præsentis: videlicet, tum ob euidenciam rei certitudinem, tum ob spirituales & efficacem veræ fidei naturam, quæ res certo futuras, perinde vt præteritas, efficaciter apprehendit. Loquitur itaque Christus in præsentis tempore, in primis quia iam venerat hora, *Iohan. 17. 1.* & factum erat quoddam initium passionis per Iudam Iscariot, qui iam tum Iudæis fuerat pollicitus Christi prodicionem. Quo respexit apostolus *1. Corinth. 11.* quando scribit, in ea nocte, qua traditus fuit, Christum

instituisse S. cœnam. Quid? quod vetus interpres Latinus legit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *1. Corinth. 11. 24.* Et, Hic est calix, nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Quam lectionem in futuro tempore etiam sequitur Canon Missæ, in posteriore parte. Non autem illa verba habentur in consecratione, sed omittuntur, quasi ad rem nihil facientia. Quod malè conuenit cum hoc argumento Bellarmini & Pistoris. *Tertia probatio minoris* sequitur. Si corpus Christi fractum distribuitur in communionem S. cœnæ, oportet prius immolari, quam distribui. Antecedens est, iuxta apostolum. Ergo & consequens: & vi consequentis Missa est sacrificium.

Resp. deo. Consequentia non tenet: quia nititur falsâ hypothesi, corpus nempe Christi distribui realiter, hoc est, corporaliter. Verè distribuitur: sed in sacramento, & quidem vel significatiuè seu sacramentaliter tantum, vt distribuitur etiam hypocritis, vel simul etiam Spiritualiter, vt distribuitur solis credentibus. Distribuitur, inquam, fractum, hoc est, olim in ara crucis vulneratum. At quomodo apostolis in prima cœna fuit distributum? Tum enim nondum fuit fractum in cruce. *Resp.* Distributum fuit ipsis, vt iam iam frangendum, adeoque quasi iam fractum. Imo iam tum quoque fractum fuit sacramentaliter. *Quarta probatio* est talis. Lucas affirmat *συνεσθαι ἐκ ζωῆς αἵματος.* Itaque hoc est accipiendum proprie de sanguine. *Resp. deo.* Imo vero proprie de vino, improprie de poculo, improprie & mystice de sanguine oportet accipere. Nam vinum in poculo iam tum fundebatur realiter, & sanguis Christi sacramentaliter, id est repræsentatiuè.

XXVI. *Tertium argumentum ex Euangelio* est: Quia apostoli in prima cœna ipsum corpus Christi, vt cibum victimalem verè perceperunt: ac proinde non vt postea immolandum, sed vt vere iam immolatum, ibidem præsens esse agnouerunt. Non enim est victimalis cibus, vbi victima nondum est oblata. *Resp. deo. 1.* Hoc argumentum nititur illa hypothesi quod corpus Christi oraliter manducetur in S. cœna. Sed illam falsitatis conuictum supra. 2. Corpus Christi fuit cibus victimalis, repræsentatus partim in conuiuio paschali, partim in conuiuio eucharistico: quia vtrobique Christus verè fide fuit manducatus, sacramentaliter mactatus in agno paschali, & sacramentaliter fractus in pane eucharistici. Fides enim apprehendit futurum, vt iam præsens.

XXVII. *Quartum testimonium ex Euangelio* est: Quia ipsa consecratio, per quam corpus & sanguis Domini, velut à se inuicem diuisa, realiter in altari sistuntur, & ad cibum potumque ordinantur, quædam vera immolatio est. Ergo in Missa est realis & verè Christi oblatio. *Resp. deo.* Consecratio est sacramentalis: & proinde non sinit corpus & sanguinem Christi in pane & vino realiter, id est, corporaliter: sed ea sinit in Eucharistia legitimo vsu spiritualiter fruenda. Qua de re supra.

XXVIII. *Quintum testimonium ex Euangelio* est eiusmodi: Verbum *facere* sæpissime significat sacrificare; & imprimis vsurpatum de agno paschali: vt *Exod. 29.* *Hoc est, quod facies in altari: agnos anniculos per singulos dies iugiter.* Num. 28. *Agnum unum facies mane.* Matth. 26. *collato cum Marc. 14.* Scitis quia post biduum fiet pascha, hoc est, immolabitur, interprete Marco. Ergo etiam in S. cœna significat sacrificandum esse. *Resp. deo. 1.* Significatio verbi *facere*, vt & Hebraici *פָּעַל*, admodum generalis est: de qua statuendum est ex subiecta materia, de qua agitur, & adiunctis vocabulis: vt patet ex illo Virgilij Eclog. 3.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

Hic & subiecta materia, & adiuncta vocabula homonymiam verbi *facio* restringunt. Ita verbum *פָּעַל* sæpe solet ad sacrificia referri: quia non tantum significat, facere, sed etiam, aptare, & rite aliquid componere: & propter hanc posteriorem significationem, sæpe infert ipsos ritus ex lege Dei in facris adhiberi solitos: ita tamen, vt huius verbi generalis sit significatio; neque sit ad vocabulum sacrificandi restringendum. Hoc autem perspicuum est ex ipso loco Num. 28. quem citant: *Facies oleo, unum agnum mane, & alterum vespere: decimam partem simluginis oleo mixtam.* Vbi repetendum est verbum *Facies* *דֹּם נְדִיבִיבֹב.* Nam agnus quidem mactabatur siue sacrificabatur: sed id simlagini minime conuenire, manifestum est. Illic igitur *פָּעַל* significat mactare: hic vero, simpliciter offerre. 2. Perit illud argumentum in Græco sermone, vbi habetur *ποιῆν.* Scripserunt autem Græcè apostoli, non Latine. Neque est quod dicant, hic esse Hebraismus. Id enim probari non potest. 3. Elenchus est à particulari: Sæpe ita significat: Ergo etiam hoc loco. 4. Est ignoratio elenchi. Duplicem enim aduersarij affingunt significationem vni verbo, in eadem propositione simplici. Facite, inquit, hoc est, sacrificate. Et rursum: Hoc facite (id est, efficit) quod me fecisse videris: vt paulo antè §. 24. vidimus. 5. Est repetitio principij. Est enim quæstio: An Christus sacrificauerit in Eucharistia? Affirmant illi: Quia dixit ad discipulos, Hoc facite. Facere autem est sacrificare. Rursum, quæstio est: An facere hic sit sacrificare? Affirmant iterum: Quia Christus sacrificauit. Qui circulus vtiq; vitiosus est. 6. Est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim absolute Christus dixit, Facite: sed, Hoc facite. Quibus verbis iussit nos accipere, edere, & bibere sacra symbola rite administrata adeoque huic sanctissimo instituto plane adherere, ab eo que ita pendere, vt nullis hominibus, quicunque tandem ij sint, miscere liceat sua commenta, quibus illius puritas vilo modo corrumpatur. 7. Christus apud Lucam ait: *Hoc facite in mei recordationem.* Ergo in prima Eucharistia fuit recordatio sacrificij Christi inuenti, iam ante facti. At hoc absurdum. Quia intelligit recordationem ad hoc futurum, & quidem cruenti sacrificij. 8. Argumentum aduersariorum vrgemus & hoc incommodo. Si in verbis *Hoc facite*, *facere* significat sacrificare; & *Hoc* ad actiones Christi referendum est, tum circa panem, tum circa calicem (vt ipsi concedunt) ergo actiones Christi sunt sacrificanda. 9. Retorquemus hoc argumentum: Si Christus iussit nos facere in communionem Eucharistie, quod ipse fecit, nullum externum sacrificium ibi à nobis est faciendum. Christus enim nullum ibi sacrificium fecit. Item, si *facere* significat sacrificare: ergo nullum est in Missa sacrificium. Sic enim Christus commemorante Paulo: *Hoc facite, quorsicumque biberitis ad mei recordationem.* Atqui in Missa nulla est communi, præsertim calicis. 10. Addamus & hoc incommodum: *Hoc*

facite, quotiescunque biberitis, ait Paulus: Ergo sacrificatur inter bibendum. Atqui affirmant illi, transubstantiationem fieri ante manducationem, & bibitionem, imo etiam sæpe nulla vel manducatione vel bibitione accedente vel sequente. Excipiunt 1. τὸ Facite significat continuationem, seu actum continuum, atque ita notat iuge sacrificium, quod respondeat typico illi in V. T. Vno continuo & durabili actu fuit celebratum pascha Judaicum, & instituta cœna Dominica.

Respondet. 1. Si Missa est iuge sacrificium in significatione propria, utique est sacrificium Judaicum. 2. Iugi sacrificio Judaico apud Christianos respondet spirituale sacrificium, quale convenit Ecclesiæ N. T. 3. Particula Facite notat continuationem & repetitionem Eucharistiæ: illam ad finem usque seculi; hanc, ad dies vitæ cuiusque Christiani. Vbi & illud profuerit oblatum, quosdam in veteri ecclesiâ quotidie celebrasse hoc sacramentum: non ut iuge sacrificium V. T. postliminio reuocarent, sed ut memoriam sacrificij Christi recentem conferrent. 4. Fingunt illud & ψυδοργεῖν de vno fere durabili actu celebrationis paschæ, & institutionis S. cœnæ, refutant Evangelistæ, his verbis: ἡ τὸ δειπνῆσαι. Et vero oppositorum non potest esse vnus continuus actus. Atqui agnus paschalis & cœna opponuntur sicut delineatio rudis & expressa imago, seu tanquam sacramentum V. & N. T. hoc est, tanquam id quod interit seu antiquatur, & id quod succedit in locum illius. Quare fieri non potest ut vno continuo durabili actu hæc duo sacramenta à Christo fuerint celebrata. Nam alterum fuit antiquatum, alterum in eius locum fuit surrogatum.

XXXIX. Sextum, & vltimum, testimonium ex Evangelio ita proponunt. Si quod fieri iussit Christus his verbis, Hoc facite in meam commemorationem, id fieri imperavit ad oblationem in cruce factam commemorandam ipsius facti similitudine, & hoc fieri non potest nisi per solam oblationem: Ergo Christus imperavit ut sacrificium externum offerremus. Verum est antecedens. E. Respondet. 1. Commemoratio mortis Christi in Eucharistia fit duobus modis: videlicet annuntiando, id est, prædicando, & repræsentando mortem Christi. At illa repræsentatio non fit per oblationem, sed per panis fractionem, & vini fusionem. Eodem enim modo debemus nobis in memoriam reuocare mortem Domini in Eucharistia, quo hoc facimus in baptismo. Roman. 6. Coloss. 2. At hoc ibi fit similitudine sacramentali, non vero aliqua oblatione reali. 2. Argumentum hoc ita retorquemus. Si in Missa fit oblatio similis oblationi Christi: Ergo non est illa ipsa oblatio: quod tamen illi affirmant. Rursus, si Christus præcepit ut oblationem quam ipse fecit in cruce pro nobis, facti similitudine in memoriam reuocemus: Ergo Missa non est ex præcepto Christi instituta: quandoquidem nihil est in Missa, quod vllam cum passione Christi similitudinem habeat. 3. Denique adigimus aduersarios ad incommoedum hoc. Si simile sacrificium fieri necesse est in Missa, ut sacrificium Christi in cruce factum significetur: Ergo nullum aliud signum est, quam sacrificium. At hoc absurdum: quia signum latius patet quam sacrificium.

XXX. Quarta classis locorum Scriptura sacra adducit locum vnum ex Actibus apostolorum: vbi cap. 13. vers. 2. Paulus, & alij ipsius collegæ, dicuntur Deo solemniter ministrasse, hoc est, sacrificasse. Nam verbum λειτουργεῖν cum ad sacra officia refertur, vltimate significat sacrificare: prout Luc. 1. Hebr. 8. & 9. & 10. videre est: præsertim cum Deo nec concionari, nec sacramenta administrare seu distribuere &c. quisquam possit. Ergo apostoli sacrificium Missæ obtulerunt. Pistorius hoc argumentum ita expolit. Cum Lutherus dicat, in sacrificijs nos dare aliquid Deo, in sacramentis autem à Deo accipere: necesse hic est intelligi sacrificium, quia dicuntur apostoli Deo ministrasse. Non est autem aliud in Ecclesiâ N. T. sacrificium, quam Missa.

Respondet. 1. λειτουργεῖν est publico munere fungi: & proinde ex loci circumstantia exponendum est. Habet enim significationem modulationem, modo strictiorem, siue de politicis, siue de diuinis rebus vsurpetur. Itaque λειτουργεῖν prima notione est opus facere publicum, vel publicè. Apud Græcos scriptores, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & alios, λειτουργεῖν, est publico præstare, vel operam, vel pecuniam. Dicitur λέγειν, etiam ille, qui artem aliquam exercet, aut negotium curat, ex quo ad publicum redit aliqua utilitas. Vide si placet, Paratitla nostra theologica ad hanc vocem. Apud LXX. Interpretes passim vox λειτουργεῖν, quæ cultum Dei significat, vertitur λειτουργεῖν. Apostolus Roman. 16. 27. per λειτουργεῖν ἐν τῷ ἁγίῳ, ministrare alicui in rebus carnalibus, intelligit id ipsum, quod Aristoteles vocat λειτουργεῖν τὰς οὐσίας, inferu re præbendam pecuniam. In epistola ad Philippenfes non multo aliter vsurpantur λειτουργεῖν & λειτουργεῖν, de officijs priuatis Paulo exhibitis. Alibi λειτουργεῖν dicitur, qui operam Deo, aut officium pietatis vel ministerij, qualecunque sit illud, præbet. Ita vsurpatur de angelis, Hebr. 1. 14. de Christo, Hebr. 8. 2. de magistratu, Roman. 13. 6. Apud Chrysofostomum vsurpatur de quouis fideli, vitam pie insititente, sermon. 3. in Annam. Peculiariter tamen vnus ecclesiæ vocem communem attribuit ministerio & cultui, qui est circa mensam Domini. Ab hac ratione dictæ sunt λειτουργεῖν, descriptiones quædam ordinis seruandi in sacris celebrandis: cuiusmodi sunt, quæ hodie circumferuntur sub titulis partim veris, partim falsis, Petri, Iacobi, Andrea, Basilij, Chrysofostomi, & similes Liturgiæ: quas Latini vocant Ordinem agendi: Agenda. & Officium. Ex his efficitur, locum illum Act. 13. 2. λειτουργεῖν, quem vetus interpres recte vertit, ministrantibus, male à Baronio in annum 83. verti, sacrificantibus. Vox enim ea ibi notat diuinum officium, ita ut hic sit sensus: Ministrantibus illis Domino, hoc est, cum vacarent rebus diuinis, prædicarent, siue docerent alios Evangelium, interpretarentur Scripturas, teiunarent, administrarent sacramenta, precarentur, &c. Nam qui id agunt, omnino Domino ministrant, à quo id officij eis est impositum. Frustra itaque est vsus illa, nos non posse concionari Deo, vel ipsi distribuere Eucharistiæ: itaque τὸ λειτουργεῖν non posse accipi de his officijs sacri partibus. Est enim hæc officia non præstantur Deo insititendo ipsum, tamen reuera præstantur ipsi, honorando seu colendo ipsum. Et hoc modo supra diximus Roman. 15. 16. λειτουργεῖν ἐν εὐαγγελίῳ, esse idem, quod fungi ministerio prædicationis Evangelij: quia hoc etiam modo sacrificatur Deo, id est, ipsi offeruntur homines. Ita idem apostolus Ephes. 2. meminit λειτουργεῖν fidei. 3. Quia Actuum 13. numero plurali dicitur, λειτουργεῖν αὐτῶν, plane non potest hoc accipi de Missa: nisi aduersarij velint dicere plures missifices ibi simul sacrificasse. Ac-

cipiant itaque nobiscum de publica verbis, sacramentorum, precum &c. λειτουργεῖν: vbi plures simul possunt ministrare. 4. Bellarminus satis crasse errat, quando libro primo de Missa c. 13. ait: Cum accommodatur hoc verbum (λεειτουργεῖν) ad sacra, & absolute ponitur in Scripturis, vbi que ponitur pro sacrificare. Itane vero? At Luc. 1. 23. λειτουργεῖν non est sacrificium, sed generalis vox, quæ complectitur omnia ministeria à Leuitis aut sacerdotibus præstari solita, cum obibant suas vices. Adde, quod Lucas ibi loquitur de cultu Judaico. Similiter epistola ad Hebræos ijs locis, quos indicat Bellarminus, quosque paulo ante ex ipso citauimus. Idem Bellarminus initio lib. 1. de Missa scribit, vocabulum λειτουργεῖν à Patribus Græcis vix aliter accipi, quam pro ministerio sacrificij Eucharistiæ. At Chrysofostomus commentarijs in Acta, λειτουργεῖν exponit κηρύττειν, prædicantibus. Idem in Psalm. 4. cantum psalmorum, etiam in domo priuata, & ad mensam, appellat κηρὴν λειτουργεῖν. In canonibus etiam Concilij Ancyranij λειτουργεῖν, siue ἐργασίαν λειτουργεῖν, commune nomen est omnium sacrarum functionum, quæ obeuntur ab episcopo vel presbytero, ut ἀποφύγειν, κηρύττειν, ὄψασθαι, πρᾶξις, &c. 5. Si maxime λειτουργεῖν significaret sacrificium in locis adductis, quid hoc ad Missam? Habemus enim in N. T. non aliquam λειτουργεῖν Moisaicam, sed Christianam: λειτουργεῖν, inquam, prædicationis euangelij; λειτουργεῖν fidei, spei, charitatis, &c.

XXXI. Quinta & vltima, classis locorum Scriptura, habet dicta quadam ex Epistolis apostolorum. Bellarminus adducit vnicum illum, qui est 1. Corinth. 10. vers. 15. & seqq. Becanus isti loco addit eum, qui est Hebr. 7. 12. Alij plures habent. Nos ordine videbimus de singulis. Primus itaque locus est 1. Corinth. 10. vbi mensa Domini, non modo cum mensis Gentilium & Iudæorum, quæ vera erant altaria; sed & cum veris eorundem sacrificijs confertur: item societas, quam cum Christo habemus, ex manducatione Eucharistiæ, cum societate illorum, quam cum suis sacrificijs ipsi habebant, comparatur: atque ita ostenditur, in mensa Domini verum, & reale sacrificium offerri. Hoc argumentum Beatus in Manuali lib. 1. cap. 10. ita proponit. In apostolo Paulo habemus duo illustra loca pro sacrificio Eucharistiæ. Alter est 1. Corinth. 10. 15. Hic agnoscit apostolus triplicem mensam, seu triplicem altare. Vnum, in quo gentiles sacrificant idolis seu dæmonijs. Alterum, in quo Iudæi offerunt Deo victimas ex animalibus. Tertium in quo Christiani offerunt corpus & sanguinem Christi, sub specie panis & vini. At quorsum? vult probare, Corinthios debere abstinere ab idolothytis, id est, à carnibus, quæ idolis seu dæmonijs sunt oblata. Hoc sic probat. Qui comedit de victimis, quæ in altari idololatriæ immolatae sunt idolis, fit particeps altaris seu sacrificij idololatriæ, & consequenter est cultor idolorum, seu dæmoniorum. Sed vos, cum sitis Christiani, non debetis esse participes altaris, seu sacrificij idololatriæ, neque cultores idolorum. Ergo non debetis comedere de victimis, quæ immolatae sunt idolis. Maiorem probat à similibus; & vtitur duplici exemplo: altero Christianorum, altero Iudæorum, hoc modo. Christiani, qui sumunt de corpore & sanguine Christi, sunt participes altaris seu sacrificij Christi. Et Iudæi, qui comedunt de victimis Moisaicis, sunt participes altaris seu sacrificij Moisaici. Ergo similiter, qui comedunt de victimis quæ immolatae sunt idolis seu dæmonijs, sunt participes altaris seu sacrificij idololatriæ. At nemo potest esse simul particeps altaris Christi & idolorum. Ergo si vultis esse participes altaris Christi, debetis abstinere ab altari & sacrificio idolorum: aut si ab hoc non abstineteis, non potestis esse participes altaris Christi. Hic est discursus apostoli, ex quo patet, non minus apud Christianos, quam apud Iudæos & Gentiles esse altare, sacrificium, & participantes de sacrificio: Et quidem sacrificium Christianorum consistere in oblatione corporis & sanguinis Christi, sub specie panis & vini. Hoc enim expresse significat apostolus, cum ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Ita Becanus. Respondet. 1. Apostolus demonstrat, Corinthios bona conscientia non posse esse participes conuiuium idololatriæ: quippe qui participes esse soleant cœnæ Domini: quod argumentum est à contrarijs: quia cœna Domini testatur communionem cum Christo, & est illius procuranda medium in credentibus: conuiuium autem idololatriæ testatur communionem cum diabolo, & sunt illius medium in non-credentibus siue infidelibus. Itaque allegat ritum cœnæ Dominicæ, partim tanquam testimonium & argumentum, partim tanquam medium efficacis huius communionis, quam soli fideles habent cum Christo. 2. Argumentum suum apostolus primo tractat tanquam simile, deinde tanquam contrarium. Tanquam simile, ad hunc modum. Qui participes sunt cœnæ Domini, eo pacto profitentur se communionem habere cum Christo. Ergo etiam qui participes sunt conuiuium idololatriæ, eo facto se profitentur habere communionem cum diabolo, vers. 16. 17. Hoc argumentum amplificat alio simili argumento: Israelitæ, qui edunt victimas, participes sunt altaris, id est, religionis Iudaicæ, & quidem vel externe tantum, seu ἐν τῷ φανερῷ, vel etiam simul internè, seu ἐν τῷ κρυπτῷ, ut loquitur apostolus Roman. 2. Ergo etiam Christiani, qui edunt victimas idolis immolatas, participes sunt altaris idolorum, id est, idololatriæ, idque etiam vel externe tantum: vel etiam simul interne, v. 18. Porro ad alterum argumenti genus transit per prolepsin, v. 19. Cum enim argumentatus esset à cœna Domini, & victimis Israelitarum, ad victimas idolorum, tanquam à pari; poterat videri vim aliquam numinis tribuere idolis. Hoc igitur negat, & contra affirmat, quæ Gentes immolant idolis, ea dæmonijs immolare. Ex qua sententia deinceps, tanquam à contrario argumentatur ad hunc modum: Qui participes sunt idololatriæ, participes sunt dæmoniorum, nam quæ immolantur idolis, immolantur dæmonijs, v. 20. Vos autem non debetis esse participes dæmoniorum, ibid. Ergo nec idololatriæ. Deinde hoc argumentum repetit ad hunc modum: Si mensa Domini participes estis, non potestis etiam participes esse mensæ dæmoniorum, v. 21. Estis autem participes mensæ Domini. E. Atque hæc est genuina huius loci expositio: quam fundamenti loco subternimus sequentibus responsionibus. 3. Apostolus vrget mysticam significationem Eucharistiæ: eoque finem & vsum illius, per exempla similia (quæ secundum militudo inter altaria, sacrificia, & participantes de sacrificio. 4. Apostolus non agit de altaribus ethnicorum, sed de eorum conuiuijs in honorem idolorum celebratis: quibus interesse Christianos vetat: quippe ipsius idolo-

latia appendicibus. Itaque cum poculi meminisset, statim addidit mensam, exegerit, ut se de ipsis ethnicorum conuiujs loqui testaretur. Agebatur enim de esu idolothorum, hoc est, eorum, quæ erant idolis, non sacrificanda, sed sacrificata. Porro vocabulum poculi expendendum est. *Non potestis*, inquit, *poculum Domini bibere & poculum demoniorum*. Ethnicos autem in suis altaribus bibisse, ne quidem fando auditum est: hoc enim peractis sacrificijs faciebant. Vnde *Athenaus lib. 2. p. 100. c. 1.*, quali *μὲν τὸ θεῖον*, dictum existimat: eo quod postquam sacrificauerant, solent in solemnibus illis conuiujs ebrietati indulgere. 5. Si mensa apud Paulum altare significat (ut volunt aduersarij, & Paulus ad totam Corinthiorum Ecclesiam scripsit (ut manifestum est) ergo tota Ecclesia priscis illis temporibus cœnæ Domini sub utraque specie (ut vulgo dicitur) communicare est solita: & proinde altare illud, pro quo aduersarij tantopere gloriantur, non fuit proprium presbyterorum. 6. Nulla est consequentia: Si mensa demoniorum significat altare, ergo & per mensam Domini intelligitur altare. Potest enim idem vocabulum variè acceptum, ad res diuersas significandas adhiberi; ut vicissim res eadem varijs nominibus significatur, alio atque alio respectu. Sic altare vocant Pontificii, quatenus opinantur se sacrificium reale facere: quatenus autem sacrificulus illic comedit & bibit, certè hoc respectu mensam dicendam esse fateantur necesse est. 7. Si Christiani habent altare & sacrificium proprie dictum, ut Iudæi: iam Christianismus est Iudaismus. 8. Prior conclusio Becani conceditur tota rectè intellecta: Ex quo patet, non minus apud Christianos, quam apud Iudæos & Gentiles esse altare, sacrificium, & participantes de sacrificio. Nimirum altare nostrum est Christus, idemque est sacrificium, nempe propitiatorium. Rursus, altare nostrum est cor, vera fide apprehendens sacrificium Christi: & calicem esse communicationem sanguinis Christi: perperam ex illis apostoli verbis deducitur. Hæc enim est Pauli sententia: Qui manducat panem hunc, & bibit calicem hunc, secundum ordinem à Christo institutum, id est, ad memoriam mortis ipsi, fit *ἁγιασμός* corporis & sanguinis Christi. Hoc patet ex collatione ipsiusmet apostoli. Confer enim hanc communionem Christi in cœna cum communicatione altaris, hoc est, beneficiorum altaris, seu quæ promittebat Deus sacrificantibus in fide Christi. Qui edunt victimas, sunt *ἁγίασμοι* altaris; quod perinde est, ac si dixisset, Manducatio victimarum est *ἁγίασμος* altaris. Quid autem est *ἁγίασμος* altaris, nisi applicatio victimæ Christi, significata per illas victimas in altari oblatas, ad eos, pro quibus offerebantur, secundum promissionem, *Ad expiationem animæ ipsius proficiet*. Sicut ergo vetera sacramenta erant communio Christi exhibendi: sic noua sunt *ἁγίασμοι* eiusdem exhibiti. Et sicut idem valent hæc locutiones: Qui edunt victimas, sunt *ἁγίασμοι* altaris, & Victimæ vel esus victimarum est *ἁγίασμος* altaris: ita idem valent istæ, Panis fractus, & vinum haustum, est *ἁγίασμος* corporis & sanguinis Christi, & Qui sumunt hunc panem, & hoc vinum, sunt *ἁγίασμοι* corporis & sanguinis Christi: Et quemadmodum edentes de victimis, non erant *ἁγίασμοι* altaris, nisi credentes: sic, edentes panem, non sunt *ἁγίασμοι* corporis Christi, hoc est, mortis Christi, adeoque membra ipsius, nisi credentes. Denique quemadmodum edentes de victimis, erant præditi fide vel historica, vel saluifica, & illi erant *ἁγίασμοι* altaris communionem sacramentali seu externa tantum, hi communionem & externa seu sacramentali, & interna seu spiritali: sic etiam edentes panem & bibentes vinum Eucharisticum in duas diuisi sunt classes.

XXXII. *Secundus locus est Hebr. 7. 11.* Translatio sacerdotio, necesse est, ut & legis fiat translatio, inquit apostolus. Vbi sub nomine sacerdotij comprehenditur etiam sacrificium, & per legem intelligitur lex diuini cultus. Est ergo hic sensus verborum apostoli: Sacrificium & lex cultus diuini ita connexa sunt, ut vnum sine altero esse non possit: & vno translato, alterum quoque transferrî necesse sit. Vnde sicut triplex est lex, quæ præscribit diuinum cultum: vna naturalis, ab Adamo vsque ad Moysen; altera Mosaica, à Moysen vsque ad Christum; tertia euangelica, à Christo vsque ad finem mundi: ita triplex debet esse sacrificium: vnum, quo colitur Deus iuxta legem naturalem; alterum, quo colitur iuxta Mosaicam, tertium, quo iuxta euangelicam. Et quotiescunque lex diuini cultus mutatur, toties sacrificium mutari necesse est. Sic Becanus. *Respondet. 1.* Quod attinet ad rem ipsam, nemo nostrum hæcenus negauit sacerdotium & sacrificium noui testamenti. Hæcenus itaque procedit argumentum. Christus enim est vnicus æternusque N. T. sacerdos: eiusque sacrificium in cruce peractum, est vnicum, verum, reale, ac proprium N. T. sacrificium, ad Christi æternum sacerdotium relate dictum. 2. Itaque non sequitur: Sialiquid est N. T. sacrificium: idcirco in Missâ fieri verum & externum sacrificium. Hoc enim est de quo inter nos queritur. Est itaque petitio principij, & fallacia consequentis. Sed *Becanus e. c. p. 11.* Sicut homo constat duplici parte, nempe animo & corpore: ita lex præscribit illi duplicem cultum, quem tenetur Deo exhibere: vnum internum, alterum externum. Internus consistit in actu fidei, spei, timoris, dilectionis: externus, in solo sacrificio. Nam reliqui externi cultus, quicumque illi sunt, possunt etiam hominibus exhiberi. Solum sacrificium peculiariter institutum est ad colendum Deum. Eo igitur sublato, nihil reliquum est, quo Deum speciali ratione colamus. Hinc sequitur, legem, quæ præscribit externum cultum Dei, non alium præscribere, nisi sacrificium, quia nullus alius est. Deinde eiusmodi legem nec mutari, nec abrogari, nec restaurari posse, nisi mutato, aut abrogato, aut restaurato sacrificio. Hinc tandem ita concludo. Vbicunque est peculiaris lex & religio, ibi debet esse peculiare sacrificium, quo Deus ex præscripto illius legis colitur. Sed apud Christianos est peculiaris lex & religio, nempe euangelica, distincta à lege naturali & Mosaica. Ergo apud Christianos est peculiare sacrificium, quo Deus colitur, distinctum à naturali & Mosaico. At hoc non potest esse aliud, quam incruentum sacrificium Eucharistiæ! Ergo illud est. Maior patet ex dictis. Minorem proba: quia si aliud esset, maxime esset cruentum, quod semel in cruce peractum est. Sed hoc non est. Primo, quia illud à Christo, tanquam communi redemptore, pro omnibus oblatum est, tam pro ijs qui vixerunt in lege naturæ & Mosaica, quam qui viuunt in

euangelica. Pro omnibus enim mortuus est Christus. Sicut ergo præter illud, fuit aliud in lege naturæ, & aliud in lege Mosaica: sic etiam aliud est in euangelica. Et sicut sacrificium legis naturæ & Mosaicae erat typus seu figura futuri sacrificij cruenti, *Hebr. 10.* sic nostrum est imago seu representatio præteriti, *1. Cor. 11.* Secundo, quia lex diuini cultus debet obligare eos, qui subiecti sunt legi. Sicut ergo patriarchæ & prophetae, qui subiecti erant legi naturali & Mosaicae, non obligabantur Deum colere, nisi per sacrificia, quæ representabant futurum sacrificium cruentum: ita nos, qui subiecti sumus legi euangelicæ, non obligamur Deum colere nisi per sacrificium Eucharistiæ, quod representat præteritum sacrificium cruentum. Ergo signum est, quod lex diuini cultus, tam in veteri, quam in nouo testamento, non respiciat immediate cruentum sacrificium cruentum; sed potius alia sacrificia, quatenus illius, siue futuri, siue præteriti, representatiua fuerunt. *Respondet. 1.* Externus Dei cultus non consistit in solo sacrificio. Etenim religio sit inuocatio quæ fit conceptis verbis, iuramentum, sanctificatio sabbathi, & similia, sunt vique cultus Dei, & quidem externus: neque tamen sunt sacrificium externum & reale. Vnde & illud sequitur, falsum esse, reliquos cultus externos, præter sacrificium, posse etiam hominibus exhiberi. Et si enim Papistæ illa tria, quæ paulo ante commemorauimus, etiam sanctis angelis & hominibus transcribunt: tamen id faciunt idololatricè; quia gloriam soli Deo debitam partiuntur cum creaturis. Quod ita patet. Actus religionis, qui pertinent ad primam tabulam, occupati sunt circa solum Deum: siue illi actus sint interni, siue externi. 2. Itaque & illud falsum est, legem non præscribere alium Dei cultum externum, nisi sacrificium. 3. Si verum est, religionem Christianam habere peculiare sacrificium externum, non possunt illa apostoli: *si lex plana accedentes sanctificasset, nonne hostia desissent offerri, Hebr. 10.* Item: *Vbi est remissio, non esse amplius oblationem pro peccatis, ibid.* Item: *Vnica oblatione consummatos fuisse eos, qui sanctificantur, ibid.* Item: *Non ut sepe offerat seipsum, Hebr. 9.* & pleraque similia. 4. Si verum esset & necessarium, sacerdotes Papisticos esse veros sacerdotes, & in Missâ fieri externum & reale sacrificium, quia nouum testamentum non potest esse sine sacerdotio & sacrificio: sequeretur, solos Papisticos sacerdotes, esse veros sacerdotes N. T. & Missæ sacrificium esse solum N. T. sacrificium, nec vllum aliud posse reperiri. Quod si recipiatur, nec Christus esset sacerdos, nec eius sacrificium in cruce factum, esset sacrificium N. T. 5. Si Christus, æternus sacerdos secundum ordinem Melchisedeci nobis fuit exhibitus, mutauit, tum legem, tum sacerdotium legis, quod quidem externum erat, & sacrificijs externis, vnicum & perfectum Christi sacrificium representabat: certè ferendi non sunt, qui externum hodie sacerdotium, & externorum sacrificiorum vsum in Ecclesiâ reuocant. 6. Si verus sacerdotium translatum est, non in sacrificulos Pontificios, sed in Christum vnicum Ecclesiæ Christianæ Pontificem; & sacrificia legalia, in vnicum ipsius Christi sacrificium: ut in loco, quem præ manibus habemus, apostolus confirmat: certè locus hic apostoli ad euerendum, non ad stabilendum Missæ sacrificium accomodandus est. Quare huius loci à Pontificijs detortè corruptique nos ita verum sentum restituumus. Postquam Christus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci nobis fuit exhibitus; vnico illo sacrificio, quod in cruce pro peccatis nostris obtulit, verus sacerdotium & legalia omnia sacrificia abrogauit: eorum omnium substantia in Christo remanente. Vtigitur legale sacerdotium suam rationem, modum, ritum denique suos habuit: ita noui testamenti sacerdotium suam habet rationem, longe legalibus omnibus figuris præstantiorem. Nam in veteris testamenti sacerdotio plures fuere sacerdotes, iisdemque mortales, & plura sacrificia: at sacerdotij N. T. est, hæc est ratio & natura, ut vnus sit sacerdos, idemque æternus, nempe Christus: & vnicum sit, nempe Christi, sacrificium, quo semetipsum in cruce pro nobis obtulit, factus sacerdos simul & victima: cuius quidem sacrificij semel facti & nunquam iterandi perpetua est efficacia. 7. Quia est abrogatus cultus Leuiticus, & substitutus cultus euangelicus in N. T. valde absurdus est Becanus, quando hæret in eiusmodi sacrificio N. T. proprio, quod cum sacrificijs veteribus est plane idem substantia. 8. Cultus N. T. dicitur rationalis, *Roman. 12. 1.* Confer. *Hebr. 13. 15. 1. Petr. 2. 5.* nempe respectu cultus sacrificatorij in V. T. qui est veluti brutus & irrationalis, quatenus nempe fuit onerosus, operosus, pomposus. At ista omnia attributa cadunt in Missam, & ipsius apparatus. Ergo hic non est cultus proprius N. T. 9. Sacrificia ante legem non fuerunt alia sacrificijs legis: ut patet ex sacrificijs patriarcharum. Itaque falso asseritur, peculiarem legem tum temporis habuisse peculiare sacrificium. Fuit tum vnum idemque euangelicum, & vnum idemque sacrificium, cum euangelio & sacrificijs apud Moysen. 10. Tres sunt falsæ hypothese, quib. labefactis corruiere necesse est totum Becani discursum. *Prima* est: Legem præscribere non alium cultum Dei externum, nisi sacrificium. *Secunda*: Sacrificium Christi communiter pertinere ad statum V. & N. T. ac proinde non esse proprium N. T. *Tertia*: Sacrificium Christi in N. T. representandum esse sacrificio incruento. At ex ijs, quæ diximus, tres istæ hypothese facile confutari possunt. Nam cultus Dei in N. T. consistit in prædicatione euangelij, administratione sacramentorum, & sanctitate vitæ; ita nempe vt hæc in toto mundo, inter gentes, vigeant. Et hæc sunt sacrificia Deo accepta, & distincta à sacrificijs legalibus: totoque cultu populi Iudaici, si spectemus facilitatem, claritatem, amplitudinem, aliaque similia. Hoc itaque sensu conceditur prima hypothesis. At falsa est de sacrificio externo. Hoc enim non conuenit statui N. T. Deinde licet sacrificium Christi communiter pertineat ad statum ante legem, sub lege, & post legem, quantum ad efficaciam saluandi: tamen efficacia quædam peculiaris est propria N. T. quæ in eo vertitur, quod sacrificium Christi finem imposuit omnibus sacrificijs externis. Prior efficacia exprimitur isto dicto: *Mors Christi pro fuit, antequam fuit*. Posterior, illo: *Sanguis Christi sumpsit omnem sanguinem*. Tertia hypothesis conceditur de Eucharistia, quod illa sit sacrificium eucharisticum & representatiuum, adeoque incruentum, vti loquamur: negatur de representatione, quæ fieri debeat per sacrificium externum, propitiatorium, incruentum. Itaque Eucharistia hoc sensu erit sacrificium illud incruentum, 1. quia est commemoratio & representatio mortis Christi. 2. quia est gratiarum actio pro morte Christi. 3. quia est oblatio Christi, facta per fidem &c. Vide plura in hanc sententiam paulo post, vbi respondemus ad dicta Papum.

terpretandæ sint, iuxta illud *Augustini de baptismo contra Donat. lib. 2.* Adferimus diuinam stateram de Scripturis sanctis, & in illis, quid sit grauius, appendamus.

XLI. *Quarto* antiqui Patres, tametsi Eucharistiam subinde hostiam & sacrificium appellant, item oblationum, sacerdotum, & altarium, aliorumque similibus meminerunt: sæpe tamen diserte explicant, non de ipsa reali corporis Christi, proprie sic dicta, immolatione; sed vel de externa ipsius panis & vini oblatione, vel de eucharistica sacrificij Christi commemoratione, & symbolica quadam representatione, hæc intelligenda esse. Vide *traneum lib. 4. cap. 32. Cyprianum lib. 2. epist. 3. August. in psalm. 79.* & alios passim alibi, ex quibus nonnullos adduximus cap. proxime præced.

XLI. *Quinto*; veteres passim Eucharistiam vocant sacrificium. Cuius nomenclaturæ varias adferunt viri docti causas. Sadeel tres istas commemorat, & testimonijs euidentibus confirmat. 1. quia in hoc mysterio fit commemoratio vnicuius illius sacrificij, quod pro nobis in cruce factum est. Atque hæc commemoratio coniunctam habet gratiarum actionem: adeo ut sit sacrificium *ἱερατικόν* & gratiarum actionis; ac propterea inter spiritualia Christianorum sacrificia (de quibus apostolus *Hebr. 3.*) recensendum. 2. quia in sacro hoc mysterio, si quidem a nobis cum vera fide, sincerisque animis celebretur, nos ipsos totos Deo consecramus: quod est spirituale sacrificium; nobis in primis ab apostolo *Rom. 12.* commendatum. 3. quia id fuit olim in more positum, ut cum S. cœna celebraretur, tum fideles offerrent elemosynas, quibus egenis fratribus subuenirent: quod est etiam spirituale genus, ita docente apostolo *Hebr. 13.* Huc veteres respexisse, cum Eucharistiam sacrificium appellarunt, satis perspicuum esse potest ex ipso vocabulo Eucharistiæ, quod significat gratiarum actionem; cuius tria genera, modo recitata, concurrunt in legitima S. cœnæ celebratione. Hanc fuisse veterum mentem patet ex testimonijs, quæ *Sadeel. 5. de unico Christi sacrificio aduersus Missæ sacrificium* commemorat. Paulo plenius hæc de re ita differimus. *Sacrificij* vocabulum accipitur proprie, vel improprie. Proprie significat sacrificium partim typicum & legale V. T. idque eucharisticum, vel hiasticum: partim euangelicum, videlicet oblationem Christi in cruce. Improprie significat vel representationem & applicationem sacrificij Christi, vel ministerium euangelij, vel bona opera, adeoque oblationem actiuam & passiuam, ut loquuntur. Sacra cœna dicitur sacrificium improprie, sex modis. 1. quia est memoriale seu commemoratio sacrificij Christi, eiusque representatio, pictura, spectaculum religiosum, & tabella, in qua nobis depingitur immolatio Christi, per fractionem panis & fusionem siue haustum vini. Et hoc modo à quibusdam veteribus dicitur sacrificium incuruentum, quo modo tragœdia, quæ representat bellum incuruentum, dicitur bellum incuruentum. Quo pertinet, quod Patres Eucharistiam vocant sacrificium, non reale, sed rationale. 2. quia est commemoratio eucharistica, in qua gratias agimus Deo pro sacrificio Christi. Atque hæc gratiarum actio est sacrificium precum, laudis, & gratiarum actionis. 3. quia fideles in cœna sese offerunt Deo, ut consecrentur, eique seruiant animo & corpore. Hinc Gregorius dicit, tunc vere Christum pro nobis hostiam esse, cum nos ipsos hostiam fecerimus. 4. quia veteres in administratione Eucharistiæ offerebant pauperibus elemosynas, in primis panem & vinum: quæ sunt spirituale sacrificium. 5. quia corpus Christi offertur suo modo. Nam sicut panis est corpus Christi sacramentaliter: ita fractio panis est oblatio Christi sacramentaliter. 6. quia respectu fidei & precum Christus offertur in S. cœna; quatenus nempe fideles mente & affectu feruntur in vnicuius Christi sacrificium, & illud quasi offerunt Deo Patri. Hinc Augustinus ait, Christum tunc pro nobis offerri, quando in ipsum credimus. Itaque hæc re ipsa, Eucharistiam esse sacrificium ratione representationis, gratiarum actionis, applicationis, & dilectionis. Quare causa præcipua, ob quam sacrificium cœna Domini à veteribus appelletur, hæc est, quod cœna est sacrificium eucharisticum pro sacrificio Christi propitiatorio in cruce oblato. Hinc Augustinus dicit, Christum in cœna sacramento immolari, non vere & re ipsa, sed quod memoria mortis in ea celebretur. Idem ait: Immolatio carnis, quæ fit manibus sacerdotis, vocatur passio & mors Christi, non rei veritate, sed significante mysterio. Ambrosius etiam sic loquitur: Hoc sacrificium est figura corporis & sanguinis Christi. Et *Chrysostr. in psalm. 22.* Si Iesus non est mortuus, cuius rei symbolum & signum est hoc sacrificium? Hæc sine controversia recte & pie secundum Scripturam dicuntur. Christus enim ipse dicit, panem fractum in cœna, esse corpus suum, fractum pro nobis in cruce. In omnibus enim sacramentis, sicut actiones & passionis visibiles, sunt actiones & passionis inuisibiles, sic substantiæ siue elementa visibilia, sunt substantiæ inuisibiles, agentes & patientes. Sicut manducatio Mannæ erat manducatio Christi: sic manna erat Christus. Sicut haustus aquæ è petra fluentis, erat haustus sanguinis & Spiritus Christi: sic petra Christus, & aqua Spiritus & sanguis Christi. Sicut mactatio victimarum, & aspersio sanguinis earum, erat mactatio Christi, & aspersio sanguinis eius: sic victimæ erant Christus, & sanguis earum erat sanguis Christi. Sicut aspersio aquæ in baptismo, est aspersio sanguinis Christi: sic aqua est sanguis Christi. Eodem modo igitur, sicut fractio panis, & separatio vini à pane est fractio & mactatio corporis Christi, & separatio sanguinis eius à corpore: sic panis est corpus, & vinum est sanguis: ac proinde sic & manducatio panis est manducatio carnis, & potio vini est potio sanguinis Christi. Fractio autem panis non est proprie & realiter mactatio corporis: sed fractio corporis, fractione panis significatur, representatur, applicatur. Ergo neque panis proprie & realiter est corpus Christi: sed pane corpus Christi significatur, representatur, & applicatur per fidem: sicut & manducatio corporis interna, per manducationem externam.

XLI. *Sexto* veteres nusquam tradunt, agnum paschalem, vel panem & vinum Melchisedeci, fuisse figuram sacrificij Missæ: neque prophetiam Malachiæ de illo sacrificio, exposuerunt. Nunquam enim sacrificij Missæ meminerunt. Quod attinet ad agnum paschalem, docuerunt Christum ipsum fuisse agno paschali figuratum: adeo ut Christus passus, Pascha adimpleuerit: ut lunt verba *Irenæi lib. 4. aduers. hæres.* Deinde, si quando agnum paschalem accommodarunt cœnæ Domini, similitudinem inter agnum illum & S. cœnam constituerunt in ipsa manducatione: quia Christum pro nobis crucifixum participamus. Hinc *Ambrosius epist. 83.* Sumamus feruenti

Spiritu sacramentum in azymis sinceritatis & veritatis. Et *Thomas in 1. Cor. 5.* Quia Christus immolatus est, pascha nostrum, itaque epulemur: scilicet manducantes Christum, non solum sacramentaliter, sed spiritualiter, fruendo sapientia eius. Deinde dum veteres ad Eucharistiam referunt panem & vinum, quæ Melchisedec protulit, non eo spectant, ut inde sacrificium aliquod externum & reale constituent, in quo Christus denuo offeratur: imo (si paucos excipias) non existimarunt Melchisedecum obtulisse Deo panem & vinum: sed hæc ratione mysterium Eucharistiæ magis magisque commendare voluerunt: quod iam præcis illis temporibus, ipsdem signis, nempe pane & vino exhibitis Abrahamo, Christus fuerit adumbratus, quæ quidem longe postea Christus ipse instituit in S. cœna, ut nos faceret corporis & sanguinis sui participes. Itaque quemadmodum Melchisedec Abrahamum & eius exercitum ex prælio festos refecit: Sic Christus in Eucharistia nos ex prælio spirituali astuantes reficit, quando vna cum pane & vino exhibet nobis creditibus corpus & sanguinem suum. Deinde vaticinium Malachiæ veteres accommodarunt ad S. cœnam, quia prophetam interpretati sunt de Spirituali sacrificio. Sic enim *Hieronymus in Malach. 1.* Ut sciam carnalibus victimis spirituales victimas succeduras, & nequaquam taurorum hircorumque sanguinem, sed thymiam, hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas. Itaque hæc omnia male ab aduersarijs referuntur ad sacrificium externum & reale & propitiatorium, quale apud veteres nusquam occurrit.

XLI. *Septimo*, quo sensu Patres Eucharistiam appellant sacrificium, oblationem, immolationem &c. eodem sensu mensam, in qua celebratur hoc mysterium, appellant altare, videlicet sacramentaliter, itemque cathedra & hyperbole sacramentali. Offerunt enim ibi Christus, in mysterio. Deinde ministros N. T. appellant sacerdotes, 1. quia successerunt in locum sacerdotum V. T. 2. quia homines offerunt Deo in *euangelij*. 3. quia Christum offerunt in sacramento, non vero nouum sacrificium incuruentum faciunt. Tertio veterum liturgiæ aut non fauent sacrificio Missæ, aut non sunt veterum. Quarto antiqui obtulerunt Eucharistiam pro pace, pro infirmis, pro ecclesiâ &c. non tanquam sacrificium propitiatorium, sed tanquam sacrificium eucharisticum, in quo communicantes offerebant Deo Christum ex vera fide, in precibus suis pro necessitate ecclesiæ, politiæ, singulorum.

XLI. Venio nunc ad tertiam classem, quæ addit has naturales rationes, ad Missam clarius asserendam. Prima est ex coniunctione legis & sacrificij. Nulla siquidem vnquam fuit religio sine externo & visibili sacrificio: sicut apud omnes omnium gentium historicos videre est. Vide in primis *Gen. 4. & 8.* Et apostolus *1. Cor. 7.* ex translatione sacerdotij colligit legem, seu religionem ipsam, translatam esse necessario. Ergo nunc quoque eiusmodi sacrificium extare debet. Nullum autem esse potest præter Missam: quia interna & spiritualia sacrificia hic non sufficiunt: ipsum vero incuruentum Christi sacrificium iam pridem desit. Respondet. 1. Non est vniuersaliter verum, omnem religionem habere coniunctum sacrificium externum: quia antelapsum fuit religio, & tamen nullum fuit externum sacrificium. Sic religio pura & incontaminata apud Deum & Patrem, hæc est, inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum sese seruare à mundo, *Iacob. 1.* Itaque formale religionis non consistit in sacrificio externo, si absit sacrificium internum, hoc est, cultus Dei internus, qui constat puritate vitæ. Atque hæc causa est, quod Deus sacrificia Iudæorum hypocritarum tantopere detestatur *Psalm. 50.* Nimirum ceremoniæ per se non placent Deo. 2. Species controuersa, imo fictitia, affirmate concluditur ex genere indefinite posito, hoc est, Missæ sacrificium ex quouis externo sacrificio. 3. Falsum assumitur, in N. T. præter Missam, nullum sacrificium externum superesse. Imo vero ipsa Eucharistia, & *ἱερατικὸν τῶν ἀποστόλων* inter Gentes, est sacrificium internum & externum, proprium N. T. etsi non proprie dictum: ut supra euicimus. Secunda ratio apud Bellarminum sequitur ad hunc modum. In V. T. fuit externum & reale sacrificium. Ergo etiam in N. T. aliquod esse debet. Non enim Christus vniuersum V. T. cultum simpliciter abrogauit, sed eundem vel perfecit, vel in meliorem formam commutauit: ut *Matth. 5.* & alibi videre est. Respondet. 1. Argumentum à comparatione legis Mosaicæ ad Christianam (ut loquitur Bellarminus) non concludit affirmatiue ex differentia seu dissimilitudine inter V. & N. T. sed tantum ex conuenientia & similitudine vtriusque. Iam vero hoc pertinet inter alia ad discrimen V. & N. T. quod expiatoria corporales victimæ sunt sublata per Christum, & quidem in solidum: ut patet ex epistola ad Hebræos. 2. Christus sacrificia V. T. & mutauit, & perfecit. Mutauit: quantum ad exteriorum pedagogiam & myltagogiam. Perfecit: quatenus sacrificio corporis sui *ἐπιπέσει* inspirauit, adeoque ipsa expirare fecit. 3. Non sequitur: Sacrificium proprie dictum in N. T. non indies reperitur: ergo nouum est inferius veteri: sed contra, ut concludit apostolus *Hebr. 7.* Vetera illa sacrificia ideo fuerunt imperfecta, quia repetita. Tertia ratio Bellarmini, sumitur a differentia sacramenti & sacrificij. Sacramenta omnia ab alio dantur, & ab alio recipiuntur: nec vllus sibi sacramentum administrat. Sacerdotes, siue ministri N. T. etiam sibi ipsis Eucharistiam administrant. Ergo illa est plus quam sacramentum: videlicet, verum sacrificium. Respondet. Falsa est hypothesis, quod nemo sibi possit ministrare sacramentum. Quis enim ambo, baptizauit Iohannem: ipse vtiq; Iohannes. Et Christus in prima institutione S. cœnæ ipse sumit sacra symbola. Confunditur itaque hic duplex minister, seu sacerdos in genere dicti, officium ac persona; quæ scilicet publicus minister, & quæ vnus è corpore fidelium est. Quarta ratio Bellarmini est a consensu Ecclesiæ. Constat enim ex certis historijs, Missam iam olim in antiqua Ecclesia celebratam, & per mille saltem annos ubique visitatam fuisse. Ergo vel ipsa est verum & Deo gratum sacrificium: vel toto hoc tempore nulla fuit vera Christi ecclesia: sed perijt vniuersa Christi religio; contraque foedissima regnauit idololatria: atque ita vana fuerunt omnia prophetarum vaticinia, & ipsius Christi oracula, de vera perpetuitate, & amplitudine Ecclesiæ Christianæ. Respondet. Hic partim falsum assumitur, partim inconsequentiæ variæ neccuntur: cum neque toto illo tempore Missa Papalis ubique in Ecclesia Christi celebrata sit: neque continuo, quod publice gestum est, omnibus omnino Christianis imputari debeat: neq; Christus vpiam promiserit, se defectionem, aut corruptionem externæ Ecclesiæ, absolute & perpetuo impediturum: sed è contrario prædixerit, huiusmodi

modi apostasiam futuram, vt etiam electi, si fieri posset, huic tanto malo implicandi videri queant. Et hæc quidem rationes sunt apud Bellarminum.

XLV. Pistorius istas duas habet rationes. 1. Nullum corpus aut sanguis potest esse cibus aut potus, nisi ante maeterur & præparetur. Corpus Christi & sanguis in prima sacra cœna est vere cibus & potus. Ergo oportet antecessisse quodammodo maeterionem: licet incruentam. 2. Corpus & sanguis Christi in Sacra Eucharistia vocatur victima, assentientibus Lutherianis. Nulla autem potest cogitari victima, sine sacrificio. Ergo Missa est sacrificium: & Christus in prima cœna se ipsum sacrificauit, vt ex corpore ipsius & sanguine, tanquam ex victima, discipuli vesci & bibere possent. Huc etiam adducit nomen altaris, quod ait habere suum respectum ad sacrificium: eoque accommodat (valde incommode) locum. 1. *Corinth. 10.* de collatione mensæ Domini cum altaribus Iudæorum & Gentium. Addit & illud: Sacrificium in cruce semel factum est, & postea desinit: neque iam Christus in se in cœlo est victima. Quare, vt corpus eius & sanguinem bibere valeamus, oportet præcedere sacrificium: licet incruentum.

Respondeo primo. Argumentum primum est vere Capernaiticum. Neque enim corpus & sanguis Christi percipiuntur corporaliter in Eucharistia, sed vel sacramentaliter tantum, vel sacramentaliter & spiritualiter simul. 2. Corpus & sanguis Christi vere victima illa est, quæ in ara crucis oblatam fuit Deo pro peccatis generis humani. Aliud vero est, agnoscere corpus & sanguinem Christi pro victima (quia scilicet in cruce pro nobis sunt tradita) quod affirmat Scriptura: aliud dicere corpus & sanguinem Christi victimam, quatenus dantur in cœna, & quidem respectu altaris, hoc est, immolantur: quod est signum Pistorij, qui formaliter accipit, quod erat materialiter accipiendum. Vt enim corpus Christi sit sacrificium, causa & ratio est, non conficta à Papistis oblatio in prima cœna: sed iuxta Scripturam luculenta testimonia, immolatio in ara crucis, *Hebræorum mono. & decimo.* & alibi passim. 3. Nugæ est argumentum: In Eucharistia est victima. Ergo Eucharistia est sacrificium. Et Christus in cœna vocat corpus suum sacrificatum, & sanguinem fufum. Ergo in cœna Christus sacrificauit. Nam victima dicitur Christus ex passione crucis, quæ iam tum instabat. Et sic tota ratio victimæ illius, siue sacrificij, petenda est ex vna immolatione in cruce facta. Nam etiamnum Christus est ipse idem, qui pro nobis factus est victima in cruce. Et hanc victimam, quæ in cruce semel immolata est Deo, nos manducamus & bibimus in cœna, iuxta ipsam Christi institutionem, non denuo immolamus siue sacrificamus: tum quia mandatum de eo habemus nullum, tum quia diserte Scriptura affirmat, semel esse eum oblatum, *Hebr. 9. vers. ultim.* nec esse repetendam immolationem, *Hebræorum 7. vers. 23. & seqq.* Caterum Christus non in præterito, sed in præsentem dicit, *Idēdōpōi, euzwōdōpōi:* & verus interpret Latinus alicubi in futuro, *tradetur, fundetur:* sicut etiam Canon Missæ. Itaque est *ψωδω-γωδω* Pistorij, quando dicit, Christum in cœna vocare corpus suum sacrificatum, & sanguinem fufum. 4. Quæ dicit de sacrificio incruento, aduersantur Scripturæ sacræ, & nature rei. Quomodo enim potest esse maeterio incruenta, & effusio sanguinis sine effusione? 5. In faciem contradicit apostolo Pistorius, quando dicit Christum iam in cœlo non esse victimam. Christus enim obrulit hostiam æternam, *Hebræorum 10. vers. 10. & seqq.* Aliud autem est actus offerendi, seu sacrificandi in cruce, qui transit. Aliud victimam, ipse Christus, qui permanet in æternum. *Apostol. 5. vers. 12.* 6. Quod de altaribus, & eorum relatione dicitur, friuolum est. Nam in Nouo Testam. nusquam mentio fit altaris in descriptione Eucharistiæ. Mensam Domini appellat apostolus. Altare non appellat. Porro altare potest esse sine sacrificijs, vt *Iosue 22. vers. 23.* & sacrificia sine altari. Nam *Herodotus in Clio, vltra medium,* de Persis testatur, eos neque statuas, neque templa, neque aras extruere consueuisse, & tamen hostias immolare Ioui, nimirum in editissimis quibusque montibus. Et *Sarabō libro decimo quinto.* Persæ, inquit, nec statuas, nec aras erigunt: sacrificant in loco excelso. Vnde sic inferimus: Non esse necessariam consequentiam, si ara est, ergo etiam sacrificium: si sacrificium, ergo ara. Non, inquam, illa relatio perpetua est. Sic *Bellarminus lib. 1. de Miss. cap. 27.* fatetur, aliquando sine altari celebratum esse sacrificium. Caterum non sequitur: Apostolus confert mensam Domini apud Christianos, cum altari Iudæorum & Gentium. Ergo mensam illam Domini oportet esse altare. Nam in prima cœna: quam Christus Hierosolymis cum suis discipulis celebravit in diuersorio, non fuit altare. Neque vsquam in Actis apostolicis vlla sit mentio altaris, in descriptione sacrae Cœnæ. Neque alibi in Epistolis Apostolicis vestigium monstrari potest vllius altaris apud Christianos, in quo fuerit cœna sacra administrata.

XLVI. Coronidis loco nonnulli adferunt hæc duo argumenta. 1. Quemadmodum sublati legalibus sacramentis, supersunt Noui Testamen. sacramenta: ita sublati legalibus sacrificijs, supersunt externa sacrificia euangelica. Par vtrobique est ratio. 2. Sacrificium externum proprie dictum est, quo res aliqua peculiari modo immutatur & conficitur in eum finem, vt per ipsam commutationem Deo concilietur gloria. Missa est eiusmodi. Ergo ipsam immutationem externam proprie dictam. Minor probatur: quia in Missa est sacrificium externum proprie dictum. Nam in Missa est sacrificium externum proprie dictum. Minor probatur: quia in Transsubstantiatione separatim conficitur corpus, & separatim sanguis: atque id speciem quandam & similitudinem mortis habet. Hæc de re sic ait *Dictionarium pauperum titulo de corpore Christi.* Sub specie panis & vini realiter continetur corpus Christi. Vnde sciendum est, quod quando sacerdos ista verba pronuntiat, scilicet: *Hoc est enim corpus meum &c.* panis transfit in corpus Christi, & vinum in sanguinem vertitur, illa Verbi virtute, qua *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* qua omnia dixit, & facta sunt: qua vxorem Loth in statuam salis mutauit: qua virgam Moisaicam vertit in colubrum: qua flumina & fontes Ægypti conuertit in sanguinem: Verbum Christi in vinum. Verbum Eliæ ignem de cœlo iussit descendere: Verbum Christi non poterit panem in carnem mutare? Certe maius est de nihilo aliquid creare, quam quod est, in aliud mutare. Item si potuit corpori mortuo, vt Lazaro, & corpori insensibili, vt Adæ, vitam inspirare, & de terra insensibili facere rem sensibilem: quare non poterit panem in carnem mutare? Item, si facere rem sensibilem: quare non poterit panem in carnem mutare? Sed Deus est homo educit de terra ferrum quotidie, & de cinere vitum. Sed Deus est longe potentior. Ergo, si quæras, quomodo credam ibi esse corpus Christi, cum videre non possim? respondeo: Credis, iumenta, & omnia ani-

malia exiisse de terra, & tamen exiisse non vidisti: & te proauum, & abauum habuisse, tamen non vidisti. Quare ergo non credis, ibi esse corpus Christi sub illa specie panis, licet non videas? Nonne fides est argumentum rerum non apparentium? Item quærunt hæretici, quomodo possit ab hominibus quotidie manducari corpus Christi, qui si mons esset magnus, totus comestus esset. Respondeo: Sicut de quinque panibus quinque millia hominum satiauit, & de quibus maiores reliquæ manserunt, quam essent quinque panes: sic ipse potest ecclesiam totam de corpore suo pascere absque sui detrimento. Item, calor & splendor ignis, & odor rosæ, & sapientia hominis, se omnibus communicant, quantum in se est, sine sui detrimento. Similiter & sol se omnibus communicat: sic & candela candelis multis sine sui decremento ignem & lucem ministrat. Et sicut mulier Sareptanâ quotidie comedeat de farina hydriz, & non diminuebatur farina, nec oleum in lecytho: & sicut Eliaus Propheta mulieri alteri oleum, & inuitatis suis cibaria multiplicauit: sic tota ecclesia quotidie sumit corpus Christi sine decremento sui. Item sicut vna vox prædicantis eadem numero auditur ab omnibus, ad quos potest peruenire: sic Deus potest facere, vt vnum corpus Christi numero ab omnibus recipiatur sacramentaliter. Item, aliqui mirantur, quod in vna hostia tam parua sit totum corpus Christi, in omnibus partibus illius hostiæ simul vnitis, ita quod in nulla parte sit totum: & tamen si hostia diuidatur in partes, est totum in qualibet parte: & non mirantur, quod in vno speculo appareat tota imago, & vnica; & si diuidatur speculum in partes, quod essent partes speculi, tot essent integræ eius imagines. Item, quidam mirantur, quod in modica specie sit tantum corpus, & totum: & non mirantur, quomodo in speculo appareat magnum, & ingens templum.

Respondeo. 1. Non est par ratio sacrificiorum & sacramentorum. Vt enim ea sunt Noui Testam. sacramenta, quæ Christus expressis verbis instituit: ita nobis ea supersunt sacrificia, quæ in S. literis commendantur: nimirum spiritualia, non autem externa & realia: quia S. literæ testantur illa esse sublata. 2. In definitione sacrificij omissum est præcipuum membrum, nempe institutum Dei: quod si absit, verum sacrificium esse non potest. Itaque cum dicunt, *Seculari modo res mutatur;* addendum fuit, *Et offertur Deo ex instituto ipsius.* 3. Ambiguitas est in eadem definitione. Nam si non conficitur est idem quod sit, ergo nullum vnquam sacrificium legale Vet. Testam. fuit verum sacrificium. Nam in legalibus sacrificijs, res quæ offerebatur, non fiebat, sed immolabatur, & exurebatur pro ratione sacrificij. 4. Si in Missa per Transsubstantiationem res immutatur, & conficitur, ergo res vna eademque est substantia panis, & substantia corporis Christi. At hoc est blasphemum. Consequentia patet: quia de vna eademque re dicuntur hæc duo, immutari, & confici, siue fieri. At id quod immutatur (vt ipsi volunt) est substantia panis & vini: quod vero fit, siue conficitur, est corpus & sanguis Christi. 4. Si ea est natura sacrificij Missæ, vt res offerenda, seu victima, immutetur, & vt transsubstantiationis, panis immutatur, non autem corpus Christi, vt ipsi volunt; Ergo in Missa substantia panis offertur Deo non autem corpus Christi. Aut si corpus Christi offertur: Ergo corpus Christi immutatur. At hoc *de vno.* 5. Si separatim corpus & sanguis conficiuntur vt transsubstantiationis: aut hæc separatio fit vere, aut non vere. Si vere: Ergo Christus occiditur. Nam eiusmodi separatio sine morte fieri non potest. Si non vere, non fit igitur vere transsubstantiatio. 6. Si transsubstantiatio, in qua separatim conficitur corpus & separatim sanguis, efficit vt sacrificium sit in Missa, quoniam illud habet quandam similitudinem mortis: ergo in Missa non est sacrificium, sed tantum species & imago sacrificij. 7. Vera definitio sacrificij externi & realis, proprie dicti, est, quod sit ceremonia facta à Deo instituta, qua fideles in V. Test. ad fidem in Christum, veramque penitentiam excitantur, vt cultum Deo gratum acceptumque vsque ad Christi aduentum exhiberent. Quare cum Christus omnes typos Vet. Test. abrogauerit, nullum sacrificium externum & reale, proprie dictum, in ecclesia Noui Testam. est relictum. 8. Exemplum transsubstantiationis, quæ adducuntur, nihil faciunt ad rem. In ijs enim vna substantia in aliam reuera fuit conuersa. At hoc non fit in Missa: transsubstantiatione. 9. Sacramentalis mutatio non fit actione physica, sed morali: non verbo practico, sed concionali. 10. Similitudines, quæ adferuntur, sumtæ à miraculis sunt absurde: quia corpus Christi neque corporaliter editur, neque corporaliter est præseus in Eucharistia. 11. Nondum conuenit inter Papistas, an corpus Christi fiat præseus in Eucharistia per actionem adductiuam, vel reproductiuam. 12. Non vt imago in speculo, non vt vox per aerem delata &c. ita quoque corpus Christi se habet. Illud enim est vera & visibilis substantia, quæ non recte confertur cum accidentibus, itemque cum speciebus intentionalibus. Quod pia antiquitas inquirere voluit, quando mysterium Eucharistiæ contulit cum mysterio vnionis personalis in Christo, & cum mysterio resurrectionis nostræ gloriose. Nam vt in persona Christi duæ nature manent distinctæ, neque vna conuertitur in alteram: ita in Eucharistia manent distinctæ, res terrena, id est panis & vinum, & res cœlestis, id est, corpus & sanguis Christi. Et si corpus Christi est sub specie panis, non est in Eucharistia pignus resurrectionis nostræ gloriose. Etenim Eucharistia est communio corporis Christi, quod iam in cœlis est, quodq; aliquando redibit ad nos plene liberandum. Annuntiamus enim ibi mortem Christi donec redeat. Nullam sane communionem habemus cum corpore isto inuisibili, quod Christus non assumpsit, & secundum quod non est caro de carne nostra. Nam illud corpus est fictitium: vt pote corpus non corpus, quippe finitum, & tamen extra fines substantiæ suæ.

XLVII. Ex his, quæ hæcenus disputauimus, pius & Christianus lector facile colligere potest, Missam Pontificiam neque in S. literis, neque in antiquioribus ecclesiæ Patribus, neque in naturali ratione, fundamentum vllum habere: sed contra potius his omnibus velut è diametro repugnare, ac proinde esse *βδελουμα.* quod toto pectore detestari oporteat.

103(1)20

CAPVT XI.

Quale sacrificium sit Missa.

I. **PRINCIPALI** Papistarum thesi, quæ est de substantia Missæ, non consistente, fieri non potest, ut aliæ accessoriæ diutius consistant: quia non entis non sunt qualitates. Quia tamen supra promissimus plenam huius mysterij (iniquitatis) tractationem; & aduersarij varia quoque hic accumulamus: exequemur illa, quæ ex delineatione methodi nostræ restant, primo dicturi de qualitate huius sacrificij. Quam quidem Papistæ circumscribunt tribus epithetis. quod hoc sacrificium sit incruentum, propitiatorium, & impetratorium. Pistorius dicit esse sacrificium incruentum, representatiuum & applicatorium.

II. *Essentia* incruentum, ita probant. Christus in prima institutione venerabilis huius sacramenti, antequam corpus & sanguinem suum discipulis daret, ad gloriam Patris sui, secundum ordinem Melchisedech, in specie panis & vini, vere seipsum obtulit, & id ipsum quod fecerat, suos discipulos, & per eos, omnes sacerdotes facere iussit, non quod ipsi proprie Christum sacrificare debeant, sed quod tanquam legati & ministri Christi, suum externum ministerium adhibeant, & Christus ipse principaliter, & imprimis se offerre velit. Ipse enim est summus Pontifex, qui per ceteros sacerdotes, sibi ministrantes, omnia inuisibiliter operatur, ac proinde seipsum incruento modo offert. Ita Pistorius.

Respondeo. Certum est, si Christus in prima cœna seipsum reuera obtulit, quod obtulerit se modo incruento. Sed hæc est repetitio principij. Et distinctio sacrificij Christi in cruentum & incruentum est commentitia. 1. quia ignota est Scripturæ. 2. quia contraria est verbis apostoli *Hebr. 9. & 10.* 3. quia deuiat à verbis institutionis cœnæ. 4. quia repugnat naturæ subiecti, quod distinguendum est. Nam in Christi sacrificio expressa fit mentio effusionis sanguinis & mortis, *Hebræorum nono & decimo.* Sanguinem autem effundi incruente, dici non potest, nisi ab ijs, qui pascuntur contradictionibus. Neque mors dici potest de sacrificio incruento: quod ipsi Papistæ fatentur. 5. quia non est remissio sine sanguinis effusione, *Hebræorum 9. 22.* Fingunt autem illi, sacrificium istud incruentum esse propitiatorium pro peccatis. Quare in eo oportet esse sanguinis effusionem: & sic erit cruentum. 6. aut sacrificium incruentum idem est cum cruento, & tum falsum est, panem & vinum dici sacrificium; quæ certum est non esse oblata in cruce: aut non est idem, & tum falsum est quod definiuit Concilium Tridentinum, esse reuera idem cum sacrificio crucis. 7. quis tandem finis est sacrificij incruenti? Nam si est propitiatorium pro peccatis mundi: quid opus fuit sacrificio cruento in cruce? Sic enim apostolus ait: Vbi peccatorum remissio est, iam non est amplius oblatio pro peccato, *Hebræorum decimo, vers. decimo octauo.* Aut, quod veritas ait, si sacrificium in cruce propitiatorium est pro peccatis mundi: non opus est sacrificio incruento propitiatorio. Pistorius hic euasurum se putat, si dicat, esse illud sacrificium applicatorium & representatiuum. At Concilium Tridentinum appellat discrete sacrificium propitiatorium, non tantum pro viuus, verum etiam pro defunctis.

III. Sequitur secundum epitheton: vbi Bellarminus statuit, Missam non modo Eucharisticam, & honorarium, sed etiam vere propitiatorium sacrificium esse, adeo quidem, ut pro expiandis peccatis, tum viuorum, tum mortuorum, Deo recte offeratur. Id vero probat tribus argumentis. 1. in Vet. Test. multa fuerunt sacrificia suo modo expiatoria, seu propitiatoria pro peccato. *Leuit. 4. 5. & 6. Iob. 1. & 24. & c.* Ea vero omnia meriti typi, seu figuræ fuerunt S. Eucharistiæ. Ergo ipsa Eucharistia est sacrificium vere propitiatorium: & tanto quidem præstantius, quanto corpus præstantius est vmbri & figuris. 2. Christus in Eucharistiæ institutione discrete dicit, *sanguinem suum effundit pro nobis in remissionem peccatorum,* Matth. 26. imo ipsum calicem vocat nouum testamentum in suo sanguine, Luc. 22. In quo certe testamento remissio peccatorum continetur, uti *leuit. 31. & Hebr. 8.* videre est. 3. Apostolus *Hebr. 5.* dicit omnem Pontificem offerre sacrificia pro peccato. Ergo & nostri sacerdotes id ipsum faciunt, quod etiam Eucharistiam celebrant: quia quam diu viget remissio peccatorum, tam diu etiam oblatio pro peccatis durat, *Hebr. 10.* Ergo Missa vere expiat peccata eorum, pro quibus offertur. *Respondeo primo in genere.* Hæc argumenta iam ante factis dissoluta sunt: & nihil concludunt, quia vel manifestam principij petitionem, vel hypothesin aliquam falsam, de expiatorio Christi sacrificio in ipsa Eucharistia realiter & vere peracto, deque Missa in Veteris Testamenti typis olim præfigurata, continent. *Iam ad singula breuiter aliquid dicamus.* ad 1. Apostolus ad Hebræos copiose ostendit, cuiusnam rei figuræ & typi fuerint sacrificia veteris testamenti. Archetypum enim vnicum duntaxat recenset, videlicet sacrificium Christi in cruce peractum. ad 2. Apud Matthæum dicit Christus de sanguine suo, *Qui effunditur, et cum sensu iræ Dei:* quod percipitur ex illa voce Domini in cruce exclamantis, Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me? Sanguis Christi non bis fuit fusus: nec ab ipso Christo debuit effundi in Eucharistia, sed ab hostibus eius, in cruce. Et quomodo est effusio sanguinis sine effusione? Deinde Christus calicem vocat nouum illud fœdus, id est, sacramentum noui illius fœderis. Articulus respicit ad promissiones prophetarum: ut *leuit. 31. vers. 31. & Ierem. 31.* Vocat, inquam, nouum fœdus: & non, nouum testamentum, licet nouum fœdus sit sancitum ut testamentum, morte videlicet testatoris. Porro dicit calicem esse nouum illud fœdus in suo sanguine, hoc est, per suum sanguinem. Nam particula *in* more Hebræorum posita est pro *de.* Sententia enim est: Quod fœdus per sanguinem meum stabilietur seu confirmabitur. Vbi obserua, Bellarminum inepte statueret, Christum in Eucharistia confirmasse nouum testamentum. Nam vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, inquit epistola *Hebr. cap. 9. v. 16.* Et testamentum non dedicatur sine sanguine, v. 18. 19. Vbi igitur est testamentum incruentum Bellarmini? id 3. Apostolus loquitur de summo sacerdote: *ut ad hebr. 9. vers. 11.* inquit. Quid autem hoc ad Missas? Deinde falsum est, quam diu viget remissio peccato-

rum, tam diu vigere oblationem pro peccatis. Id enim verum est de oblatione typica V. T. non vero de oblatione Christi, quæ semel ab ipso est facta per Spiritum æternum.

IV. Sed iam ostendamus hunc titulum falso tribui idolo Missæ, quod sit sacrificium propitiatorium. Si vnicum illud Christi sacrificium, olim in cruce immolatum, & deinde cœlis illatum, habet vim quandam diuinam omnia omnium credentium peccata penitus expiandi; eadem hæc efficacia ac virtus, ad vllum aliud sacrificium, præsertim ab hominibus superstitiosis excogitatum, non sine blasphemia & sacrilegio transferri potest. Verum est antecedens. E. & consequens: & vi consequentis, Missa non est sacrificium propitiatorium.

Antecedens probatur. 1. Apostolus docet *Hebr. nono*, absque passione seu violenta sanguinis effusione, & denique cruenta morte, sacrificium Christi expiatorium perfici non potuisse; dum veteres illas typicas, seu legales sanguinis effusiones, in illo impleri oportuisse, & mortem ipsius Christi, utpote veri testatoris, hic omnino requisitam fuisse; & denique Christum, si sapius offerri debuisset, sapius etiam pati oportuisse, perspicue testatur. Ergo nullum est agnoscendum Christi sacrificium propitiatorium, præterquam vnicum illud cruentum, quod ipse solus iam olim obtulit, & coram facie Patris in cœlis adhuc præsentat. 2. Idem apostolus *Hebræorum decimo*, clare docet, vbi semel parata est plena remissio peccatorum, ibi non requiri amplius oblationem expiatoriam pro peccato. At per vnam illam Christi oblationem cruentam parata est nobis plena remissio peccatorum. Ergo iam nulla superest oblatio expiatoria. Aut, si superest aliqua, irrita sunt verba apostoli modo recitata: *Vbi est peccatorum remissio non est amplius oblatio pro peccato.* Item ista *Hebræorum 1.* Purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sed ad dextram maiestatis in excelsis. Itaque cū verba apostoli *ad hebr. 10. vers. 10.* opponantur ijs, quæ Pontificij de suo sacrificio proponunt, merito illud explodimus. Nam apostolus post remissionem peccatorum, quam Dominus noster IESVS CHRISTVS pretioso suo sanguine nobis comparauit, negat amplius esse oblationem pro peccato, quod Pontificij affirmant. Neque vero illos iuuat distinctio oblationis primariæ, & commemoratiuæ. Nam præterquam quod illa distinctio euerit ipsorum sententiam (quia oblatio commemoratiua non potest esse expiatoria, neque est realis & proprie dicta, neque eadem cum primaria) etiam pugnat cum apostolo, qui oblationem Christi vnicam: in illo ipso loco affirmat. Quod autem dicitur primarium, cum referatur ad id quod secundarium est, vnicum esse non potest. Et quomodo secundaria oblatio in prima Eucharistia potuit antecedere primariam in cruce? Rursus si primaria oblatio nobis comparata est remissio peccatorum, quorsum secundaria? 3. Si Missa est sacrificium propitiatorium pro peccatis, stare non possunt hæc Christi verba, *Consummatum est, Iohannis decimo nono*, neque illa apostoli, *Et consummatum est factus author salutis, Hebræorum 5. nec illa, Vnica oblatio consummauit eos qui in perpetuum sanctificantur, Hebr. 10.* nec illa, *Christus semel oblatus ut multorum peccata tolleret, Hebr. 9.* neque hæc, *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel, Hebr. 10.* neque ista, *Quod mortuus est, peccato mortuus est semel, Roman. 6.* nec illa, *Delens quod aduersus nos erat chirographum, ipsum de medio sustulit, affixum cruci, Coloss. 2.* nec denique ista, *Christus pro peccatis semel passus est: iustus pro iniustis, ut nos ad Deum adduceret, 1. Petr. 3.* Consequenter patet ex naturâ perfectionis. Quod enim semel perfectum est, non fit adhuc: & quod fit adhuc, non est perfectum. Atqui sacrificium Christi in cruce fuit perfectum: quia Christus clarissimis verbis in cruce testatus est, se tum ea omnia absoluisse, quæ ad offerendum pro peccatis nostris sacrificium pertinebant: item ex verbis apostolorum, qui testantur oblationem illam esse vnicam, semel factam, æternam, tantæ efficaciam, ut chirographum quod aduersus nos erat de medio sustulerit, &c. Itaque nullis alijs sacrificijs locus superest, quæ sint propitiatoria pro peccatis. *Excipiuntur* duos esse gradus remissionis peccatorum: vnum, ut Deus velit reconciliari, quantum in ipso est: alterum, ut efficaciter homines in gratiam recipiat, accedente eorum fide & penitentia. Priorem gradum esse in ipso mortis Christi sacrificio: posteriorem vero in Missæ sacrificio inesse. Atque hanc distinctionem confirmant ex 2. *Corinth. 5.* *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata eorum.* Et paulo post: *Reconciliamini Deo.* Sic illi.

Respondeo. Hæc distinctio euerit sacrificium Missæ. Nam posterior gradus remissionis peccatorum; ab ipsis assignatus, nihil aliud est quam applicatio sacrificij Christi ad singulos credentes. Nam perinde est ac si dicant, tunc nos sacrificij CHRISTI ac tanti beneficii esse participes, cum ipsum vera fide accipimus: quemadmodum ex Apostoli doctrina, tum fruimur reconciliatione per Christum facta, cum percepta euangelij prædicatione reuera cum Deo reconciliamur. Quin etiam Concilium Tridentinum definit, Missæ sacrificium fuisse institutum, *ut crucis sacrificij salutari virtute in remissionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur.* Ex his ita concludo. Si applicatio sacrificij propitiatorii non est ipsum sacrificium propitiatorium (neque enim res & applicatio rei est vnum & idem) & in Missa fit applicatio sacrificij Christi propitiatorii, sequitur in Missa non fieri sacrificium propitiatorium pro peccatis. Ceterum inspiciamus totum Apostoli contextum: *Deus, inquit, reconciliauit nos sibi per Christum, dediditque nobis ministerium reconciliationis.* Item: *Posuit in nobis sermonem reconciliationis.* Itaque nomine Christi legatum fungimur velut Deo exhortante per nos: *oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* *F. est enim vbi qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum est, ut nos efficiemur iusti a Deo in illo.* Hinc tria colligimus. 1. reconciliationem cum Deo esse effectum sacrificij Christi. 2. pastores ecclesiæ esse ministros applicationis sacrificij Christi, hoc est, ministros, non faciendi (ut volunt aduersarij) sed applicandi illius sacrificij, cuius virtute cum Deo reconciliamur. 3. applicationem fieri, non sacrificando Christum, sed docendo, monendo, hortando, ijs denique præstandis omnibus quæ ad euangelicam prædicationem pertinent.

V. Iam vero non solum propitiatorium esse sacrificium Missæ, ac pro remissione peccatorum offerri posse corpus Dominicum, sed etiam esse impetratorium omnis generis beneficiorum, ac pro ijs etiam rite offerri, Bellarminus lib. secund. de Missa cap. 3. probat testimonij Scripturæ & Patrum

Patrum. 1. In Vet. Testam. multæ erant hostiæ pacificæ, quibus pax, seu felicitas, puta sanitas, aut vita temporalis, à Deo impetrabatur, *Leuit. septimo v. 17. secundo. Regul. ultim. &c.* Hæc vero etiam figuræ fuerunt Eucharistiæ. Ergo Eucharistia pro omni generis beneficijs à Deo impetrandis, recte offerretur. 2. Apostolus *1. Ti. no. 2.* iubet supplicationes & preces fieri pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Id vero exponunt sancti Patres de publicis precibus, quæ in Missa fiunt. 3. Liturgiæ omnes Iacobi, Clemen- tis, Basilij, &c: non semel inter offerendum, orandum præcipiunt pro pace, & alijs id genus beneficijs temporalibus. 4. Veteres scriptores idem passim testantur: ut *Tertullianus ad Scapulam*, Sacrificamus pro salute Imperatoris. 5. Ratio ipsa hoc docet. Nam si recte pro peccatis offertur Missa, poterit etiam pro alijs necessitatibus, ex peccato ortis, vtiliter offerri. At prius verum est. Ergo & posterius. Vnde consequitur, Missæ sacrificium pro quavis auerrenda calamitate, & quouis obrinendo beneficio, legitime Deo Patri offerri.

Respondeo primo in genere, in legitima Eucharistiæ celebratione Deum vere honorari, siue omnino coli, & sacrificium laudis eidem vere offerri, atque hac ratione omni generis beneficia ab illo vere impetrari, per preces & fidem in Christum. Sed quid hæc ad Missam, quæ Eucharistiæ euerit? Deinde in specie respondeo ad primum. Hostiæ pacificæ fuerunt figuræ Christi, eiusque sacrificij: & non possunt referri ad Eucharistiæ, nisi ratione reï significatæ; itemque vtilitas est sacrificium eucharisticum. Eo enim sensu est sacrificium impetratorium: vt & ipsæ preces. 2. Augustinus illa verba apostoli ad cœnæ celebrationem accommodat: quatenus illa est sacrificium eucharisticum, in quo variæ preces, gratiarum actiones, & similia precum genera vtiliter coniunguntur. At obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones, de quibus dicto loco apostolus agit, non sunt externum sacrificium proprie dictum: sed illa omnia dicuntur sacrificia spiritualia Christianorum, de quibus supra non semel disseruimus. 3. Liturgiæ veteres docent orandum esse pro varijs beneficijs in celebratione Sanctæ cœnæ: non vero Missæ. 4. Veteres Patres intelligunt sacrificia spiritualia, siue illa in vsu Eucharistiæ, siue extra illum Deo offerantur. 5. Negatur assumptio: Eucharistiæ oblationem valere pro peccatis dimittendis. Ad enim est acceptum ferendum oblationi Christi in cruce. Atque hæc sola est diuina animæ nostræ panacea, non vero oblatio Missæ.

VI. Superfunt duo epitheta Pistorij: Missam esse sacrificium applicatorium & repræsentatiuum. Quæ etiam est aliorum Papistarum sententia. Verum enimvero hæc duo elogia sunt partim aliena; partim cum vero & reali Christi sacrificio, quod in Missa peragi dicitur, aperte pugnant; partim denique, non Missæ, sed sanctæ cœnæ competunt. Et primo quidem, quod de applicatione & repræsentatione sacrificij Christi dicitur, id non est in questione. Nam vtramque illam concedimus. *Repræsentatio* est de sacrificio propitiatorio. Deinde Missa dicitur esse illud ipsum sacrificium, quod Christus in cruce obtulit, hoc tantum discrimine, quod sacrificium in cruce sit cruentum, in Missa incruentum. At applicatio & repræsentatio sacrificij cruenti realiter differt ab ipso sacrificio cruento. Denique instrumenta, siue media, quibus Deus nobis applicare vult Christi meritum & beneficia, sunt verbum & sacramenta, per quæ fides accenditur atque fouetur, qua apprehenditur Christus. Cæterum etsi nulpam in N. T. occurrat sacrificium, siue applicatiuum, siue repræsentatiuum: tamen docendi causa sic appellari potest S. Eucharistia, vt pote quæ est *αὐτὴ ἡ ἑσθία* & repræsentatio mortis Christi, siue sacrificij ipsius cruenti. Atque hoc sensu etiam appellari potest sacrificium incruentum. Vbi enim de re ipsa constat, non oportet *δύσκολον εἶναι τὴν φωνήν*.

CAP. XII.

De efficientia Missæ.

I. EFFICIENTIAM sacrificij sui propitiatorij & impetratorij Bellarminus tribus fere propositionibus circumscribit. 1. sacrificium habere vim per modum impetrationis; & eius propriam efficientiam esse impetrationem. 2. missam habere vim ex opere operato. 3. missam recte offerri & celebrari pro viuientibus in purgatorio degenibus, & sanctis in cælo regnantibus.

Primam propositionem probat: quia hæc est efficientia sacrificij in genere; & in specie hoc sacrificium, nempe Missa, præcipuam vim habet, vt à Christo summo sacerdote offertur. Christus autem nunc, nec mereri, nec satisfacere potest, sed solum impetrare, igitur impetratio est propria huius sacrificij vis & efficientia.

Secundam propositionem ita probat: quia hæc sit sententia communis apud theologos: & etiam Concilij Tridentini *sessio. 22. cap. 1.* vbi cum de peccatis per hoc sacrificium remitti peccata, reddit causam, quia eadem est hostia, & idem offerens, qui fuit in sacrificio crucis. Eadem autem est hostia, & idem offerens, qui fuit in cruce, siue minister sit bonus, siue malus.

Tertiam propositionem confirmat partim antiqua & diuturna praxi Ecclesiæ; itemque testimonijs Patrum, qui pro viujs & mortuis hoc sacrificium plurimum valere asserunt, & iam olim pro vtriusque oblarum esse testantur: partim ratione, quia pro viuientibus, itemque pro degen- tibus in Purgatorio fiat hoc pacto vera propitiatio, beatis autem in cælo regnantibus maior gloria accedat, ex cultu inuocationis.

II. Etsi multiplex in hac dissertatione est petitio principij: tamen & hanc molestiam deuorare oportet, vt nihil relinquatur intactum, quod simpliciores in errorem abducere possit. Cum vero Eucharistia non ad Deum vere placandum, aut veniam peccatorum tunc demum obrinendum; sed ad mortem Domini cum gaudio annuntiandum, & gratias eidem solenne agendum instituta sit: cumque proinde eiusdem celebratio nullatenus agendum instituta sit: cumque proinde eiusdem celebratio nullatenus omnino proficit, nisi viuientibus, & quidem, si de immediato eiusdem fructu agatur, non nisi ipsam pie celebrantibus; omnino sequitur, verum Eucharistiæ finem, atque effectum proprium, per hanc Bellarmini doctrinam euerri, proque eo falsum & alienum substitui. Itaque negamus, per

opus illud operatum, quod in Missa peragitur & præstatur, Deum reuera nobis placari, aut cuiuspiam peccata expiari, aut gratiam Dei pro quoquam impetrari. Inprimis vero negamus, vllum ex hac actione fructum ad mortuos peruenire. Nam Eucharistia instituta est viuientibus: ipsique solis prodest. Missa autem est non-ens; ideoque nec viuientibus, neque mortuis prodest, neque etiam non-entibus, id est, in Purgatorio degen- tibus.

III. Ad primam & secundam propositionis confirmationem respondeo primo. Efficientia sacrificij à Deo instituti, in legitimo vsu, est aliquid impetra- re à Deo. Itaque nec Missa aliquid impetrat, quia non est à Deo instituta; neque opus operatum sacrificij alicuius potest aliquid impetrare. Nisi enim cum sacrificio externo coniungatur sacrificium internum, Deus illud aueratur. 2. Christus in statu gloriæ constitutus non offert aliquid sacrificium in his terris: quia semel in statu humiliationis hoc fecit & perfecit. 3. Christus in cælis apparet coram Patre, non vt impetret aliquid noui (omnia enim iam impetrauit, merito passionis suæ) sed vt pro nobis oret, suumque sacrificium præsentet in sancto illo sanctorum; & illud nobis in terra applicet: vnde omni generis beneficia in nos promanant. 4. Si Christus in ara crucis seipsum obtulit immediate; modo cruento, per Spiritum æternum: quomodo in Missa potest se offerre ita vt ibi sit idem offerens, & eadem victima; cum ibi dicatur offerre corpus inuisibile, siue ad ductum siue productum, mediate per sacerdotem, modo incruento, in ara siue mensa lapidea, lignea &c? Annon hoc est monstra monstris cum- lare.

IV. Ad tertiam propositionis argumenta respondeo primo. Diuturna ecclesiæ praxis, Patrumque dicta, non præiudicant diuinæ veritati. 2. Doctrina ista Pontificiorum non fuit recepta apud antiquiores: sed praxis ista progressu temporis sensim irrepsit, vt ex historijs constat. 3. Est petitio principij, Missam esse sacrificium expiatorium. 4. Contra purga- torium, & inuocationem sanctorum vide suo loco disputantem Chamie- rum.

V. Apud Bellarminum iam sequitur disputatio de Missa priuata, siue angulari & solitaria, quæ sit sine communione. Sed illam Chamierus fuscè persequitur. Itaque obiter solum illi us mentionem hic facimus, & no- strorum sententiam pauca delineamus. Concedunt nempe illi, sacram cœnam etiam in priuatis ædibus, si necessitas postulet, inque exiguo com- munitantium cœtu, denique in die aliquo profecto legitime celebrari posse: atque isto sensu priuatam Missam, id est, sacram cœnam, non illicitam esse fatentur. At solum sacerdotem, seu ministrum Ecclesiæ, Missam abs- que communione celebrare; aut in templo, & quidem in publico cœtu, sibi ipsi sacram cœnam priuatam ministrare; aut eam pro singulari aliqua per- sona, licet absente, & non communicante, item pro negotio aliquo pri- uato (quod videlicet publicam Ecclesiæ fidem, & confessionem, hoc est, proprium Eucharistiæ finem, non concernat) tanquam opus operatum celebrare: id vero prorsus absurdum, verboque Dei contrarium esse ita- ruunt. Itaque sentiunt, nullam Eucharistiæ celebrationem, nisi publicam esse debere, hoc est, cum aliqua fidelium, licet interdum paucorum, com- munionem coniungant. Id enim fecit Christus in prima institutione; idem- que fecerunt apostoli, primique Christiani sub apostolis, *Actorum. 2. & 4. 1. Corin. 11.*

CAP. XIII.

De lingua genere, deque modo vocis in officio Missæ.

I. Bellarminus de genere linguæ in hoc sacro officio adhibendæ ait; Missam in vniuersa occidentali Ecclesia, Latino non autem ver- naculo sermone, celebrandam esse, *libro secundo de Miss. cap. vnde cetero* idque probat sex rationibus. 1. quia oblatio sacrificij magis in re, quam in verbis consistit. 2. verba oblationis diriguntur ad Deum, non ad populum. 3. ver- ba oblationis submissa voce pronuntianda sunt: non igitur necesse est, vt ea lingua recitentur, quam intelligit populus. 4. sacrificium non offertur ad populum instruendum, sed ad Deum colendum; & ad impetranda populo beneficia. 5. si lingua vulgari sacrificium offerendum esset, duo grauissima incommoda sequerentur: vnum, quod oporteret frequenter mutare verba sac- rificij, cum vocabulâ, quæ vno tempore sunt vulgaria, non diu post desi- nant esse vulgaria; alterum quod tolleretur communicatio Ecclesiarum: nec enim posset sacerdos Italus in Gallia, neque Gallus in Italia &c: sacrificium offerre. 6. accedit antiquissima Ecclesiæ consuetudo. Nam in toto oriente non inueniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ, aut Chaldaicæ: in toto an- tem occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt, nisi Latinæ.

II. Sed nostri hanc sententiam aperte damnant; quia diserto apo- stoli mandato *1. Corin. 14.* repugnat; quo iubemur, omnia facta officia sermone vernaculo, seu vulgo omnibus noto, in Ecclesia peragere, & sic proximum in Domino edificare. Ad argumenta Bellarmini respondemus; in primo, secundo, quarto, & quinto, principium peti. Neque enim proba- ri potest, Missam esse sacrificium. In tertio falsum assumitur, vt patet de seqq. In sexto est elenchus parium. Nam in oriente fuerunt vsitata hæc duæ linguæ, Græca & Chaldaica: & ideo in illis regionibus vsitata etiam fuerunt Liturgiæ Græcæ & Chaldaicæ. At in occidente lingua Latina est vulgo in- vsitata & incognita: adhibita autem est à Latino episcopo, vt vel hac ratione fidem faceret, Irenæum recte scripsisse; vocem *λατῖνῶν* continere caracte- rem bestiarum *Apo. 13.*

III. De modo vocis in hoc eodem officio Bellarminus *d. l. cap. 12.* pro- nuntiat, non necesse esse, vt omnia illic alta voce pronuntientur, sed quæ- dam sub silentio dicenda esse: idque probat his rationibus. 1. vtile est ad re- dam sub silentio dicenda esse: idque probat his rationibus. 1. vtile est ad re- uerentiam mysterij, vt non omnia alta voce dicantur. 2. habemus exemplum antiquæ Liturgiæ, tum Græcæ, tum Latinæ: vbi quædam præscribuntur di- cenda sub silentio. 3. habemus exempla sacrificiorum veteris legis: quia in sa- crificiis plerumque sola mente orabant, sine verbis; & *Leuit. 16.* solus sacerdos iubetur intra velum ingredi, & sacrificare, atque orare pro se & populo. 4. Christus ipse in sacrificio crucis, quod exemplar fuit omnium sacrificio- rum, in silentio oblationem peregit, nec trium horarum spatio locutus est

etiam sententiæ, quæ in Canone nostræ Liturgiæ alta voce pronuntiantur.

IV. Nos contra pronuntiamus, totum Eucharistiæ mysterium alta voce coram populo explicandum esse. Id enim ex ipsa sacræ cœnæ institutione, & vero proprioque sine ipsius, perspicuum est. Nam Christus instituit Eucharistiæ clara voce, & tum temporis vîrîta, adeoque discipulis accumbentibus cognita. Et scopus, seu finis, Eucharistiæ proprius, est solennis annuntiatio, seu commemoratio publica mortis Christi. Hunc vero finem assequi nō possumus, vbi clancularia, seu muta est ministrorum actio. Adde, quod veteres olim, multis seculis, hunc morem nostrum seruarunt, h. e. in actione cœnæ omnia clare exposuerunt: licet catechumenos, & alios nō communicaturos, è cœtu prius solenniter dimitterent. Vide *Chryostomum hom. 18. in 2. Cor. 11.* Et *Dionysius de hierarchia ecclesiastica c. 3.* ait: Percipiens ipse (sacerdos). & alijs tradens diuinam communionem: postremo desinit in gratiarum actionem, vna cum tota ecclesiæ multitudine, *καὶ πάντες τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ κυρίου*.

V. Argumenta Bellarmini sunt in speciem subtilia, sed reuera futilia. Nam reuerentia mysteriorum non in silentio, aut ignoto aliquo lingue genere consistit: sed è contrario hac ratione impeditur, tantum abest vt promoueatur. Neque enim hæc est vera reuerentia mysterij, quando aliquis attonitus aufertur videtque rem incognitam; sed, quando rem explicatam, & à se intellectam, eo loco habet, quo meretur. 2. Apud antiquiores melioris æui Patres hæc praxis Papistica non viguit, sicut vel ex apologeticis *Iustini*. & *Tertulliani* scriptis luculenter apparet. De recentioribus sequioris, & forte nequioris, seculi scriptoribus parum solliciti sumus. 3. Hic petitur principium: quia præsupponitur, Missam esse sacrificium. 4. Hic etiam est petitio principij: & falsa hypothesis adfertur. Nam prima Eucharistia, quam Christus instituit, non vero ipsius actiones & sermones in cruce, est exemplar celebrationis S. cœnæ, atque adeo primus, antiq̄uissimus, & optimus canō, seu Liturgia, seu Agenda.

CAPVT XIV.

De ceremoniis, & canone Missæ.

Penultima controuersia huius loci apud *Bellarminum lib. 2. de Miss. cap. 13. 14. 15.* est de ceremonijs Missæ, quas reuocat ad capita quædam, hunc in modum. Quædam sumuntur à persona, quædam à loco, aliæ à tempore, & hæc in rebus consistunt, & prærequiruntur ad sacrificium. Aliæ consistunt in actione, & adhibentur inter sacrificandum, partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium. Ex parte personæ requiruntur vestes sacræ: ex parte loci requiruntur templa, altaria, vasa sacræ, vt calix, discus, corporalia, item lumina. Ex parte temporis requiritur, vt fiat præcipue Dominicis diebus, vt ante meridiem, & ante omnem cibum. Ceremoniæ, quæ in ipsa Missæ celebratione adhibentur, ad quinque capita reuocari possunt. Aliæ enim ad Deum referuntur; vt eleuatio manuum, eleuatio oculorum, adoratio per inclinationem corporis totius, aut per genuum curuationem. Aliæ ad sacrificium: vt eleuatio, ostensio, fractio, commixtio. Aliæ ad sacerdotem celebrantem: vt tunica pectoris, & lorio manuum. Aliæ ad populum: vt salutatio, & dimissio. Aliæ ad ea quæ leguntur in Missa: vt cantus, & instrumenta musica. Præter has, quædam aliæ sunt communes multis rebus: vt signum crucis, asperio aquæ, thurificatio, osculum. Quas ceremonias omnes *generatim* dicit ad conciliandum ornatum, & seruandam *ειρηνην*, item ad excitandum deuotionem, plurimum prodesse. *In specie* vero singulas, aut exemplo aliquo ecclesiæ Iudaicæ (de quo *Exod. 17. & 25. & deinceps*, item per totum *Leuiticum* videre licet) aut traditione aliqua veterum ecclesiæ Patrum: aut denique mystica significatione aliqua, siue vtilitatis alicuius expositione, defendere conatur.

II. Nos vltro fatemur, absque ceremonijs vniuersum sacrum ministerium, in hac hominum ruditate, fere infructuosum esse: ac proinde non inuiti concedimus, etiam ipsam Eucharistiæ sine ritibus administrari non posse: imo Eucharistiæ, præcise acceptam, sacram ceremoniam esse dicimus. Sed inter has tamen, vt pote necessarias (quippe ab ipso Deo, & Christo institutas, & nobis cum singulari mandato traditas) & alias quædam sua natura profus adiphoras (vt pote humanitus introductas, & externo tantum ordini seruientes) accurate distinguendum esse docemus: ne & diuina cum humanis commisceantur, & libertas euangelica temere prodatur. Itaque omnino concedimus, liberos quosdam ritus ab ecclesiæ præfectis institui posse: sed quorum norma vnica sit ipsius Dei verbum, de spectanda semper adificatione, de que *εὐταξία καὶ εὐσεβεία* ecclesiæ, seu ordine & decoro, in sacra Liturgia obseruando. *1. Corinth. decimo quarto.* Opinionem vero præcise necessitatis, item diuini cultus, aut meriti coram Deo vti & nimiam ipsorum rituum multitudinem, nimiamque curam & inanem pompam, plane damnamus: vt pote & modestiæ, & simplicitati, & libertati Christianæ contrariam; imo etiam viam nouo Iudaismo, imo & spiritali tyrannidi, in ecclesiâ sternentem. Quæ de re iam olim *Augustinus* quoque *epistol. centesima decima nona*, merito conquestus est. Hoc igitur sensu demum ceremonias improbare solemus: idque non sine rationibus, ex Dei verbo petitis. Nam 1. Quia omnis *εὐλαβία καὶ εὐσεβεία*, hoc est, electitius seu voluntarius cultus, extra Dei verbum excogitatus, Deo displicet, sicut apostolus *Coloss. 2.* non obscure, per inductionem aliquot exemplorum, nobis ostendit. Ergo ritus isti saltem pro partibus diuini cultus habendi non sunt, neque vt præcise necessarij vrgeri debent. 2. Quia frustra dicuntur Deum colere, qui humanis traditionibus ita nituntur, vt eas diuinis præceptis exæquent, siue aliquam diuini cultus partem in ijs sitam esse putent. *Esa 29. Matth. 15. Marc. 8. & c.* Ergo opus est cauto, ne conscientiam nostram, vel aliorum oneremus. 3. Quia veri Christiani liberati sunt ab onere, seu iugo legis ceremonialis; quippe quæ Iudæorum propria fuit, *Gal. 4. & 5.* Ergo etiam multitudo talium rituum cauenda est, ne nouum Iudaismum introducere videamur. 4. Quia cultus N. T. est simplicissim⁹, & maxime spiritalis esse debet: vt Deus per illum in Spiritu & veritate colatur, *Iohan. 4.* cum ceremoniæ tantum ad externum hominem, non *κατὰ* directe ad conscientiam, pertineant, *Heb. 9. & 10.* Ergo & nimia cura,

siue fatigentia, hic cauenda est. 5. Quia ne apostoli quidem ipsi laqueum conscientijs aliorum iniicere voluerunt, *1. Cor. 7.* sed ritus à se ipsis approbatos, extra casum scandali, & contemptus, adiphoros esse voluerunt, *1. Cor. 8. & 10.* Non igitur hodierni Ecclesiæ præfecti maiorem hic potestatem, aut seueritatem exercere debent.

III. Contendimus igitur, in ceremonijs humanis debere esse libertatem Christianam, vt nec in parte cultus Dei censeantur, nec ad eandem alligentur omnes omnium temporum, gentium, & locorum ecclesiæ. Non igitur inuidemus alijs suas ceremonias & liturgias, dummodo vicissim ipsi non accusent nos hæreseos aut schismaticos, si nō adstringamus nos ad omnia, quæ ipsos in hoc genere delectant. Quæ de re obiter pauca quædam hic monuisse satis fuerit. 1. Multitudo ceremoniarum humanarum semper fuit ecclesiæ periculosa & inutilis. Facillime enim in superstitiones abeunt: & homines in seruandis hominum mandatis occupati, obliuiscuntur, & negligunt mandata Dei, & doctrinam salutis ac pietatis propriam. Docuit hoc in Papatu experientia. 2. Christus in ecclesia N. T. non vult esse *καταστασιαστικὸν* Iudaicam, hoc est, cumulari ceremonias ad imitationem veteris testamenti compositas: cuius abolitionem ista conformatione non vult obscurari. Ideoque paucissimas & simplicissimas ceremonias in N. T. instituit. 3. Reuerentia, quæ debetur sacramentis, totique ministerio; fides item, & inuocatio, & gratitudo erga Deum, non excitatur multitudine, aut splendore & pompa ceremoniarum, sed intellectu doctrinæ, & vsu veri ac legitimi sacramentorum, & ritibus quam proxime ad Christi institutionem accedentibus. 4. Nec modestiam & pietatem discipulorum Christi decet, hominum quantumuis splendida inuenta, præferre simplicitati Christi & apostolorum in sacramentorum administratione, quasi melius quàm illi, quisquam sciat, quid decorum, quid graue, quid cultus, N. T. quid alendæ pietati conueniens sit: nec sponsæ Christi decorus est habitus aureus, & gemmeus, & purpureus meretricis Babylonicæ. Hinc *Augustiana Confessio titulo de sacrificio* hunc ipsum ornatum Missalem dicit eum esse, quo Antichristus Deum suum colat. 5. Quæ per se sunt adiphora, propter circumstantias locorum, temporum, personarum, sæpe per accidens fiunt factu aut omissione necessaria: vel cū abierunt in superstitiones & abusus, vel cum scandalo sunt infirmis, & impediunt veritatis illustrationem. Est enim discrimin magnum inter Dei & hominum mandata. Quæ Deus instituit, vt sacramentorum ritus, necesse est retineri, abolitis corruptelis & abusibus, si quando obrepserunt: quæ autem homines constituerunt, & non habent aliquam causam necessariam, propter quam mutari non facile possint, vna cum abusibus tollenda sunt, ne deinceps sint erroris aut abusus occasio, vel instrumenta, vel species, præsertim quando alijs modis æque bene, aut melius ac tutius, commodum illud ecclesiæ potest consequi, cuius gratia primum instituta fuere. Sic Hiskias confregit serpentem æneum, postquam superstitionis materia factus fuerat, etiam à maioribus bono consilio erat asseruatus. 6. Non illico pro institutis veteris ecclesiæ habenda sunt, quæ Antichristus Romanus, & superstitionis monachi, inde ab annis circiter sexcentis, paulatim & successiue cumularunt. Alios Missæ ritus, ab alijs Papis inuentos ac præceptos, dubijs & confusis narrationib. proditur, adeo vt ne ipsi quidem Papistæ ex eius natalibus se expedire possint. 7. Sicut non sequitur: Hoc adhibuit Papa ad Missam suam: ergo est remouendum ab administratione S. cœnæ: sic etiam non sequitur: Hoc vsurpauit Papa in Missa: ergo est retinendum in administranda S. cœnæ. Neque sequitur: Hoc exclusit Papa ex Missa: ergo est excludendum ab administratione S. cœnæ. Vtrique enim peccant: & qui propter abusus, quos addiderunt homines, mandata Dei abijciunt; & qui vt statuta hominum tueantur, præcepta Dei negligunt & transgrediuntur. 8. Habet quidem ecclesiæ potestatem, salua conscientiarum libertate, instituendi aliquas ceremonias, ordinis & decori causa: sed hæc libertas intra hunc limitem consistere debet, ne quid præcipiat ecclesiæ, quod non habeat euidenter vsu, ad ea seruanda & exequenda, quæ à Deo præcepta sunt: nedum, quæ diuinorum præceptorum obseruationem impediunt, cultum Dei superstitione adulterant, aut specie eius contaminant. 9. Ornatus fastuosus & Aharonicus, calicum, patinarum, & similium rerum superstitio, sacrificiorum vinctio & rasura, lychni diuini, gesticulationes histrionicæ, decantatio verborum cœnæ, vultu & ore ad panem conuerso, susurratio in calicem, panis eleuatio, & ad eum, conuersis populi animis & oculis, adoratio, nolarum tinnitus ad verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: organorum & cantorum strepitus, profano quam sacro conuiuii melius conueniens, & horum similia, partim inepata sunt, partim superstitionis speciem habentia; partim periculosa, incommoda, & perniosa pietati: 10. Non apud nos temere & inconsiderate omnia, quæ in Missa geruntur, pariter damnantur, reijciuntur, & abolerentur; sed quæ ex legitima cœnæ administratione forma suffuratus Antichristus, ad Missam suam transtulit, vt hanc pro illa obtruderet hominibus, cœnæ Domini restituantur, à Missæ sordibus & similitudine vindicata.

IV. Hæc pluribus persequi libuit, vt ex ijs iudicium fieri possit de apparatu ceremoniarum, quas ex Bellarmino recitauimus. Ad illius argumenta breuiter sic respondemus. 1. Non omnes ceremoniæ Missaticæ faciunt ad conciliandum ornatum, seruandam *εὐταξίαν*, & excitandum deuotionem: sed quædam ex illis sunt adiphora, quædam superstitiosa, quædam ridicula, omnes nimis & immoderate, imo & impie, quatenus in ijs vrgetur opus operatum, inque illo collocatur pars cultus diuini, & nescio quod meritum: quatenus item Iudaismus aliquis per illas reducit, & libertas Christiana opprimitur, & simplicitas religionis Noui Testam. propria obsecratur. 2. Exemplum ecclesiæ Iudaicæ male allegatur: quia à statu Vet. Testamenti ad statum Nou. Testam. iniqua est argumentatio, quantum ad ceremonias. 3. Veteres Patres, vt Tertullianus, Iustinus, & alij, contenti fuerunt simplicitate Christi & apostolorum. Itaque illorum traditio non potest stabilire apparatus ceremoniarum Missaticarum. 4. Mystica significatione non debet esse figmentum cerebri humani, sed fundari in verbo Dei. e. g. Dñs accepit panem, quo vescerantur in mensa fregit, dedit discipulis, dicens, Accipite, edite & c. Hoc facite in mei memoriam. Et dixit per Paulum, Hoc est corpus meum, q̄ pro vobis frangitur. Et Paulus dicit, Panis, quem frangimus, est comunio corporis Christi. Vnus panis, vnum corpus multi sumus: quia oēs de vno pane participamus. Hic præcipitur sumtio panis veri, & haustus vini, itemq; panis fractio, tanquàm pars ceremoniæ sacramentalis: & exprimitur gemina eius ratio, significatio fracti cor-

poris Christi, & vniuersionis fidelium in Christo. Hæc est mystica significatio. Quare ergo Missa adhibet panes nummularios? quare fractionis ritum omittit? quare panem tangere prohibet laicis? quare illis calicem subtrahit? Putantne ex illorum ordine se exemptos fore, quibus dicebat Dominus: Sane bene abrogatis mandatum Dei, vt traditionem veltram seruetis. s. Vera & vniuersa ceremoniarum ecclesiasticarum vtilitas debet esse, vt sint adminiculū cultus Dei, itemq; pietatis & deuotionis nostræ, faciant deniq; ad vniuersam vniuersam. Ear iam aliquis per ceremonias Missaticas Bellarmini, & dispiciat, num ista vtilitas ibi habeat locum.

VI. Restat *Postrema controuersia*, de canone Missæ, & alijs, quæ in Missa recitantur. Vbi Bellarm. lib. 2. de Miss. c. 16. primo Missam diuidit in quatuor partes. Prima est, ab initio vsque ad Offeritorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum. Secunda, ab Offeritorio vsq; ad Consecrationem, quæ dicitur à Græcis *αὐτὸ φερόν*, à Latinis nonnullis canon minor. Tertia, a Consecratione vsque ad communionem, quæ dicitur canon maior. Quarta, a communionem vsque ad finem. Deinde ad sacrum Canonem à moribus Lutherano- rum defendendum aggreditur, c. 18. & seqq. vsq; ad c. 27. quod est vltimum de Missa. Hic de nomine, deq; auctore, & antiquitate Canonis multa disserit: videl. affirmans, canonem ita dictum esse, quod sit status, seu legitimus ordo, & quasi regula Missam ritè celebrandi, & preces in ea recitandi, quodq; ante mille an. sub Gregorio I. vere perfectus fuerit. Denique prolixè pugnat pro veritate quarundam precum, & speciatim sex orationum canonis proprie dicti: quippe de quibus potissimum, an recte se habeant, controuerti solet. Atq; hic varias absurditates, ac contradictiones, à nostris obijci solitas, adhibita distinctione aliqua, vel directe negare, vel oblique exculare conatur: vt preces illas sanctas & bonas esse demonstrat, & sic Missam suam hæc in parte etiam defendat.

VII. At nos contenti sumus ipso antiquissimo Christi, & apostolorum canone: quem etiã primitiua ecclesia, cum purior esset, satis diu olim vsurpauit: sicut apud Iustinum, Tertullianum, & alios antiquiores, præsertim in scriptis ipsorum apologeticis, videre est. Neq; tñ ideo lectiones sacras, psalmodias, preces, gratiarum actiones pro beneficijs Christi remouemus a cœna Dñi: sed eas potius repurgamus, augemus, illustramus, & tales adhibemus, quas non tñ pauci literati, & illi quidem vix etiam, sed totus Ecclesiæ cœtus intelligat, & partim animo, partim voce, ad suã edificationem in pietate, ac Dei publicam celebrationem, possit subsequi, atq; dicere, Amen. Hæc alere, & excitare pietatem, & decora esse cœnæ Dominicæ & Ecclesiæ salutaria, docet verbum Dei, ratio, & experientia, magis quam oēs istorum Romanæ formæ & linguæ Introitus, Salutationes, Collectas, Gradualia, Sequentias, Euangelia & Epistolas Dominicales, Offeratoria, Hymnos, & reliqua. His omnis apud nos aduentione ordinariæ, ante ritum & in ritu cœnæ, admonitiones de vera præparatione accedentium ad hoc sacramentum, de legitimo ei vsu, sine & fructu, & causis institutionis, & de beneficijs Christi: hortationes ad fidem, pœnitentiam, gratitudinẽ erga Christum, frequentem, & legitimam sacramenti vsurpationem. Bonæ sunt lectiones sacre, psalmodia, doxologia, preces, confessiones fidei, gratiarum actiones: si non bonum, eas ppter linguam peregrinam, & ppter explanationis & accommodationis defectum, & propter mutilationẽ, non intelligi à populo, neq; earum scopũ & vsum perspicere. Quare non satis est in ecclesia lectiones, cantiones, preces, desumptas esse ex Scriptura, nisi sic habeantur, vt intelligi possint à populo Christiano. Non intellecta n. non adificat ecclesiam, nec pietatẽ alunt aut excitant. Nequaquã ergo vsum linguæ Latinæ apud populos, eam non intelligentes, probandus est in sacris pagendis, q̄ non ad paucos tñ literatos, sed ad totum ecclesiæ corpus pertinent: vt ex professo docet apostolus 1. Cor. 14. Non bona tñ esse oportet, quæ vsurpantur in ecclesia, sed bene etiam illa vsurpari oportet, ac si in abusu tracta sint, ad vsum legitimum rētorari. Ceteros plerq; sunt in Missa, partim è Scriptura, partim aliunde corals, & aliquid quando non bene confuti: & non ad docendum, sed ad fascinandum populũ furdum & mutum, ac velut Eleusiniõrum admiratione stupentẽ, & in monstro ab hierophantibus numine hærentem. Etiã Magi & incantatores vt solent verbis è Scriptura desumptis, & sæpe sic excusant superstitiones suas, q̄ nihil nisi verba bona, nisi verba sacra vsurpent. At nemo recte institutus hæc excusationẽ admittit, sed culpã tanto grauiorem esse iudicat, quanto verba, quibus illi abutuntur, magis religiosa & sacra sunt. Non tantum cætera, quibus ornauit suam Missam, sed ipsa etiam institutionis verba, sacrilege profanauit Papa & conuertit in incantamentum, hoc nomine se & suam cohortem extollens supra omne, quod nominatur Deus, quod in ipsorum potestate esset, quoties vellent, ex pane Deum facere. Nõ ergo mirũ, si & alia Scripturæ verba, ad verum Dei cultum pertinentia, ad cultum idoli à se confecti transubstantent. Vt alia taceamus, q̄ de formis in Missa est abusus illius dicti: *Domine, nõ sum dignus, vt intres sub cœlum meum*: quod isti intelligunt, vt corpus tuum ingrediatur in os meum? Ac proinde non sequitur: Hoc è Scriptura sumtum est: ergo recte vsurpauit illud Papa in Missa. Neque sequitur: Papa his verbis Scripturæ abusus est in Missa: ergo debent retineri in administratione cœnæ. Quædam n. eorum necessaria sunt in Liturgia Christiana, vt recitatio institutionis, celebratio beneficiõrum Christi, quæ intelligitur à populo: quædam non necessaria ad hanc actionem cœnæ, sed adhibenda pro occasione, ad docendam ecclesiam, & celebrandum Deum, siue in cœna, siue alibi.

VIII. Et si ergo fatemur multas in Missæ textu contineri pijs collectas, nec non litanias, & similes preces, multas itẽ bonas Psalmorum, Euangeliorum, atq; epistolarum & c. particulas: tñ ipsum vniuersum Missæ corpus male cõfascinatũ esse, nec oēs partes suo loco rite collocatas esse, contendimus: quippe quæ diuersis temporibus, à diuersis Pontificibus, (vt supra ex Platina di- cebamus) adiectæ fuerunt. Quasdam etiã sententias, & preculas, vt plane suscepimus) adiectæ fuerunt. Quasdam etiã sententias, & preculas, vt plane suscepimus) adiectæ fuerunt. Quasdam etiã sententias, & preculas, vt plane suscepimus) adiectæ fuerunt.

plicari petunt, & c. Sic illa verba Canonis: *Suscipe S. Trinitas, hæc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam incarnationis, natiuitatis, circumcisionis, passionis, resurrectionis, & ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & c.* item, *Hostias tibi Domine laudis offerimus, hæc, inquam, verba cõtraducunt illis, Propitiare, quasumus, Domine, anima famuli tui, pro qua tibi hostias placationis offerimus.* Nam priora loquuntur de sacrificio eucharistico tñ, hæc de propitiatorio. Talis contradictio est, quando dicit Canon multas hostias offerri, & vnam duntaxat offerri. e. g. *Suscipe preces populi tui cum oblatione hostiarum*: item, *Hostias, quas tibi pro animabus famulorum famularumq; tuarum offerimus*: item, *His sacrificijs placatus, Domine, suscipe animam famula tua à peccatis exutam*: itẽ, *Hostias tibi, Domine, humili supplicatione pro anima famuli tui deferimus, vt per hæc salutis nostræ sacrificia perpetuam lucis beatitudinis misericordiam consequamur.* Hic habemus hostias, & sacrificia. At in illis est hostia, & sacrificium: *Pro animabus famulorum famularumq; tuarum hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam, vt hoc sacrificio vinculo horrenda mortis exuti vitam mereamur æternam.* Sic Tridentini Patres Missæ sacrificiũ vocant singulare. Porro quia hæc verba canonis præcedunt consecrationẽ, quidam per dona, munera, & sacrificia intelligunt substantiam panis & vini: atq; ita renuntiant suæ sententiæ de Missæ sacrificio: sequeretur n. non Christum ipsum, sed panẽ & vinum offerri Deo in Missa, p animarum redemptionem: quo vix aliud quiddam detestabilius dici potest. Alij exponunt per enallagen tempus præteritum pro futuro: quoniam, inquiunt, mox futura est transubstantiatio: ac p inde verba illa de corpore & sanguine Christi exponunt. Sed corpus & sanguinẽ Christi, adeoq; ipsum Christum dici, hostias, non, hostiã, sacrificia, non, sacrificium, ante illa Missæ secreta, inauditum fuit. Videant etiã quam belle hæc sententia de corpore & sanguine Christi conueniat cum sequentibus. in isto canone: *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quasumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui Iesu Christi.* Sed si oblatio iam est corpus, cur rogant, vt fiat corp? pergamus in Canonem: *Munera, quasumus Domine, oblata sanctifica*. Item: *Supra qua propius ac sereno vultu respice digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahami.* I. e. *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti tui angeli in sublime altare tuum, in conspectu diuina maiestatis tue.* Si hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, sunt corpus & sanguis Christi, adeoq; ipse Christus; cur rogant, vt Deus hæc munera oblata sanctificet? Quid? viderunt illis corpus Christi sanctificandum, vel Christus ipse sanctificandus? Quid, inquam, quod rogant, vt Deus corpus & sanguinẽ Christi & Christum ipsum acceptabilem habeat? Ergone Pontificij sacrificij se mediatores pro Christo apud Deum constituunt? Imo vt Deus istam oblationem acceptam habeat, sanctorum merita proferunt, quoties in honorem sanctorum suorum Missas celebrant. Hoc a, viderint satine sibi consentiat: videl. celebrare Missas in memoriam sanctorum, in quibus hæc verba Christi recitant: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Porro cur corpus & sanguinem Christi in cœlum (vbi Christus est) deferri volunt per manus angeli? Deniq; potestne dici quidquã absurdius, dum rogant vt corpus Christi Deus acceptum habeat, quemadmodum olim accepta habuit Abellis & Abrahami sacrificia; Explicent omnia sua sophismata Papistæ, & quantum licet omnia suarum distinctionum præsidia conquirant: nunquam se profecto ex his laqueis expedient, quos ipsi in sese contextuerunt. Quod n. aliquando de Heraclito & Anaxagora vulgo dictum est, ipsorum sententias seipsas tollere, id verissime de Pontificijs dici potest, Missæ sacrificium defendentibus, iisdemque Missæ sacrificium euertentibus.

VIII. Hic itaq; est bellus ille canon non canon: qui quomodo, & à quibus, & quo prætextu paulatim consarcinatus sit, si scire cupias, vide *Polydorum Vergilium* lib. 1. de rebus inuentoribus c. 11. & *Platinũ*, in vitis Pontificum, & *Carranzam* in summa Conciliorum: vbi quantum satis est, inuenies. Atque ita simul mirari desines, cur ea, quæ veteres de oblatione panis & vini, deq; communionem vere Eucharistica, non adeo male tradiderunt, cum hodiernis aduersariõrum dogmatibus, de Missæ sacrificio vere propitiatorio, deq; reali ipsius oblatione, tam inepte cohæreant, tamque difficulter ab ipsismet aduersarijs conciliari possint.

IX. Et tantum de Missa; quam vir quidam mihi amicissimus denotari putat *Heb. 6. 6. Vt qui rursum crucifigens sibi filium Dei, & ad ignominiam exponant.* In Græco est, *παροδὸν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*. Et si n. apostolus ibi agit de apostatis, quos Deus non vult renouare ad resipiscentiam: quia violaretur inuiolabilis eius maiestas, si hoc faceret: quippe hoc perinde esset ac si illi rursum sibi crucifigerent Filium Dei, & ad ignominiam exponerent: etenim in cruce Filij Dei, in qua olim salutem se querere professi fuerunt, eandem vero nunc irrident & contemunt, denuo profiterentur, se salutẽ querere: quod quid aliud esset quam Filium Dei ad ignominiam exponere, quasi ipsius gratia perulantibus contemtoribus esset exposita: et si, inquam, de apostatis illis proprie est ibi sermo: nihil tñ impedit quo minus ad Missificos hæc ipsa verba referantur. Illi n. reuera cõnantur in hoc suo sacrificio Filium Dei crucifigere, & quidem sibi, h. e. pro peccatorum suorum remissione: At quomodo? Ita vt ignominiam exponant & velut ostentui habeant, partim sacrificium Christi in cruce perfectum partim ipsam Eucharistiã. Hoc n. vere est *παροδὸν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* Christum crucifixum & ipsius sacramentum. Missa siquidem est spectaculum scenicũ, in quo ritibus theatricis sacrificium Christi infamatur, & ignominiam exponitur. Atq; si apostata sibi crucifigunt denuo Filium Dei, eumq; exponunt ad ignominiam, multo magis illi, qui sacrificium Christi in cruce faciunt ludum, quando illo non contenti, *παροδὸν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* horribili illud iterant. Factum itaque, & procul facellat hæc Pandora: facellat hic *παροδὸν ἑαυτοῦ καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*, quo Christus alijs spectandus, & tantum non irridendus proponitur.



PANSTRATIÆ CATHOLICÆ TOMI QVINTI

LIBER PRIMVS,

Qui est

DE NATVRA ET PRIVILEGIIS ECCLESIAE
in his terris.

Caput Primum.

Vox Ecclesie explicata.

Locus quintus & vltimus Panstratiæ Catholicæ, est de Ecclesia. Quod argumentum ex professo & accurate persecuti sunt Sadeel, Mornaus, Wishakerus, Raivoldus, Lunius, Sutilnius, Mortonus, Willetus, Gomarus, Sibrandus, nostri: Iohannes de Turrecremata, Iohannes Driedo, Albertus Pighius, Hofius, Petrus à Soto, Cochlaus, Eckius, Arturus, Turrianus, Gregorius de Valentia, Bellarminus, Costerus, Becanus, Papisia.

II. Ecclesia (vt primo de nomine dicamus) παρουσια, hoc est, ab euocando, nomen habet; quasi dicas euocationem, siue cœtum euocatorum, proprio; figurate vero & μετανοιακως, locum euocatorum: quem admodum eodem argumento Latini olim concionem à conciendo, hoc est, conuocando, dixerunt. Atque ita Hebræi Ecclesiam appellarunt קהל, à conuocando, quod est Hebræis קהל, Fœmininum est קהל. Eodem sensu iisdem dicitur קהל à congregando; quod est Hebræis קהל, q. d. שוואהו.

III. Vox hæc εκκλησια, olim apud Athenienses vsitata fuit. Nominarunt enim illi cœtum ciuium, qui voce præconis è reliqua turba, quasi nominatim euocabatur ad concionem, vel ad audiendam Senatus sententiam, εκκλησια. Hinc scriptores sancti hoc nomen mutuo sumserunt, & ad sanctiorem usum transfulerunt; & id quidem aptissime. Nam qui ad veram Dei Ecclesiam pertinent, neque fortuito, neque sua sponte, vel viribus proprijs freti, ad eam conflunt; sed vel immediate à Deo vel mediate voce præconum verbi, ex hoc mundo euocantur. Sic Abraham è Chaldaeis, Paulus è cœtu Pharisæorum euocatus fuit.

IV. Danaus quidem hanc Ecclesie deriuationem ab euocando improbat, quia euocare sit extra vocare. Ergo (inquit) si Ecclesia ab euocando deducitur, cœtus erit extra DEVM vocatus: atqui Deus contra ad se vocat, non à se amandas Ecclesiam suam. Sed particula εκ significat separationem, nimirum ex mundo, non verò à Deo. Itaque merito retinetur nomen εκκλησια: vtpote quod vi particula εκ notat separationem ex mundo, & vi verbi κληει collectionem siue congregationem ad regnum Dei; quorum illud significat terminum à quo, hoc terminum ad quem. Vnde Paulus Apost. ecclesiam aliquoties vocat κλητους αγιους, vocatos sanctos.

V. Quæratione etiam dicitur συναγωγη, Iacob. 1. v. 2. & επισυναγωγη. Hebr. 10. 25. Fallitur itaque Bellarminus, quando lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 1. ita scribit: Populus veteris testamenti proprie dicitur synagoga, id est, congregatio, populus N. T. nusquam dicitur synagoga, sed semper Ecclesia, i. e. euocatio. Congregari enim commune est hominibus cum bestijs: at euocari proprium est hominum.

VI. Hanc sententiam Bellarminus ex Augustino sumit: qui in psal. 77. ait: Nostram apostoli nunquam dixerunt synagogam, sed semper Ecclesiam. Et in Psal. 80. scribit, ecclesiam Iudæorum dictam esse synagogam, id est, congregationem, quod congregari & pecora solent, atque ipsa proprie, quorum & greges dicimus: Christianorum vero ecclesiam, id est, conuocationem, quia conuocari est magis ratione vrentium. Priorem Augustini assertionem labefactatis, quem citauimus, Iacobi locus, c. 2. v. 3. εις εισελθη εις την συναγωγην υμων, si ingrediatur in synag. g. in vestram, hoc est, in Ecclesiam, vbi conuentus est Christianorum. Latinus interpres vocem Græcam Iacobo vsurpatam vitans, vt videtur, de industria, vertit, in conuentum vestrum. Itaque Augustini & Bellarmini assertio de Latina versione reperitur vera. Ignatius epistol. 1. coniungit hæc duo nomina: κληεις προσευτεσαι, εκκλησια οκ εσιν, ου συναγωγη αμα. ου συναγωγη εκκλησια, siue presbyterus ecclesie non est, neque congregatio sacra, neque synagoga sanctorum. Posterior Augustini, & ex eo Bellarmini, assertio, refutatur ex Iohann. decimo v. tertio. vbi pastor dicitur κληειν σεβαστα; & ex Xenophontis Cynegetico, vbi κληειν de canibus vsurpat.

VII. Fatemur tamen ab Apostolorum temporibus vocem synagogæ de Iudæis κλη εισελθη vsurpatam, vt vocabulum Ecclesie de Christianis: idque μετανοιακως, vt loquuntur. Atq; hæc distinctio à Patribus plerumque obseruata fuit. Vbi & illud ος εν παροουσια adnotare non ab re fuerit: vt apostolus Hebr. 10. 25. de ecclesiasticis conuentibus vsurpauit nomen επισυναγωγη; ita

falorum Christianorum cœtus à Græcis appellari παρουσια, falsus synagoga.

VIII. Porro vox Græca Ecclesia, Hebraica קהל, & Syriaca קהל, in Scripturis aliquando accipitur pro loco, aliquando pro cœtu. De loco, siue templo materiali, vsurpatur Deut. 12. v. 1. Non ingredietur læsus attritione testium, & abscissione membri קהל in Ecclesiam Domini: Non ingredietur spurius קהל in Ecclesiam Domini, hoc est, in sanctuarium siue domum Dei. קהל sicut Ierem. explicat Thren. 1. 10. Sic I. Cor. 11. 18. κληεις ος συνερχομεν υμων εν τη εκκλησια, Syriacè קהל Primus quidem enim cum conuenitis vos in Ecclesia, hoc est, in templo. Sic Iudic. 20. 2. Ps. 68. 27. Iudic. 2. 16. I. Cor. 14. 34. Leu. 16. 31. 2. Maccab. 1. 14. c. 2. 9. Hinc August. q. in Leuit. lib. 3. q. 57. ait Ecclesia dicitur locus, quo ecclesia congregatur. Est itaque hæc metonymica vocis huius acceptio. Vbi non est prætereundem, in primitiua Ecclesia synagogas Iudæorum seruisse Iudæis & Christianis ad cultum Dei continentiibus Act. 15. 21. & 19. 9. Iacob. 2. 2. Ita Hieronimus ex Philone ait de preparat. euang. lib. 10. cap. 12. Concurrunt ad loca sacra, quæ synagogæ dicuntur, singulis sabbatis: vbi ordine sub senioribus iuniores confidere solent. Verum synagogæ nomen de locis Iudaicis solis mox vsurpati cœpit: Christianorum autem loca ecclesia, κλη, & κυριακη, & κυριακη dominica, & εκκλησιασθησα, sunt vocata. Porro, quod in Ecclesiastica historia dicitur, Constantinum Magnum circumduxisse Ecclesiam portatam, id de supellectilibus & libris sacris, quorum vsus est in cœtu priorum, intelligendum. Et Scholastici Ecclesiam materialem vocant templum cum ædificijs suis.

IX. Voces istæ εκκλησια, קהל, קהל, vsurpatæ de cœtu, aut malam, aut bonam in partem accipiuntur. Significant enim vel cœtum impiorum, Gen. 49. 6. Num. 16. 21. & hæc dicitur ecclesia malignantium, Psalm. 26. 5. vel cœtum mortuorum, Proverb. 21. 16. vel denique cœtum hominum ad profanum, aut sanctum finem conuocatorum. Prioris acceptio exemplum est 1. Reg. 8. 14. vbi קהל קהל est cœtus & conuentus totius populi ordinatus, ac per suos ordines euocatus. Sic vers. 22. & alibi Ita Act. 19. 32. dicitur εκκλησια συγκεχυμενη, concio confusa; & ibid. vers. 39. dicitur dimissa ecclesia, hoc est, concio illa temere congregata. Posterior acceptio quæ in Scripturis est vsitatio, aut est propria, aut figurata. Proprio sumta vox Ecclesie, totum cœtum fidelium ex viatoribus & comprehensibilibus, item pastores & ouibus constantem; significat, Eph. 5. 25. Figurate vero vsurpata, per synecdochem significat, vel ecclesiam triumphantem, Apoc. 2. 1. & 2. 2. Heb. 12. vel ecclesiam militantem, 1. Tim. 3. 15. Apoc. 12. vel pastores & præfectos ecclesie, Mar. 18. 17. quæ vulgo dicitur Ecclesia representatiua: vel denique oues siue auditores; & ita est ecclesia alia publica, vt Corinthia, vel familiaris, Act. 20. 28. alia priuata siue domestica, Rom. 16. 5. 1. Cor. 16. 19. Col. 4. 15. Phil. lem. v. 2. Confer infra lib. 4. c. 1. §. 1.

X. Et ita quidem vocabulum hoc Ecclesia sumitur in Scripturis. In disputationibus theologis hæc eadem vox ampliatur, ita nempe vt Ecclesia absolute dicta sit cœtus eorum, quos Deus euocat è natura & modulo naturali ipsorum per gratiam in dignitatem filiorum suorum ad nominis sui gloriam. Genera autem, siue partes generales Ecclesie huius, sunt duæ: angelicum & humanum genus. Rursus Ecclesie huius absolute dictæ, & partium illius vocati à Deo est duplex, vna per naturalem gratiam, communis omnium; altera, per gratiam supernaturalem, quæ gratia dicitur κλη εισελθη, cum naturæ opponitur. Quæ vocatio per naturalem gratiam omnibus communis est, fit à Deo secundum esse naturæ communiter. Vocati enim sunt hoc modo, angeli & homines, quatenus donati fuerunt imagine Dei, adeoque supra res creatas cæteras euecti. Peculiariter tamen homines protoplasti in statu innocentie constituiebant ecclesiam verbo legis & sacramento arboris tum vitæ, tum scientiæ boni & mali informatam. Atque hæc est Ecclesia filiorum Dei iure creationis. Ex qua quia multi angeli, & omnes homines in Adamo & Eua exciderunt, in eius locum substituta est Ecclesia filiorum Dei iure confirmationis & redemptionis. Ius confirmationis locum habet in angelis bonis, ius redemptionis in hominibus electis. Itaque Ecclesia Catholica absolute, siue late, duas habet partes integrantes, angelos bonos, & homines electos. Quod attinet ad angelos bonos, illi sunt

Sed accidunt per sepe tempora, quibus aut noua Ecclesia generatur, aut altera pars interrumpitur, & tamen Ecclesia esse non desinit, forma nimirum essentiali adhuc permanente. Sic pastores Ecclesiam colligunt vbiante non fuit; quod omnium maxime & excellentissime fecerunt Apostoli. Sic Ecclesia pastoribus suis destituta, pastores illos suos desiderant, eosque animo & potentia retinent, quibus sunt orbi acti, per voluntatem Dei & hominum iniuriam. XVIII. *Diuerfas Ecclesiae aetates oportet accurate distinguere*: Id enim nisi obseruetur, committitur elenchus a tempore ad tempus. Ita nullum est argumentum ab encomio Ecclesiae Romanae, quod est Rom. 1. ad encomium Ecclesiae Romanae post annum Christi 600. XIX. *Cum Ecclesia errante oportet communionem colere: cuius haereticam & schismaticam non item*. Ratio prioris est; quia nostrum est dare operam, vt Ecclesia errans ab errore reuocetur. Ratio posterioris est in praescripto Christi Matth. 7. 15. atque Apostoli Rom 16. 17. Tit 3. 10. 1. Iohan. 4. 9.

XIII. Atque haec sunt fere omnes distinctiones Ecclesiae: quarum diligens obseruatio deinceps manifesto indicabit, Papistas in hac causa perpetuo confundere accidentia cum rei essentia, merisque paralogismis accidentis & secundum quid ludere. Nunc a praecognitis siue praeludiis huius disputationis de Ecclesia, veniamus ad arcem causae, & primo dispiciamus, An Ecclesia Catholica sit visibilis?

C A P. III.

Ecclesia inuisibilis asseritur, ex mente Catholicorum.

I. IN prima acie collocamus hanc quaestionem, quae alias secundo loco proponi solet. Tamen enim materia naturae ordine prior est quam forma, & ita prius disceptandum videtur, Quinam pertineant ad Ecclesiam, quam, An Ecclesia sit visibilis vel inuisibilis: tamen quia ex omnibus distinctionibus capite superiori propositis haec vna in disputationem adducitur, & vero disputatio de membris Ecclesiae magnam ex huius quaestionis elucidatione lucem accipit, visum fuit faciendum, vt illi primum locum assignaremus.

II. Et si autem plures inuisibilitatis Ecclesiae Catholicae rationes, siue causae efficientes, assignari solent a nostris; puta, quod Ecclesia Catholica non cadat sub aspectum tota & vniuersa, quatenus omnes particulares omnium locorum & temporum Ecclesias complectitur, tum quia bona eius pars in caelo triumphat, tum quia ne tota quidem Ecclesia militans sub aspectum nostrum semel & simul cadere potest: item, quia forma ipsius interna & notae videri non possunt, videlicet vocatio interna, fides, sanctitas: denique, quia Ecclesia Catholica, vt est coetus fidelium eodem tempore viuentium, aliquando instar lunae ita obscuratur, vt vix vlla eius facies, seu splendor externus, vsquam appareat: etsi, inquam, Ecclesia Catholica tot modis dici potest inuisibilis, tamen solus secundus ille est huius loci. Nam primum concedunt Papistae, & tertius pertinet ad defectionem Ecclesiae, infra ca. 16. At hoc loco in eo vertitur omnis quaestio inter nos & Papistas. *Sine Ecclesia Christi militans, quatenus vere & formaliter mysticum Christi corpus est, cuius membra sunt homines electi vera suo praeiudicio, an, inquam, sit per se & sua natura, siue per essentiam suam, nobis hominibus aspectabilis, ita vt digito quasi monstrari, aut sensibus externis vere apprehendi, ac diiudicari possit?* Cuius quaestionis negatiuam thesin nos defendimus, Pontificii vero affirmatiuam. Semper autem memineris Ecclesiae Catholicae, & particularis, quatenus in hac sunt credentes, eandem hoc loco esse rationem, seu, vtramque esse inuisibilem.

III. *Argumenta nostra ad quatuor classes reuocantur*: ita vt in prima sint dicta Scripturae; in secunda rationes directe concludentes; in tertia rationes indirecte concludentes, ex mente scilicet aduersariorum; in quarta testimonia venerandae antiquitatis. Haec argumenta primo indicabimus seu recitabimus, deinde vindicabimus.

IV. *Primum ex Scripturae argumentum* complectitur ea loca, quae naturam Ecclesiae Catholicae describunt partim a definitione, partim a proprietatibus ipsius. *Definitio Ecclesiae Catholicae est*, quod sit multitudo credentium, Spiritu Christi praedictorum; seu coetus electorum, iustificatorum, & glorificandorum; seu breuissime, coetus praedestinatorum, iuxta illud Apostoli Rom 8. Quos vocauit, hos iustificauit: quos iustificauit, hos glorificauit. Quem locum Bellarminus ipse lib. 3. de Ecclesia militante cap. 1. de Ecclesia explicat. Eodem capite ad Romanos dicit Apostolus: Qui non habet Spiritum Christi, non est eius. Item 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua creatura est. Vnde efficitur, Ecclesiam Christi, quae fidelium & piorum societas est, non magis aspectabilem nobis esse, quam sit ipsa vera fides, aut Spiritus Iesu Christi, in ipso corde, videlicet, latens: prout Rom. 10. & Gal. 4. dicitur. At corda hominum solus Deus intueri potest. Ergo *Proprietates Ecclesiae Catholicae in Scriptura sunt*, non venire cum obseruatione, seu pompa externa; esse domum Dei spiritualem, cuius viui lapides sint Christiani; esse corpus mysticum; esse domum immobilem; esse puram & ornatum intrinsece; non esse montem tractabilem &c. *Prima proprietates est* Luc. 17. 20. Regnum Dei non venit in speculo, & in gloria; cum obseruatione, seu specie & pompa externa: neque dicent, ecce hic aut illic: quia ecce regnum Dei intra vos est. Ex quibus verbis apparet, Ecclesiam esse regnum Dei occultum & spirituale; non autem externum & mundanum; eoque clam & occulte semper propagari, ac veluti serpente; quatenus in vera fide & pietate totum consistit, quae intus in animis hominum sita est, & proinde neque sub aspectum aliorum cadere, neque externam vllam pompam, seu splendorem huius seculi, quidquam morari solet. Ergo vera Christi Ecclesia se nobis inconspicua est. *Secunda proprietates est* 1. Petr. 2. 5. Et ipsae tanquam lapides viui super aedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes hostias spirituales. At domus spiritualis in externos sensus incurere non potest, perinde vt domus aliqua materialis. Neque constare nobis potest infallibiliter, quinam reuera huius domus seu aedificii viui lapides sint, & sacerdotium sanctum. Quae autem ratio est omnium & singulorum lapidum, eadem quoque est totius aedificii: ita vt si illi inuisibiles sint, etiam hoc tale sit. *Tertia proprietates est* 1. Cor. 12. Eph. 1. & 4. & 5. vbi Ecclesia dicitur esse corpus Christi mysticum; cuius caput sit ipse Christus, reliqua autem membra sint omnes, & soli Christiani; & adeo qui-

dem arte Christo coniuncti, vt sint caro de carne eius, & ossa de ossibus eius. Vnde multiplex argumentatio pro nostra sententia potest deduci. Nam neque mysticum siue spirituale corpus, perinde vt physicum aliquid, vel artificiosum, videri potest: nec ratio vlla dari potest, cur totum illud corpus visibile dicatur, cuius neque caput actum iam videtur, neque vera & formalis ipsorum membrorum cum suo capite vno, seu spirituales & arcana coniunctio, videri potest: Denique fieri non potest, vt homines impii cum natiuis Christi membris, siue carne & ossibus, copulentur; quia hoc perinde foret, tanquam si cum homine belluam copulemus. *Quarta proprietates est* Luc. 6. 46. Qui audit & facit, similis est homini, qui aedificat domum suam super petram, quae inundatione facta non potest moueri, quia fundata est super petram. Quem locum Stella in Lucam, scriptor Pontificius, eleganter sic explicat: Super petram aedificat, qui aedificat super Christum. Nulla tentatione superatur, vt B. Paulus triumphans, Quis, inquit, separabit me a charitate Christiani tribulatio. Similis locus est Matth. 16. 18. Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: & porta inferorum non praeualebunt aduersus eam. Super quem locum ita commentatur Caietanus Cardinalis: Aduersus Ecclesiam, quae constat ex congregatione fidelium, vna fide, spe, & charitate. Et Ferrus super eundem locum: Non loquitur de Ecclesia sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, siue boni sint, siue mali, sed de Ecclesia secundum Spiritum, quae solos electos complectitur. Sic illi. Hinc ita disputamus. Ecclesia, quae non potest separari blanditiis, persecutionibus, falsis dogmatibus, vitis carnis &c. est electorum tantum, non vero etiam impiorum, quippe qui in Ecclesia visibili cedunt & succumbunt istis omnibus, quae diximus. Itaque illa Ecclesia est inuisibilis. *Quinta proprietates est* Psal. 45. 14. Omnis gloria filiae regis ab intus. Eph. 5. v. 25. 26. 27. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum pro ea tradidit, vt eam sanctificaret, postquam purgasset lauacro aquae per verbum, vt sifteret eam sibi gloriosam, id est, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam eiusmodi, sed ut esset sancta & inculpata. Apoc. 21. 10. Et sustulit me per Spiritum in montem magnum & sublimem, & ostendit mihi ciuitatem illam magnam, sanctam, inquam, illam Hierusalem, de caelo descendentem a Deo. Apoc. 12. 1. Vidi mulierem amictam sole. Quibus verbis describitur interna gloria Ecclesiae Catholicae, consistens in iustitia imputata & inchoata. Hinc Aquinas super locum citatum ex Eph. 5. eleganter ait: Id est, vt exhiberet ipsam suam Ecclesiam immaculatam, hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Et Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 27. ita scribit: Omnis pulchritudo filiae regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum, praedestinatorum ante mundi constitutionem. Idem in expositione Apocalypsis super cap. 21. ait: Ciuitas ista, quae describitur, Ecclesia est, quae toto terrarum orbe diffusa est. Et Thomas super Apoc. 12. solem interpretatur Christum, quia Ecclesia Christum induit, & Christo ornatur illuminante & decorante. Lunam vero sub pedibus calcare dicitur, quia terrena omnia despicit. Christus est sol propter claritatem, quam efficit in Ecclesia, siue iustis. Ita Thomas. Ex his ita argumentamur. Omnis Ecclesiae splendor, omnique gloria & maiestas ipsa est inuisibilis: & est tota immaculata: est sancta: est amicta sole iustitiae. Ergo est inuisibilis. Speciatim ex Apoc. 21. 10. tale ducitur argumentum: Iohannes spiritu raptus est extra se, & extra corpus, & extra omnem sensum corporis, vt Ecclesiam Catholicam videret. Ergo illa non nisi spiritu cernitur. *Sexta & vltima proprietates est* Hebr. 12. 18. Non enim accessistis ad montem tractabilem, & incensum ignem, sed ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis. Atqui mons iste Sion, seu ciuitas illa caelestis, Ecclesiam Catholicam significat, quae propterea contrectabilis, seu palpabilis monti opponitur, vt eius inuisibilitas, respectu nostri, significetur. Quare etiam caelestis Hierusalem ibidem appellatur: vt non modo origine diuinam, sed & sua natura spiritualem, ac proinde inuisibilem, esse intelligamus. Vide etiam Gal. 4. sub finem, de caelesti Hierusalem.

V. *Secundum ex Scripturis argumentum* sumitur ex iis locis, quae naturam & conditionem filiorum Dei, hoc est, credentium, qui soli constituunt Ecclesiam Catholicam proprie dictam, describunt. Et primo quidem Deus ait Ierem. 31. 33. Dabo legem meam in cordibus ipsorum: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Hinc ita disputamus: Oculi non vident, neque sensus externi diiudicant, quibus Deus inscribat legem, in cordibus ipsorum, & cum quibus pangat hoc foedus suum, quod propheta illis verbis commemorat. At illi sunt membra Ecclesiae Catholicae. Quare, cum eadem sit ratio totius & membrorum, Ecclesia Catholica est inuisibilis. *Deinde Christus Iohan. 4. 23. ait*, veros adoratores, seu cultores Dei, Patrem in spiritu & veritate adorare. Vnde consequitur, cum Ecclesia Christi vera nihil aliud sit, quam talium Dei cultorum congregatio, eam nobis hic inuisibilem esse: siquidem sensus externus diiudicare non potest, quinam Deum in spiritu & veritate colant. Nihil sane illorum, quae sensibus externis apprehendi queunt, verum Dei cultorem constituit. Ergo Ecclesia vere piorum nobis inaspectabilis est. *Tertio Scriptura docet*, solum Deum, siue Christum, filios ac seruos suos habere cognitos: imo etiam a nobis hominibus istos videri non posse. Sic enim Christus Iohan. 10. ver. 14. ait: Oves meae vocem meam audiunt, cognosco eas, & cognosco ab eis. Quem locum Toletus Iesuita commentario in eundem sic explicat: Est enim animaduertendum, quamuis generaliter sint oves Christi, qui in Christum credunt, tamen particulariter hic Christus loquitur de praedestinatiss atque electis, qui oves in aeternum futurae sunt. Similiter Bellarminus l. 4. de Eccl. milit. c. 2. Loquitur Christus tantum de electis, qui perseueranter audiunt. Luc. 11. 28. ait Seruator: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. At hi sunt soli electi, qui constituunt Ecclesiam Catholicam. 2. Tim. 2. 19. ait Apostolus: Nouis Dominus eos qui sunt sui. Quem locum Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 51. & l. 20. cap. 18. sic explicat: Diabolus ligatus est, vt seducere Ecclesiam non possit. An solutus possit: Absit. Nunquam enim seducetur ab illo Ecclesia praedestinata, de qua Paulus: Firmum stat fundamentum Dei, habens hoc signaculum, Deus nouit qui sunt eius. Idem Apostolus Rom 2. sub finem distinguit Iudaeam & circumcissionem ita, vt sint vel coeli & terra, vel coeli & terra, quasi dicat, vel coeli, vel terra. Denique Apoc. 14. 1. dicitur, centum quadraginta millia hominum habere nomen Dei scriptum in frontibus, hoc est, notam soli Deo cognitam. Confer Ezech. 9. 4. Ex his omnibus efficitur, cum omnia & singula verae Ecclesiae membra soli Deo nota, seu visibilia sint; ipsam quoque totam soli Deo conspicuam, ac proinde nobis hic inconspicuum esse. Nam Ecclesia Catholica est totum integrale, quod habet

rationem effecti: & credentes sunt ipsius partes, quæ habent rationem causæ. Iam vero qualis causa, tale effectum. Huc itaque pertinent omnia Scripturæ loca, quæ Ecclesiam Christi ex solis credentibus constare demonstrant infra cap. 5.

VI. *Tertium ex Scripturis argumentum* sumitur à natura fidei, ex Heb. 11. ubi fides dicitur hypostasis esse earum rerum, quæ sperantur, & elenchus earum, quæ non videntur. Atqui in symbolo profitetur nos Ecclesiam Catholicam credere. Non igitur oculis eam videmus. Etenim obiecta fidei, & sensum toto genere differunt: quia obiecta fidei per solam reuelationem diuinam comprehendimus. Hinc fides & aspectus hoc sensu in Scripturis semper opponuntur. Vide 1. Cor. 13. & 2. Cor. 5.

VII. *Quartum argumentum ex Scriptura est eiusmodi.* Cum Ecclesia sit enocorum societas, pro uocationis varietate Ecclesia recte diuiditur in externam & internam. Recte enim *Glossa ordinaria ad Rom. 8.* ait: Vocatio exterior fit per prædicatores, & est communis bonorum & malorum: interior vero tantum est electorum.

VIII. *Quintum ex Scripturis argumentum* sumitur ex conditione Ecclesiæ tempore immanis persecutionis. Inde enim & probatur, Ecclesiam Catholicam nona semper esse visibilem id quod contendunt aduersarii: & in super huiusmodi argumentum formatur. Eadem est essentia Ecclesiæ Catholicæ tempore persecutionis & felicitatis temporalis. Etenim hæc duo non faciunt ad ipsius essentiam, sed tantum spectant ad existentiam. Iam vero Ecclesia Catholica tempore persecutionis est inuisibilis, & quidem, non tantum ratione externæ, sed etiam internæ formæ. Ergo etiam ratione formæ internæ, id est, essentiæ suæ, est inuisibilis tempore felicitatis temporalis. Minor patet ex 1. Reg. 19. v. 10. 18. & Rom. 11. v. 2. 3. 4. *An nescitis de Elia quid dicit Scriptura? quomodo colloquatur cum Deo, dicens aduersus Israel: Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua iussederunt: & ego relictus sum solus, & petunt animam meam. Sed quid dicit ei diuinum responsum? Feci ut mihi remanserint septem millia virorum, qui non flexerunt genua imaginibus Baalim.* Sic Apoc. 12. 13. *Mulier fugiet in desertum: Et cap. 13. Adorabunt bestiam omnes, quorum nomina non sunt scripta in libro vite.* Vbi Ribera Iesuita sic adnotat: Quibus verbis ostenditur, Ecclesiam tempore Antichristi constare tantum ex prædestinatis. Et *Papista Rhemensis* fatetur, tempore Antichristi corde tantum communionem futuram inter fideles, & externum Ecclesiæ Romanæ statum cessaturum. Vbi ergo tum erit ipsorum tabernaculum in sole, ciuitas in monte, candelabrum in domo?

IX. Eat nunc *Bellarminus*, & dicat: Non vnum locum Caluinus proferre potuit, ubi nomen Ecclesiæ tribueretur congregationi inuisibili electorum, lib. 3. de *Eccles. milit. c. 12.* Eat & *Costerus*, dicatque *Apolog. part. 3. c. 11.* Nullo loco Scripturæ in hac significatione vsurpatur. Sed Scripturæ testimoniis ad damus rationes nostras. 1. Oues suas solus pastor nouit. Ergo Christus solus nouit electos, qui soli constituunt Ecclesiam Catholicam. 2. Sponsa Christi non potest nisi à solo Christo cognosci. At Ecclesia Catholica est sponsa Christi. Ergo. 3. Corpus Christi mysticum est inuisibile. Ecclesia Catholica est corpus Christi mysticum. Ergo. 4. Ecclesia triumphans & militans est inuisibilis. Ergo tota Ecclesia Catholica est inuisibilis. De triumphante concedunt aduersarii. De militante sic probatur. Ecclesia dicitur militans propter militiam, quam exercet. Sed hæc militaria est inuisibilis, quippe spiritualis quia, vt patet ex *Eph. 6. 12.* hostes sunt inuisibiles, arma inuisibilia, agonia thetici inuisibilis, modus confligendi inuisibilis. 5. Credere Ecclesiam Catholicam est articulus fidei. Ergo illa est inuisibilis. 6. Ecclesiæ Catholicæ caput non videtur. Ergo nec ipsa. 7. Illud corpus, cuius omnia membra sunt inuisibilia, est inuisibile. At Ecclesia Catholica est huiusmodi corpus: vt pote vniuersitas omnium sanctorum inde ab origine mundi vsque ad finem ipsius. Deinde non solum ista vniuersitas videri nequit, sed etiam singula membra, id est, electi, non cadunt sub nostrum aspectum. 8. Ordo virtutis non potest videri: vt in republica qualibet. Ergo nec in Ecclesia Catholica. 9. Quemadmodum Eua ex eadem substantia fuit, ex qua Adam: sic Ecclesia ex eadem substantia est, ex qua Christus, *Eph. 5. 30.* Eo igitur modo, quo Christus cognitus fuit, cum in his terris esset, eodem etiam Ecclesia cognoscitur. At Christus cognitus fuit non ex vlla externa pompa huius mundi, sed ex consideratione ipsius secundum verbum Dei. Sic igitur & Ecclesia illius. 10. Ecclesia Catholica constat ex particularibus Ecclesiis hinc inde sparsis. At illæ, licet singulæ videri possint, non tamen vniuersæ possunt: quomodo decem greges ouium, aut totidem acetui tritici, petrinentes ad vnum patremfamilias, separati videntur, at non videntur vnus grex, aut aceruus, qui mente concipitur ex illis separatis compositus. Pugnat ergo cum ratione, vt & particulares Ecclesias, & Catholicam simul videamus. 11. Ecclesia sæpe in vna domo, imo in vno homine aliquando abscondita latet. Ergo non semper est visibilis. Antecedens est *Augustini in Psal. 128.* Aliquando in sola domo Nôah erat Ecclesia: in solo Abrahamo Ecclesia erat: in solo Loth & domo eius Ecclesia erat: in solo Enoch Ecclesia erat. 12. Ecclesia est totum, quod habet rationem continuæ & discretæ quantitatis. Continua; propter coniunctionem mysticam. Discreta; propter numerum innumerabilem omnium iustorum ab Abel ad vltimum vsque fidelem. E. est inuisibilis.

X. Nunc assertorem nostram *quinque rationibus Pontificiorum* stabiliamus. *Ratio prima.* Ecclesia Catholica, quam credimus, ea est, extra quam, sicut extra arcam Noe, nulla omnino salus mortalibus competit, vt sunt verba *Papistarum in Catechesi Austriaca Iesuitarum, de symbolo.* At extra Catholicam Ecclesiam visibilem *Papistarum*, quam illi solam esse contendunt, positi Christiani multi saluantur. Ergo alia Catholica inuisibilis agnoscenda est. Minorem probo. Catechumeni nondum baptizati sunt extra Ecclesiam Romanam; similiter excommunicati, & schismatici, *Bellarmin. lib. 3. de Eccles. milit. c. 2. & 6.* At isti catechumeni saluantur, *Bellarmin. lib. 3. de Eccles. milit. cap. 3. Tolerus lib. 2. instruat. sacerdot. c. 21.* similiter excommunicati penitentes, *Bellarmin. lib. 3. de Eccles. milit. c. 6.* Schismaticos quod attinet, illi ad Ecclesiam pertinent (& saluantur ex consequenti) si schisma sit simplex, quod sine vlla deprauata doctrina sit, vt docet *Glorianus lib. de schismate* ex mente *Gerfonis. Ratio secunda.* *Bellarminus* discrete fatetur, gentiles fideles, vt *Iob. Naam*, & alios, fide tantum cum Ecclesia Dei fuisse coniunctos, atque solos constituisse Ecclesiam, lib. 3. de *Eccles. milit. cap. 10.* Ergo Ecclesiæ filii ex communionem Ecclesiæ visibilis Ecclesiæ non sunt proprie & necessario diiudicandi. *Idem d. l. cap. 6.* author est, excommunicatos penitentes non esse in Ecclesia quantum ad externam communionem, sed esse in Ecclesia

animo & desiderio, quod iis ad salutem ait sufficere. At animum & desiderium solus *negotiorum* nouit. Sunt igitur membra inuisibilia Ecclesiæ, ad eoque membra Ecclesiæ inuisibilia. Neque enim actu sunt in Ecclesia visibilibus, & tamen sunt in Ecclesia. Ergo datur aliqua Ecclesia inuisibilis. *Ratio tertia.* Multi sunt in Ecclesia visibilibus, qui cum Ecclesia Catholica cognationis nihil habent: puta impii, hæretici occulti &c. vt concedunt *Papistæ.* Ergo necesse est, vt sit aliqua inuisibilis, extra quam sunt, seu cum qua nihil cognationis habent. Probatur antecedens. Impii Christiani non sunt nisi æquiuoce membra Ecclesiæ: quia pertinent ad Ecclesiam tanquam vngues, humores, pili, & alia, quæ non sunt membra corporis: vt *Turrecremata* probat ex *Alexandro de Ales, Hugone, Thoma;* idemque docent *Petrus de Soto, Melchior Canus, & alii, vt fatetur Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. cap. 9.* Eandem in sententiam scribit *Costerus Apolog. part. 3. cap. 12.* Vt phlegma, pituita, sanies, saliuæ abundans, viuientis hominis neque membrum sunt, neque partes, & tamen non sunt extra corpus: ita impii ad superfluos humores referuntur, qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercore egerunt. Sic de hæreticis scribunt *Papista Rhemenses annot. in 2. Tim. 2.* Hæretici, qui in externa communionem sacramentorum & professione persistunt, in conspectu Dei ab Ecclesia separantur, & re ipsa & proprie domus Dei finibus exterminantur. Ex his efficitur, impios & hæreticos occultos, non vere sed nominatenus esse in Ecclesia, & proinde cum Ecclesia Catholica nihil habere commune. Datur itaque Ecclesia visibilis, & inuisibilis. *Ratio quarta.* Ex similitudine arce Noe, membri, Sponsæ, gregis, & filii, sic argumentatur. *Thomas comment. in 1. Pet. 3.* ait: Sicut arca fuit de lignis leuigatis & dolatis: ita Ecclesia constat de sanctis, per angustias & tribulationes afflictis. Et sicut arca ex lignis impurificabilibus, ita Ecclesia constat ex hominibus incorruptis. *Costerus Apol. part. 3. cap. 4.* ita scribit: Ex hoc loco (*Ephes. 5.*) pius doctor Hugo alludens ad corpus humanum, cui est simile corpus Ecclesiæ, dicit: Qui non habet Spiritum Christi, non esse Christi membrum: nihil in hoc corpore mortuum, nihil extra corpus viuum. Verum est: si enim Christiani iusti in membris soli habeantur, non mirum: tum quia in illis solis est Spiritus sanctus, sicut scriptum est, Qui Spiritum Christi non habet, is non est eius: tum quia omnia ad illorum commodam referuntur. *Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. cap. 14.* ait: Vt in *Eph. 5.* vir est caput vxoris, & Christus Ecclesiæ, & saluator corporis sui: ita vir cum vxore, ita tenetur Christus remouere omne malum ab Ecclesia. *Iansenius Concord. in Luc. 12.* ait: Pusillus reuera grex sanctorum Christianorum. *Stapletonus super Matth. 2. Rachel plorans filios suos* &c. ait: Non sunt filii, qui putantur esse. Itaque Pontificii scriptores sic explicant allatas similitudines, vt referant ad Ecclesiam Catholicam, ita vtilia sit cœtus sanctorum & credentium: qui certe videri non possunt. *Quinta ratio.* Quod proprie credimus, est formale obiectum fidei, adeoque inuisibile. At credimus Ecclesiam Catholicam. E. est proprie inuisibilis. Maiorem probo. *Pererius comm. in Rom. 8.* ait: Recte Caletanus: Duo sunt in obiecto fidei consideranda; quorum alterum est materiale, res ipsa, quæ speratur, & itares possit videri: alterum formale, id est consecutio & possessio rei, in quam tendit spes, quæ actu speranti non adest. Sic *Ribera comment. in Heb. 11.* Mundum videmus, creaturam esse credimus. Quo pertinet illud *Hugonis de S. Victore:* Vides non est fides: & istud *Augustini tract. 10. in Iohan.* Fides est credere quod non vides. Confer *Maldonatum Iesuitam super Iohan. 20.* Beati qui non viderunt, & crediderunt.

XI. Super sunt testimonia Patrum. Ea sunt duum generum. Principio enim omnia testimonia, quæ Ecclesiam ex electis, prædestinatis, & solis sanctis constare probant, eadem etiam Ecclesiam inuisibilem esse necessario euincunt. Hæc vide infra cap. 5. Deinde Patres agnoscunt præcipuum Dei cultum & Ecclesiæ ornatum esse internum. *Iustinus epist. ad Zenam:* Inuisibilis anima in visibili corpore tanquam in præsidio constituta est. Sic & Christiani cognoscuntur, dum in mundo commorantur, sed inuisibilis est eorum cultus diuinus. *Origenes homil. 23. in Num.* Soli iustitiæ Christus est. Huic si luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine illius repletur, iuncta fuerit, & penitus ei adhæserit, festiuitatem neomeniæ agit & c. tunc est, quando neque videri, neque comprehendi humanis aspectibus potest. *Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 27.* Omnis pulchritudo filiarum regis intrinsecus: in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus. *Idem in Psalm. 44.* Insuper pulchram nouit, qui speciem eius amauit. Quæ sunt interiora pulchritudinis? Conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. *Gregorius lib. 35. moral. in Iob. cap. 9.* Christus & Ecclesia, id est, caput & corpus, vna persona est. Solent etiam hoc loco accumulare testimonia Patrum, quæ docent Ecclesiam Catholicam complecti omnes sanctos, qui ab origine mundi vixerunt; itemque ista, quæ docent Ecclesiam triumphantem & militantem esse vnam societatem: vnde necessario efficitur Ecclesiam Catholicam esse inuisibilem. Verum *Papistæ* hoc sensu concedunt, Ecclesiam Catholicam videri non posse. Hæc enim est ipsorum conclusio apud *Becanum in Manuali lib. 1. cap. 3.* Ecclesia Christi, quam militantem vocamus, visibilis & conspicua est. Itaque non opus est probare thesiam, quam aduersarii non negant. Quare nos pro testimoniis illis Patrum adferemus testimonia ipsorum aduersariorum, quibus vel diserte, vel per consequentiam inuisibilitas Ecclesiæ asseritur. *Turrianus tract. 2. lib. 3. cap. 4.* Vna tota Ecclesia partim visibilis est, partim inuisibilis. *Interim relig. Casar. cap. 9.* Ecclesia, quatenus constat membris talibus, quæ secundum charitatem viuunt, sanctorum est tantum, & eatenus spiritualis & inuisibilis. *Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. cap. 2.* concedit, quosdam esse de anima Ecclesiæ, licet non sint de corpore. *Ibidem* asserit tres modos existendi in Ecclesia, videlicet corpore tantum, anima tantum, & vtroque simul. Et cap. 6. quosdam esse in Ecclesia animo, non autem corpore seu communicatione externa, quod sufficiat illis ad salutem. Et cap. 15. quod multa inuisibilia, fides scilicet, spes, charitas, &c. sint in Ecclesia. His testimoniis adde confessionem aduersariorum cap. seq. §. 15.

XII. Sequitur altera huius capituli pars, vt respondeamus ad exceptiones aduersariorum. Prima est *Herthi episcopi Eboracensis.* Concedit ille, Ecclesiam ante Christi aduentum inuisibilem esse potuisse, sed Ecclesiam post Christi aduentum non item: idque propterea, quod Christus dicat, *adificabo Ecclesiam meam, non adifisco, aut adificauit.* Respond. 1. Apostolus *Rom. 2.* diserte distinguit Iudæum & circumcisionem in visibilem & inuisibilem, quando sub finem capituli ait, Iudæum & circumcisionem esse vel *in carne*, vel *in spiritu*.

Idem docet Rom. 9. vers. 3. & seqq. 2. Si tempus futurum tam stricte vident, & que probauerint, Ecclesiam Christi, ante aduentum illius non omnino fuisse, quam antea visibilem non extitisse. 3. Sententia Christi est, nullam in Ecclesia aedificationem esse nisi per ipsum.

XIII. Bellarmini exceptiones summam hae sunt. Primo Ieremias cap. 31. non confert synagogam cum Ecclesia, sed nouum testamentum cum testamento veteri: & quamuis nouum testamentum proprie sit charitas, quae est lex in corde scripta, testamentum vetus proprie sit doctrina exterior siue lex scripta in lapidibus: tamen non sequitur, quod Ecclesia N. T. sit inuisibilis. Respond. Prophetia loquitur de vno eodemque testamento, seu fcedere gratia, quod vnum est substantia, varium pro temporum ratione. Hoc autem fcedus tum veteri tum nouo populo ita fuit administratum, vt vtrobique fuerit discrimen inter Ecclesiam inuisibilem & visibilem. Nam vtrobique electis Dei filiis scribitur lex in corda ipsorum: vtrobique Deus est Deus electorum, & ipsi sunt populus eius. Quorum nihil dici potest de hypocritis siue in V. siue in N. T.

XIV. Secunda Bellarmini exceptio est ad locum Luc. 17. vbi dicit per regnum Dei non intelligi Ecclesiam Catholicam, sed vel gratiam, vt exponit Theophylactus; vel ipsum Christum, vt ait Beda. Respond. 1. Id vero stabilit nostram sententiam. Nam Christus per gratiam suam regnat in cordibus nostris, hoc est, in Ecclesiam Catholicam nos transfert. Quomodo autem hoc fiat, oculis hominum obseruari non potest. Vnde Glossa ordinaria hunc locum sic interpretatur: Non poterit obseruari: quia regnum meum non est temporale, sed spirituale, quod fide iam coepit. 2. Christus hoc suum pronuntiatum opponit Pharisaeis, qui persuaserant, regnum Dei, hoc est, Messiae, venturum cum obseruatione, hoc est, cum splendore externo, sicut regna huius mundi, quorum initia & progressus incurunt in oculos.

XV. Tertia ad locum Iohan. 4. excipit, eo loco doceri, praecipuum Dei cultum in Ecclesia internum futurum: sed propterea non sequi, Ecclesiam ipsam esse inuisibilem. Respond. 1. Nos ex hoc loco sic argumentamur: Si ea sola est vera Christi Ecclesia, quae Deum colit in spiritu & veritate, tum Ecclesia Catholica est inuisibilis. Nam visus non diiudicat, quinam Deum colant in spiritu & veritate: 2. Propter cultum praecipuum Ecclesia est Catholica. At cultus internus, non autem externus, est praecipuus. Ergo propter hunc Ecclesia est Catholica.

XVI. Quarto contendit Hebr. 12. per montem Sion intelligi Ecclesiam militantem. Respond. 1. Bellarminus lib. 3. de Eccles. milit. cap. 5. ait: Ecclesia triumphans vnita est, imo potius vna est cum militante. Hinc sequitur, Ecclesiam Catholicam respectu partis in caelo triumphantis esse inuisibilem; & partem in terris militantem esse eiusdem naturae cum parte in caelis triumphantem. 2. Apostolus agit de tota Ecclesia, quam figurauit mons Sion, ita vt Ecclesia sit mons Sion spiritualis, ac proinde inuisibilis. Ait enim: Accessistis, non, acceditis, ad montem Sion, id est, in Ecclesiam sub Euangelio. Qualem vero Ecclesiam? Panegyricus & Ecclesiam primogenitorum, id est, Ecclesiam Catholicam. Et vt arctissimam coniunctionem ostendat inter Ecclesiam militantem & triumphantem; subiungit, eosdem, quos ibi alloquitur, accessisse ad Ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in caelis & c. vt qui ad Ecclesiam Christi per euangelium vocantur, in quodammodo in caelos, & caeterum patriarcharum atque angelorum admissi esse videantur.

XVII. Quinto ad locum 1. Petr. 2. excipit, Ecclesiam dici domum spirituales, non secundum substantiam, quomodo angeli dicuntur spirituales, sed secundum ordinationem ad spiritum, quomodo bona opera dicuntur hostiae spirituales. Respond. 1. Id vero pro nostra sententia facit. Neque enim Ecclesiam dicimus appellari domum spirituales, quod solis consuetudinis spiritibus: sed dicimus spiritu fieri, vt homines sint de Ecclesia, ac propterea Ecclesiam domum spirituales dici, adeoque esse domum inuisibilem. 2. Homines quidem videntur, at homines spirituales non item.

XVIII. Sexto ad locum 1. Reg. 19. excipit, Eliae temporibus Ecclesiam, in Iudaea visibilem fuisse. Dicit enim Deus, se referuasse septem millia in Israele, hoc est, in decem tribubus. Respond. 1. Ecclesia in Iudaea erat visibilis ratione notarum externarum, puta verbi Dei & sacramentorum. At hoc nihil ad rem. 2. Septem illa millia in Israele vtrique erant de Ecclesia. Non semper itaque & vtrique Ecclesia est visibilis. 3. Apostolus, optimus huius loci interpret, Rom. 11. per Israellem intelligit totum populum Dei. Nam & scriptum vers. 1. Israelitam vocat, etsi erat de tribu Benjamin, quae ad regnum Iuda pertinebat: & vers. 5. docet, septem illa millia tum fuisse totam electorum reseruationem.

XIX. Ad illud argumentum nostrum: Credimus Ecclesiam Catholicam: Ergo non videmus; Bellarminus, Costerus, & Becanus excipiunt negando consequentiam; quia id quod videtur, credi etiam possit, quatenus non videtur. Sic Thomas Christum hominem videbat, credidit Deum esse. Ita nos videmus hos homines qui ad Ecclesiam pertinent, credimus autem eos esse Catholicam Ecclesiam. Ita Costerus respondet in enchiridio, tract. de Ecclesia. Clarius & distinctius hanc rem expedit Bellarminus, in his verbis: Dico in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum coetum, qui Ecclesia est: sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est, quae profiteretur fidem Christi. Quis autem euidenter scit, fidem nostram esse Christi? Becanus in manuali cap. 3. lib. 1. pluribus ita persequitur hoc idem. Licet, inquit, externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus constata est Ecclesia visibilis: tamen quod in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum, hoc non videmus, sed credimus. Vnde visibilis Ecclesia partim cadit sub externos oculos, partim sub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt: interna fide credimus, veram Christi doctrinam apud eos tradi & conseruari. Hinc soluitur vulgare illud sophisma: Quod fide credimus, non est visibile. Ecclesiam fide credimus: Ergo Ecclesia non est visibilis. Nam maior propositio sic debet intelligi: Quod fide credimus, non est visibile ex ea parte, qua sub fidem cadit: tamen si posset esse visibile ex alia parte, qua sub fidem non cadit. Huius rei varia extant exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem, credebant diuinitatem. In baptismo videmus externam aquam & abluionem, credimus internam vim regenerandi & peccata abluendi. In codice Bibliorum videmus chartam, scripturam, codicem ipsum: credimus, quod in eo continetur, esse verbum Dei. Idem dico de Ecclesia. Est aliquid in ea, quod credimus: est

aliquid, quod videmus. Credimus veram esse doctrinam, quae in Ecclesia traditur: videmus homines, externos ritus, & sacramenta, quae in Ecclesia sunt.

XX. Respondeo distincte. 1. Costero. Quidquid credo, quatenus id credo, non video. At Ecclesia, quatenus est Catholica, creditur. Eatenus itaque non videtur. 2. Bellarmino. Si non videtur, sed creditur, quod coetus profitentium fidem Christi, sit ipsa vera Christi Ecclesia: ergo vera Christi Ecclesia non videtur, sed creditur. Sic itaque responsio Bellarmini confirmat nostram thesin. Deinde si fides est differentia Ecclesiae, & illa non videtur, etiam haec non potest videri. 3. Becano. Ecclesia Catholica ob id non est Catholica, quia conseruat doctrinam prophetarum & Apostolorum, & retinet externos ritus & sacramenta: sed quia constat electis Dei filiis, quibus euangelium & sacramenta sunt potentia ad salutem. Quinam vero illi sint, id non cadit sub aspectum. 4. Omnibus & singulis. Materiale obiectum Ecclesiae Catholicae, id est, homines, videri concedimus. Sed haec de re non quaeritur: verum de obiecto formali, quod sunt homines credentes, sancti, gloriificandi, electi. Quare tres illi aduersarii causam nostram egregie agunt, & sententiam nostram clarissime exponunt. Haec enim sunt verba nostrorum. Homines videri dicimus, qui Ecclesiam constituunt, quatenus homines sunt, nisi amentes simus: sed an illi homines sint Ecclesia, id non videri, nec ex sensuum iudicio intelligi posse affirmamus; & hoc est, Ecclesiam non videri: vt est apud Vithakerum de Eccles. quaest. 2. cap. 3. Quare (vt transferamus verba aduersariorum ad nostrum institutum) sicut Christum hominem non solum Apostoli, sed omnes promiscue homines, quibus ille se conspiciendum praebat, videbant: sic homines, qui Ecclesiam constituunt, promiscue omnes vident. Sed vt illum hominem Christum esse Dei Filium, & mundi Saluatorem, non oculis corporis, sed fidei ostendebant: sic illos homines esse Ecclesiam, non docent sensus corporis. Similiter quemadmodum aquam baptismi, & illius asperisionem omnes vident, sed illam asperisionem esse sacramentum, oculi non indicant: sic homines, qui ad Ecclesiam pertinent, videntur & conspiciuntur, sed homines illos esse vera Ecclesiae membra, exterius non apparet.

C A P. IV.

Quomodo Papista probent Ecclesiam Catholicam semper esse visibilem.

I. Papistarum sententia est, Ecclesiam Catholicam ita esse visibilem, vt semper actu fuerit visibilis, & non solum membris Ecclesiae, sed toti etiam mundo notorie cognita. Remenes annot. in Matth. cap. 5. sect. 3. Canisius cap. de fide & simbolo artic. 18. Bellarmin. lib. 3. de Eccles. milit. cap. 12. rat. 7. Argumenta pro hac sententia colligimus ex Disputationibus Bellarmini, Buchiridio Costeri, & Manuali Becani.

II. Bellarminus demonstraturus Ecclesiam esse visibilem, duo ista praesupponit, nos duas Ecclesias fingere, lib. 3. c. 9. resp. ad arg. 8. & nos Ecclesiam nomine visibilem, re autem inuisibilem statuere, d. l. c. 11. §. 1. Sed nos duo illa praesupposita non agnoscamus. Nostra enim sententia est, Ecclesiam vnam eandemque esse teuera inuisibilem, & visibilem. Inuisibilem, ratione societatis & formae internae: visibilem, ratione societatis & formae externae. Nunc videamus argumenta Bellarmini numero octo, quibus Ecclesiam Catholicam, in se, & per se, perpetuo visibilem, siue externis sensibus omnino ac necessario expositam esse, probare conatur.

III. Primum argumentum ipsi ducitur ex iis Scripturae locis, vbi Ecclesia, tum Iudaica, tum Christiana, vt coetus aliquis visibilis perpetuo describitur. Loca Scripturae haec sunt. 1. Num. 20. 4. Cur eduxistis Ecclesiam Dei in solitudinem? At inuisibilis coetus educi non potest. 2. 1. Reg. 8. 14. Benedixit rex Salomon toti Ecclesiae Israelis: quae videlicet, in templi dedicatione collecta fuerat. Inuisibili autem coetui nemo benedicere potest. 3. Matth. 16. 18. Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Atqui vt petra seu fundamentum Ecclesiae visibile est, nempe Apostolus Petrus: ita & aedificium, nempe Ecclesiam Catholicam, visibile esse oportet. 4. Matth. 18. 17. Die Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit & c. Verum inuisibili coetui nihil indicari, nec ipse a quoquam audiri potest. 5. Act. 20. 28. Spiritus sanctus constituit vos episcopos ad regendam Ecclesiam Dei. At inuisibilis coetus a pastoribus regi non potest. 6. Act. 15. 3. Illi quidem deducti ab Ecclesia. 7. Eod. cap. vers. 4. Suscepti sunt ab Ecclesia. 8. Act. 18. 22. Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam. Inuisibilis autem Ecclesia nec salutari, nec deducere quonquam potest. 9. 1. Cor. 15. 9. Gal. 1. 13. Phil. 3. 6. Apostolus Paulus testatur, se persecutum esse Ecclesiam Dei. Quod certe de inuisibili coetu dici non potuit. 10. 1. Tim. 3. 15. Hac scribo, vt scias, quomodo te versari oporteat in domo Dei, hoc est, Ecclesia. Ergo necesse est, hanc omnino visibilem esse. Ex his efficitur, Ecclesiam esse visibilem, quippe quae semper vt visibilis congregatio in Scripturis describitur. Quod adeo verum est, vt Caluinus non potuerit vnum Scripturae locum adferre, vbi hoc nomen inuisibili congregationi tribueretur.

IV. Respondeo tria. Primo falsum est, Ecclesiam vnam in Scripturis semper pro visibili coetu sumi. Nam Matth. 16. 18. Eph. 1. 22. & 5. 23. Coloss. 1. 18. itemque in simbolo Apostolico nomen Ecclesiae significat inuisibilem congregationem omnium sanctorum inde ab origine mundi; sine iam in caelis regnent, siue in terris peregrinentur. Deinde in omnibus locis allegatis, excepto illo Matth. 16. est ignoratio clenchi, hoc est, verus status quaestionis non attingitur. In iis enim agitur tantum de Ecclesia particulari, eiusque externa confessione, & poitua, seu publico regimine. Agitur, inquam, de coetu profitentium fidem, non autem de interna & Catholica, seu vere credentium Ecclesia. Nil illi itaque probant ista loca. Non enim sequitur: Ecclesia particularis, cuiusmodi fuit Israelitica, Hierosolymitana & c. videri potest. Ergo & Catholica. Item: Ecclesia particularis aliquando visibilis esse potest. Ergo semper. Denique: Ecclesia fidelibus visibilis est, vt persecutionis tempore. Paulo enim v. g. cognita non erat, cum illam persecuteretur, sed tantum fratribus. Ergo mundo visibilis est. Tria ergo erant probanda: Ecclesiam Catholicam, non autem particularem, eamque non aliquando tantum, sed semper, imo & mundo visibilem esse. Denique in loco Matth. 16. principium petitur, quatenus ipse Petrus Ecclesiae petra, siue fundamentum esse

doxa fides, Christum Dominum in orbe hoc terrarum, congregationem instituisse, in eamque homines euocasse, & Ecclesiam appellasse, eique ut ante dictum est, eximia priuilegia contulisse. Hos autem homines, qui Ecclesiam conficerent, digito demonstrasse, ne in incerto haeremus. Sicut enim sensibili voce à magnifica gloria delapsa Deus Pater Christum Filium Apostolis exhibuit, 2. *Petr.* 1. 17. & *Matth.* 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*: ita Filius clara & aperta voce Apostolos ostendit, *Matth.* 5. 14. *Vos estis lux mundi. Matth.* 10. *Ecce ego mitto vos. Luc.* 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* Apostoli deinde visibiles Ecclesias fundauerunt, verbis & epistolis instruxerunt, episcopos ordinarunt, politiam instituerunt, leges praescripserunt, eaque omnia praestiterunt, quibus externa atque visibilis respublica constitui solet. Voluit enim Christus non modo visibilem esse suam Ecclesiam, sed valde conspicuam, vt omnibus innotesceret gratia Dei, quae in hac sancta congregatione, & non alibi afferuatur, atque confertur: vnde etiam ciuitati, quae in monte posita est, & candelae supra candelabrum, similem facit, *Matth.* 5. 14.

XV. Tu vero, mi Costere, nimis quam confuse & indigne statum quaestionis & mentem nostram proponis. Cum enim Ecclesiae vox aut strictius coetum vocatorum & electorum ad vitam aeternam (prout Bernhardus Ecclesiam praedestinatorum, Augustinus electorum vocat) aut latius coetum vocatorum ad Euangelii professionem: nostri distincte affirmant, Ecclesiam priori modo acceptam, nobis in hac terra inuisibilem esse; altera vero significatione, visibilem. Deinde, concedimus veram Ecclesiam in hac vita in se visibilem esse secundum materiam (nam homines sunt) & formam externam ipsius (ea enim est rationis materialis) vt homo est visibilis, & visibiles sunt actiones ipsius externae. At ex ratione externa nemo adstruxerit, ergo tantum visibilem esse. Neque vero ita duas numero Ecclesias statuimus, sed vnā numero Ecclesiam, duplicem esse modo & ratione dicimus pro conditione membrorum ipsius; cum alia sint membra vera & essentialia, formaliter, alia materialiter solum. Quae distinctio adeo perspicua est, vt non solum Patrum consensu, sed etiam doctiorum Pontificiorum confessione probari possit. Nam, vt paulo ante monuimus, *Bernhardus in Cantica serm.* 78. Sponsam interpretatur Ecclesiam electorum. In eandem sententiam *Gabriel Biel in Canonum Missae lect.* 22. §. E. ait: Accipitur etiam Ecclesia pro tota multitudine praedestinatorum. Quid *Enchiridion Christianae institutionis in Concilio provinciali Colonienfi editum p.* 171. de sacramento ordinis nobiscum loquitur his verbis: Vt autem contendat quidam Ecclesiam inuisibilem esse: quod de Ecclesia praedestinatorum non negamus: nihilo secius (vt opinamur) nobis concedent Ecclesiam etiam visibilem, quae bonis habet admixtos malos visibili professione fidei & sacramentorum communione sociatos. Quae cum ita sint, frustra in eo laborat Costerus, vt ex sacris literis ostendat in Ecclesia externa, non tantum bonos esse, sed etiam malos reperiri: & Christum ostendisse Apostolos, eosque fundasse Ecclesias visibiles: quia illa omnino extra controuersiam sunt.

XVI. Similiter rationes Costeri nobis non aduersantur. Nam quod Christus iubet adire & audire Ecclesiam; quod Ecclesiastica iurisdictio est visibilis &c. id omne concedimus de particularibus Ecclesiis, quae sunt visibiles & externae. Quas cum adimus, Ecclesiam quoque Catholicam & inuisibilem adire iudicamur: quatenus videlicet Ecclesia Catholica dispersa est & veluti latet in Ecclesiis particularibus; quomodo vniuersalia, id est, genera & species, in suis singularibus, vel potius anima in corpore latet. Itaque Ecclesias particulares adimus immediate, Catholicam mediate.

XVII. Superest, Costere, vt dispiciamus, an Ecclesia visibilis semper sit conspicua, quod tu ais: an vero aliquando certa ratione fieri possit inuisibilis, hoc est, an ita latere possit persecutionibus compressa, vt ad tempus non solum alienis ab Ecclesia, quos Apostolus appellat *vos ego*, sed etiam multis fidelium, non appareat, quod nos asserimus, exemplo veteris Ecclesiae, propheta Apostolorum, & historia Ecclesiastica freti. Nam, vt supra etiam probauimus, Eliae tempore Ecclesia septem milium in Israele ita latuit, vt etiam Eliae se solum Dei cultorem superstitium relictum imprudens conquestus sit 1. *Reg.* 19. 10. Similiter sub Roboamo, Ioramo, Ochozia, Athalia, Ioa, Amazia, Achazo, Manasse, Ammone, Ioakimo, Ioachimo, & Zedekia regibus, Ecclesia, idololatria publice dominante & tyrannis saeuientibus pressa, tanquam ignis sub cineribus latuit. Similis in N. T. Ecclesiae calamitas praenuntiatur. 2. *Thess.* 2. *vers.* 3. 4. *Matth.* 24. 24. potissimum vero *Apoc.* 12. *vers.* 6. 14. Atque haece consentit historia Ecclesiastica, quae demonstrat Christianos olim saeuientibus tyrannis, modo priuatis & diuibus inclusos, modo in antris ac speluncis coetus Ecclesiasticos conseruasse. Quae de re vide *Tertullianum*, *Institutionem Martyrum*, *Arnobium*, *imo & Plinium iuniorem*. Recte igitur *Augustinus ep.* 80. ad *Helychium* ait: Ecclesia est sol, luna, & stellae &c. Quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de caelo, Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saeuientibus. Et *Epist.* 48. ad *Vincentium*: Ipsa est (Ecclesia) quae aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudinis scandalorum. Quam obrem hinc liquet, Ecclesiam visibilem hostium furore non extingui quidem, sed obscurari, & in solitudinem compulsam nonnunquam latere: quemadmodum Ecclesiae caput Christus Herodis tyrannide fugatus aliquandiu latuit in Aegypto, *Matth.* 2.

XVIII. Sed, inquit Costerus, Christus voluit non modo visibilem esse suam Ecclesiam, sed valde conspicuam. Sane ita est. Ecclesia N. T. debet esse conspicua, sed non semper, non vbique, non omnibus, non eodem modo. Ita voluit Christus innotescere omnibus gratiam Dei: sed quamdiu ingratitude & tyrannide hominum id minime impediretur. Sed excipit Costerus, Ecclesiam comparari ciuitati, quae in monte posita est, & candelae supra candelabrum.

Respond. 1. Christus loquitur ibi de pastoribus Ecclesiae, quorum officium est, doctrinae & vitae splendore ceteris praelucere: vt *Chryostomus comment in Matth.* 5. & *Iohannes Ferus*, concionatorum Pontificiorum praestantissimus, *commentarius suis ad h. l.* demonstrant; & ex antecedentibus

tibus & consequentibus verbis apparet. Christus enim sic alloquitur discipulos suos: *Vos estis sal terra &c. Vos estis lux mundi. Non potest vrbis occultari supra montem posita &c.* Hinc patet, verbis illis describi officium Apostolorum, & omnino omnium Ecclesiarum pastorum: non autem promissionem dari. Itaque inepta est consequentia, ab officio ad effectum. Quandoquidem Ecclesiae pastores officium omittere possunt, aut suo vitio, aut aduersariorum maleficio. 2. Et si haec Christi oratio, seruata ordinis & graduum differentia, non solum de Apostolis, sed etiam de singulis fidelibus, adeoque de Ecclesia vniuersali & particulari, accipi quoque potest: hinc tamen falso concluditur, Ecclesiam semper esse conspicuam. Nam particulares Ecclesiae; & singuli fideles, qui ciuitati in monte posita, & lucernae comparantur, interdum ad tempus à conspectu hominum remoti latere possunt.

XIX. Superest tertia huius capitis sectio, quae *Becani argumenta* ventilabit. Sic autem ille *lib. 1. Manualis cap. 3. conclus. prima* ait: Ecclesia Christi, quam militantem vocamus, visibilis & conspicua est. Hanc concedunt praecipui aduersarii: praesertim *Caluinus lib. 4. Inst. cap. 1. §. 2.* vbi ex professo disputat de Ecclesia visibili; & *Philippus Melancthon in Examine ordinandorum, titulo de Ecclesia*, vbi sic ait: Ecclesia visibilis in hac vita, est coetus visibilis amplectentium in corruptam Euangelii doctrinam, & recte vtentium sacramentis: in quo coetu Filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam aeternam. Et res certa est. *Primo*; quia illa Ecclesia necessario visibilis est, in qua episcopi & pastores visibiliter debent gubernare subditos, visibiliter docere, hortari, sacramenta administrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum communione separare. Et vicissim, vbi subditi debent agnoscere suos pastores, eorum monitis obtemperare, instructionem & sacramenta ab eis percipere. At haec omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Ergo vera Christi Ecclesia necessario visibilis est. Minor patet ex Scriptura. *Matth.* 18. 17. Dic Ecclesiae. Et *Act.* 20. 28. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et *Hebr.* 13. 17. Obedite praepositis vestris, & subiaceat illis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.

XX. *Respond.* 1. Conclusio Becani committit elenchum à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam Ecclesia Christi, quam militantem vocamus, aut simpliciter & absolute omnes omnium temporum ab initio ad finem mundi, aut secundum quid certi temporis Ecclesias notat; quae vel inde à Christo ad finem mundi (quae quidem Ecclesia peculiari ratione Catholica dicitur, quod non solum Iudaeos, sed quarumuis etiam gentium Ecclesias complectatur) vel vno eodemque tempore in orbe vniuerso existunt. Et postrema hac ratione Ecclesia Catholica militans est visibilis, quantum ad materiam & formam externam, non quantum ad formam internam. Rursus est visibilis non semel & simul: nec semper, nec eodem modo; quia neque vnus homo totum illud systema videre est, & varii sunt paroxyimi Ecclesiae militantis. Itaque, vno verbo, Ecclesia Catholica his in terris militans, est visibilis materialiter, & secundum plus & minus. 2. *Caluinus & Melancthon distincte loquuntur de Ecclesia.* Et si enim agnoscunt vnā Ecclesiam: tamen duo sunt ipsius modi, qui non variant ipsam rem. Ita vnus idemque est homo, licet recte distinguatur homo exterior ab interiore. Et satis patet ex definitione Melancthonis, quod verba faciat de Ecclesia visibili, cuius nota sunt praedicatio verbi incorrupta, & sacramentorum administratio legitima. 3. *Melancthon discrete agnoscit discrimen Ecclesiae visibilis & inuisibilis*, quando in definitione addit, quod Filius Dei in isto coetu multos regenerat ad vitam aeternam. Nam in Ecclesia inuisibili omnes regenerantur. 4. *Prima ratio Becani loquitur de vocatione externa, adeoque de Ecclesia visibili.* Proinde non attingit statum controuersiae: vt patet ex superioribus §. 15. & 17. disputatis.

XXI. *Secundo*, inquit Becanus, illa Ecclesia necessario est visibilis, in qua publice indicuntur & celebrantur concilia, sanctuntur canones, dirimuntur controuersiae de fide ac religione. Haec omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Nam Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, *Act.* 15. 28. Et post tempore Apostolorum celebrata sunt Concilia generalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonenle, quae etiam ab aduersariis tanquam legitima admittuntur. *Respondeo.* Et hic aberratur à quaestione. Nos enim concedimus, Ecclesiam visibilem haec munia obire. Sed hinc non sequitur, Ecclesiam Catholicam sua natura esse visibilem.

XXII. *Tertio*, ait Becanus, Christus in Euangelio comparat Ecclesiam suam saena missae in mare, & ex omni genere piscum congreganti: comparat conuiuio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt: comparat decem virginibus, quarum quinque prudentes sunt, quinque fatuae: comparat ouili, in quo reperuntur oves & hœdi. Haec non possunt intelligi nisi de Ecclesia visibili. Nam aduersarii, qui agnoscunt duas Ecclesias, vnā inuisibilem, alteram visibilem; sic eas inter se distinguunt, quod in hac soli sint praedestinati, in illa boni & mali permixti. At in Ecclesia, de qua Christus loquitur in supra dictis parabolis, sunt boni & mali permixti. Ergo loquitur de Ecclesia visibili. Loquitur autem de vera Ecclesia. Vera igitur Ecclesia visibilis est.

Respondeo 1. Falsum est, nos agnoscere duas Ecclesias: vt iam toties indicauimus. 2. Conclusio non est contra nos. Neque enim haec est quaestio, an vera Ecclesia sit visibilis: sed, an Catholica Ecclesia sit visibilis. Illam distinguimus ratione praedicati, hanc ratione subiecti. Nam vera Ecclesia est partim visibilis, partim inuisibilis: Ecclesia Catholica est visibilis quantum ad materiale, inuisibilis quantum ad formale, hoc est, quatenus est Catholica. 3. Ecclesia, in qua sunt boni & mali, non est Catholica, sed particularis: quia Ecclesia Catholica est coetus vocatorum vocatione interna, hoc est, vocatorum & electorum simul.

XXIII. *Quartum Becani argumentum* sequitur. Idem à propheta praedictum est, *Psal.* 19. 6. In sole posuit tabernaculum suum, id est, vt ibidem explicat Augustinus, in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Et *Epist.* 166. ad *Donaristas*: Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est, in manifestatione, omnibus nota vsq; ad terminos terrae. Eodem spectat illud Christi *Matth.* 5. 15. Non potest ciuitas abscondi &c. Vbi per ciuitatem, quae abscondi non potest, & per lucernam, quae omnibus lucet, intelligitur Ecclesia Christi.

ficatum &c. At reprobi non sunt corpus Christi, non corporis huius complementum, neque membra vera & viua Christi &c.

IV. *Tertium Scripturae testimonium* sumitur ex iis locis, vbi Ecclesia Catholica comparatur sponsa: vt *Cantic. 4. 7. Tota pulchra es, amica mea, & vitium nullum est in te. Cantic. 6. per totum caput. Pulchra es amica mea &c. Pilus tuus est &c. dentes tui sunt &c.* vbi pulchritudo omnium & singulorum membrorum huius sponsae graphice admodum describitur. *Apo. 21. 9. Ostendam tibi sponsam agni. Et v. 10. sanctam illam Hierusalem, e caelo descendentem. Eph. 5. v. 30. 32. Quoniam sumus membra corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius. Mysterium hoc magnum est. Loquor autem de Christo & Ecclesia. 2. Cor. 11. 2. Apostolus Ecclesiam appellat virginem puram. Ex his locis concluditur. Ecclesiam Catholicam totam esse formosam & pulchram, pulchritudine in hac vita partim imputata, partim inchoata, partim denique consummata in altera vita. Haec vero pulchritudo in impiis non habet locum.*

V. *Quartum Scripturae testimonium* est *Cant. 4. 12.* vbi Ecclesia comparatur hortus conclusus, cuius omnes plantae fructum pretiosum ferunt. At talem fructum impii non proferunt. *Quintum* sumitur ex *Esai. 35. 8.* vbi propheta, de Ecclesia Catholica verba faciens, ait: *Erit via, quae via sanctitatis vocabitur, quae non transibit pollutus.* Ergo ad Ecclesiam Catholicam nulli polluti pertinent. Ita *Ioel. 3. 17. Erit vobis Hierusalem sancta, & extranei non amplius per eam transibunt.* Et *Zach. 14. v. vlt. Non erit Chanaanitis amplius in domo Iehoua exercituum.* Ex hac ergo domo omnes impii & impuri excluduntur.

VI. *Sextum Scripturae testimonium* sumitur ex iis Scripturae locis, vbi Ecclesia appellatur domus, *1. Tim. 3. 15.* domus Christi, ad quam pertinent omnes & soli, qui perseverant, *Hebr. 3. 6.* cognatio siue familia filiorum Dei tam in caelis, quam in terra, *Eph. 3. 15.* At impii de hac domo & familia non sunt. Quis enim dixerit, sanctos in caelis, & reprobos in terris esse domesticos, & conseruos eiusdem familiae? Idem colligitur ex *Ioh. 11. 52.* vbi dicitur, mortis Christi finem fuisse, vt in vnum colligeret filios Dei. At impii non sunt filii Dei. Ergo non pertinent ad congregationem, quam Christus colligit.

VII. *Septimum Scripturae testimonium* sumitur ex *1. Tim. 3. 15.* vbi Ecclesia vocatur columna & stabilimentum veritatis. At impii non sunt huiusmodi columna & stabilimentum: quippe qui sunt instabiles nec veritatem constantiter retinent. Vbi notetur illud *Hieronymi in Iob. 2. 6.* Ecclesia, quae est sanctorum omnium congregatio, pro aeterna sibi in Domino stabilitate, columna & firmamentum veritatis dicitur. At impii huiusmodi stabilitatem non habent. Ergo impii non sunt de Ecclesia.

VIII. *Octauum Scripturae testimonium* ducitur ex iis locis, vbi proprietates ouium Christi, hoc est, verorum eius discipulorum, describuntur: cuiusmodi sunt, Christum vere cognoscere, vocem eius audire, praeccepta ipsius seruare *Ioh. 10. & 14. & 15. Luc. 11. 28.* & passim alibi. Cui igitur Ecclesia Christi nihil aliud sit, quam multitudo ouium, siue discipulorum, Christi, non dubium est, quin omnes impii, infideles, hypocritae, penitus ab illa exclusi sint: quippe quibus istae proprietates attribui non possunt.

IX. *Nonum Scripturae testimonium* sumitur ex iis locis, quibus diserte affirmatur, non omnes externa ratione Christo adhaerentes, hoc est, verbum Dei audientes, fidem ore profitentes, sacramentis Ecclesiae vtentes, sed tantum vere credentes, & Spiritu Christi praeditos, pro germanis Ecclesiae membris apud Deum haberi: vt *Matth. 7. Nunquam noui vos. Rom. 2. Non qui in propatulo Iudaeus est. Rom. 8. Qui Spiritum Christi non habet, non est eius.* Ergo hostales Christus pro membris suis non agnoscit, & proinde ad communionem verae Ecclesiae nequaquam pertinent.

X. *Decimum Scripturae testimonium* sumitur ex iis locis, vbi diserte negatur, impios aut incredulos, vllam cum Christo, ac proinde cum vera eius Ecclesia, communionem habere: vt, *2. Cor. 6. Quod consortium est iustitiae cum iniustitia. 1. Ioh. 1. Si in luce ambulamus, communione cum eo habemus. Et c. 2. Qui dicit, noui eum, & non seruat praeccepta eius, hic mendax est. Et c. 3. Qui peccatum facit, non nouit eum. Et c. 5. Qui credit Iesum esse Christum, hic natus est ex Deo &c.* Ergo soli credentes & renati Ecclesiam Christi constituent; nec vlli increduli aut reprobi ad eam vere pertinent.

XI. *Vndecimum Scripturae testimonium* ducitur a beneficiis Ecclesiae propriis, seu ab ipsius privilegiis: qualia sunt, regeneratio, iustificatio, & salus aeterna. Haec enim omnibus & singulis Ecclesiae ciuibus reipsa contingunt. *Eph. 5. Christus est seruator sui corporis. Ibid. Tradidit seipsum pro Ecclesia, vt eam sanctificaret &c. Ioh. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Et c. 15. Ego vitis, vos palmites. 1. Cor. 5. Si quis est in Christo, est noua creatura. At vero impii & infideles nunquam reuera haec beneficia percipiunt. Duodecimum Scripturae testimonium sumitur ex *1. Ioh. 2. 19.* E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Ergo reprobi, siue sint hypocritae, siue haeretici, &c. non sunt membra Ecclesiae. *Decimum tertium Scripturae testimonium* sumitur ex insigni illa allegoria *Gal. 4.* de duabus Abrahami vxoribus, & dissimilibus earum filiis. Vbi Apostolus tandem concludit, caelestem Hierosolymam, id est, Catholicam Christi Ecclesiam, esse omnium nostrum, quicumque secundum spiritum ex Abrahamo prognati sumus.*

XII. Atque haec e Scripturis adduxisse sufficiat. Iam sequitur *secunda classis argumentorum*, in qua breuiter representamus rationes praecipuas nostrae sententiae. I. Ecclesia Catholica duabus integratur partibus, triumphante scilicet, & militante. In Ecclesia triumphante sunt soli boni: vt omnes concedunt. In militante similiter sunt soli boni: vt patet ex ipsius definitione, quae in Catechismo Tridentino, in expositione symboli, est eiusmodi: Ecclesia militans est, quae cum immanissimis hostibus, Satana, carne, & mundo, perpetuum bellum gerit. At nulli nisi boni, non vero reprobi, hoc bellum gerunt. I. Ecclesia Catholica est sancta, sanctitate imputata & inherente. Ergo omnes, qui ad Ecclesiam pertinent, sanctitate sunt praediti: qui vero sanctitate carent, ad Ecclesiam non pertinent. 2. Ecclesia est corpus Christi. At impii non sunt corpus Christi. Ergo. 4. Christus est caput Ecclesiae & omnium eius partium. Atqui Christus non est caput impiorum & reproborum. Ergo impii & reprobi non sunt partes Ecclesiae. 5. Vera membra Ecclesiae sunt oues Christi, & illius discipuli. At impii non sunt oues Christi: quia sunt haedi. 6. Qui Christo plane contrarius est, siue palam & aperte, siue occulte sit talis, non potest esse verum Christi membrum. Atqui omnes Ecclesiae ciues sunt vera & viua membra Christi: cum Ecclesia ipsa nihil aliud sit, quam viuum & mysticum Christi corpus, quod ipse spiritu suo

perpetuo animat ac gubernat. 7. Qui ad regnum & corpus diaboli pertinent, ij ad Ecclesiam Catholicam, seu regnum & corpus Christi non pertinent. Sed impii pertinent ad regnum & corpus diaboli. E. 8. Nulli sunt filii Ecclesiae matris, nisi qui sunt filii Dei Patris, vt eleganter docet *Cyprianus lib. de vnitae Ecclesiae.* At impii non sunt filii Dei Patris: quia sunt filii Satanae *Iohan. 8.*

XIII. *Tertia classis argumentorum* colligit testimonia Patrum, Scholasticorum, & ipsorum met aduersariorum. *Cyprianus epist. 49.* ait, Christi & Ecclesiae vnitatem indiuiduis nexibus cohaerere. *Idem epist. 55.* ait, Ecclesiam, quae in Christum credit, & quae semel id quod cognouerit, tenet, nunquam ab eo omnino discedere: & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent: plantationem vero a Deo Patre plantatam non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari. *Hieron. super Eph. 5.* Qui peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari. *Ephraim in haeres. 35.* Vna est columba mea, vna perfectione mea: hoc est, ipsa sancta sponsa, & Catholica Ecclesia. Subiungit rationem, quare columba dicatur, propter mansuetudinem, innocentiamque, ac vitae puritatem. *Ambrosius in Psal. 35.* Sicut sancti sunt membra Christi: ita impii sunt membra diaboli. *Augustinus contra Cresconium lib. 2. c. 21.* Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia, propter malampollutamque conscientiam damnata a Christo, iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia: quoniam non potest Christus habere membra damnata. *Idem de baptismo lib. 7. c. 51.* Omnibus consideratis, tunc me non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quae dicitur aedificari super petram; quae vnica columba appellatur, quae sponsa pulchra, sine macula & ruga, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae viuae, paradysus cum fructu pomorum &c. alios autem ita constat esse in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaeque iustitiae, sed sicut esse palea dicitur in frumentis. Plura ex Augustino vide apud *Wihakerum nostrum. Hugo de 8. Viatore lib. 2. de sacramentis cap. 2.* Ecclesia sancta corpus est Christi, vno spiritu viuificata, vnica fide, vna, & sanctificata. *Idem cap. 1.* Qui non habet spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore vno Spiritus vnus. Nihil in corpore mortuum: nihil extra corpus, viuum. *Bernhardus serm. in cantica. 78.* Sponsam interpretatur Ecclesiam electorum. *Lombardus lib. 1. dist. 37.* Illi ad templum Dei non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum, glorificant. *Albertus Magnus in Matth. 26.* De multis fidelibus, a peccato deputatis, vna fit Ecclesia. *Anselmus in 1. Cor. 10.* Quemadmodum vnus panis ex multis granis, & vnus corpus ex multis membris componitur: ita Ecclesia Christi ex multis fidelibus charitate copulante conuenitur. *Contilium Wormatiense in praefat.* Ecclesiam Catholicam, pretio sui sanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. *Decret. part. 2. caus. 24. quaest. 3. cap. 8.* Ad Ecclesiam non pertinent illi, qui in eius vnitae corporaliter misti, per pessimam vitam separantur. *Rursus caus. 33. quaest. 3. dist. 1. de poenit. c. 70.* Qui peccator est & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi appellari non potest. *Iohannes de Turrecremata lib. 4. de Ecclesia, part. 2. cap. 20.* asserit, illos, qui fidem internamque gratiam non habent, ad Ecclesiam non pertinere.

XIV. Iam examinemus *aduersariorum exceptiones*: quas inter palmaria & generalis est illa Bellarmini de duplicibus Christi ouibus, seu Ecclesiae membris, quae hoc modo distinguit. *Primo* facit discrimen inter Ecclesiae membra vera, & viua: quasi reprobi sint quidem vera Ecclesiae membra, sed non viua, hoc est, quasi essentialia membra corporis Christi, sed tamen arida sint, & mortua: quomodo manus arida est membrum corporis humani. *Deinde* distinguit inter oues Christi, quae actuales sunt, vel tantum potentia. *Tertio* distinguit inter oues Christi, quae vel respectu praesentis iustitiae, vel respectu futurae ac finalis perseverantiae, tales dicuntur, siue quae (vt ipse loquitur) vel veritate solius formae, vel veritate formae ac finis simul, Ecclesiae membra censentur.

XV. Atqui nulla harum distinctionum efficere potest, vt reprobi censeantur membra Ecclesiae Catholicae. *Non prima*, quia blasphemum, & Christo simul, eiusque vera Ecclesia profusa indignum est, arida & mortua membra, vel illi, vel huic vnquam attribuere: cum corpus hoc totum viuum, mysticum, & spirituale sit; eiusque membra omnia capiti suo Christo homogenea sint, hoc est, eodem spiritu vegetentur, ac viuificentur. *Quod etiam alii Pontificii (praesertim Melchior Canus in locis theologicis lib. 4. cap. vult.)* diserte agnoscunt. *Non secunda*: quia controuersia est non de iis, qui Ecclesiae ciues membraque esse possunt, sed de iis, qui iam actu & reipsa sunt. Sic v. g. Paulus persecutor non fuit ouis Christi actu, sed lupus. Neque tamen ideo fuit reprobis, aut membrum diaboli. Hic autem quaestio mouetur de reprobis, an illi possint censei membra Ecclesiae. *Non tertia*: quia veritas finis hic non nisi consequenter & secundario spectanda est, quod sola veritas formae primo & per se sufficiat. Imo & veritas finis in hoc negotio ad veritatem formae dependet, iuxta illud *1. Iohan. 2.* Si fuissent ex nobis, vtique nobiscum mansissent.

XVI. Speciales Bellarmini exceptiones ita habent. 1. Ad locum *Ioh. 10.* quod oues Christi audiant vocem ipsius, responderet, oues aliquando in Scripturis promiscue sumi pro bonis & malis, vt cum Christus Petro dicit, *Pasce oues meas*, aliquando vero pro praedestinatatis tantum, vt *Ioh. 10. Resp.* Sufficit nobis, quod fateatur praedicto Iohannis loco, praedestinos tantum per oues intelligi debere. Sequitur enim eodem cap. vers. 16. Fietque vnus grex, & vnus pastor. Quapropter si oues in grege tantum fuerint, & praedestinati tantum oues sint, tum praedestinati tantum ad gregem pertinent. 2. Ad locum, *1. Iohan. 2.* E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, responderet. Et si non erant ex nobis, hoc est, de Ecclesia, animis & voluntate, ex nobis tamen erant externa professione. *Respondet.* At hoc est contradicere Apostolo, qui ait simpliciter, Non erant ex nobis, Bellarminus contra. Aliquo modo erat ex nobis. Apostolus negat, Bellarminus affirmat. Deinde hic non agitur de externa professione, sed de rei veritate: non de communiione externa, sed de interna. 3. Ad loca, vbi Christus dicitur esse caput totius corporis, excipit, quod quaedam membra huius corporis sint desitura esse membra Christi, & in aeternum peritura.

Respond. Sed hoc dicitur *et ceteris* quibus. Nam membra Christi, quae talia sunt *et ceteris* semper sunt ipsius membra: vt pote quae ille sibi acquisiuit, inseruit, sanctificauit. 4. Ad loca, vbi filii Dei dicuntur constituere Ecclesiam,

excipit, filios Dei dici vel respectu præsentis iustitiæ, vel respectu prædestinationis diuinæ. *Resp.* At sermo est de filiis Dei, qui *in* sunt tales, iure redemptionis; de quibus Apostolus *Rom.* 8. 17. ait: Si filii Dei, etiam hæredes. Quod attinet ad statum præsentis iustitiæ, ille tantum est externa apparentia: quia vera iustitia perdurat in vitam æternam.

CAP. VI.

Sententia Papistarum confutatur, quod impii etiam pertineant ad Ecclesiam Catholicam.

I. **A**ffirmant Papistæ, non tantum electos, sed ipsos quoque reprobos ad Ecclesiam Catholicam pertinere, veraque illius membra esse posse, *Bellarmin. lib. 3. de Eccles. c. 7.* Quæ opinio nititur illa hypothese, nullam internam gratiam aut virtutem in membris Ecclesiæ requiri, sed publicam solum externamque professionem, *Bellarmin. d. l. c. 2.* Hinc *Rhemenses annot. in Iohan. 15. sect. 1.* aiunt, impios & reprobos, in publica Ecclesiæ professione remanentes, vera corporis Christi membra existere. Quam sententiam Bellarminus confirmat ex Scripturis, Patribus, & ratione. Atque hæc est thesis, siue sententia generalis. Cui Bellarminus *cap. 9. & 10.* subiungit hypothese de magnis peccatoribus, & infidelibus occultis, probatque illos etiam esse in Ecclesia Catholica. Thesin videamus primo loco, eiusque triplicem probationem.

II. *Argumenta thesios ex Scripturis* reuocari possunt ad tres ordines. In primo ordine sunt parabole: in secundo alia testimonia: in tertio exempla. Vbi nos per quadruplicem distinctionem respondemus ad omnia fere huius classis argumenta. *Primo* enim distinguimus inter Ecclesiam Christi veram, sed internam, & inuisibilem, quæ tota ex electis, seu vere credentibus constat; & Ecclesiam Christi veram, sed externam, & visibilem, quæ multos sæpe reprobos admixtos habet. Illa est vera, propter veram fidem, quæ præditi sunt ipsius ciues: hæc est vera, propter veram doctrinæ professionem. *Deinde* distinguimus inter Ecclesiam Catholicam & particularem; quod in illa sint soli boni, in hæc boni & mali. *Tertio*, totum externæ ac visibilis Ecclesiæ corpus, siue systema, à quibusdam ipsius singularibus & paucis membris, distinguimus: cum non continuo vniuersæ Ecclesiæ competat, quidquid his, vel illis, eiusdem externis membris, hoc est, communis fidei professoribus, attribui solet. *Quarta* nostra distinctio est inter canonem siue iudicium charitatis & fidei. Tametsi enim ex iudicio charitatis (quæ omnia credit, sperat &c. *1. Cor. 13.*) multi hypocritæ, quamdiu fidem Christi profiterentur, pro Christi membris & ouibus habentur: fides tamen, in ipso Dei verbo edocta, nullum hypocritam, aut incredulum, aut improbum, quamdiu talis esse perseverat, ad essentiam mystici corporis Christi pertinere, probissime nouit. Quibus ita præmissis, ad solutionum argumentorum, & quidem primæ classis, accingamur.

III. *Testimonia Scripturæ ex parabolis desumpta* ita declarant Ecclesiæ naturam, vt impios etiam ad illam pertinere, non obscure significetur. Et primo quidem Ecclesia *Matth. 3. 12.* comparatur aræ, paleas simul & triticum continenti. *Deinde Matth. 13. 47.* Ecclesia comparatur reti siue fagenæ, bonos simul & putres pisces comprehendenti. *Tertio Matth. 22. vers. 1. & seqq.* Ecclesia comparatur conuiuio nuptiali, in quo non omnes conuiuæ electi, seu veste nuptiali amicti sunt. *Quarto Matth. 25. vers. 1. & seqq.* Ecclesia comparatur cœtui virginum, partim prudentiū, partim fatuarum. *Denique Matth. 25. vers. 31. & 33.* Ecclesia comparatur ouili, in quo sunt oues & hœdi, hoc est, electi & reprobi, vt ipse Dominus explicat. Ex quibus apparet, etiam impios & infideles, ad Ecclesiam vere pertinere, si modo fidem eius profiteantur. *Respondet primo in genere.* Similitudines istæ non declarant naturam & essentiam Ecclesiæ Catholicæ (quod aduersarius præsupponit) sed tantum externum quoddam ipsius accidens. Itaque referendæ sunt ad externum cœtum eorum omnium, qui per Euangelii prædicationem ad Christum aliquatenus vocantur, & fidem quoquo modo profiterentur. Nihil autem vetat, quo minus in eiusmodi cœtu multi sint reprobi, qui tamen ad essentiam veræ & internæ Ecclesiæ Christi minime pertineant. Nihil ergo contra nos faciunt parabole allatæ. Debuit enim probare Bellarminus, in Ecclesia Catholica esse tam reprobos, quam electos. Hoc vt probaret, affert has parabolas, quæ non loquuntur de Ecclesia Catholica & inuisibili, sed de particulari & visibili, in qua nos fatemur tam malos, quam bonos esse, & plerumque plures malos, quam bonos. Sed isti mali ad Ecclesiam Catholicam non pertinent. Hinc impii dicuntur esse in Ecclesia, non vero de Ecclesia. *Deinde in specie* respondeo ad parabolam quintam, Ecclesiam Catholicam in Scripturis nunquam comparari ouili, in quo & hœdi, & oues sunt; sed ouili, in quo oues tantum sunt, *Iohan. 10.*

IV. *Testimonia Scripturæ ex aliis locis desumpta*, apud Bellarminum sunt tria, duo priora, cap. 7. tertium cap. 10. *Primo* itaque producit illud *1. Cor. 5. vers. 3. & 4.* vbi Apostolus iubet incestuosum expelli de Ecclesia, & tamen non poterat illum facere reprobum ex prædestinato, imo nec volebat: nam eiecit illum, vt humiliatus rediret. Quare in Ecclesia aliqui mali sunt, & extra Ecclesiam aliqui boni. *Deinde 2. Tim. 2. 20.* per domum intelligitur Ecclesia: per vasa in gloriam, quæ sunt in illa domo, intelliguntur electi, per vasa in contumeliam, reprobi. *Tertio* Ecclesia comparatur corpori *1. Cor. 12. 12.* Vt autem in corpore quædam partes sunt, quæ neque sensum, neque vitam habent: sic in Ecclesia quædam membra sunt, quæ neque fidem, neque charitatem habent, quæ vita est Ecclesiæ. Ergo impii vera Ecclesiæ membra esse possunt. *Rhemenses* ita argumētantur. Quemadmodum in vinearum infructuosi esse possunt: ita mali membra Ecclesiæ esse possunt, *Annotat in Ioh. 15. sect. 1.* Omne palmitem in me fructum non ferentem, tollit Pater, inquit Christus. Ergo in Christo palmites infructuosi esse possunt.

V. *Respondet ad 1.* Paulus voluit incestuosum illum eiici ex Ecclesia particulari, puta Corinthiorum, non vt auelleretur ab Ecclesia Catholica (ex illa enim nemo eiici potest) sed vt hoc modo ad peccati agnitionem & fugam adduceretur, atque ita fieret ipso actu membrum Ecclesiæ Catholicæ. *ad 2.* Per magnā illā domum, in qua sunt vasa in gloria & contumeliā, intelliguntur Ecclesiæ particulares, sparæ per totū terrarū orbem, in quibus sunt boni

& mali. *ad 3.* Non vt in corpore humano possunt esse membra sensu vitæque destituta, vt in paraliticis: ita quoque in corpore Christi mystico. Illud enim est totum homogeneum, quod semper vegetatur spiritu Christi, & quidem vel actu primo tantum, vel actu primo & secundo simul. *ad 4.* Non vt in vite possunt esse palmites exsucci & infrugiferi: sic quoque in Christo possunt esse infideles; ob causam modo dictam. *ad 3. & 4. simul.* Sicut, quidquid in corpore est, nullam vitam sensumque recipiens à corpore, proprie corporis pars non est, quantumuis arte corpori adherere videatur: & rursus, Sicut, quidquid in vite est, nullum succum recipiens à vite, proprie vitis pars non est, quantumuis arte viti adherere videatur: sic impii, etsi sunt in Ecclesia externa, tamen quia non sunt participes vitæ illius spiritualis per Christum, Ecclesiæ internæ membra iudicandi non sunt.

VI. Nunc videamus *exempla Pauli & Iudæ*, quæ adducit Bellarminus *De Paulis* ratiocinatur. Iohannes Hufs dicebat, Paulum semper fuisse de Ecclesia. Ipse autem Paulus *1. Tim. 1. Gal. 1. 1. Cor. 15.* affirmat, se persecutum esse Ecclesiam Dei: & idem de eo affirmat Lucas *Act. 9.* Quæro igitur, vel illa Ecclesia, quam Paulus perlequebatur, erat vera Dei Ecclesia, vel non: si vera, igitur Paulus non fuit aliquando membrum veræ Ecclesiæ. Quomodo enim erat de illa Ecclesia, quam totis viribus oppugnabat? si non erat vera illa Ecclesia, ergo mentuntur Paulus & Lucas, cum eam absolute Ecclesiam Dei vocant. *Respondet.* Paulus semper fuit de Ecclesia, secundum prædestinationem & consilium Dei, & quidem actu (nam in Deo potentia esse quid dixeris?) sed secundum vocationem, siue internam, siue externam, non semper fuit de Ecclesia, sed tum cœpit esse, quando teipsum vocatus. Et hoc vult *Augustinus* *serm. 1. de conversione Pauli*, quando ait, Paulum etsi prædestinatum, tamē lupum ante fuisse, quam ouem. Nimirum non erat actu in se ouis, aut filius Dei, aut membrum Ecclesiæ: sed actu erat in Deo & Christo talis, potentia in se. *De Iudæ* sic argumentatur noster Cardinalis. Iohannes Hufs dicebat, Iudam nunquam fuisse de Ecclesia. Iudas enim reprobus erat, vt patet ex *Act. 1.* Sed illum fuisse de Ecclesia constat ex eodem cap. vbi dicitur fuisse Apostolus ex duodecim, & episcopus vocatus à propheta Dauid, *Psal. 108.* Quæ non possunt esse vera, nisi aliquando de Ecclesia fuerit. *Respondet.* Hufs id voluit, Iudam nunquam fuisse de Ecclesia Catholica & interna. Bellarminus probat illum fuisse in Ecclesia particulari & externa. Hinc *Augustinus* *tract. 61. in Iohannem* eleganter ait, Iudam vnum fuisse ex Apostolis, commixtione corporali, non vinculo spiritali: carnis adiunctione, non cordis vnitatem.

VII. Sequuntur *testimonia Patrum*, quæ Bellarminus adducit numero duo. *Primum* ex *Cypriano* *l. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2.* qui appetissime docet, in eadem Ecclesia esse triticum & zizania, vasa aurea & lignea, cum certum sit, zizania comburenda, & lignea vasa esse in contumeliam. *Alterum testimonium est ex Augustino* *tract. 45. in Iohan.* Secundum præscientiam & prædestinationem, quam multæ oues foris, quam multi lupi intus? Quibus verbis prædestinatos multos dicit esse extra Ecclesiam, & reprobos multos intra Ecclesiam. Quod idem repetit *lib. 2. contra Cresconium* *cap. 34.* *Respondet ad 1.* Cyprianus loquitur de Ecclesiis particularibus, puta Carthaginensi & Romana. In his vero bonos & malos esse permixtos diferte concedimus. *ad 2.* Multi prædestinati, siue oues, sunt extra Ecclesiam, quatenus actu nondum sunt vocati. Rursus multi reprobi sunt intra Ecclesiam externam & particularem.

VIII. *Rationes* duas pro sua sententia adfert Bellarminus: quibus adiciemus tertiam ex episcopo Cicestrensi. *Primo.* Si sola prædestinatio facit hominem esse de Ecclesia, tum sequetur, Turcas, Iudæos, hæreticos, & quoslibet impios, si prædestinati sint, nunc esse de Ecclesia, & vicia Christi membra: & contra quoslibet sanctos, & pios baptizatos, si non sint prædestinati, non esse de Ecclesia, neque de corpore Christi. Vtrumque autem est falsissimum. *Secundo.* Si soli prædestinati, siue electi, iusti, & sancti, ad Ecclesiam Dei pertinerent, tum nullum de Ecclesia certum & infallibile iudicium esse posset: neque eius autoritas in docendo, arguendo &c. per prælatos Ecclesiæ vnquam recte exerceri posset. Siquidem temper incerti essemus, quinam vere iusti aut electi sint, ac proinde quibus verbum Dei applicandum sit. Nemo sane hac ratione cognouerit fratres suos, & nec pastores cognoscerent oues, nec ab illis cognoscerentur. Ergo necesse est, omnes veram fidem profitentes, ad Ecclesiæ consortium pertinere. *Tertio.* Vna tantum est Ecclesia. At impii, qui externe Christum profiterentur, sunt membra Ecclesiæ. Ergo huius vnus Catholicæ Ecclesiæ. *Respondet ad 1.* Sola prædestinatio non facit, vt aliquis sit actu membrum Ecclesiæ: sed ad hoc requiritur vocatio. Quare prius illud membrum non sequitur ex nostra sententia. Nam vt Turcæ, impii, hæretici &c. qui sunt prædestinati, actu incipiunt esse in Ecclesia Catholica, ad hoc requiritur vocatio, adeoque iustificatio & sanctificatio. Posterius membrum recte deducitur ex nostra sententia. Nam omnes sancti & pii, qui sunt tales professione tantum externa, sunt alieni ab Ecclesia Catholica & inuisibili. *ad 2.* Iudicium de externa Ecclesia tamdiu certum est, quamdiu in pastoribus simul & populo conspiciuntur duæ illæ notæ, verbi Dei pura prædicatione, & legitima sacramentorum administratio. Itaque nihil eorum in commodum sequitur, quæ Bellarminus nobis obiicit. Nam Ecclesiæ particulares non constant ex solis prædestinatis. *ad 3.* Vna est Ecclesia Catholica & interna: cui adiuncta est Ecclesia externa, imo & malignans, vt patet in Caino & Abele, Petro & Iudæ.

IX. Hucusque est *thesis*, videlicet impios, profitentes fidem Christi, esse in Ecclesia Catholica: sequitur *hypothesis*, eaque partim de magnis peccatoribus, partim de infidelibus occultis; quos utroque Bellarminus etiam contendit esse in Catholica Christi Ecclesia. *De magnis peccatoribus*, & illis quidem non occultis tantum, sed etiam manifestis, tribus argumentorum generibus probat illos esse in Ecclesia Catholica. Et primo quidem *adfert testimonia Scripturæ*: vbi primo loco repetit parabolas de arca, de reti, de conuiuio nuptiali, de decem virginibus, & de ouili. Has parabolas probare ait, magnos peccatores esse in Ecclesia, & addit, Catholicos olim his vsos esse contra Donatistas, quibus illi ita labefactati sunt, vt ne verbum quidem responderet potuerint. *Deinde ex Matth. 18.* probat, in Ecclesia esse fratres, qui peccant, & ita peccant, vt non admittant fraternas admonitiones. *Tertio ex Matth. 23.* probat, pastores malos, qui recte quidem docent, sed male viuunt, esse de Ecclesia. *Quarto ex 1. Cor. 1. & seqq. capp.* probat, in Ecclesia Corinthiorum fuisse magnos peccatores, puta

contentiosos, incestuosos &c. *Quinto* per inductionem probat omni tempore in V. & N. T. grauissima peccata fuisse in populo Dei. Atque hæc est prima classis argumentorum. *In secunda adfert testimonium Ecclesie Catholicae*, quæ fuit tempore Augustini. Erat illo tempore collatio inter 306. Catholicos episcopos, quorum Augustinus ipse vnus erat, & 296. episcopos Donatistas. In ista collatione Donatistæ coacti sunt fateri, esse in Ecclesia bonos & malos; quod Ecclesia comparatur reti, malos & bonos pisces congreganti, & aræ, in qua magis apparet palea quam frumentum. *In tertia classe recitat testimonia Patrum*, qui omnes vno ore docent, in Ecclesia esse bonos & malos. Nam *Cyprianus lib. 3. epist. 3.* ait, in Ecclesia esse zizania. *Nazianzenus orat. 1. apologetica* Ecclesiam comparat ingenti bellæ, quæ ex variis bestiis fit conflata. *Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio* multis persequitur peccata eorum, qui ab episcopis reguntur. *Hieronymus dialogo contra Luciferanos* ait, vt in arca Noe fuerunt omnis generis animalia, v. g. lupus & agnus: sic in Ecclesia esse iustos & peccatores. *Augustinus tract. in Iohan. 6. & alibi* ait; & bonos & malos esse in Ecclesia Catholica, tanquam grana & paleas &c.

X. Hæc sunt argumenta numero multa: quibus vnum responsum conuenit. Peccant nempe omnia homonymia, & ignorantie elenchi. Nos enim concedimus de Ecclesiis particularibus, quæ fidem Catholicam profitentur, secundum rationem externam ipsarum, bonos & malos sibi permixtos esse. Quamobrem argumenta Bellarmini nihil ad nos, qui annuimus & deploramus etiam magnos peccatores hac ratione in Ecclesia esse. In qua si non essent, frustra de correctione & excommunicatione graui illorum ageretur. Verum enim vero ne nihil respondisse videamur, age certis aphorismis summa quædam capita responsonum complectamur. 1. Ecclesia Catholica sumitur dupliciter vel pro tota Ecclesia, quæ est corpus Christi, interna & æterna ratione, quemadmodum à nobis in hac quaestione sumitur: vel particularibus Ecclesiis omnibus, quæ fidem Catholicam profitentur. Priori modo soli boni sunt in Ecclesia Catholica: posteriori, mali sunt cum bonis, externa societate, non interna coniunctione. 2. Parabolæ allatæ Donatistas refellunt fortissime, quia illi particulares Ecclesias iactabant constare solis sanctis. Nos vero ne attingunt quidem; quia distinguimus externam Ecclesie rationem ab interna. 3. Testimonia Scripturæ & Patrum loquuntur de particularibus Ecclesiis. 4. Ecclesie particulares, in quibus sunt multi magni peccatores, appellantur Ecclesie duabus de causis. Primo, quia res ferre soleant appellari ex parte meliore: quomodo vini dolium appellamus, in quo tamen multum facis inesse nouimus. Deinde, quia lex charitatis iubet nos bene iudicare & sperare de omnibus, qui religionem Christi profitentur, etsi peccent aliquando, & valde peccent. 5. Ecclesia Catholica etsi constat ex particularibus Ecclesiis: non tamen constat ex iis omnibus, qui sunt in particularibus Ecclesiis, sed ex solis bonis.

XI. Confutatis argumentis, quibus Bellarminus probare instituit, magnos peccatores esse in Ecclesia Catholica: videamus argumenta nostra, quibus probatur non esse. Habemus autem & nos partim Scripturæ testimonia, partim rationes, partim denique dicta Patrum. *Testimonia Scripturæ sunt tria.* Primum est *Esai. 52. 11.* Recedite, recedite, exite inde, nolite pollutum tangere: exite de medio eius. *Quem locum* Apostolus *2. Cor. 6. 17.* exponit, & addit: Et ego recipiam vos, inquit Dominus: & ero vobis in Patre, & vos eritis mihi in filiis & filias. Vnde colligere est, Ecclesiam Catholicam constare ex filiis Dei, qui se separant à mundo, id est, ab impiis, siue sint in Ecclesiis particularibus, siue extra illas. Secundum est *1. Cor. 10. 17.* Vnus panis, vnus corpus multi sumus. Ex quo loco sic ratiocinamur. Panis fit ex frumento, non ex paleis: neque ex frumento vna cum paleis, sed ex solo frumento. Ergo Ecclesia Catholica, quæ panis hoc loco comparatur, ex solis bonis constat Tertium est *Rom. 8. 9.* Qui non habet Spiritum Christi, non est eius. & *1. Cor. 12. 13.* Vno spiritu omnes nos in vnus corpus baptizati sumus. Hinc efficitur, eos qui spiritu Christi carent (quales sunt magni peccatores) non pertinere ad Christum, & proinde nec ad Ecclesiam Christi. *Inter rationes nostras illa eminet.* Qui habet Ecclesiam matrem, habet Deum Patrem. At magni peccatores non habent Deum Patrem. Ergo nec Ecclesiam matrem. *Testimonia Patrum* multa possunt adduci, nempe omnia illa, quæ cap. præced. commemorauimus. Sed hoc loco erimus contenti duobus istis. *Augustinus lib. de vnit. Ecclesie c. 12.* ait: impias turbas Ecclesie, in Ecclesia non deputari. *Idem l. contra literas Petilianæ c. 118.* sic scribit. Non ideo putandi sunt loquuntur de fornicatoribus, immundis, hæreticis &c. esse in corpore Christi, quod est Ecclesia; quia sacramentorum eius corporaliter participes sunt. Illa enim & in talibus sancta sunt &c. Ipsi autem non sunt in illa Ecclesia Christi compage, quæ in membris Christi per connexionem & contactum crescit in incrementum Dei.

XII. Restat vt diluamus argumenta, quibus Bellarminus probat, occultos infideles, id est, illos, qui nec fidem internam, nec vllam Christianam virtutem habent, sed externe tantum, propter temporale aliquod commodum, fidem Catholicam profitentur, pertinere ad Ecclesiam Catholicam, hoc est, esse Catholicos non-catholicos. Hanc paradoxam sententiam probat ex Scripturis, Patribus, & ratione. *Ex Scripturis* adducit locum *1. Ioh. 2.* Et nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Hinc probatur, hæreticos occultos, quos Apostolus d. I. antichristos vocat, non esse de Ecclesia, animo ac voluntate, sed tantum externa professione. Non enim potuissent exire ex Ecclesia, si in illa non fuissent. *Resp.* Et hic est perpetua homonymia, atque ignorantie elenchi, quæ paulo ante §. 10. ostendimus. Nimirum occultis infideles sunt in Ecclesia particulari & externa: non sunt in Catholica & interna. Itaque ex illa, non ex hac exeunt. *Ex Patribus* hæc summam adducit. *Origines homil. 21. in Ioh. 1.* scribit, Iebusæ os semper futuros esse in Hierusalem, hoc est, hæreticos in Ecclesia. *Augustinus l. 3. de baptismo contra Donatistas c. 19.* fatetur, eos qui fraternalis charitatis inimici sunt, siue aperte foris sint, siue intus esse videantur, pseudochristianos & antichristos esse. *Idem l. 4. contra Donatistas c. 10.* ait, multa esse frumenta foris, & multa zizania intus. *Resp.* Hæretici, pseudochristiani &c. sæpe sunt in Ecclesia particulari & externa. Sed hoc nihil ad rem. Deinde multi, qui ex prædestinatione Dei pertinent ad Ecclesiam nondum sunt in illa, quantum ad vocationem. Et multi, qui in Ecclesia versantur quantum ad externam vitam, non sunt de Ecclesia, quantum ad fidem, spem, & charitatem. *Rationes* has adducit. 1. Hæreticus occultus potest habere auctoritatem & iurisdictionem in Ecclesia. Ergo est de Ecclesia. *Resp.* Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum, vt loquitur Hieronymus, id est, non facit vt aliquis sit membrum Ecclesie Catholicae: etsi interim est membrum Ecclesie secundum externam rationem. 2. Ecclesia est similis corpori humano. Corpus autem humanum

varias habet partes; quarum quædam viuunt, & sentiunt; quædam viuunt, sed non sentiunt; quædam nec viuunt, nec sentiunt. Similiter se habet in Ecclesia. Quidam fidem & charitatem habent, quidam solam fidem, quidam ne ipsam quidem fidem, sed externam duntaxat coniunctionem. *Resp.* Ecclesia Catholica & interna est similis corpori humano, propter varietatem, & vniionem internam, & communionem, quæ perinde cernitur inter fideles & mēbra corporis. Ecclesia particularis & externa est similis corpori humano, propter varietatem officiorum, & vnitatem membrorum externam. Itaque soli electi sunt membra Ecclesie Catholicae, secundum rationem & formam internam. At omnes fidem profitentes sunt membra Ecclesie secundum externam & communem ipsius rationem. Sunt, inquam, membra Ecclesie Catholicae materialia. Sed hic disputatur de formali ratione. Atque hoc modo negamus, vllum esse corporis humani, & corporis mystici, hoc est, Ecclesie, quod viuat, & non sentiat: multo minus, quod nec viuat, nec sentiat. Nam si est membrum, est viuum. Est autem vita duplex, vt est gemina Ecclesie ratio. Nam in Ecclesia externa est vita fidei historice, vel temporarie: in interna, est vita fidei saluificæ. Quamquam vita illa prior respectu posterioris vita dici non meretur. Sed paucis. Ecclesia Catholica est corpus Christi, cuius membra viuunt per Spiritum Christi, & proinde non possunt esse arida vel mortua.

CAPVT VII.

Quosdam non baptizatos pertinere ad Ecclesiam Catholicam.

I. **Q**uestio illa, Ex quibus hominibus constet Ecclesia Catholica, subdiuiditur in capita cetera, ex quibus alia sunt præcipua, alia minus præcipua. Præcipua rursus tractantur *1. ut, An Ecclesia constet ex electis & reprobis; vel 2. ut, An Ecclesia constet ex magnis & notoriis peccatoribus, itemque ex infidelibus occultis.* Et hæc expediuimus duobus superioribus capitibus. Super sunt minus præcipua, numero tria, de non-baptizatis, de catechumenis, & excommunicatis. Quæ Bellarminus prior loco tractauit, nos posteriori iam tractanda suscipimus; & quidem distincte de non-baptizatis & catechumenis: quia multi non-baptizati non sunt catechumeni, & nostri hodie catechumeni fere sunt baptizati.

II. Non-baptizatorum duo sunt genera. Alii sunt non-Christiani, quos Apostolus *1. Cor. 5. 12.* vocat *non-credentes*, qui aut nullam religionem, aut certe non Christianam amplectuntur: vt sunt omnes gentiles, & Iudæi. Hos esse extra Ecclesiam nemo Christianus dubitat. Ideo enim ab Apostolo vocatur *non-credentes*. Alii sunt Christiani, & quidem vel professione tantum, vel insuper etiam vocatione interna. Priores illi sunt in Ecclesia particulari & visibili: posteriores illi sunt membra Ecclesie Catholicae & inuisibilis. Rursus Christiani non-baptizati sunt vel infantes, vel adulti. Et infantes aut sunt electi, aut non. Infantes electi vel ante baptismum decedunt, vel baptismo superuiuunt: & hi iterum perueniunt ad annos discretionis, vel non. Omnes infantes electi sunt de Ecclesia Catholica: & illi quidem, qui perueniunt ad annos prudentiæ, actu incipiunt esse de Ecclesia, quando vocantur, & fide donantur. Qui vero non perueniunt ad annos prudentiæ, siue sint baptizati, siue non, quia fide interna extra ordinem donantur à Spiritu sancto, ipso actu sunt membra Ecclesie Catholicae. Quod attinet ad infantes Christianorum non-electos, illi sunt membra Ecclesie particularis: quia vt omnes infantes Iudæorum circumcisorum censebantur in fœdere, ita omnes infantes Christianorum sunt Christiani, & hæcenus pertinent ad Ecclesiam. Atque hoc est, quod dicit Apostolus liberos sanctorum esse sanctos, *1. Cor. 7.* non quia sanctitas aliqua ipsis inhæret, sed quia sunt Christiani, hoc est distincti à non-sanctis, quales sunt omnes infideles extra Ecclesiam pomæria. Sequuntur Christiani adulti non-baptizati. Et illi quoque aut sunt electi, aut non. Illi sunt in Ecclesia Catholica, partim ex cõsilio Dei, vi electionis; partim ipso actu, vi vocationis: hi non sunt in Ecclesia Catholica, sed externa & particulari. Sit itaque nostra thesis. Omnes Christiani non-baptizati, qui sunt præditi vera fide, sunt membra vera Ecclesie.

III. Hanc thesin ita confirmamus. 1. Extra Ecclesiam non est salus. Atque omnes Christiani non-baptizati, si verâ fide præditi sunt, seruantur. Ergo non sunt extra Ecclesiam. 2. Qui sunt membra Christi, sunt etiam membra Ecclesie Catholicae, quæ est corpus Christi. At Christiani non-baptizati, si vera fide præditi sunt, sunt membra Christi: quia per fidem Christi inseruntur *Iohan. 14. 5. Rom. 6. 5. Gal. 3. 26.* Qui sunt filii Dei in Christo Iesu, sunt etiam filii Ecclesie: quia qui Deum habet patrem, Ecclesiam habet matrem. At Christiani non-baptizati, qui sunt præditi vera fide, sunt filii Dei in Christo Iesu. 4. Remissio peccatorum, & donatio Spiritus sancti non contingit nisi iis, qui sunt in Ecclesia Catholica. Iam vero Christiani non-baptizati, si præditi sunt interna fide, contingit remissio peccatorum & donatio Spiritus sancti. Ergo sunt in Ecclesia Catholica. 5. Latro conuersus in cruce non fuit baptizatus. At ille fuit in Ecclesia: quia Christus ipsi dixit, Hodie mecum eris in paradiso, hoc est, in Ecclesia triumphante. 6. Martyres complures, vera fide præditi, fuerunt non-baptizati: vt ipse abrepti ad supplicia ante susceptum baptismum. Quis vero dixerit illos non fuisse ciues Ecclesie? 7. *Augustinus* hanc sententiam confirmat *lib. 4. contra Donatistas cap. 22.* his verbis: Quantum valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, in illo latrone declaratum est.

IV. Non-baptizatos non pertinere ad Ecclesiam, his argumentis conficiunt aduersarij. Primum Bellarminus profert ex *Act. 2. 41.* Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & apposita sunt Ecclesie: in die illa animæ eius ceteri ter mille: Ex quo concludit, illos ter mille homines, antequam baptizati erant, non fuisse de Ecclesia.

Respond. Apposita sunt illæ animæ ad externam Ecclesiam Christianæ cõtum. At nos quærimus de Ecclesia Catholica, & concedimus, baptizatos omnes in externam & particularem Ecclesiam recipi a qua ante baptismum exclusi sunt: sed non necessario ad Catholicam & Ecclesiam pertinere baptizatos omnes dicimus, nec ab ea exclusos esse omnes non baptizatos. Baptismus admittit in Ecclesiam particularem: sed in Ecclesiam Catholicam potest aliquis admitti sine baptismo; quia hæc ad rem sufficit vera fides. Itaque qui baptizati, vt

baptizantur, sunt membra Christi & ecclesie, secundum rationem ecclesie externam, & actum externum illius. At formale, id est, actus internus fidei, praeuenit aut superuenit pro Dei beneplacito: quo actu vere & formaliter in ecclesia sunt, siue baptizandi, siue iam baptizati. Secundum argumentum Bellarmini est eiusmodi. Non baptizati non habent ius ad sacram Eucharistiam, neque ad alia, quae sunt communia vniuersae ecclesiae. Non igitur actu & proprie sunt de ecclesia. *Respondeo.* Argumentum iterum concludit de ecclesia externa & particulari. Nam ordo ecclesiasticus seruandus est in ecclesia visibili, vt nulli admittantur ad Eucharistiae perceptionem, nisi baptizati. At hinc non sequitur, illum, qui est praeditus vera fide, non pertinere ad ecclesiam catholicam, ob id, quia non est baptizatus. Nam vt vera fides est nota ecclesiae catholicae, ita baptismi administratio & S. Eucharistiae perceptio pertinent ad notas ecclesiae visibiles.

V. *Tertium* argumentum sic proponunt alij. Per baptismum induimur Christum, Gal. 3. ver. 27. Ergo etiam sic ingredimur in ecclesiam. *Respondeo.* 1. Ingressus in ecclesiam fit vel aeterna Dei electione, vel acceptione pacis foederis gratiae, vel susceptione signi foederis, vel participatione bonorum foederis. Qui natus est ex Christianis parentibus, secundo modo est in ecclesia: qui baptismum suscipit, tertio modo ingreditur in ecclesiam: qui per fidem habet remissionem peccatorum, etiam si nec natus sit ex fidelibus parentibus, nec baptizatus; iam re ipsa membrum est ecclesiae inuisibilis. Sed is operam dabit, vt fidem etiam voce, & baptismi susceptione in ecclesia visibili testatam faciat. 2. Per baptismum induimus Christum, quatenus actio externa coniungitur cum interna. Itaque hoc non fit sine fide. 3. Apostolus ait eodem cap. ver. 26. Omnes filij Dei estis per fidem in Iesu Christo. At multi crediderunt, antequam baptizarentur. Ergo ante baptismum, id est, sacramentum visibile fuerunt in ecclesia.

VI. *Quarto* sic ratiocinantur. In baptismo fit emundatio a peccato. Ergo & salutis initium. *Respondeo.* 1. Si baptismus constet actione externa & interna, siue, si consideretur, *opus*, hoc verum est. 2. In baptismo externo (de hoc enim est quaestio) ob signatur emundatio a peccatis, quam quis fidelis consecutus est, aut consequetur. 3. Qui credit, etiam ante baptismum iam purgatus est a peccatis. 4. Gratia Dei & meritum Christi plus praestant, quam fides; & fides plus, quam baptismus. *Quinto* sic disputant. Absque baptismum nemo ingreditur in regnum caelorum. E. nec in ecclesiam catholicam.

Respondeo. 1. Antecedens est impium, & consolationi Christianae aduersum: cum baptismo nonnulli vere credentes potiri non possint, etsi velint. 2. Fides potest esse absque baptismo, etsi non potest esse cum contemptu baptismi. in xta illud Bernhadi, Non priuatio, sed contemptus baptismi damnat. Iam vero vbi est fides, ibi & salus. *Sexto* sic argumentantur. Per circumcisionem Iudaei fuerunt assumpti in ecclesiam. Ergo nos assumimur per baptismum. *Respondeo.* 1. Abrahamus fuit in ecclesia & iustificatus est ante circumcisionem: quia, vt docet Apostolus Rom. 4. 11. accepit circumcisionem, tanquam signum & sigillum iustitiae fidei. 2. Circumcidi non debuerunt, nisi qui iam erant de ecclesia. 3. Circumcisio non facit foedus cum Deo, sed factum ob signat. De baptismo idem est iudicium.

VII. *Septimum* argumentum est eiusmodi. Baptismus est sacramentum initiationis, vt omnes concedunt. Ergo per baptismum initiamur ecclesiae, & per consequens, ante baptismum non sumus in ecclesia. *Respondeo.* 1. Baptismus & circumcisio dicuntur sacramenta initiationis, non quod initium Christianismi & salutis faciant, sed quia initium salutis ob signant. Opponuntur enim sacramentis confirmationis. 2. Initiari ecclesiae est visibiliter consecrari, vt dicitur: non autem incipere esse in ecclesia inuisibili & catholica. 3. Qui sunt nati ex Christianis parentibus, sunt in ecclesia, & non sunt. Sunt: quia sunt in foedere. Non sunt: quia nondum appositum sunt externae societati, in quam recipiuntur per baptismum; sicut in foedus recipiuntur per promissionem Dei, *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* Sed accedamus ad caput sequens de Catechumenis, affinem plane materiam; vnde ex hoc capite ad illud, & ex illo ad hoc multa licebit transferre.

CAPVT VIII.

Quosdam Catechumenos pertinere ad Ecclesiam Catholicam.

Bellarminus ait, nullos catechumenos esse de ecclesia: nos contra, quosdam esse affirmamus. Quam controuersiam priusquam disceptemus, pauca explicanda est vox *Catechumenos*. *Catechesis* peculiari notione in ecclesia dicitur institutio in fundamentis religionis Christianae. Et hinc *Catecheta*, seu *catechista*, dicitur, qui in ista catechesi instituit: vt dicitur *1. Cor. 12. 13.* qui iam institutus est in catechesi: *catechumenus*, qui instituitur in catechesi. Vnde de est foemininum *catechumena*. Speciali itaque significatione *catechumeni* dicebantur, qui sacris nondum initiati, imbuebantur ad huc in elementis religionis Christianae. Horum erant ordines duo, minor & maior. Ille tantum audiebat, hic flecebat genua, & vetebar sacramenta. Certa itaque in Catechumenis temporum intervalla fuerunt seruata; & priusquam ad pacem cum fidelibus frangendum aliquis pertineret, stadium consuetae exercitationis fuit percurrendum. *Primo* igitur fiebant catechumeni, deinde competentes, postremo fideles & Christiani. Nam in primitiua ecclesia sic erudiebantur catechumeni, vt magna cum auditate baptismum & communionem peterent, siue competenter: vnde illis *Competentium* nomen. Itaque ex catechumenis fiebant competentes; & ex his fideles, siue Christiani. Non enim censebantur Christiani, qui sacramentis nondum erant initiati: ac proinde, si morerentur, antequam fideles essent facti, spes salutis nulla erat. Id quod sepius affirmant Augustinus, Chrysostomus, & alij. Hinc catechumeni in primordiali illa ecclesia instituebantur, vt orarent Deum, ne manerent catechumeni, hoc est, tales, quibus fas non erat cognoscere mysteria, id est, sacramenta, vt docet *Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi*: vbi catechumenos ponit inter *τῶν ἐξω, extraneos ab ecclesia*. Et haec quidem fuit ratio catechumenorum apud veteres. Hodie catechumeni dicuntur, qui instituuntur in elementis religionis Christianae: & sunt vel baptizati, vt pueri nostri; vel non baptizati, vt illi, qui ex paganis vel Iudaeis sunt

Christiani. Itaque veterum catechumeni omnes erant non baptizati. Quod verum est de duobus generibus catechumenorum, vt docet *Rabanus lib. 1. de instit. cleric.* his verbis: Vnum (nempe genus catechumenorum) eorum, qui audiunt conciones, & volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt baptismum: illi dicuntur audientes, seu auditores: alterum eorum, qui petunt baptismum, & dicuntur competentes seu electi.

II. Bellarminus disputat de catechumenis veterum, hoc est, de non baptizatis. Quae disputatio non differt a praecedente. Sed nos ampliamus hanc vocem, & in genere quaerimus de catechumenis, siue sint baptizati, siue non, An pertineant ad ecclesiam? Respondemus autem, non omnes catechumenos esse de ecclesia catholica, sed oēs catechumenos qui praediti sunt vera fide. Quam sententiam roboramus rationibus, & auctoritatibus tum Patrum, tum aduersariorum. *Rationes* hoc loco eadem militant, quae cap. praeced. §. 3. Supercedemus itaque illas repetere. *Auctoritates* Patrum praecipuae sunt istae. *Cyprianus episcopus* 73. ait: Sciant catechumenos illos primo integram fidem, & ecclesiae vnitatem tenere; & ad debellandum diabolium de diuinis caltris cum plena & sincera Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti cognitione procedere: deinde nec priuari baptismatis sacramento; vt pote qui baptizentur gloriosissimo & maximo sanguinis sacramento. *Ambrosius lib. de obitu Valentini* disertè affirmat, quosdam catechumenos seruari posse, de quorum numero Valentiniatum fuisse ait. Sic enim de ipso scribit: Ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio consecrauit. *Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 21.* Non dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem, haeretico baptizato antepone: sed etiam in ipsa inus catholica ecclesia bonum catechumenum malo baptizato anteponeimus. *Ibid.* Nec sacramento baptismatis facimus iniuriam, cum aliquem catechumenum aliquo baptizato fideliorum melioremque cognoscimus. Melior est Cornelius Centurio nondum baptizatus Simone Mago baptizato. Ille enim & ante baptismum repletus fuit Spiritu sancto: ille & post baptismum immundo Spiritu inflatus. *Idem tract. 4. in Iohan.* Futuri erant aliqui in ecclesia excellentioris gratiae catechumeni. *Auctoritates aduersariorum* haec sunt. *Melchior Canus* (citante Bellarmino) ait, catechumenos posse saluari, quia etsi non sunt de ecclesia: quae proprie dicitur Christiana, sunt tamen de ecclesia, quae comprehendit omnes fideles ab Abel vsque ad consummationem mundi. Quorum verborum hic est sensus, nostro iudicio. Catechumeni, nondum initiati sacris mysterijs, si praediti sunt vera fide, sunt de ecclesia catholica, licet non sint de ecclesia externa, quae dicitur Christiana; ob professionem fidei Christianae, sacramentis roboratae. Hoc procul dubio Canus sibi voluit, sed enuntiauit obcurius. Audiamus iam Bellarminum, sibi contradicentem. *Capite* 3. negat, catechumenos esse de ecclesia. At cap. 2. ex Augustino ait, quosdam esse de anima & corpore ecclesiae, quales sunt, qui Christo vniti sunt interius & exterius: quosdam esse de anima & non de corpore, vt catechumenos & excommunicatos; si fidem & charitatem habeant: quosdam esse de corpore, & non de anima, vt qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem. Ita Bellarminus. Quod si itaque catechumeni, fide praediti, sunt de anima ecclesiae, vtique formaliter actu sunt de ecclesia: licet non secundum signum seu rationem externam illius. Sunt, inquam, in ecclesia, actu interno, etiam non externo.

III. *Primum* argumentum, quo Bellarminus probat, nullos catechumenos pertinere ad ecclesiam, est idem cum primo argumento *superioris cap. §. 4.* quia nempe nulli nisi baptizati sunt membra ecclesiae, vt probatur ex *Act. 2. 41.* Cuius argumenti solutionem vide d. l. *Secundum* argumentum Bellarminus sumit ab auctoritate Concilij Florentini, quod in instructione Armenorum docet, homines fieri membra Christi, & de corpore ecclesiae, cum baptizantur. *Respondeo.* 1. Hoc concilium non habet magnam apud nos auctoritatem: quia fuit recens. Sed quia veram habet sententiam, respondemus. 2. Non sequitur: qui baptizantur, sunt membra Christi, & de corpore ecclesiae. Ergo nulli non baptizati non sunt membra Christi, & de corpore ecclesiae. Similiter enim ex Paulo ratiocinari possemus in hunc modum. Quicumque comedunt panem hunc, sacramentalem scilicet & spiritualem, vnum cum Christo corpus sunt. Ergo qui non comedunt, ab eius corpore omnino sunt disuncti. At ipsi Papista hoc argumentum non probant. Fatentur enim infantes baptizatos esse vnum cum Christo corpus, licet illum nequaquam comederint. 3. Baptismus facit nos membra ecclesiae particularis & catholicae, sed diuerso modo. Particularis & externae proprie: quia in externam ecclesiae societatem recipimur, cum baptizamur. Catholica & interna *μυστηρια*, quia nobis ob signat nostram *ἑσθῆσιν*, cuius causa est gratia Dei ab aeterno nos eligentis.

IV. *Tertium* Bellarmini argumentum ex Patrum testimonijs sumitur hoc modo. *Gregorius Nazianzenus oratione in sacrum lauacrum* dicit, catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum. *Chrysostomus homil. 2. 4. in Iohan.* dicit, catechumenum esse alienum a fidei, & nihil habere commune cum eo, non ciuitatem, non mensam, &c. *Tertullianus libro de praescriptionibus* reprehendit in haereticis, quod non distinguant Catechumenos a fidelibus. *Cyrillus lib. 12. in Iohan. cap. 50.* docet catechumenos esse apud Christianos id, quod erant in circumcisi apud Iudaeos, qui propterea non poterant velci agno paschali. *Augustinus tract. 4. in Iohan.* & alibi distinguit catechumenos a fidelibus. Quod etiam alij Patres faciunt. Constat autem ecclesiam esse fidelium congregationem.

V. *Respondeo primo in genere.* 1. Perpetua hic est homonymia in voce *Ecclesia* & *fidelis*. Nam Patres negant catechumenos esse in ecclesia, actu externo. Et fideles *οἱ ἐκτὸς* dicuntur, qui sacramentis sunt initiati. Quo pacto etiam saepe accipitur vox *Christianus*. 2. Est ignorantia elenchi: quia quae negantur recte de ecclesia secundum rationem externam ipsius, perperam transferuntur ad rationem & communionem ipsius vniuersae. Itaque si quis dixerit indistincte, catechumeni non sunt in ecclesia, nihil dicit; quia sunt in ecclesia, & non sunt, diuerso modo. Interno modo sunt in ecclesia, communionem Christi & Spiritus eius: externo modo non sunt in ecclesia, communionem sacramentorum. 3. Est fallacia a dicto secundum quid. Nam catechumeni sunt in ecclesia, quatenus audiunt verbum Dei: non sunt, quia non admittuntur ad communionem sacramentorum. 4. Multa a Patribus in hac materia dicuntur hyperbolice: itemque *οἰστρομικτα, dispensantur*. Non valet autem consequentia ab *οἰστρομικτα* externa, ad *ἰδοξασ* Dei aeternata. *Deinde*

in specie respondeo. 1. Nazianzenus loquitur de externo statu atque ordine ecclesiae: de varijs scilicet ordinibus ecclesiasticis, qui tunc temporis erant visitati in ecclesia. Nam alij erant catechumeni, alij competentes, alij fideles siue perfecti. Secundum hanc distinctionem catechumeni erant in vestibulo pietatis, hoc est, potentia & dispositione erant in ecclesia secundum externam rationem ipsius. Nos autem loquimur de interna ratione ecclesiae catholicae, in qua nullum est huiusmodi vestibulum. 2. Chrysostomus distinguit catechumenos à fidelibus, quantum ad externam ecclesiae politiam. 3. Tertullianus recte reprehendit haereticos, qui gradus in ecclesia visibili confundebant. Nam in externa ecclesiae politia catechumeni omnino distinguendi sunt à fidelibus, quos Apostolus Coloss. 1. 28. & 4. 12. vocat perfectos. 4. Cyrillus duriuscule comparat catechumenos cum incircumcisus. Nam hi simpliciter adnumerantur *in ecclesia*, hi secundum quid tantum. 5. Augustinus, & reliqui Patres distinguunt catechumenos & fideles respectu actus externi. Nam intus apud Deum, Christum, Spiritum sanctum, ecclesiam catholicam, formaliter vnum sunt: licet foris fideles actu in ecclesia sint, catechumeni dispositione solum, & in fieri, vt loquuntur.

VI. Quartum & postremum Bellarmini argumentum à ratione sumtum, est tale. Catechumeni non habent ius ad vlla sacramenta, neque ad alia, quae sunt communia vniuersae ecclesiae. Non igitur actu, & proprie sunt catechumeni de ecclesia.

Respondeo. 1. Etsi non habent ius in sacramentis, tamen habent ius ad sacramenta. Postquam enim satis instituti sunt in religione Christiana, admittuntur ad sacramenta. 2. Etsi non habent ius plenum, tamen habent aliquod ius. Nam verbum fidei est sacramentum fidei, vt Patres loquuntur: quo catechumeni cum fidelibus communicant; postea amplius in sacramentis communicant. 3. Catechumeni prohibiti fuerunt à communione externa baptisimi, Eucharistiae, impositionis manuum, ordinationis episcoporum, & similibus, quae omnia vetus ecclesia in sacramentis numerauit. Sed à communione externa eiusque negatione ad communionem internam non valet argumentum.

CAP. IX.

Quosdam excommunicatos pertinere ad Ecclesiam Catholicam.

I. Sequitur disputatio de excommunicatis, de quibus Bellarminus c. 6. agit. Somnesque excommunicatos ex ecclesia eiectiones esse; multis testimonijs probat. Vbi responsio generalis est, committi ab ipso ignorantem elenchi. Nam excommunicatorum quidam non sunt de ecclesia, & quidam de ecclesia sunt. Non sunt de ecclesia, qui nec internam communionem animo, fide, & respicientiam retinent, nec externam signo, nec conditionem respicientiam in futurum. Contra vero de ecclesia sunt, qui adhuc illam internam retinent, & conditionem illius, quamuis exclusi communionis signo. Huiusmodi autem sunt. 1. abstenti. 2. iniuria eiectionis. Quod attinet ad abstentos, illi sunt dum generum: videlicet pro circumstantia loci aut temporis. Loci: vt si quis propter offensam in loco non possit recte communicare censetur, cui alibi liceat, vbi sine offensione potest. Temporis: vt si quis ad tempus excludatur probationis aut emendationis causa. Nam huic ius manet integrum, quamuis sublato per prouisionem vsu.

II. Itaque Bellarminus vagatur extra oleas, quando operose probat, excommunicatos eijci ex ecclesia externa & particulari. Hoc enim concedimus. Quæstio autem est de ecclesia catholica, an ex illa aliquis possit eijci. Quod quidem nos negamus, freti his argumentis. 1. Quicumque est membrum ecclesiae catholicae, est membrum Christi per veram fidem; & proinde non potest separari à communione Christi. 2. Excommunicatio est vel signi, vel signati. Excommunicatio signi est, qua excommunicant homines ex ecclesia externa materialiter. Excommunicatio signati est, qua excommunicat Deus ex ecclesia externa formaliter, subtrahendo influxum gratiae actualis. At neutra separat hominem à communione interna ecclesiae catholicae. Non prior: quia nihil potest nos separare à charitate Dei, quae est in Iesu Christo. Non posterior: quia quem Deus semel adoptauit in Christo, non sinit excidere tanto priuilegio. 3. Excommunicatio est iusta, vel iniusta. Qui iuste excommunicantur, traduntur Satanæ, & excluduntur à communione ecclesiae particularis, ipso iure. Qui iniuste excommunicantur, illi non traduntur Satanæ; quia licet ipso facto eijciantur ex ecclesia particulari, non tamen iure. Quocirca illi non sunt in deteriori statu, quam prius fuerunt, sed illi potius, à quibus excommunicantur. 4. Excommunicatio est medicina quaedam spiritalis, ad utilitatem eorum instituta, qui excommunicantur. Itaque non eijcit homines ex ecclesia catholica. Hoc enim non esset sanare, sed perdere. 5. Christus, omnesque qui Christum professi sunt, iudicio ecclesiae Iudaicae fuerunt excommunicati Iohann. 9. 22. At quomodo? Hoc docet Christus, quando apostolis suis praedixit, fore vt essent *ἀποσπασθησθε*, id est, exclusi ab ecclesijs particularibus. Nemo profecto potuit illos eijcere ex ecclesia catholica. 6. Potest homo excommunicatus retinere baptisimum, & externam fidei professionem, & subiectionem praelatis suis debitam, & esse amicus Dei, si nimirum sit iniuste excommunicatus. Et iuste etiam excommunicatus, potest poenitentiam agere, & illa tria habere ante absolutionem. Ergo aliquis excommunicatus est in ecclesia, etiam manens excommunicatus. 7. Qui excommunicatur ab hominibus, excommunicatur sententia hominum interlocutoria, non definitiua Dei. Ergo excommunicatus ab hominibus secundum ordinem, non est excommunicatus secundum finem in consilio Dei. 8. Eadem est sententia Patrum & Scholasticorum. Sic enim ait Origenes homil. 14. in Leu. cap. 24. Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de caltris ecclesiae; etiam si per episcopi vocem minime abijciatur: sicut è contrario, dum aliquis non recto iudicio foras mittitur, scilicet si non ante exierit, id est, si non egerit, vt mereatur exire, nihil laeditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est; & qui foris est, intus retineri videtur. Augustinus serm. de remiss. peccatorum: Sicut is, quem sacerdos tolerat in ecclesia, est tamen extra ecclesiam, & extra corpus, cuius caput est Christus, si ei ostiarius non aperuerit: ita non ideo extra ecclesiam est, & non est de corpore, si quis pastoris

praedicio compellitur foris esse. Idem ad clerum Hipponensem: Quid obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viuorum non cum delet iniqua conscientia. Lombardus lib. 4. sent. dist. 18. Aliquando sacerdotes ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum: & poena satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel soluunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti curant.

III. Ad haec nostra argumenta excipit Bellarminus. 1. Iniuste excommunicatus est in ecclesia animo, siue desiderio, quod illi sufficit ad salutem, non tamen est corpore, siue externa communicatione, quae proprie facit hominem esse de ecclesia visibili. 2. Excommunicatio etiam si excindit hominem ab ecclesia, tamen non aufert potentiam, vt non possit iterum inseri in ecclesiam is, qui praecisus est, si poenitentiam agere velit. Idcirco ecclesia per excommunicationem separat quosdam à corpore suo, sed in utilitatem eorum, quia cupit eos illa confusione humiliari, & humiliatos iterum in suum recipere corpus.

Respondeo. ad 1. Accipimus hanc distinctionem. Nam si iniuste excommunicatus potest seruari, vtique est in ecclesia catholica: quia extra illam non est salus. Secus res habet de ecclesia particulari & visibili. ad 2. Nititur haec exceptio ista hypotheli, quasi membra Christi & ecclesiae catholicae possint separari à corpore, id est, ab ecclesia catholica: quod falsum est. Nam quicumque semel Christo est insitus per fidem, non potest ab eo abscindi vlla ratione. Fateor, est aliqua finalis & mortalis excommunicatio, quae ab ecclesia plane exterminat; sed plura sunt excommunicationis genera, quae non eijciunt plane: & plures sunt excommunicati externo actu & vsu ad tempus & sub conditione separati, qui interno actu sunt fratres, vt docent illa apostoli verba, Corripite vt fratrem, 2. Thess. 3. quemadmodum & ouis scabiosa vel pecus morbida, de grege & caula est, licet abgregata. Nam huius excommunicatio medicinalis est, qua ligatur ouis seorsim, non eijcitur. Sed excipis: Quid audio? Si excommunicatio alia est mortalis, alia medicinalis, ergo potest aliquis separari ab ecclesia catholica: id quod toties iam est negatum. Respondeo. Canonistae non ab re ita distinguunt excommunicationem. q. 24. cap. 4. corripiantur. Nam excommunicatio mortalis est, qua hypocritis detrahatur larua, id est, qua ostenditur illos non pertinere ad ecclesiam catholicam. Excommunicatio medicinalis est, qua fideles eiiciuntur ex ecclesia particulari, vt agnoscant suos defectus, atque ita fiantur.

IV. Solet quoque hoc loco nobis obijci, nostros pugnantia scribere: dum alij docent, excommunicationem Ecclesiasticam separare hominem à communione externa tantum; alij contendunt, separare ab externa & interna simul. Nam qui ab externa ecclesiae communione separatur, ab interna quoque societate, quam ecclesia habet cum Christo, censetur alienus, & vt Apostolus loquitur, Satanæ traditus; quia extra ecclesiam Satanas regnum obtinet, & Deus non nisi iratus & iustus peccatorum vindex apprehendi potest.

Respondeo. Cum grano salis oportet haec omnia accipere, eo, quo sequitur, modo. Prout communio membrorum ecclesiae duplex est, vna externa & ordinis, alia interna & spiritus: ita & excommunicatio vera ac iusta vtramque huius communionis priuationem certo modo ac certa ratione respicit. Externa autem communio inter ecclesiae membra est duplex: vna mere ecclesiastica, altera conuersationis Christianae in vita ciuili. Ab ecclesiastica communione separatur homo excommunicatus; quia per excommunicationem priuatur omnibus signis gratiae, quae Deus ecclesiae suae voluit esse peculiaris. Cuiusmodi sunt. 1. verbi & precum communio; quatenus complectitur promissiones euangelicas. 2. participatio sacramentorum. 3. communio munerum ecclesiasticorum. Etsi enim homo excommunicatus admittitur ad conciones sacras: tamen nihil commune habet cum fratribus reliquis, quantum ad promissiones euangelij, nisi respiciat. A communione conuersationis Christianae in vita ciuili ex praeccepto apostolico separatur homo excommunicatus, vt pudeat, & ad meliorem mentem reuocetur. 1. Corinth. 5. 12. 2. Iohann. ver. 10. Nec tamen sub hoc praetextu licet coniugibus se separare, aut officia coniugalium negare. Nec liberi propterea soluuntur obsequio parentibus debito. Denique reges & principes iniuste per excommunicationem priuantur regnis ac ditionibus suis, aut subditi soluuntur iuramento fidelitatis. Nam haec vincula sunt naturalia & moralia, quae non abrumpuntur per excommunicationem. Alia est ratio vinculi ciuili, quod cernitur in familiaritate & φιλαδέλφειᾳ Christiana. Nam hoc tale vinculum abrumpitur per legitimam excommunicationem. Sequitur priuatio interna cum Christo communionis, quae duplex inducitur per iustam excommunicationem. Homo siquidem iuste excommunicatus priuatur gratia Dei praesenti, & futura. Praesenti; quia dum ecclesia peccatorem ligat in terris, ille simul ligatur in caelis. Etsi enim non amittit gratiam habitualement: tamen amittit, & ad tempus non accipit, actualem. Futura; quia ecclesia minatur peccatori: eum exclusum iri a regno caelorum, nisi respiciat. Hinc iam patet nullam esse apud nostros contradictionem. Nam homo legitime excommunicatus priuatur communione interna actuali, non vero habituali.

V. Accingamur nunc ad argumenta Bellarmini: Quamuis enim omnia illa peccant ignorantia elenchi, vt diximus sub initium huius capituli: tamen ne oscitanter hanc quaestionem tractasse videamur, age paucis videamus quatuor ipsius argumenta. E quibus primum sumit ex Scriptura. Nam Matth. 18. ait Saluator: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Vbi Dominus de excommunicatione loquitur secundum omnium expositionem. At ethnici non sunt de ecclesia. Idem probatur ex illo 1. Corinth. 5. Cur non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestri. Et infra: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Item: Auferte malum ex vobis ipsis. Respondeo. 1. Sane exclusio illa fit ex ecclesia, sed ex particulari & externa. Ideo Christus non simpliciter dixit, Erit ethnicus & publicanus, sed potius, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus: modum externum homini praescribens, internam vero formam & veritatem sibi referuans. Et ideo Paulus ait, Vt tollatur de medio vestri. Excommunicant ex ecclesia externa homines varie, sed materialiter: Deus vero formaliter. Illi signo: Deus veritate. Sed à signo, quod homines iudicio suo administrant, non valet argumentatio ad consilium & iudicium Dei. 2. Verum est: non sunt de ecclesia ethnici. Sed excommunicati non sunt ethnici forma-

formaliter & absolute: sed sicut ethnici & publicani censentur esse ab ecclesia membris. 3. Incestus ille apud Paulum excommunicatus fuit, at non definitiua sententia. Nam excommunicatus fuit ad exitum carnis, & refrigerium Spiritus 1. *Corinth. 5. vers. 5.* Excommunicatus, inquam, fuit ab hominibus secundum ordinem: at secundum finem non fuit excommunicatus in consilio Domini, 2. *Cor. 2. 7.* quo auctore illi condonauerunt Corinthij, eumque receperunt.

VI. *Secundum argumentum* Bellarminus petit ex iure canonico 11. *qu. can. 3. Canonice*: ubi excommunicatio dicitur esse eliminatio a gremio sanctæ matris ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis. *Respondeo*. 1. Eliminatio illa fit non simpliciter & absolute, definita Dei sententia: sed secundum quid, sententia interlocutoria. 2. Excommunicatio interdum est actio, qua hypocrita ostenditur non pertinere ad ecclesiam catholicam. Et hoc sensu dicitur excommunicari ex ecclesia catholica: in qua aliquis fuit *deus*, & iudicio charitatis. Nam alioqui nemo excommunicatur ex ecclesia catholica, qui in ipsa est *ἀλλοθὲς ὄντως*.

VII. *Tertium Bellarmini argumentum* est ex Patribus. Nam *Eusebius libro quinto hyst. cap. 24.* auctor est, Victorem Papam omnes Asianos ab ecclesiastico foedere segregasse. *Et paulo post ait*, Irenæum reprehendisse Victorem, quod non recte fecerit, abscindendo a corporis unitate tot tantaque ecclesias. *Chrysostomus & Theophylactus super Matth. 18.* exponunt eijci de ecclesia, quod hic dicitur fieri ethnici & publicani. *Hieronymus in cap. 3. Tit.* dicit, quosdam peccatores per excommunicationem episcoporum propelli extra ecclesiam, quo per seiplos sponte eunt schismatici & hæretici: *Augustinus libro de unitate Ecclesiæ cap. ultim.* dicit, excommunicari esse visibiliter præcidi a corpore ecclesiæ. *Item libro de corrept. & gratia cap. 15.* dicit, per excommunicationem separari ab ouibus sanis morbidam, ne per plures ferpant dira contagia.

Respondeo. 1. Victoris Papæ censura licentiosa merito reprehenditur ab omnibus, qua ille excommunicauit omnes Asiaticas ecclesias, adeoque illas abscidit a corporis unitate; nempe secundum rationem externam ecclesiæ Romanæ. 2. Sane qui legitime excommunicantur, eijciuntur de ecclesia, & quidem non vno modo. Nam Deus excommunicat hominem, vel homo seipsum, vel homo hominem. Rursus excommunicatio alia est præcisæ & finalis, quam Deus facit per Christum, homines reprobos sepellendo & reseruando in aduentum Domini, vnde solet duabus istis vocibus, *Maran-atha*, notari: alia est limitata. Porro excommunicatio est absoluta, vel conditionalis: interlocutoria, vel definitiua: ecclesiastica, vel diuina. Denique excommunicatio fit vel in genere, dicendo anathema, vel in specie eijciendo certam personam. Semper autem fit effectio ex ecclesia, ita nempe ut aliquis eliminetur ex ecclesia particulari, vel ad ecclesiam catholicam non pertinere ostendatur. 3. Idem est iudicium de illa phrasi Hieronymi, propelli extra ecclesiam. Nam aliquis propellitur ex ecclesia aut signo, conditione, interlocutione &c. aut rei veritate, definitione finali, secundum Deum. 4. Excommunicatio præcidi hominem a corpore ecclesiæ, in quo fuit vel vere, vel apparenter. 5. Ouis morbida separatur a reliquis, non ut desinat esse de caula, sed ut ad tempus curetur, & curata redeat in caulam.

VIII. *Quartum & postremum argumentum* suum Bellarminus ducit a ratione, hunc in modum. *Primo* per excommunicationem priuantur homines commercio Spirituali, quod habet homines ecclesiæ inter se. Igitur non sunt amplius in eorum ecclesiæ. Quid n. est, cuius aliqui priuari ciuitate, nisi priuari omni commercio, quod est inter homines illius ciuitatis. *Secundo*, excommunicatio est loci habet in ecclesia, quem poena mortis habebat in V. T. & quam habet in temporalibus rebus publicis. At per mortem separantur homines plane a tota repub. *Tertio*, nulla est poena grauior, quam ecclesia infligere possit, excommunicatione. Ergo per excommunicationem eijciatur homo de ecclesia. Nam grauius est proici de ecclesia, quam qualibet poena, quæ de manentibus in ecclesia sumitur. *Quarto* excommunicatio non potest fieri, nisi in contumaces & incorrigibiles. Igitur excommunicatio est effectio ex ecclesia. Si enim excommunicatio esset poena aliqua infra effectioem, ferretur etiam quandoque in homicidas, adulteros &c. licet non contumaces. *Adde*, quod cum absoluuntur excommunicati, dicitur, Restituo te unitati ecclesiæ, & membrorum participationi: Quod signum est perspicuum, excommunicatum separatam fuisse ab ecclesiæ unitate.

IX. *Equis vero*, Bellarmino, tuam istam conclusionem impugnat? Concedimus enim, excommunicationem esse separationem ab ecclesiæ particulari & visibili unitate. Sed reexamus tuas rationes. 1. Per excommunicationem priuantur homines commercio Spirituali: sed non eodem modo. Nam alij priuantur omni commercio Spirituali, externo & interno, puta quosunque sententia Dei definitiua absolute ferit anathemate, alij non omni, sed aliquo tantum, puta mensæ, conclauis, domus, congressus &c. sub conditione, per prouisionem, & ad tempus. De his enim dicit Apostolus, Admonete ut fratrem, 2. *Thess. 3.* Quemadmodum enim in prætorij regum sunt differentes gradus, cum alios mensa & congressu dignetur princeps, alios extrudat varie ex mensa, aut conclauis, aut vestibulo, alios liget in domo velut constructos vinculis, alios denique eijciat plane: ita etiam in ecclesia Christus varie afficit membra illius, a mensa, congressu, vestibuloque excludens, & constringens vinculis, donec in tenebris disceant respicere, aut exterioribus tenebris addicens finaliter. Sic alij extra ecclesiam sunt absolute simpliciterque dampnati, alij secundum quid extra ecclesiam esse dicuntur; & excommunicati appellantur, quia extra hanc aut illam communionem sunt, non extra totam communionem formaliter. Secundum hanc rationem abstenti olim a communionem mensæ abstinebantur, sed *ἐν οὐρα*, erant tamen: *ἐν οὐρα* in aditu *οὐρα* subsidebant: *ἐν οὐρα* in aditu vestibuli: *ἐν οὐρα* extra ipsas ecclesiæ fores veniam petebant, in ecclesia primitiua solenni ritu diligentissime obseruato, excommunicati quodammodo, non omnimodo; conditionis, non necessitatis lege; sententia hominum interlocutoria, non definitiua Dei. Nimirum vetus illa ecclesia in admittendis lapsis ad sacram communionem, quinque gradus seruauit. Primus dicebatur *ἐν οὐρα*, presertim, in primo aditu ecclesiæ: secundus, *ἐν οὐρα* auditio: tertius, *ἐν οὐρα*, humilitatis, scilicet inter catechumenos: quartus, *οὐρα* statio inter fideles: quintus, *οὐρα*, participatio Eucharistia. 2. Id vero negatur, quod hic ex Augustino adfertur. Nam a morte non est regressus ad vitam in republica. Sed ab excommunicatione

plerumque regressus est ad communionem ecclesiæ. Virga est excommunicatio, grauis quidem: at non semper ferrea. Virga est: non securis. Quare non admittimus illud *Augustini quæst. 39. in Deuter.* Hoc nunc agit in ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. 3. Non omnis excommunicatio de ecclesia projicit eodem modo. Nam credentes, dum excommunicantur, manent in ecclesia catholica, eijciuntur solum ex particulari, & quidem conditionaliter. Rursus aliud est excommunicatio materialiter secundum rationem externam ecclesiæ, aliud formaliter & materialiter simul secundum veritatem Dei definitam. Nam aliud est sella terrena, aliud est tribunal cœlestis, inquit *Augustinus 11. quæst. 3. cap. 3. ad tempus*. 4. Vera est ista assertio de excommunicatione, quam Canonistæ maiorem vocant: non item de illa, quam dicunt minorem. 5. Certe excommunicatus separatur ab unitate externa ecclesiæ; secundum excommunicationis cuiusque modum (nam est excommunicatio maior & minor secundum gradus, 11. *q. 3. cap. ad mensam*) at non ab unitate interna capitis & corporis totius necessario.

X. Perfuncti sumus labore nostro in hac quæstione decidenda, Ex quibus hominibus constet ecclesia catholica. Nam de hæreticis, apostatis, ac schismaticis, proprie ac vere sic dictis, quod omnino ab ecclesia catholica alieni sint, nulla inter nos & aduersarios controuersia est: ita ut Bellarminus his rebus tam operose probandis *cap. 4. & 5.* superfedere potuisset. Ne tamen hic hæreat lector discendi cupidus, teneat distinctionem trium istorum vocabulorum, hæreticus, schismaticus, ecclesia. Et primo quidem hæreticus est principaliter in articulo fidei, secundario autem in ea quæ inde cõsequuntur. Tum qui in articulo hæreticus est, aut in oēs, aut in aliquos: quia in aliquos, aut fundamentales, aut adiectos fundamento. Porro hæreticus est occultus, vel manifestus: errans, aut insuper seducens: vere, aut apparatus talis. Vbi & illud non est prætereundum, ad definitionem iustam hæretici tria oportere concurrere: errorem, velut cœcitate mentis; eijctionem, velut demonstrationem lucis; & contumaciam, velut obfirmationem voluntatis. Deinde schismatici aut in vniuersum scindunt ecclesiam abducti errore mentis, aut in particulari ab hac illaue ecclesia discinduntur, animi perturbatione ex varijs offensis. Denique Ecclesia absolute dicitur, aut secundum quid. His ita præmissis, dico, hæreticos absolute esse de ecclesia, nisi qui fundamentales religionis articulos euertunt, & apostatae sunt *ἀποστατες ἐν τῷ*. At secundum rationem ecclesiæ aspectabilem tantisper de ecclesia sunt, dum certo legitimoque iudicio eiecti non sunt, aut ipsi ex facto se abalienarunt. Alioqui quo iure excommunicarentur? Rursus dico, schismaticos primi generis non esse de ecclesia; secundi generis, esse possunt. Scinduntur enim hi a membro hoc aut illo, non a toto corpore.

CAPVT X.

Ecclesiam non habere vllam auctoritatem in rebus fidei præter Scripturam.

I. **P**apistæ afferunt auctoritatem ecclesiæ in quinque capitibus consistere. *Primo* affirmant, ecclesiam habere potestatem auctorizandi & taxandi Scripturam, & qui libri canonici sint definiendi. *Secundo*, Scripturæ sensum dandi. *Tertio*, dogmata, quæ præter Scripturas sunt, determinandi. *Quarto*, leges & constitutiones pro ecclesia faciendi. *Quinto*, disciplinam exercendi. Quod ad duo posteriora attinet, non multum repugnamus. Agnoscamus enim & fateamur, ecclesiam habere auctoritatem faciendi decreta, canones, & constitutiones, quas vocant ecclesiasticas: ita nempe, ut Apostoli fecerunt *Act. 15. Vñ sum est nobis & Spiritui sancto*. Ecclesia enim Spiritus sancti in Scriptura loquentis sapientia dirigi debet, & adhibere prudentiam Spiritualem in examinandis varijs circumstantijs loci, temporis, personarum &c. Lubentissime etiam concedimus, ecclesiam habere potestatem, exercendi sanctam disciplinam, in nomine & potentia Iesu Christi sponsi & capitis sui, 1. *Corinth. 5. 4.* non autem secundum carnem, id est, hominis animalis voluntatem & voluptatem. Quod ad duo priora attinet, Chamierus tomo 1. prolixè ostendit, ecclesiam non tribuere verbo Dei auctoritatem, aut sensum genuinum, sed Scripturam sibi ipsi fidem sufficienter facere, & seipsam exponere. Vnicum ergo caput hic discutiendum restat, An videlicet ecclesia auctoritatem habeat res fidei præter Scripturam decidendi & determinandi?

II. Vbi accurate distinguere oportet duas illas quæstiones: An ecclesia auctoritatem habeat res præter Scripturam decidendi & determinandi: & An Scriptura auctoritatem habeat res fidei præter Scripturam decidendi & determinandi. Nam prior quæstio est generalis, posterior specialis. Illa est distinguenda: hæc simpliciter neganda. Nam res præter Scripturam sunt duorum generum: vel necessario ad fidem pertinentes, vel adiphoræ seu indifferentes. De illis agemus hoc loco: de istis *cap. 13. paulo post*. Cæterum ecclesiam catholicam non habere auctoritatem condendi articulos fidei, aut res creditu ad salutem necessarias, in Scripturis non comprehensas, imponendi. Quam sententiam confirmamus septem argumentis, quorum alia sunt de iure, alia de facto, id est, alia ostendunt, ecclesiam Christi, siue catholicam, siue particularem, nõ habere hanc potestatem, alia docent, ecclesiam veram sibi nunquam vendicasse aut vendicaturam eiusmodi prærogatiuam.

III. *Primo* sic disputamus. Non omnes veritates, quæ in Scripturis continentur, ita ad salutem necessariae sunt, ut ignorantia earum, damnationis periculum causetur. Ergo multo minus ea, quæ præter Scripturas dicuntur, sunt eius necessitatis. Probatur antecedens. 1. Cognoscere iustam temporis chronologiam, siue annorum seriem, ab initio mundi vsque ad Christum, est veritas in Scripturis comprehensa: neque tamen ad salutem perinde necessaria. 2. Scriptura docet plurima, quæ ad liberalem eruditionem, non vero ad salutis fundamentum pertinent: ut in historijs & prophetijs quibusdam videre est. Consequentia sic patet. Si id quod scriptum est per prophetas & Apostolos, non semper est necessarium ad salutem, multo minus id erit necessarium, quod non est scriptum. Si n. id nõ inest, magis verisimile est inesse, multo min⁹ id inerit, quod min⁹ verisimile est inesse. Deinde

verisimile non est Scripturas abundare in superfluis, & deficere in necessarijs.

IV. *Secundum nostrum argumentum* est eiusmodi. Ecclesia non habet maiorem auctoritatem, quam Apostoli, imo nec tantam in omnibus. Sed illi non habuerunt auctoritatem condendi articulos fidei. Nam apostolus Paulus tradidit tantum, quod acceperat à Domino, in causa sacrae cœnæ. 1. *Corinth. 11.* In quem locum sic scribit *Ambrosius*, Indignum dicitur Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab authore. Quod autem de Paulo diximus, id de reliquis apostolis quoque verum est. Nam illi fuerunt amanuenses Dei, & proinde non habuerunt potestatem *ἀρχιεπισκοπῆς*, sed tantum *ἐπιτολῆς* in tradendis dogmatibus fidei. Quæ cum ita sint, ecclesia fidei articulos ex Scripturis explanare, non autem novos extra Scripturam condere debet. Huc pertinet illud *Vincenzii Lirinensis super 1. Timoth. 6. 20.* Eadem tamen, quæ didicisti docere (*Timothee*) ut cum dicas notæ, non dicas noua. Si ergo non licuit Timotheo noua docere, aut inducere, sed tantum vetera explanare, multo minus id nunc licet ecclesiæ pastoribus.

V. *Tertio* idem probamus ex Confessione Papistarum. Patres Concilij Basiliensis, qui concluderunt fidei articulum esse, *Credere Concilium esse supra Papam*, id ex dicto illo Christi, *Dic Ecclesia*, colligebant, atque hinc fidei articulum esse euincere volebant. Vnde patet, illos in hac fuisse sententia, ecclesiam non posse nouum fidei articulum absque Scripturis cudere. Bellarminus similiter ait, ecclesiam nunc non regi nouis reuelationibus, sed nos debere esse contentos illis decretis, quæ ab apostolis accepit. Ergo ecclesia non potest condere novos fidei articulos.

VI. *Quarto* Si Scriptura docet omnia necessaria, ad fidem & mores pertinentia, tunc ecclesia non habet auctoritatem alios fidei articulos condendi. At prius est: quia Scriptura potest nos *συνεισφέρειν* & reddere perfectos ad omne opus bonum; 2. *Timoth. 3.* Merito itaque *Irenæus lib. 3. cap. 1.* Euangelium in Scripturis traditum vocat fundamentum, & columnam fidei nostræ. Et ea de causa Scriptura appellatur canon fidei, hoc est, ipsius norma, mensura, regula.

VII. *Quinto* Si Scriptura continet omnia ad salutem necessaria, omnes articuli fidei ex illa deriuari necesse est. Sed antecedens est. E. Ratio consequentiæ est: quia tria sunt ad salutem necessaria, *τὸ πρῶτον τὸ εἶδέναι τὴν ἀλήθειαν, τὸ δεύτερον τὸ ἐπιγινώσκοντες τὴν ἀλήθειαν, τὸ τρίτον τὸ ἐπιτελεῖν τὴν ἀλήθειαν*, vt loquuntur, id est, credēda, speranda, & faciēda. Antecedens probatur: quia Deus intimauit nobis Scripturam, vt sit nobis credentibus potentia ad salutem *Roman. 1.* Et omnem suam voluntatem nobis ibi reuelauit, iuxta illud *Augustini epistol. 49. questione secunda.* Linguae sonos, quibus inter se homines sua sentia communicant pacto quodam societatis sibi instituire possunt. Quibus autem sacris diuinitati congruerent, voluntatem Dei sequuti sunt, qui recte sapuerunt. Quæ omnino nunquam defuit ad salutem iustitiæ pietatisque hominum.

VIII. *Sexto* idem probatur auctoritatibus Patrum, Conciliorum, & Iuris Canonici. *Origenes homil. 9. in Exod. in Euangelij omnis veritas, & omnis manifestatio veritatis. Ambrosius lib. de incarnat. cap. 9.* Quod non legi, vsurpare non debeo. *Augustinus in Psalm. 66.* Ne putetis, ex alijs Scripturis petendum, quod forte hic deest. Et alibi: In Euangelio quaramus. Nam si ibi non inuenimus, vbi inuenimus: *Concilium Cabilonense canon 67.* Quid generaliter ab omnibus & in omnibus sequendum sit, quid vitandum, qualiter intra sanctam ecclesiam sit viuendum, qui plenius nosse desiderat, sanctarum Scripturarum prata percurrere non desistat. In Concilio Basiliensis epistola synodali *Vrbani Papa hunc in modum scribens introducitur:* Sciendum est, quia inde Romanus Pontifex nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ nequaquam aliquid dixerant. Hinc assumo: Atqui Scripturæ nihil eorum silentio præterierunt, quæ ad fidem & mores pertinent. In Concilio Ferrariensi sess. 9. *Bessarion Cardinalis* ait: Sciatis addendi symbolo facultatem, non solum Romanæ, verum vniuersali ecclesiæ, generalique synodo interdiciam esse. *Iohannes XXII. Papa Extrauag. tit. 14. c. 5.* ita scribit: Articuli fidei in symbolis continentur. Item: Articuli fidei debent probari per Scripturam. Ex his efficitur, ecclesiæ officium esse, recipere articulos in symbolo comprehensos, & ex Scripturis probatos, non autem novos condere.

IX. *Septimum nostrum argumentum* nititur præxi ecclesiæ perpetua & vniuersali. Nam ecclesia V. & N. T. nullum fidei articulum, siue dogma religionis sacrae, condidit, sed hac in re pependit ab ore Dei. Sic Adam & Eva acceperunt à Deo summam Euangelij de semine mulieris. Quam sequentes patriarchæ vsque ad Abrahamum religiose conseruauerunt. Abraham diuinitus accepit promissionem de semine benedicto, ob signatam sacramento circumcisionis. Postea Moses diuinitus edoctus præscripsit normam credendi & viuendi: quam prophetæ explicauerunt. Christus doctrinam legis & euangelij in N. T. clarius exposuit per suos Apostolos, nouaq; sacramenta instituit. Hanc doctrinam ecclesia primitiua fideliter & sincere conseruauit. Hanc eandem martyres suo sanguine ob signauerunt.

CAP. XI.

Refellitur sententia Papistarum de auctoritate Ecclesiæ in rebus fidei.

I. *Papista Rhemenfes in Act. 10. sect. 8.* aiunt, oportere nos fidem omniaque ad salutem necessaria à superioribus nostris accipere. Et in præfatione *sect. 25.* dicunt nostrum esse, in ijs, quæ Scriptura non decidit, consilium ab ecclesiâ petere. Ecclesia enim (inquiunt *annotat. in 1. Timoth. 3. sect. 9.*) vnica columna est & firmamentum, cui in omnibus dubijs doctrinis innitendum, sine qua nulla certitudo & securitas esse potest. In omnibus ergo ei fidentium & credendum. Imo auctoritatem habet ecclesia, novos fidei articulos condendi: vt in Concilio Constantiensi decretum fuit, ad salutem necessarium esse, credere, Papam esse caput ecclesiæ. In Concilio Basiliensi pro fidei articulo defensum fuit, Concilium supra Papam esse, ideoque Eugenius Papa Concilio non obediens, hærescos damnatus, dignitateque motus fuit.

II. Hanc sententiam tribus præcipue argumentis confirmant aduersarij. *Primum* sumunt ex verbis Christi *Iohan. 15. 27.* Spiritus ille veritatis testabitur de me. Sed & vos testabimini, qui à principio mecum estis. Inde *Rhemenfes in Ioh. 15. sect. 8.* sic colligunt: Ergo testimonium veritatis coniunctum in Spiritu sancto & prælati ecclesiæ consistit. Quod si ita est, vtique ecclesia potest dogmatizare in causa religionis. *Respondeo.* 1. Testimonium Spiritus sancti & Apostolorum est vnum idemque: quia Deus hos delegit sibi amanuenses & actuarios, ita vt illi à Spiritu sancto acti, testati sint. Itaque nullum est argumentum ab Apostolis ad prælatos ecclesiæ. 2. Prælati ecclesiæ testantur aut idem quod Spiritus sanctus testatur in verbo, aut aliud. Si prius, audiendi sunt, tanquam interpretes. Si posterius, repudiandi sunt, tanquam aduersarij.

III. *Secundum* argumentum ijdem *Rhemenfes* adferunt *annotat. in 1. Timoth. 3. sect. 9.* Ecclesia non errat. Ergo in omnibus audienda est. *Respondeo.* 1. Imo vero ecclesia errat, si ductum S. literarum non sequatur: vt patet paulo post cap. 14. 2. Quamdiu ecclesia audit vocem Christi loquentis in Scriptura, tamdiu nos ecclesiæ vocem audire oportet. Quamdiu autem Christi vocem audit, ab errore præseruatur, & à Christi præceptis ne larum quidem vnguem discedit, nec quidquam filijs suis absque voluntate & mandato sponsi sui imponit. 3. Ecclesia, quæ nouum fidei articulum præter Scripturam adfert in medium, non est vera ecclesia.

IV. *Tertium*, & potissimum argumentum, constat inductione & congerie exemplorum. Ecclesia Iudaica V. T. & Christiana N. T. est. semper habuit præter Scripturam peculiaria dogmata fidei, & velut articulos. Itaque cum hi articuli sint necessarij ad salutem, nemo non videt, illos auctoritatem suam habuisse ab ecclesia. Aut enim habuerunt auctoritatem à Scriptura, aut ab ecclesia. Non à Scriptura: quia in illa neque explicite, neque implicite continentur. Ergo ab ecclesia. Huiusmodi autem dogmata siue articuli in Ver. T. est. erant tres præcipue. 1. quod omnes & singuli libri, qui in Canone Iudæorum consignabantur, essent vere diuini, & à Deo inspirati. Hoc fide credebant Iudæi; & tamen nusquam in V. T. scriptum est. 2. quod foemelle haberent aliquod remedium contra peccatum originale, non minus quam masculi; qualecunque tandem fuerit illud remedium. Nec hoc vllibi in V. T. scriptum est. 3. quod cruenta ipsorum sacrificia significauerint mortem Christi. Hoc enim erat dogma fidei, nec tamen in V. T. scriptum est. Quod attinet ad N. T. ibi sunt plurima dogmata fidei, quæ non extant in Scripturis. Nos hoc loco erimus contenti istis vndecim. 1. quod tota Scriptura V. & N. T. est. simul sumta, sit verbum Dei. 2. quod tota illa Scriptura, præsertim in ijs, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, maneat nobis salua & incorrupta. 3. quod habeamus verum ac legitimum illius sensum. 4. quod symbolum fidei sit vere canonicum & apostolicum. 5. quod Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio. 6. quod hic articulus verus sit: *Filius à Patre solo est; non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus sanctus à Patre & Filio; non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* 7. quod infantes sint baptizandi. 8. quod baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, contra errorem Cypriani. 9. quod in baptismo pronuntiari debeat hæc forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* & nisi pronuntietur, baptismus non sit validus. 10. quod certus ac determinatus sit sacramentorum numerus in N. T. est. 11. quod B. Maria, mater Christi, semper manserit virgo, etiam post partum, contra damnatam Heluidij hæresim. Hæc, & similia, non possunt definiri ex Scripturis, sed ideo creduntur, quia sunt definita ab ecclesia præter & extra Scripturas. Vide *Becanum libro primo manualis c. 2.*

V. Magna hic occurrit moles, ex qua vt nos expediamus, axiomata quædam generalia præmitteremus solutioni speciali singulorum argumentorum. *Primum axioma* esto hoc: Articuli fidei strictè dicti sunt numero duodecim: at largo sensu sunt plures. *Secundum:* Principia fidei saluificæ pendent ab authore fidei, qui est Spiritus sanctus. *Tertium:* Aliquid continetur in Scriptura vel *ἀπορρηκτῶς* & totidem syllabis, vel per bonam consequentiam inde deducitur. *Quartum:* Quod per bonam consequentiam ex Scriptura deducitur, æque in illa continetur, atque illud, quod totidem verbis ibi occurrit. *Quintum:* Scripturæ sensus non pendet ab ecclesiâ, sed ab ipsa Scriptura. Quod postremum axioma diligenter est obseruandum: quia *Becanus d. l. art. 24.* diserte scribit: Aliqua (nempe ex paulo ante dictis) possunt probari ex Scriptura, quando constat de vero & legitimo Scripturæ sensu. At sæpe non constat, quis sit verus & legitimus sensus, nisi ex traditione, & praxi ecclesiæ. Sic *Becanus.* At, inquam ego, semper in dogmatibus fidei constat, quis sit verus & legitimus Scripturæ sensus, ex ipsa nempe Scriptura: vt pote quæ radio solis scripta est, & est canon fidei & vitæ nostræ. Iam excutiamus omnia minutatim.

VI. Tres articuli recitantur, quos crediderit ecclesia Iudæorum extra Scripturam. *Primum* est, quod Iudæi vera fide crediderint, omnes & singulos libros in Canone ipsorum, esse *ἁγιωγραφήν*: quod nusquam continetur in V. T. vel explicite, vel implicite. *Resp.* Hoc est principium fidei, quod Scriptura sit verbum Dei. Hoc a. principium creditur tribus medijs interuenientibus. Primo enim Spiritus sanctus accendit lumen in cordibus nostris, & nobis persuadet hoc principium esse verum. Hoc est quod ait Thomas, principia scientiarum altiori lumine teneri. Deinde ipsa Scriptura tam est efficax, vt testatur de seipsa, quomodo videmus solem testari de se, & orationes Ciceronis ex stylo cognosci. Quo pertinet prouerbiū: Ex vngue leonem. Denique ecclesia nobis commendat Scripturam, quomodo parentes & præceptores solent liberis & discipulis suis commendare bonos auctores. Porro non vno ordine tria ista media coniunguntur. Nam interdum testimonium Spiritus sancti præcedit, interdum testimonium ipsius Scripturæ, interdum testimonium ecclesiæ: prout Deo placet, hominem perducere ad agnitionem veritatis. Breuiter itaque dico, Iudæos in V. T. libros canonicos habuisse pro diuinis, quia Spiritus sanctus hoc ipsis persuasit, ipsi libri de se sunt testati, & ecclesia illos commendauit. At huiusmodi commendatio non facit articulum fidei. Sicut enim qui commendat opera Ciceronis, non facit vt opera illa sint Ciceronis: ita ecclesia dum commendat nobis Scripturam vt canonicam, non facit vt illa sit canonica, neque etiam facit vt hæc sententia, Scriptura est verbum Dei, sit articulus fidei, quia ipsa ita testatur. Hoc enim testimonium est ministeriale tantum & occasionale.

VII. *Secundum articulum fidei*, quem ecclesia V. T. statuerit, sic explicant

applicat aduersarij. Iudæi fide credebant, fœmellas concipi in peccato originali, non minus quam masculos. Nihil certius. Ergo fide credebant, illas saluari non posse, nisi per aliquod remedium à Deo institutum. Debebant autem scire in particulari, quod & quale esset hoc remedium. Alioqui omnes fœmellæ perissent sine remedio. At nusquam scriptum est in Vet. Test. quod & quale fuerit hoc remedium in particulari. Ergo per solam traditionem ecclesiæ hoc sciebant. Hæc autem traditio erat ad salutem necessaria, quia sine remedio non poterant saluari fœmellæ: qualescunque tandem fuerit illud remedium, siue fides parentum, siue aliqd aliud. *Respondeo.* 1. Argumentum hoc nititur falsa hypothesi: quasi circumcisio fuerit remedium peccati originalis. Quod remedium solis moribus fuit applicatum. Sed heus boni viri, quodnam fuit remedium peccati originalis ante institutam circumcisioem? 2. Remedium *παρρησιας* aduersus peccatum originale & actuale est solus Iesu Christi sanguis, qui purgat nos ab omni peccato. *Iohann. 1.* Hæc est fides catholica in V. & N. T. 3. Fœmellæ in Vet. Test. fuerunt sanctificatæ in maribus circumcisus. Nam Deus præceperat vt soli mares circumciderentur, tanquam sexus potior, in quo sexus sequior fuit comprehensus. 4. Fœminæ in Vet. Test. æque sacrificia expiatoria obtulerunt atque mares. Hoc itaq; fuit ipsius remedium, sacramentaliter loquendo, aduersus peccatum originale & actuale.

VIII. *Tertius articulus*, quem habuisse fingitur ecclesia Iudaica, præter Scripturam, est de sacrificijs. Nam Iudæi vtique vera fide credebant, quædam ciuenta sacrificia à Deo instituta esse pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant eiusmodi sacrificia per se & propria virtute expiare peccata, vel virtute mortis & passionis Christi, quæ per illa sacrificia significabatur. Si prius putabant, erant hæretici: si posterius, erant fideles. Sed vnde habebant hanc fidem & firmam persuasionem: Non ex Scriptura: quia nusquam in V. T. id scriptum est. Ergo ex traditione ecclesiæ. Hæc autem traditio erat necessaria ad salutem.

Respondeo. Certum est, hoc fuisse dogma fidei in V. T. quod sacrificia expiatoria præfigurauerint mortem Christi. Hoc autem dogma non sanxit ecclesia, sed ipse Deus in paradiso, quando promisit semen mulieris, instituit sacrificia, & protoplastos induit pellibus occisorum animalium. Etenim sacrificia fuerunt appendix promissionis de semine mulieris: vnde nemo non potuit colligere, vt promissio erat verbum audibile, ita sacrificia esse verbum visibile & concionem realem de Messia. Similiter occisio animalium, ex quorum pellibus Deus parauit Adamo & Eua vestimenta, ipsos manu duxit ad Messiam, cuius occisi sanguis est pallium salutis nostræ. Deinde *Gen. 8. 21.* dicitur, Deum odoratum fuisse odorem quietis, seu odorem placatum, id est, odorem sacrificij Messia, quem odor carniū à Nbe sacrificatarum, repræsentabat. Neque enim odor carniū potuit esse odor quietis, ac quietis, placationis. Tertio vt reliqua figura, ita quoque sacrificia expiatoria fuerunt typi Messia, & symbola fœderis gratia, ex prima sui institutione. Denique Deus apud prophetas passim repudiatur opus operatum sacrificiorum. Quo ipso docere voluit Iudæos, sacrificia ipsi non placere, nisi vt sigilla fœderis, & typos Messia. Vide in primis *Psal. 50. 15.* Ex his efficitur, ipsam Scripturam Vet. Test. continere hoc dogma fidei, sacrificia expiatoria significasse sacrificium Messia. Quod erat probandum.

IX. Dispicimus nunc, an ecclesia n. t. sanxerit quædam dogmata fidei. Quod attinet ad tria priora, certum est, si illa non admittimus, vanam esse nostram fidem. Si vero admittimus, an ideo admittimus, quia ecclesia ita statuit? Non sane. Nam primo, quod tota Scriptura V. & N. T. sit verbum Dei, Spiritus sanctus nobis persuadet loquens in Scriptura & in ecclesia. Confer cum *1. Cor. 14. 36.* proxime præced. Deinde, quod tota illa Scriptura, præsertim in ijs, quæ ad fidem & salutem sunt necessaria, nobis mantat salua & incorrupta, ipsa Scriptura docet, quæ toties prædicat perpetuitatem verbi Dei. Vbi excellit illud Christi, Cælum & terra præteribunt potius quam vnicum iota vel apex legis *Matth. 5.* Prætereo alia argumenta, quæ suppeditat ipsa Scriptura de sui conseruatione perpetua. Tertio, quod habeamus verum & legitimum Scripturæ sensum, id vero non habemus à testimonio ecclesiæ principaliter, sed tantum ministerialiter. Nam ipsa Scriptura, vt pote lex & lucerna, seipsam explicat. Quare nos admittimus hæc tria principia fidei, non quod ecclesia ita statuatur, sed quia Spiritus sanctus, qui est supra Scripturam; maiestas rerum, quæ est intra Scripturam & vox ecclesiæ, quæ est infra Scripturam, ita testantur: ille principaliter, ista & hæc ministerialiter.

X. *Quarto*, quod symbolum fidei sit canonicum & Apostolicum, patet ex collatione ipsius cum S. literis: quia est ipsarum compendium, quantum ad *1. Cor. 12. 13.* Sed obijciunt illud *Basilii in lib. de Spiritu sancto cap. 2. 7.* Omitto cetera, ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quibus Scripturis habemus: quasi dicat: Non habemus ex Scriptura, sed ex traditione. Hoc enim conatur probare, multa esse dogmata, quæ credimus, non quia scripta sunt, sed quia ab apostolis tradita.

Respondeo. 1. Symbolum Apostolicum proculdubio primitum conflatum est ex illa formula baptismi *Matth. 28.* & *Mar. 16.* Baptizantes eos in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Itaque illam fidei professionem, quam Basilii ibi recitat, ex Scripturis habemus. 2. Traditionem Apostolicam admittimus, hoc est, illam, quæ est pars, non vero mantilla Scripturæ.

XI. *Quinto*, quod Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, constat ex Scripturis. Nam *Iohann. 15. 26.* Christus dicit, quod missurus sit à Patre Spiritum veritatis, qui procedit à Patre. Hinc ita disputo. Pater à nemine mittitur, quia à nemine est, sed à sese. Filius à Patre mittitur, quia est à Patre. Itaque quia Spiritus sanctus ab vtroque mittitur, etiam ab vtroque est. Et hæc est causa, quod Spiritus sanctus appellatur non tantum Patris *Matth. 10. 20.* sed & Filij, & Christi Spiritus *Gal. 4. 6.* *Rom. 8. 9.* *Phil. 1. 19. 1. Petr. 1. 11.* Quin accipit non à Patre tantum, sed & à Filio, quæ nos docet, *Iohann. 15. ver. 14. 15.* Denique ipsum mittendi ius, & missio, & datio, & effusio, & quæ cum ea coherent, etiam Filio tribuuntur. *Iohann. 20. 22.* *Act. 2.* Itaque quod Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, non constat primario, vel tantum, ex symbolo, in quo dicitur, *Qui à Patre Filioque procedit*: sed ex Scriptura, quam interpretatur istud symbolum.

XII. *Sexto*, ille articulus symboli Athanasij; *Filius à Patre solo est, non*

factus &c. vt recitauimus *supra* §. 4. etsi non extat in Scriptura, quantum ad singulas particulas: tamen res ipsa & sententia ibi occurrit. Nam quia Christus est Filius Dei vnigenitus *Iohann. 3.* est à Patre per generationem. Quia est Deus super omnia laudandus in secula, *Roman. 9. ver. 5.* Deus ille magnus, *Tit. 2. 13.* qui condidit omnia, *Iohann. 1. Coloss. 1.* vtique non est factus, non creatus. Similiter Spiritus sanctus, quia est verus Deus *Act. 5.* non est factus. Et quia procedit à Patre, *Iohann. 15.* & distinctus est à Patre & Filio, *Ioh. 14. 16. e. 15. 26.* non est genitus, sed procedens.

XIII. *Septimo*, quod infantes sint baptizandi, ex Scripturis demonstratur non vno modo. Nam *παρρησιας* ab Apostolis & illorum successoribus, sunt baptizandi, *Matth. 28.* Iam vero infantes Christianorum sunt tales *περὶ τὸν νεογέννητον* vt pote nati ex *μαρτυρία*, id est, ex Christianis & discipulis Christi. Sicut enim ex Iudæis circumcisus nati infantes masculi fuerunt circumcidendi, quia Iudæi erant: ita ex Christianis baptizatis nati infantes, tum mares, tum fœmellæ, sunt baptizandi. Deinde Apostoli baptizarunt integras familias, numero plurimas. Itaque aut omnes in illis familijs baptizarunt, aut non. Si omnes, etiam infantes. Si non omnes, sed tantum adultos, illæ familiæ non factæ fuerunt Christianæ: quia liberi fuerunt præteriti. Tertio nulla potest adferri ratio alicuius pretij, quare infantes Christianorum non sint baptizandi: è contrario autem solida illa ratio, quod ij qui sunt capaces fœderis, etiam capaces sint signi, quod sint in fœdere, satis docet illos esse baptizandos, quemadmodum in V. T. infantes accipiebant signum fœderis, nempe circumcisionem. Sed obijciunt Origenem & Augustinum. Ille enim *super Roman. 6.* ait. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare. Hic *lib. 10. de Genesi ad literam cap. 23.* inquit: Consuetudo maris ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam ipernenda est, neque vilo modo superflua deputanda; nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio. *Respondeo.* 1. Traditio ista est homogenea Scripturis. Itaque non concluditur quæstio, An ecclesia possit in rebus fidei aliquid statuere præter Scripturam. 2. Patres subinde abusu accipiunt vocabulum traditionis, pro doctrina tradita, videlicet in Scripturis.

XIV. *Octauo*, quod baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, ex Scripturis constat primario; ex traditione, quatenus illa subordinatur Scripturis. Docet enim Scriptura, baptismum semel duntaxat esse conferendum, *Matth. 28.* collato cum praxi circumcisionis, praxi Iohannis Baptistæ, & Apostolorum. Frustra itaque sunt aduersarij, quando nobis obijciunt illud *Augustini lib. 2. contra Donatistas cap. 7.* Quam consuetudinem (scilicet non repetendi baptismum) credo ex apostolica traditione venientem. Et *lib. 5. cap. 23.* Consuetudo illa, quæ opponitur Cypriano, ab Apostolorum traditione, ex ordium sumisile credenda est. His enim verbis Augustinus docet, traditionem esse apostolicam, & proinde non esse præter aut extra Scripturam apostolicam.

XV. *Nono*, quod in baptismo pronuntiari debeat hæc forma verborum, *Ego baptizo te in nomine Patris, & c.* & nisi pronuntietur, baptismus non sit validus, falsum est. Nam Deus non alligauit nos ad vllam formam verborum, qua inter vsum sacramentorum vtamur. Nullam etiam huiusmodi certam ab Apostolis vsurpatam esse constat: quia illi promiscue baptizarunt in nomine Trinitatis, & in nomine Iesu. In primis vero impium est, certorum verborum pronuntiationi ex opere operato vim adscribere. Neque tamen ideo negamus, recte adhiberi formulam illam, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*; tum quia à Christo præscripta est, tum quia nos discriminat ab hostibus sacrosanctæ Trinitatis, tum denique quia vltima est passim in ecclesia: vt iam nihil dicam de eo, quod est commonitorium sanctimonix, & neruus cõsolationis, quando nobis ponit ob oculos Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti beneficia erga nos, & nostrum officium aduersus ipsos.

XVI. *Decimo*, quod certus ac determinatus sit sacramentorum numerus in N. T. hoc tam Catholici, quam aduersarij credunt. Hoc interest, quod Catholici credant illum numerum esse septenarium; plerique Lutherani ternarium; multi Caluinistæ binarium. At hic certus numerus, quisquis tandem sit, in Scriptura definitus aut expressus non est. Catholici ferentur, se ex traditione & declaratione ecclesiæ habere suum septenarium. Aduersarij videant, vnde habeant suum binarium, aut ternarium. Certe ex Scriptura non habent. Hæc est oratio Becani. Nostra autem sic est. Binarius sacramentorum N. T. numerus probatur ex V. & N. T. Nam vt in Vet. T. fuit circumcisio sacramentum initiationis, & pascha sacramentum confirmationis: ita in N. T. circumcisioni successit baptismus, paschæ sacra cœna. Deinde Christus tantum instituit duo ista sacramenta. Ergo non sunt plura. Si traditio ecclesiæ plura constituit, merito repudiatur tanquam heterogenea & dissentanea à canone N. T.

XVII. *Vndecimo & postremo*, quod B. Maria manserit virgo ante partum, in partu, & post partum, non est articulus fidei. Recte enim Basilii docet, Mariam semper virginem permansisse à natiuitate Domini, non esse ad salutem necessarium credere, modo ante natiuitatem eius virginem fuisse credamus. Sed obijciunt, Hieronymum, Epiphanium, Augustinum, & alios diserte fateri, Heluidianos seu Antidicomarionitas fuisse hæreticos, quod virginitati Mariæ contradixerint, contententes, ipsam post Christum, alios etiam filios de viro suo Ioseph peperisse, vt sunt verba *Augustini lib. de hæresibus cap. 84.* Quare si hæc fuit hæresis, contraria sententia erit dogma fidei.

Respondeo. Etsi vere improbanda est sententia Heluidij: non tamen est hæresis, stricte sumto vocabulo. Nam si late sumatur, vere est hæresis. Quo sensu dicuntur hæreses, id est, sectæ, apud philosophos.

☉(?)☉

CAPVT XII.

Vtrum in Ecclesiam Catholicam sit credendum.

HÆc quæstio pendet ab illa præcedente de autoritate & potestate Ecclesie. Nam si Ecclesie competunt quinque ista, quæ recitauimus supra cap. 10. §. 1. merito in illam credimus. Et rursus si non competunt, non debemus in illam credere. Quam posteriorem sententiam approbamus, & ita probamus. 1. In solo Deo, non autem in hominibus, vltate creatura fiduciam collocare oportet. Atqui ecclesia est creatura, seu hominum multitudo. Ergo. Probatur maior. Hæc phrasia, *Credere in Deum*, est propria deitatis in quarto modo. Vnde contra Arrianos concludimus, Christum esse Deum, quia in eum iubemur credere. 2. In illum credendum non est, qui ipse in alium credit. Sed ecclesia credit in Deum. Ergo in ecclesiam non est credendum. Propositionis maioris ratio est; quia fides & fiducia postremum Christianorum refugium est. Atqui si in ecclesiam quoque credendum esset, fides non posset esse extremum Christianorum refugium; quia præter fidem in ecclesiam, etiam alia fides foret in Deum. 3. Vnum idemque est obiectum fidei, qua in aliquem credimus. Sed si in ecclesiam quoque credendum esset, varia essent obiecta istius fidei: Deus videlicet & ecclesia: & quidem obiecta toto genere diuersa. 4. Si credendum est in ecclesiam, aut in Catholicam, aut in particularem credendum est. Non in catholicam: quia neque in triumphantem, neque in militantem. Non in illam; quia membra ipsius sunt nostri consensu. Non in hanc; quia pari parem non credit. Non in particularem; quia constat ex bonis & malis. 5. Si debemus credere in ecclesiam, pari ratione credendum nobis erit in communionem sanctorum, remissionem peccatorum, & cetera quæ sequuntur. At hoc nemo dixerit. 6. Veteres hoc innuere voluerunt, quando tria ista eleganter distinxerunt: *Credere Deo, Credere Deum, Credere in Deum*. Duo priora sunt communia, tertium est proprium in quarto modo. Nam sicuti credimus Deo loquenti, & credimus Deum esse: ita quoque credimus ecclesie, verbum Dei sequenti, & credimus ecclesiam esse. At non sicuti credimus in Deum, collocando fiduciam & spem nostram in ipsum tanquam creatorem & redemptorem nostrum: ita quoque debemus credere in ecclesiam. 7. Ex hypothese Papistarum ita ratiocinamur. Fides est rerum absentium & inuisibilium. Sed ecclesia in terris semper præfens est & visibilis. Ergo non potest esse obiectum fidei, qua credimus in aliquem. 8. Huc accedit Augustini testimonium *serm. 131. de tempore*: Sciendum est, quod ecclesiam credere non tamen in ecclesiam credere debemus; quia ecclesia non est Deus, sed domus Dei. *Idem homil. 3. ad Neophytos*: Non quomodo in Deum credimus, sic in ecclesiam sanctam catholicam; quæ propterea sancta & catholica est, quia certe credit in Deum. Non ergo diximus, vt in ecclesiam, quasi in Deum crederetis, sed vt in ecclesia sancta conuersantes in Deum crederetis. Quod Augustini dictum citatur *Decret. p. 3. dist. 4. c. 73*.

II. Contra hanc sententiam disputant *Rhemenses annotat. in 1. Tim. 2. c. 9.* vbi ecclesie in omnibus fidendum & credendum; imo in ecclesiam ipsam credendum esse affirmant. Rationes adferunt duas: quæ resoluuntur in vnicam istam, quod Scriptura vtatur hac loquendi forma *Credere in hominem*: vt sunt verba nostrorum *Rhemensium annotat. in 10. Roman. 1. c. 41*. Sed distincte soluamus vtamque rationem. *Primam* sumunt ex *Exod. 14. 31*. Crediderunt in Deum & Moysen. *Respondeo*. Atqui vulgata versio Latina habet, *Crediderunt Deo & Moysi seruo eius*. Postquam enim summam Dei potentiam vidissent, quam ille per Moysen in Ægypto & deserto exeruerat, Moysi ipsi à Deo loquenti fidem habuerunt. *Secunda* ratio ducitur ex *Phil. 1. c. 5.* Audiens tuam charitatem & fidem, quam habes erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos. *Respondeo*. Est fallacia compositionis & diuisionis. Nam charitas & fides referri debet ad Christum, charitas tantum, ad sanctos.

III. *Tertia* ratio, qua vtuntur patroni huius sententiae, sumitur ex symbolo Niceno. *Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόν, ἰσὺς μετὰ τὸν Πατέρα καὶ μετὰ τὸν Υἱὸν ἀποθεωτικῶν ἐκκλησίαν* id est, Et in Spiritum sanctum, qui locutus est per prophetas. In vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Vbi *ἐκκλησίαν* repetere oportet vocem *πιστῶν*, *Credimus*. Hoc sane symbolum magna est autoritatis & antiquitatis. At in eo occurrit hæc formula, *Credo in ecclesiam*.

Respondeo. 1. Magna est huius symboli autoritas: sed maior symboli apostolici, maxima Scripturæ sacræ. 2. Sicut paruus natus in formoso corpore non curatur: ita in hoc symbolo non offendere nos debet ista hallucinatio. Oportet cum Semo & Iapheto tegere verenda Noachi, non vero cum Chamo illa deridere. 3. Fieri potuit, vt particula *εἰς* itrepsit, & ita ex vno exemplari in aliud sit transcripta. 4. Si vrgeatur antiquitas huius symboli, regerimus, maiorem esse antiquitatem symboli apostolici, quod retinet proprietatem sermonis: vt & alij prisci ecclesie Dd. puta author libri de expositione symboli, Augustinus, &c. Sed missam faciamus hanc controuersiam: quia nobiliores aduersariorum nullam litem hic nobis mouent.

CAP. XIII.

Quam autoritatem habeat Ecclesia circa ceremonias.

REcte dixit, quicumque dixit, potestatem descendere, non ascendere, hoc est, neminem habere potestatem in ea, quæ sunt supra, sed infra ipsum. Ita quoque ecclesia non habet potestatem in ea, quæ sunt supra ecclesiam, sed quæ sunt infra ecclesiam. Supra ecclesiam vero sunt non tantum dogmata fidei, sed etiam ceremonie diuinitus institutæ & mandatæ. At infra ecclesiam sunt ceremonie adiphoræ, vt pote humanitas introductæ, & externo tantum ordini seruientes. De his posterioribus ceremoniis ita statuimus. Ecclesia, illiusque præfecti habent potestatem liberos quosdam ritus instituendi: sed quorum norma vnica sit ipsum Dei verbum, de spectanda semper adificatione, deque *εὐταξία* ecclesie, seu ordine & deco-

ro. 1. *Corinth. 14.* Opinionem vero præcisæ necessitatis, item meriti coram Deo, vt & nimiam ipsorum rituum multitudinem, nimiamque curam, & inanem pompam plane damnamus. Duæ itaque sunt partes nostræ thesæ: vna de re, quod nempe ecclesia possit instituere ceremonias; altera de modo. Vtramque confirmabimus.

II. Quod ecclesia, seu præfecti ecclesiarum, habeant autoritatem, præter Scripturam instituendi & abolendi ceremonias adiphoras, ita probatur. 1. Absque ceremoniis vniuersum sacrum ministerium, in hac hominum ruditate, fere infructuosum est. Itaque necessarium est, vt ceremonie quædam adhibeantur, quæ populum continent in deuotione. 2. Est magna moderatio in ceremoniis adhibenda sit ecclesie, & in ijs modus obseruandus: maiorem tamen habet libertatem in ceremonijs & ritibus, qui ordinis & decori causa instituuntur, quam in doctrina fidei & religionis. Nam doctrina salutis semper eadem est, & mutari non potest, conscientiam præterea concersit: sed ritus & ceremonie indifferentes, sunt externæ, & ordinis duntaxat gratia præceptæ: neque vniuersales sunt, eadem in vnaquaque ecclesia, neque perpetuæ, sed mutantur secundum loca, tempora, & occasiones. At hæc dogmata fidei & præcepta doctrinæ Christianæ aut directe exprimentur in Scripturis, aut necessario ex illis concluduntur. At ceremonie & ritus externi & indifferentes particulariter in verbo Dei non explicantur. Quædam tantum generales regulæ sunt in verbo Dei propositæ, secundum quas omnes ceremonie, quæ in ecclesiis introducuntur, examinandæ sunt: de quibus paulo post. 3. Ecclesia Iudaica habuit ius & potestatem, eiusmodi ceremonias & ritus instituendi. *Esth. 9. 1. Maccab. 4. Iohan. 10.* Et ecclesia primitiua idem ius vsurpauit. *Actorum 15. 1. Cor. 11.*

III. Modum, quem in huiusmodi ceremonijs obseruare oportet, sequentibus regulis (quas solidis rationibus munimus) circumscribimus. 1. *Accurate distinguendum est inter ceremonias necessarias & adiphoras*. Necessariæ sunt, quæ a Deo, & Christo sunt institutæ, & nobis cum singulari mandato traditæ. Adiphoræ sunt, quæ humanitas introductæ externo tantum ordini seruiunt. Sic verbi gratia sacramenta, præcisæ accepta, sunt ceremonie sacræ, quas ecclesia mutare non potest aut debet; quæ sunt diuinitus institutæ, & perpetuum mandatum habent. Ratio huius regulæ est; quia diuina cum humanis commiscere, & libertatem Evangelicam proderet est impium. Hoc autem vtrumque sit, si ceremonie necessariæ & liberæ confundantur. 2. *Omnia debent fieri ad gloriam Dei*. Si enim in omnibus actionibus, etiam in his obseruare oportet hanc regulam. Et rursus, si in actionibus ciuilibus, multo magis in ecclesiasticis hoc spectare debemus. 1. *Corinthiorum decimo, ver. trigesimo primo*. Contra hanc regulam grauius peccant Papistæ, quando peccatorum remissionem suis vitionibus, & similibus superstitionis ceremonijs adnectunt. Hoc enim præterquam quod institutioni Christi plurimum derogat, vt pote qui auditionem verbi & vsum sacramentorum pro medijs gignendæ & augendæ fidei constituit: etiam satisfactionem mortemque Christi plurimum obscurat. 3. *Omnia decenter & ordine fieri debent*. Id enim præcepto apostoli 1. *Corinth. 14. ver. 40.* & grauitati ecclesie Christi conuenit. Quare omnes ridiculæ, leues, & inutiles ceremonie abolendæ sunt. 4. *Omnia fiant sine offendiculo*. Id enim iubet canon charitatis 1. *Corinth. 10. ver. 32.* & scopus ceremoniarum postulat. Introducuntur enim illæ, vt iuuent & promoueant nos in cultu Dei. 5. *Omnia fieri debent ad adificationem*, 1. *Cor. 14. 12.* Ideo enim instituuntur ceremonie, vt edificetur ecclesia. 6. *A ceremonijs ecclesiasticis absit opinio, vacilla necessitatis, & meriti coram Deo: item nimia rituum multitudo, nimiaque cura, & inanis pompa*. Ratio primi est; quia omnis *ἰδὲ λὸδ ἐρημία*. hoc est, cultus electitius seu voluntarius, extra Dei verbum excogitatus, Deo displicet, *Coloss. 2.* Hinc frustra dicuntur Deum colere, qui humanis ritibus & traditionibus ita nituntur, vt eas diuini præceptis exæquent, siue aliquam diuini cultus partem in ijs sitam esse putent, *Esai. 29. Matth. 15. Marc. 8.* Ratio secundi est; quia ceremonie à Deo præceptæ non habent rationem meriti. Quid? Vnum Christi meritum est nostrum meritum coram Deo. Huc accedit, quod nullum opus operatum est meritorium. Ratio tertij, quarti, & quinti est; quia hæc omnia & modestiæ, & simplicitati, & similibus, attributis atque prius legis sunt aduersa, nouoque Iudaismo in ecclesia Nouo Testam. viam sternunt. 7. *In ceremonijs liberis nihil statuatur aduersum & contrarium libertati Christianæ*. Nam hac ratione via sterneretur Spirituali tyrannidi. Cum enim sumus liberati ab onere & iugo ceremoniarum, *Galat. 4. c. 5.* cauenda est non solum multitudo ceremoniarum, sed etiam nescio quæ opinio necessitatis. Atque hinc est, quod ne Apostoli quidem ipsi laqueum conscientijs aliorum injicere voluerunt, 1. *Corinth. 7.* sed ritus, a seipsis etiam approbatos, extra casum scandali, & contentus, adiphoros esse voluerunt, *Actorum 15. 1. Corinth. 8.* Non igitur hodierni ecclesiarum præfecti maiorem hic potestatem, aut seueritatem exercere debent. 8. *Illæ ceremonie omnium purissima sunt, quæ maxime accedunt ad exemplum primitiue Ecclesie*. Ita enim propius acceditur ad originem & fontem ipsum. 9. *Cultus Noui Testam. est simplicissimus, & maxime spiritualis*. Id Christus docet *Iohann. 4.* Quare cum ceremonie tantum ad externum hominem, non autem directe ad conscientiam pertineant, *Hebræorum 9. c. 10.* nimia cura & fatigentia, hic est cauenda. 10. *Vitare oportet omnem *κατὰ τὴν ἐκκλησίαν* in ceremonijs introducendis*. Illa enim est ridicula & periculosa. 11. *Abusus non tollere debet vsus*. Oportet enim tollere abusum, vt maneat verus vsus. 12. *In ceremonijs Iudaicis oportet accurate distinguere τὸ ἀμύησον ἵν' εὐμύησον*. Sunt enim quædam in ipsis, quæ non licet imitari: de quibus *Glossa ordinaria de quatuor Concilijs primitiue Ecclesie* sic ait: Modus colendi Deum per externos ritus & ceremonias legis, quia hæc fuerunt vmbra Christi & mysteriorum eius, ideo adueniente veritate Evangelica euantuerunt, & illicita facta sunt, &c. Huc facit regula illa iuris ciuili *Cod. libro septimo, titul. 6. lege prima*. Absurdum est ipsa origine rei sublata, eius imaginem relinqui. Iam vero lex Iudaicorum ceremonialis est sublata. Ergo & ipsæ ceremonie, quæ lege illa nitentur. Ceterum sunt quædam in ceremonijs Iudaicis, quæ licet imitari: eanempe, quæ faciunt ad ordinem in ecclesia retinendum. 13. *Non oportet ceremonias introducere, quæ solent seducere ad superstitionem, vel abducere à deuotione*. Nam illud est impium, istud noxiu. Facillantiæque omnes ceremonie, quæ extinguunt & destruant potius omnes spirituales & internas motiones, piorumque corda à spirituali & interno Dei cultu, ad externas & friuolas ineptias abstrahunt. 14. *Non qualiscunque conueni-*

inuentia, seu analogia facit ut ceremonia aliqua sit probanda. Nam ingenium humanum hic absque modo & sine luxuriare potest. Plura in hanc sententiam vide in supplemento nostro tom. 4. c. 14. de ceremoniis Missæ. Iam videamus, quid sentiant aduersarij, magistri illi ceremoniarum felicissimi an infelicissimi?

IV. Tria autem in ipsorum sententiâ distincte sunt examinanda. Primum est de potestate & iure ecclesiæ circa ceremonias: secundum, de ipsis ceremoniis, hoc est, illarum natura & efficacia: tertium, de ceremoniarum istarum vsu. Quod attinet ad primum, aduersarij tribuunt ecclesiæ potestatem fere immensam, quando contendunt, 1. Ecclesiam Romanam optimo iure instituisse totum illum apparatus ceremoniarum, quem hodie in Papatu cernimus. 2. Ecclesiam habere potestatem ritus ac ceremonias à Iudeis mutuandi; Ecclesiam habere potestatem, diuersa elementa & creaturas, ad cultum Dei adhibendi & consecrandi: cuiusmodi sunt aqua lustralis, consecratio salis, ceræ, ignis, cinerum, palmitum, olei, lactis &c. Primam propositionem ita probat Bonnerius. Ecclesia primitiua fuit in infantia; quem hodie illam perfectionem ferre potuit, quæ postea ceremoniis complenda fuit. Et communis est Papistarum opinio, ut est apud Costerum, ecclesiam progressu temporis profecisse magis ac magis, ideoque optimo iure ceremonias illas introduxisse.

Respondeo primo. Itane vero? Quomodo hoc conuenit cum Prophetis Nou. Testam. de defectione & hæresibus, quæ inuadent tempore procedente & in peius ruente? Quomodo hoc idem conuenit cum dictis Patrum, qui ecclesiam primitiuam, virginem fuisse docent, & successu temporis meretricem factam esse conueniunt? Sane nimis absurdum est, existimare vllius ecclesiæ statum puriorem esse, quam primitiuam sub Apostolis & viris Apostolicis. Vnde Gregorius Nazianzenus oratione 3. ad Gregorium Nyssenum recte scribit; Sanctorum Patrum constitutiones, qui proximiores Christo fuerunt, agnoscamus. Ut ergo aquæ fontib. ppiores, puriores sunt: sic tempora Christo proximiora, fuerunt puriora. 2. Ceremoniæ primitiuæ inuentæ & introductæ fuerunt propter rudem infantiam & infirmitatem ecclesiæ Vetens Testam. Itaque maioris perfectionis signum fuit in primitiua ecclesiâ, quod paucas habuit ceremonias. Ergo maioris ruditatis indicium est in Ecclesiâ Romana, quod tam multas habet ceremonias, easque partim ridiculas & inutiles, partim blasphemias & impias. Sed ex Bellarmino tractat. de sacramentis in genere, libro secundo, cap. trigesimo primo, tria obici solent. 1. quædam ceremonias ecclesiæ Romanæ, ab ipso Christo & Apostolis esse adhibitas ut sputum, impositionem manuum, extremam unctionem. 2. Synagogam Iudæicam instituisse ceremonias extra verbum Dei, Esch. 9. 1. Maccabæorum 4. Iohan. 10. 3. Apostolos idem ius vsurpasse, & instituisse quoque ceremonias extra Scripturam, Actuum 15. 1. Corinthiorum 11. Ergo ecclesiam Nou. Test. idem ius habere: præsertim quia dignitas ecclesiæ ita postulat. Respondeo ad primum. Hic locum habet illud vulgatum: Duo cum faciunt idem, non est idem. Deinde impositio manuum potest hodieque adhiberi. Quod attinet ad unctionem extremam, illa expirauit: quia cessante signato cessat quoque signum siue symbolum. Cessauit autem donum sanationis, quod vigeat in primitiua Ecclesiâ. ad secundum. Sane ecclesia N. Testam. idem ius habet cum synagoga Vef. Testam. quantum ad ritus adiphoros: verum ita, ut sibi moderetur hæc iura; quia cultus Nou. Testam. est simplicissimus, & maxime spiritualis. Et vero loci, qui citantur à Bellarmino, agunt de rebus indifferentibus: cuiusmodi sunt festum Purim Esch. 9. & Encæniam, 1. Maccabæorum 4. & Iohannis decimo. ad tertium. ecclesia præsens non eandem cum Apostolis auctoritatem habet, ne quidem in ritibus ordinandis. Et si interim non negamus, ipsam habere ius introducendi ritus adiphoros. Porro quod dicit Bellarminus, dignitatem ecclesiæ ita postulare, id iam refutatum est. Neque enim dignitas ecclesiæ Nou. Testam. meritienda est pompa & multitudine ceremoniarum: sed claritate, simplicitate, amplitudine tum doctrinæ, tum rituum. Sed Becanus libro primo manual. cap. 2. adducit varia exempla rituum Ecclesiasticorum, quos dicit ab Apostolis per solam traditionem acceptos esse. Sunt autem hi potissimum. Primus: ut exorcismus, & alia ceremoniæ adhibeantur in baptismo. Tertullianus in libro de corona militis cap. 3. Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 27. Secundus: ut trina mersio fiat in baptismo. Basilius ibid. Tertius: ut Christma singulis annis renouetur. Fabianus Papa & Martyr. epist. 2. ad Episcopos orientis. Quartus: ut aqua vino miscetur in calice Eucharistico. Cyprianus libro secundo epist. 3. Quintus: ut eucharistia sumatur à ieiunio. Augustinus epist. 118. Sextus: ut in sacrificio Missæ oretur pro defunctis. Tertullianus l. d. Septimus: ut signum crucis formetur in fronte. Basilius l. d. Nonus: ut aqua benedicatur. Idem. De his & similibus recte vsurpari potest illud Tertulliani libro citato cap. quarto. Harum, & aliarum cuiusmodi disciplinarum, si legem expostule Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi præten-ditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Præter supra dictas traditiones, quæ ab Apostolis ad nos peruenerunt, sunt alia quædam ecclesiasticæ, quæ post tempora Apostolorum, à prælati ecclesiæ introductæ sunt; & tametsi parem cum Apostolicis auctoritatem non habeant, merito tamen à Christianis seruari debent. De vtriusque loquitur Augustinus epist. 118. cum ait: Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus; quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas; commendata atque statuta retineri; sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, anniuersaria solennitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacunque se diffundit, ecclesia. Nam per illam partem, Vel ab ipsis apostolis, intelligit traditiones Apostolicas: & per illam, Vel plenariis conciliis, intelligit ecclesiasticas. De quibus subdit: Infolentissima insanix est, disputare, an sciendum sit, quod tota per orbem frequentat ecclesia. Hæc tenet Becanus. Cui iam satisfaciendum est. Respondemus autem distincte. 1. Non statim est traditio Apostolica, quod venditur & palliatur isto nomine. Sacra cœna, fractio panis, & similia, sunt traditio Apostolica, 1. Corinthiorum. 11. Similiter pædobaptismus, & alia, quæ in Scripturis fundamentum habent. Eiusmodi autem non sunt exorcismus, & alia ceremoniæ ridiculæ, quæ in baptismo adhibentur. 2. Admittimus distinctionem traditionis in Apostolicam, & Ecclesiasticam: & illam quodque huic præponimus longo interuallo. 3. Tertullianus & Augustinus loquuntur de traditionibus & ceremoniis; quæ non pugnant cum Scripturis, quæque ab vniuersa ecclesia

primitiua sunt obseruata. Et has probamus. 4. Exorcismus non recte adhibetur in baptismo; quia infantes Christianorum non sunt corporaliter obfessi a malo Spiritu: quem in primitiua ecclesia ex Energumenis eiciebant; qui hoc donum extra ordinem habebant. 5. Trina mersio in baptismo est ritus adiphorus. Vtiliter tamen retinetur, ne scandalum detur infirmis. 6. Renouatio christiatis est ritus superstitiosus: quia nullius rei est symbolum. 7. Aquam vino miscere in calice Eucharistico est ceremonia indifferens: quia in locis calidioribus, vbi vina sunt admodum fortia, vtiliter adhibetur. 8. Ieiunia sumit Eucharistia, & ipsa est adiphora. Nam Christus & Apostoli non ieiunauerunt ipsam ieiunia. 9. In sacrificio Missæ orare pro defunctis, est superstitiosum, inutile, & S. literis aduersum. 10. Signum crucis formare est ritus indifferens, si absit opinio operis operati. 11. Benedictio aquæ est ritus superstitiosus extra vsu baptismi.

V. Secunda propositio de potestate ecclesiæ circa ceremonias, est Rhemensium, qui annotat. in 1. ad Timotheum 4. sectione 18. asserunt ecclesiam posse mutuari ritus & ceremonias à Iudeis. Hanc ita probant. Sanctus Paulus impositione mandum; quæ ceremonia legis fuerat, in consecratione sacerdotum quondam vsurpata, vsus est. Ergo à Iudeis ceremonias mutuo sumere licet. Respondeo primo. Magna præsumptio est, existimare; licitum esse ecclesiæ, quicquid Christo & Apostolis licuit. Non itaque sequitur: Christus, & Apostoli Spiritus sancti instinctu; decentes aliquot ceremonias in lege vsitatas retinuerunt. Ergo nunc quoque liberum est ecclesiæ Iudæicas ceremonias vsurpare. 2. Quædam ceremoniæ Iudæicæ possunt hodieque retineri: cuiusmodi est impositio manuum, à Paulo adhibita. 3. In imitatione ceremoniarum Iudæicarum vitanda est *επισημια*, superstitio, & proutus. Quæ tria coniunctim obseruare licet in quam plurimis ceremoniis Papisticis, quibus illi prætexunt institutionem diuinam in V. T.

VI. Tertia propositio de potestate ecclesiæ circa ceremonias est itidem Rhemensium annotat. in 1. Timoth. 4. sect. 12. 13. vbi aiunt, ecclesiam posse diuersa elementa & creaturas ad cultum Dei adhibere atque consecrare. Id probant ex Iacob. 5. 15. vbi fit mentio olei consecrati. Adducitur etiam praxis primitiuæ ecclesiæ, quæ consecrauit aquam; cineres, mel, & similia. Respondeo. Consecratio ecclesiastica non est vertenda in magicam. 2. Consecratio aquæ, panis, & vini est ordinaria in ecclesia N. T. nihilque est aliud, quam sanctificatio istorum elementorum & segregatio ad sacrum vsu. 3. Consecratio templorum, vasorum sacrorum, & similibus rerum, quæ subserviunt administrationi cultus diuini, si fiat circa superstitiosam, pie & vtiliter adhibetur. 4. Consecratio olei istius Iacob. 5. fuit extraordinaria. 5. Consecratio aquæ lustralis, mellis, ceræ; & similibus rerum est superstitiosa: quia neque est sacramentalis, neque inferuit consecratio si sacramentali, aut cultus diuini administrationi.

VII. Hæc de potestate & iure, quod habet ecclesia in ceremoniis extra Scripturam instituendis. Sequitur de ipsis ceremoniis: de quibus Rhemenses nostri annotat. in 1. Timoth. 4. section. 14. pronuntiant, creaturas ab ecclesia consecratis remissionem peccatorum obtineri: & Bellarminus de sacramentis in genere libro secundo, cap. trigesimo primo ait, quædam eorum vim habere spirituales, contra peccata, & demones &c. ut signum crucis, & alia similes, quæ iam olim à sanctis viris ad eiusmodi vsus adhibita sunt. Rhemenses dicit. l. adferunt duas rationes. 1. Remissio peccatorum erat annexa oleo, quo ægroti ungebantur Iacob. 5. ver. 15. 2. Sudaria Pauli Act. 19. ver. 11. sanarunt ægrotos & energumenos. Mulier quoque illa, quæ simbriam vestium Christi tetigit, sanata fuit. Respondeo ad 1. Oleo illo extra ordinem consecrato non obtinebatur remissio peccatorum: neque etiam in eum finem fuit vsurpatum, sed tantum corporalis sanitatis symbolum fuit. Nam tum in ecclesia vigeat miraculosum sanationis donum, cuius symbolum erat unctio illa. Committitur autem à Rhemensibus fallacia compositionis & diuisionis. Nam verba illa, Quod si peccata commiserit, remittentur ei: non debent coniungi cum illis, Unctes eum oleo; sed cum istis, Orent pro eo. Promittit enim Deus, se exauditur preces fidelium, non tantum quas pro seipsis, sed etiam pro aliis fundunt. ad secundum. Lucas ait ver. 11. l. d. Et virtutes magnas edebat Deus per manum Pauli. Deus ergo operatus est: non autem ceremoniæ istæ. Quod attinet ad posterius exemplum, ipsemet Christus ait, Virtus à me exiit. Item: Abi, fides tua te seruauit. Non ergo vestes Christi, sed virtus, itemque mulieris fides, illam sanarunt. Porro quod Bellarminus ait, sanctos viros iam olim adhibuisse has tales ceremonias ad eiusmodi vsus, in eo est petitio principii: cum probatio hic nulla adferatur, quæ sit alicuius momenti. Neque enim praxis primitiuæ ecclesiæ, sed ceterioris allegatur.

VIII. Vltimum huius controuersie caput est de vsu ceremoniarum extra Scripturas introduendarum. Vbi Bellarminus d. l. hanc ponit thesin: Fideles per conscientiam teneri has ceremonias, ab ecclesia institutas obseruare, etiam extra casum contemptus & scandali. Rationem adfert: quia fideles simpliciter obedire iubentur suis præpositis, tum ecclesiasticis, tum politicis, Heb. 13. Rom. 13. & passim. Respondeo. 1. Hodierni ecclesiarum præfecti non habent maiorem potestatem, quam Apostoli. At vero hi non iniecerunt laqueum conscientis aliorum in hac materia, ut paulo ante s. 3. m. 7. probauimus. 2. In locis citatis hæc quæstio minime attingitur. 3. Præpositis nostris non simpliciter obedire iubemur, sed cum limitatione hac, quatenus, quando, & quamdiu præcipiunt ea, quæ cum recta ratione & verbo Dei consentiunt.

CAPVT XIV.

Ecclesiam in religione errare posse, & solere demonstratur.

I. Superfunt nobis duæ quæstiones de natura & priuilegiis ecclesiæ in his terris militantis; videlicet: Vtrum ecclesia errare possit, itemque deficere? Prius illud non inepte dixeris deficere in fide; posterius, deficere à fide. Quod attinet ad primam controuersiam, illam tribus conclusionibus distincte explicamus. 1. Ecclesia in his terris militans potest errare. 2. Ecclesia externa, seu visibilis, tota errare potest, & totaliter atque finaliter hoc est, non solum hæc, vel illa particularis, sed etiam vniuersalis, profitentium

tium turba, in rebus plurimis, imo saepe in omnibus ad religionem spectantibus, omnino errare potest, & sapissime re ipsa errat, imo etiam interdum perniciosus & fundamentalibus erroribus obruta esse definit. Tota, inquam, illa ecclesia visibilis errare potest fundamentaliter; at non totum illius, quatenus nempe immixtos habet fideles. Vel, ecclesia visibilis tota potest errare in fundamento, si sumatur oppositè: at non, si compositè, id est, quatenus coniuncta est cum ecclesia inuisibili. 3. Ecclesia interna, seu inuisibilis, adeoque Catholica, errare potest in rebus leuioribus, quæ non ita scitu vel obseruatu sunt necessaria: verum in fundamento salutis, siue in dogmatibus ad salutem omnino scitu necessariis, errare non potest. Et rursum ecclesia Catholica tota non potest errare. Tres itaque erunt huius capituli sectiones.

II. *Primo*, ecclesiam militantem posse errare, sic demonstratur. 1. Ecclesia militans constat ex meris hominibus, errori & ignorantia obnoxiiis, & quorum omnis de rebus diuinis scientia, in hac quidem vita semper est imperfecta: immo quorum optimi quique suas ignorantias, & peccata, ingenue agnoscere, ac deplorare solent. Hinc dicitur *Psal. 19.* Delicta quis intelligit? Et *1. Corinth. 13.* Cognoscimus hic ex parte. Et *Roman. 3.* Omnis homo mendax, hoc est, vanitati illi obnoxius, ut possit labi, errare, fallere, falli, iuxta vulgatum illud dictum: Humanum est errare. A qua conditione ne optimi quidem Christiani in hac vita plane liberi sunt. Vnde efficitur, si singuli homines, etiam sanctissimi, in hac vita errare possunt, etiam ecclesiam, tum internam seu inuisibilem, tum externam seu visibilem, errare posse: ut pote quæ est hominum aggregatio. 2. Ecclesia militans sapius in hac vita peccare solet, & peccare semper potest. *Iacob. 2.* In multis labimur omnes. *Eccles. 7.* Non est iustus in terra, qui non peccet. Et propterea etiam *Matth. 6.* precari iubemur, ut Deus remittat nobis peccata, & ne nos inducat in tentationem. Quod si ergo ecclesia militans peccare potest, pariter, imo multo magis, errare potest, ac solet. Etenim grauius est peccare, quippe quod vitium est voluntatis; quam simpliciter errare, siue mente tantum & intellectu hallucinari. Et certe si non omne peccatum naturam ecclesiam militantis prorsus euertit, multo minus quilibet error eam euertit. Vnde sequitur, in ipsa ecclesiam militantis natura, seu propria conditione, nullam reperiri causam, cur errare ipsa non possit, aut soleat: reperiri vero, cur & possit, & soleat. 3. Inter ecclesiam militantem & triumphantem hoc interest, quod hæc a peccato & errore liberatur. Ergo antea utroque laborabat, peccato scilicet & errore. 4. Omnia hominum dicta & facta, adeoque & dogmata, iubemur ad normam verbi Dei explorare; neque cuius spiritui credere: verum a pseudo prophetis, falsisque fratribus, sedulo nobis cauere; imo ab eorum quoque fermento, quos alias tamen audire iubemur. *Matth. 16. 6. c. 23. 13. & d. 1. Thess. 5. 20. 1. Iob. 4. 1. & d. Phil. 3. ver. 2. & seqq.* Vnde efficitur, ecclesiam præfules posse errare, adeoque & auditores, & consequenter ipsam ecclesiam, ut pote quæ constat ex pastoribus & auditoribus. 5. Ecclesia perpetuo ad S. Scripturam, velut ad vnicam fidei vitamque normam, debet esse alligata: a qua si vel tantillum aberret, facile in errores & peccata prolabi potest. Iam vero non semper sequitur ductum huius normæ, sed regulam illam a Deo sibi præscriptam, interdum, imo saepe negligit. Itaque nihil est mirum, quod tum in varios errores incidit; & quod falsum est, credit, & quod iniustum est, facit, aliisque etiam credendum, ac faciendum proponit. 6. Ecclesia potest non recte interpretari Scripturas. Ergo errare potest. Probatur antecedens: quia multa in Scripturis occurrunt *δυσόδοτοι* & *δυσήνοι*, ut sunt quædam prophetiæ, apparentes antilogiæ, & similia, quorum interpretationem ecclesia saepe vel præterit, vel non veram adfert. 7. *Augustinus* hanc sententiam confirmat *contra epistolam Pelagii. lib. 4. cap. 7.* Quomodo ecclesia in isto tempore, perfecta sine ruga & macula, cuius membra non mendaciter consententur, se habere peccata.

III. *Secundo*, ecclesiam visibilem & totam, & totaliter errare posse ac solere, his argumentis demonstratur. *Principio* ecclesia visibilis diuiditur in collectiuam, & representatiuam. At utraque errare potest. *Collectiuam*, quia ecclesia Iudaica tempore Moysi adorauit vitulum, *Exod. 32. vers. 4.* tempore regum sacrificabat & adolebat in excelsis, *2. Regum 12. 3. & 14. 4.* festum paschæ non celebrauit secundum verbum Dei. *2. Regum 23. 22.* festum tabernaculorum non tam alacriter & vere celebrauit, uti par erat *Nel. 8. ver. 18.* Deinde *Ecclesia representatiua*, quam aduersarii omnium maxime ab errore liberam esse affirmant, etiam errauit. Nam *Esa. 56. ver. 10.* speculatores domus Israel omnes cæci esse dicuntur, itemque muti canes. *Ierem. 8. ver. 8. & seqq.* omnes sapientes populi Dei dicuntur confusi, & stylus Scribarum mendax. *Malach. 2. ver. 7. & d.* dicuntur sacerdotes de via Domini deflexisse. Sed excipiunt, singulos quidem pastores, seorsim acceptos, errare posse ac solere, sed non omnes, in conciliis congregatos. *Respondeo. 1.* At modo probauimus, omnes sacerdotes errasse. 2. Exempla etiam conciliorum, turpiter in doctrina errantium, passim in Scripturis occurrunt: ut *1. Reg. 18. vbi fere nongenti pseudo prophetae aduersus Eliam congregantur. Et eodem lib. 6. 22. vbi quadringenti aduersus Micheam decertant. Quod si ecclesia Israeliticæ contigit, ut pastores vniuersi in concilio coacti erraret, etiam ecclesia Iudaicæ, itemque Christianæ hoc potuit potestque contingere. Hæc enim typi nostri fuerunt. *1. Corinthiorum 10.* Huc pertinent Concilia Scribarum & Phariseorum, aduersus Christum, & apostolos sæpius coacta *Iohan. 9. & 18. Act. 4. & 5. & seqq.* Porro Patres antiquissimi sæpe grauerunt errantibus ipsis aduersariis: verbi gratia, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Clemens, Lactantius, Cyprianus, & alii plures, inter quos etiam fuerunt Pontifices Romani, capita illa ecclesie. Sic Innocentius I. Eucharistiam infantibus omnino ad salutem necessariam esse docuit. Et plerumque Pontifices Romani post Gregorium M. tempora quosdam errores defenderunt, & propagarunt. Eidem in canonizatione sanctorum, ut pote quæ tota meris nititur coniecturis, turpiter errant. Denique ipsa Concilia sæpius errarunt. Nam Concilium Chalcedonense, episcopum Constantinopolitanum, Papæ Romano æqualem esse definiuit: quæ definitio aduersariis est hæretica; ut & illa, quæ facta est in Conc. Constant. & Basil. Papam Concilio subesse. Quæ de re vide amplius *inf. lib. 3.* Hic solum duo illa testimonia obserua. *Naxian. epist. 42. ad Procopium* fatetur nullum se vidisse concilium, cuius felix fuerit euentus. Et *August. lib. 2. c. 3. de baptismo.* diserte tradit, etiam plenaria concilia sæpius emendari à posterioribus. Atque ita planum effecimus, ecclesiam collectiuam & representatiuam errare posse, & sæpius errasse. Videamus aliud huius rei argumentum, quod est n. 2.*

IV. Ecclesia in fide errauit tempore passionis Christi. Ergo errare potest. Antecedens probatur. Ecclesia erat vel apud Scribas & Phariseos, vel apud Apostolos. Sed utriusque errarunt: illi, Christum morte efficiendo; hi, resurrectionem Christi non credendo. Sed *Bellarminus libro tertio cap. 17.* excipit. 1. Sacerdotes & Pontifices priuilegium non errandi in docendo populo, non nisi ad aduentum Christi habuisse: Christo autem præsentem & docente, illorum errorem parum obfuisse. 2. Apostolos tum temporis nondum fuisse Episcopos, nisi designatos, sed solum partes ecclesie materiales, ideoque errare potuisse. 3. Apostolos in fide non errasse. Nam non leguntur inquit reprehensi, nisi de fide resurrectionis, quod eam credere noluerint. Illam autem non potuerunt amittere; cum eam non habuerint, nisi postquam Dominus resurrexit. *Respondeo ad 1.* Sacerdotes & Pontifices nunquam habuerunt tale priuilegium non errandi: ut constat ex *Matth. 5. & 15.* Deinde post Christi aduentum in cathedra Moysi sedebat Scriba & Pharisei, eoque audire iubet Christus *Matth. 23. 2.* Quod si itaque antea non errarunt, nec tum sane potuerunt. Nondum enim ex cathedra Moysi eiectione erant. Tertio, si legalia omnia usque ad Christi mortem valuerunt (ut docet *Lombardus lib. 3. dist. 3.*) tum etiam priuilegia sacerdotum tam diu durauerunt. Quarto, si Pharisei tum errarunt, ergo, ex ipsius Bellarmini confessione ecclesia esse deserunt. Quapropter tum ecclesia visibilis non fuit. Nam neque apud Phariseos locum habuit, neque apud Apostolos, quippe qui fuga sibi consuluerunt, & Christum deseruerunt. Itaque tum temporis non fuit ecclesia mundo visibilis. *ad 2.* Apostoli tum temporis erant episcopi ipso actu. Iam diu enim prædicauerant & baptizauerant à Christo missi: & Iudas ipse episcopatu fuerat functus *Act. 1. 20.* Deinde nonne & veri episcopi sunt partes materiales ecclesie? *ad 3.* Certum est, Apostolos in fide resurrectionis Christi errasse. Nam fidem & sensum resurrectionis Christi amiserunt ad tempus, quam crasse *in nota* habuerant, ut demonstrant eorum verba, qui petebant Emauntem *Luc. 24. ver. 21.* Et quomodo ignorassent illud discipuli, quod Sacerdotes & Pharisei nouerant. Pilato enim dicebant. *Domine, meminimus planum istum dicere eum adhuc viueret, tertio post die suscitabor.* Deinde Papiſtarum nonnulli, videlicet *Alexander Halensis & Iohannes de Turrecremata*, affirmant, veram fidem tempore passionis Christi in pectore Mariæ tantum remansisse. Si hoc verum sit, tum falsa est opinio Bellarmini, Apostolos illo tempore fidem retinuisse, actu nempe secundo. Nam de actu primo conceditur, illo mansisse in ipsis fidem. Atque hoc sensu Apostoli tum temporis constituerunt ecclesiam. Non enim sequitur, ecclesiam tum periisse, quia apostoli amiserunt particularem fidem vnius articuli illius per illud tempus actu secundo.

V. *Tertium argumentum* sequitur. Apostoli non tantum ante glorificationem Christi, multis in rebus errarunt, speciatim in ratione spiritualis regni Christi, *Luc. 18. 34. Act. 1. ver. 6. & seqq.* sed etiam postquam spiritu sancto iam donati fuere, de vocatione gentium, deque libertate Christiana nonnunquam haesitarunt, *Act. 10. ver. 14. & d. c. 11. v. 2. & d. Galat. 2. ver. 14. & d.* Præterea inter optimos etiam Apostolorum discipulos nonnunquam diffusiones de religione extiterunt; eoque aliquos eorum errasse necesse fuit. *Roman. 14. per totum. 1. Corinth. 1. & 3. & 8. & c.* Denique celeberrimæ ecclesie, ipsis adhuc Apostolorum temporibus errarunt: puta ecclesia Corinthiorum in doctrina de cona, *1. Corinth. 11. 21. in loco de resurrectione, 1. Cor. 15. ver. 13.* ecclesia Galatarum, *Gal. 1. & 3. & 5. totis.* item ecclesie, ad quas scripsit *Iohan. Apoc. 2. & 3. totis.* Et tamen istæ errantes ecclesie non continuo essentiam atque naturam suam amiserunt: cum ipse Spiritus sanctus eas nihilominus Christi ecclesias appelleret. Ergo etiam vera ecclesia errare potest.

VI. *Quarto*, si ecclesia inuisibilis obnoxia est erroribus, multo magis visibilis est obnoxia: cum hæc saepe maximam partem ex hypocritis, illa vero tantum ex sanctis & fidelibus constet. Atque his argumentis probatur secunda conclusio: videlicet ecclesiam visibilem, & totam errare posse, & totaliter. Totam: ut ecclesiam Iudaicam tempore Christi, ecclesiam Galatarum & c. Totaliter: ut ecclesiam Israeliticam, multasque ecclesias ab apostolis plantatas, sed ab hæreticis seductas & subuersas. Quæ de re amplius dicetur ad quart. seq.

VII. *Tertia conclusio* nostra fuit, ecclesiam inuisibilem & catholicam errare quidem posse in dogmatibus leuioribus, sed non in fundamento salutis, neque etiam totam. *Ratio primi* est; quia membra huius ecclesie sunt fideles & sancti, quorum scientia in statu viæ est imperfecta, & non nisi perficienda in statu patriæ. Sic Apostoli, qui futuri erant doctores æcumenici, non vno modo errarunt, ut paulo ante probauimus. *Ratio secundi* est; quia electi & fideles non possunt amittere fidem, quantum ad habitum & actum primum: & superædificati sunt lapidi angulari, qui est Christus: & si errarent in fundamento salutis, ad tempus fierent infideles, quod fieri non potest. *Ratio tertii* est; quia ecclesia Catholica in his terris militans constat ex variis fidelibus hinc inde dispersis, qui vno & eodem tempore non possunt simul errare. Quid enim error, quo laborant fideles quidam in Bohemia, attinet ad fideles in Græcia, Germania & c. Et vero si ecclesia tota erraret, aliquo tempore in mundo non esset ecclesia catholica: Quod est absurdum.

CAP. XV.

Refutatur sententia Papiſtarum, Ecclesiam non posse errare.

I. **BELLARMINVS** sex argumentis probat ecclesiam visibilem, in nulla religionis parte, vnquam errare posse, *libro tertio cap. decimo quarto.* Quam sententiam oportet dilucidius explicare. Docent nempe Pontificii scriptores, ecclesiam Catholicam, id est, Romanam, errare non posse, neque in rebus absolute ad salutem necessariis, neque in vlla re quacunque, quam imponit & præcipit, siue in verbo Dei continetur, siue non: imo errare non posse, in iis rebus, quæ præter Scripturam ab ipsa præcipiuntur. Per ecclesiam autem hic intelligunt non tantum pastores & Episcopos, sed totam fidelium congregationem: ita ut neque illud quod Pastores Ecclesie docent, erroneum esse possit, neque quod generaliter à tota ecclesia recipitur & præcipitur.

Dux itaque futuræ sunt partes huius capituli: vna de ecclesia collectiua, altera de representatiua. Quod attinet ad ecclesiam collectiuam illius immunitatem ab errore Bellarminus concludit sex, vt diximus, argumentis.

II. *Primum argumentum* sumitur ex 1. *Timoth. 3. ver. 15.* vbi Apostolus ecclesiam appellat domum Dei viuentis, itemque columnam & firmamentum veritatis. Vnde necessario consequitur, ecclesiam errare non posse, quippe cum Deus ipse habitet in ea; quodque ipsa sit fidelis & viua custos simul & magistra veritatis diuinæ: imo extra quam nulla veritas, ad religionem pertinens, reperiri possit; & proinde qua errante, necesse sit omnem salutarem veritatem in vniuerso mundo perire. *Respondeo primo.* Nulla est consequentia: Ecclesia est columna. Ergo errare non potest. Nam etiam Petrus columna fuit, & tamen errauit, *Galat. 2. ver. 9. 11. 2.* Neque etiam illa consequentia tenet: ecclesia est columna veritatis. Ergo plane errare non potest. Nam Apostolus loco citato non agit de quavis veritate, aliquatenus ad religionem pertinente; sed tantum de veritate salutari, siue ad salutem necessariam; idque conditionaliter, quamdiu scilicet ecclesia ipsa perseuerat esse vera Christi ecclesia. Itaque nullo modo hinc efficitur, externam ecclesiam, quocumque modo se gesserit, nullam in re, quantumuis exigua, errare posse. 3. Ecclesia Dei columna dicitur & *1. Cor. 3. 11.* id est, abacus stylobateque columnæ, non ratione architectonica, vt columen, sustentaculum, & fulcrum domus (nam si sustentaculum est, quomodo eadem est domus sustentaculo nitens?) sed ratione forensi, prout in curiis & ante prætoriam columnæ extant & cippi, ad quos appenduntur autoritate publica leges atque programma. Est igitur hæc columna cum sua basi custos veritatis, non firmamentum domus. Ac propterea Apostolus duobus elogiis ornat ecclesiam Dei: vnum & primum est respectu Dei, quod domus est Dei viuentis, quam Deus efficit, informat, & gubernat præsentia sua: alterum secundarium & instrumentale respectu nostri, quod eadem ecclesia nobis columna est, & quidem firmissima ac fundatissima veritatis, quam nobis proposuit in ipsa Deus. Sic enim ex curia atque prætorio ad valuas aut columnas, vt Romæ olim prætoris factum, decreta exhibentur & profertur foris profcriptaque in eis custodiri solent. Itaque ecclesia dicitur columna veritatis respectu nostri, quia veritas cælestis in ecclesia vera custoditur & conseruatur, neque alibi inuenitur: non autem, quia veritas ab ecclesia dependet. Paulus enim hoc loco Timotheum non remittit ad ecclesiam, vt ab ea discat, quasi illa nullo modo decipi possit; sed, *Hæc, inquit, scripsi, vt noris, quomodo oporteat in domo Dei versari.* Ergo verbum Dei regula est veritatis. 4. Non sequitur: ecclesia est domus Dei. E. non potest errare. Nam omnes sancti sunt templa Spiritus sancti, & nihilominus tamen multis modis errant. Deinde hæc axiomata omnia vera sunt in sensu composito: Ecclesia Christi non errat: Domus Dei non errat: Columna veritatis non errat: hoc est, si formaliter sumantur, non autem materialiter, immunita sunt ab errore.

III. Sed Bellarmino non sapit hæc explicatio, ecclesiam dici columnam veritatis, quod illam custodiat: cum isto modo librariorum officina, non minus quam ecclesia, veritatis custodes appellari possint: vt pote quæ Scripturas diligentissime custodiant. Deinde ait, Apostolum simpliciter dicere ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. Tertio, multo amplius est esse columnam, quam simplicem custodem: nam columnæ innitur domus, & ea remota, cadit. Quarto, etiam ecclesia columna fuit, quando non erant Scripturæ. Denique non columnæ, sed arcæ custodiunt libros. Hinc efficitur, ecclesiam non modo fidelissimam Scripturæ custodire esse, sed iecirco hoc titulo in primis insigniri, quia puram veritatem, absque vllius erroris admixtione, perpetuo doceat, hoc est, errare nullo modo possit. *Respondeo ad 1.* Non sequitur ab exemplo dissimili. Nam alia est ratio custodiæ priuatæ in rem suam vniuersiuique, alia custodiæ publicæ edicti publici de domo publica prolari in publicam rem, & autoritate publica. Itaque Ecclesia dicitur columna & firmamentum veritatis, non ob qualemcunque veritatis custodiam, sed ob viam eiusdem professionem & promulgationem. *ad 2.* Apostolus ecclesiam appellat & domum, & columnam, Domum Dei, columnam veritatis: quia nempe veritas, id est, verbum Dei, huic columnæ est indita. *ad 3.* Hic non agitur de columna fulcimente domum (nam ecclesia ipsa est domus) sed de columna veritatis, a domino domus prodeuntis, & domui ipsius ab ipso propositæ tanquam in columna. Hæc autem columna est propter veritatem, non veritas propter columnam: vt arca est propter pecuniam, & gazophylacium propter gazam, non contra. Pluris itaque est veritas cælestis, quam columna ipsius. Nam plurius est finis, quam quæ ad finem referuntur. *ad 4.* Ecclesia semper fuit columna veritatis, primo non scriptæ, postea scriptæ. *ad 5.* Non sequitur ex dissimili: quia non agitur de custodia simpliciter, sed de custodia publica huiusmodi, qua in propatulo custodiuntur leges oculis omnium expositæ & extantes, ac non latentes in arca.

IV. *Secundum argumentum* Bellarmino ducitur ex ijs Scripturæ locis, vbi docetur, ecclesiam ab ipso Christo, tanquam à capite & sponso suo perpetuo gubernari; itemque à Spiritu sancto in omnem veritatem duci, & ab eo, tanquam ab anima propria gubernari. Cuiusmodi sunt: *Eph. 1. v. 21.* & *4.* Dedit ipsam caput ecclesiæ, quæ est corpus & complementum ipsius. *Et c. 4. 4.* Vnum corpus, & vnus Spiritus. *Et c. 5. v. 23.* Vir caput est mulieris, sicut Christus est caput ecclesiæ. *Iohann. 16. 13.* Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem. Confer *cap. 14. & 15.* Vnde Bellarminus ita concludit: Si ecclesia in dogmatibus fidei vel vitæ, vnquam erraret, tum necesse esset ipsi Christo, & Spiritui sancto errores attribui: quippe qui ecclesiam perpetuo regunt. Hoc autem est absurdum & blasphemum. Ergo & illud. Ratio connecti est ætissima vni Christi & ecclesiæ. *Respondeo primo.* Nulla est consequentia. Nam ætissima illa vni non solum habet locum inter Christum & ecclesiam, sed etiam inter Christum & singulos credentes. Quapropter eodem argumento æque concludi posset, ne vnicum quidem fidelium errare posse. 2. Spiritus sanctus docet quidem absolute secundum modum perfectionis suæ: sed qui docentur ab eo, doctrinam percipiunt secundum modum imperfectionis suæ. Semper enim æque in gratia atque in natura operibus verum est illud *Augustini libro septimo de ciuitate Dei cap. 30.* Sic administrat (Deus) omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat. 3. Spiritus sanctus libere agit in nos & in nobis, varie intendendo & remittendo actionem suam, nõ autem agendo ad extremum

potentia suæ. 4. Christus dicit, *docebit*, non autem, *docuit*, vel *docet* vos perfecte omnia, omnino leuata omni perfectione, omni tempore & momento, continuationem seu perseuerantiam in docendo promittit Christus, non præsentem plenitudinem perfectionemque in hac statione ecclesiæ. 5. Dominus proprie & primo alloquitur Apostolos suos, donumque in ipsos particulariter conferendum spõdet, quia apostoli, id est, legati plene instructi per communicationem Spiritus tum omni veritate, tum indubitata plenitudine; quæ ad priuilegium apostolatus pertinent, nec ultra ad ecclesiam hanc protendi debent. Hanc autem suam plenitudinem apostoli in Scriptura expresserunt: de qua secundo ecclesia sumit, & membra ipsius singula pro modulo eorum. Sic *Tertullianus* explicat hunc locum *libro de præscript. cap. 8. & 22.* Priorem vero solutionem, qua locus iste proportionaliter, seu cum certo modo & respectu ad totam ecclesiam hanc & oēs Christianos respicit, *Augustinus tract. 96. in Iohan.* his verbis confirmat: Quod ait, docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omni veritate; non arbitratur in hac vita in cuiusquam mente compleri posse. Quis enim viuens in hoc corpore quod corrumpitur & aggrauat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cum dicat apostolus; Ex parte scimus? Sed quia per Spiritum sanctum fit (vnde nunc pignus accepimus) vt ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit Apostolus, tunc autem facie ad faciem &c. non quod in hac vita, sed totum; quod vsque ad illam perfectionem futurum est, nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus, dicens, Docebit vos omnem veritatem. 6. Pleraque loca citata loquuntur de ecclesia interna, non de externa, neque de quavis veritate, sed tantum de ea, quæ ad salutem simpliciter scitu est necessaria.

V. *Rhemenses in 1. Timoth. 5. sess. 15.* loco illi *Iohan. 16. ver. 13.* addunt ista testimonia: Porta inferorum non præualebunt contra illam, *Matth. 16.* Deus illi dedit Apostolos, doctores &c. vt nempe illam in veritate conseruent; *Ephes. 4.* Christus pro ecclesia orauit, vt in veritate sanctificetur, *Iohan. 17.* Idem orauit, ne Petri fides deficiat &c. Ergo ecclesia errare non potest.

Respondeo 1. Porta inferorum non præualebunt contra fidem vlius electi; & Christus orauit pro singulis discipulis, vt in veritate sanctificentur. Quapropter iisdem argumentis æque concludi posset, ne vnicum quidem fidelium errare posse. 2. Ex duobus istis locis recte concluditur, ecclesiam catholicam non posse errare in fundamento. 3. Quamdiu pastores sequuntur normam Scripturæ, possunt ecclesiam ab errore conseruare. 4. Christus speciatim orauit pro Petro, ne eius fides deficeret in graui illa tentatione, in quam ipse incidit. Deinde, et si Christus pro eo orauit, errauit tamen *Galat. 2. vers. 5.* Quia Christus pro electis suis orauit, fieri non potest vt amittant actum primum fidei, aut fundamentum salutis subruant.

VI. *Tertium Bellarmini argumentum* sumitur ex ijs Scripturæ locis, vbi iubemur ecclesiam ipsam, eiusque ordinarios præfules, reuerenter audire, vt *Matth. 18.* Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. *Matth. 23.* Scribæ & Pharisei sedent in cathedra Moysi: omnia igitur quæ dixerint vobis, facite. *Luc. 10.* Qui vos audit, me audit. *Hebraeorum 13.* Obedite præpositis vestris. Obligamur itaque sub anathematis pœnæ, credere ecclesiæ in omnibus. At hoc iniquum esset, si ecclesia erroribus obnoxia esset. Hinc ergo efficitur, ecclesiam in religione nunquam posse errare. *Resp. 1.* Falsum omnino assumitur, seu principium petitur; quatenus asseritur, ecclesiam, eiusque ordinarios præfules, simpliciter & in omnibus audiendos esse: cuius contrarium passim in verbo Dei præcipitur. Debemus itaque credere Ecclesiæ, quatenus soli hæret veritati Christi, eamque tradit prout accepit à Domino. Christo enim propter se credimus; ecclesiæ propter Christum, qua hæret in doctrina illius. 2. Ecclesia catholica non potest errare in rebus ad salutem necessariis, quoniam abdicata omni sua sapientia à Spiritu sancto doceri se per verbum Dei patitur. Hoc igitur est discrimen inter Papistas & nos. Illi ecclesiæ autoritatem extra verbum Dei collocant: nos autem volumus verbo annexam, nec ab eo separari patimur. Et hoc quoque sensu ecclesia externa & particularis errare non potest. 3. Locus *Matth. 18.* non agit de doctrina, sed de censuris Ecclesiasticis. Quamquam & hic locum habet, quod modo diximus. *Dic Ecclesia*, vt verbi Dei administrat: quod si non auscultauerit ei, qua verbum & voluntatem Dei enuntiat.

VII. *Quarto Bellarminus argumentatur* ex simbolo apostolico, quod ecclesiam sanctam appellat. Hæc autem sanctitas potissimum in professione dogmatum consistit. Ergo Christiana professio nil nisi sanctum continet, hoc est, nil nisi verum quoad fidem, & nil nisi iustum quoad mores. Vnde sequitur, quidquid ecclesia, tanquam certum fidei vel vitæ dogma amplectitur, in eo ipsam errare non posse. *Resp.* Committitur fallacia duplex. Nam symbolum agit de ecclesia catholica, & inuisibili: Bellarminus de parte ecclesiæ catholice, & quidem de ecclesia visibili. Deinde ecclesia sancta est in Christo capite suo perfecte; in membris vero suis partim perfecte, vt in iis quæ in cælo sunt; partim imperfecte, vt in iis quæ hic in terris repunt, per inchoationem gratiæ. Itaque sanctitas ecclesiæ non proprie consistit in professione dogmatum, sed primario in imputatione sanctitatis Christi, & inchoatione sanctitatis propriæ; secundo in professione Christiana. Nam actu interno externum informari oportet.

VIII. *Quintum Bellarmini argumentum* est ab absurdo consequente. Si enim ecclesia in negotio religionis errare posset, tunc maxima pars dogmatum fidei in dubium reuocari posset. Ratio est; quia pleraque dogmata fidei nituntur autoritate ecclesiæ, eaq; vel sola, vel potissimum. v. g. quænam Scripturæ in V. & N. T. sint canonicæ. *Resp.* Nullum fidei dogma nititur autoritate ecclesiæ, sed autoritate Spir. sancti in Scriptura loquentis. Qua de re vide tom. 1.

IX. *Sextum & postremum Bellarmini argumentum* nititur Patrū autoritate, & illorum praxi & consuetudine. *Autoritates* præcipuæ, quib. iubent in rebus dubiis ad ecclesiæ iudicium semper prouocare, sunt istæ. *Tertullianus de præscript. aduersus hæreticos* pro magno absurdo habet, omnes ecclesias errasse, aut errare potuisse. *Augustinus libro primo contra Cresconium cap. 23.* & alibi sæpe monet, vt quisquis falli metuit, ecclesiam de obscuris questionibus consulat. *Idem epist. 118.* ait, insolentissimæ insanix esse, contra id disputare, quod vniuersa sentit ecclesia. *Idem lib. 1. de baptismo. cap. 18.* generalis concilii decretum vocat vniuersæ ecclesiæ consensum, à quo te-

mere discedendum non fit. *Praxis Patrum* in eo est, quod in rebus dubiis ad ecclesiae iudicium prouocantur.

Respondeo primo. Nulla est consequentia: Ad illum oportet prouocare. E. ille non potest errare. Nam ad iudicem prouocatur, qui sapienter errat, vel non sequendo legem, vel male illam explicando aut applicando. 2. Omnes veteres ad ecclesiam prouocant, nec primo & per se, nec ad ecclesiam solum. Nam primum omnes ad Scripturam prouocant, deinde vero ad ecclesiam secundum Scripturam. Quod si interdum ad ecclesiam solum prouocant, secundum quid faciunt, id est, quando res est cum haereticis eiusmodi, qui aut Scripturam negant, aut corruptam adferunt, quomodo Tertulliani, Augustini, & aliorum loca oportet accipi. 3. Ecclesia, ad quam prouocantur Patres, fuit incorruptior & purior. 4. Patres non docent, ecclesiam externam nulla in re prorsus errare posse: sed tantum in certis quibusdam controuersis, ad illa usque tempora, nondum eam errasse contendunt. 5. Idem vniuersalem ecclesiae consensum in certis ritibus, ad externam ecclesiam spectantibus, magni faciendum esse affirmant.

X. *In Concilio Basiliensi* hoc argumento vsi sunt: ecclesia est absque ruga & macula. Ergo absque errore. *Respondeo primo.* Hoc intelligendum est de Ecclesia Catholica & inuisibili, quae est absque ruga & macula, quatenus partim in caelo est gloriosa, partim in his terris est pura & iusta facta coram Deo per Christum, non quia peccato caret, sed quia peccatum ei remittitur. Ac licet quaedam imperfectiones supersint, neuiquam tamen salutis eius impedimento futurae sunt. 2. Ex hoc loco aequae sequeretur, ecclesiam in his terris sine peccato esse. *Ceterum* solent etiam hoc loco a quibusdam accumulati magnificae appellationes ecclesiae in Scripturis & extra eas: ut quod ecclesia appellatur sponsa, tota pulchra, caelestis Hierosolyma, religionis & fidei perpetua mater, quo titulo insignitur. *Cod. libro primo titul. 5. leg. 14.* Hinc volunt efficere, ecclesiam errare non posse. Sed eadem est responsio, quae modo est dicta. Et amplius hac de re disputatur capp. seqq. duobus.

XI. *Superest secunda huius disputationis pars*, vbi Bellarminus vult probare ecclesiam representatiuam, hoc est, omnes episcopos & pastores, non posse errare. Quam thesin concludit duobus argumentis. *Primum* est: Si omnes pastores & episcopi errarent, tota etiam ecclesia erraret: quia tenentur populi sequi suos pastores, dicente Domino *Luc. 10.* Qui vos audit, me audit: & *Matth. 23.* Quaecunque dixerint, facite. *Respondeo.* 1. Conceditur totum argumentum de ecclesia externa; quam totam errare posse supra demonstrauimus. 2. Christus iubet populum audire pastores, nempe loquentes in nomine ipsius, & legationem suam ex ipsius instructione perferentes. Haec secundum quid a Christo dicta, Bellarminus accipit simpliciter. *Secundum argumentum* sumitur ex quibusdam Patrum testimoniis: quale inter alia est illud Augustini paulo ante §. 9. citatum, quod decretum concilii generalis sit ecclesiae vniuersae consensus. *Respondeo.* At hinc non sequitur, ecclesiam representatiuam errare non posse. Nam decretum concilii est consensus vniuersae ecclesiae externae & visibilis, quae errare potest, ac solet. Itaque concilium etiam errare potest. Sed hac de re ex professio disputatur lib. 3.

CAP. XVI.

Ecclesiam visibilem & particularem deficiendi periculo esse obnoxiam.

I. **C**UM in omni disputatione, tum in hac maxime interest, ut status quaestionis recte constituatur. Vidit hoc Bellarminus, quando in principio huius quaestionis scripsit, multos ex suis tempus inutiliter terere, dum absolute probant, ecclesiam non posse deficere: quod nostri hoc vltro concedant. Ita enim est: ut ex scriptis nostrorum patet. Omnes enim vno ore docent Catholicam Christi ecclesiam, siue magna, siue parua, siue splendida, siue obscura sit, semper interim saluam manere, nec penitus inquam in his terris interire. Verus igitur huius loci status est: An ecclesia in vna sede & successione perpetuo & visibiliter sit duratura? Vbi a nobis statuitur thesin negatiua: quam sic paucis explicamus. Etsi semper in his terris est numerus aliquis eorum, qui Christum pie colunt, veramque fidem & religionem tenent: tamen hic numerus non semper est visibilis, vniue loco & genti alligatus, sed ad eam saepe paucitatem atque obscuritatem redigitur, ut ecclesia tota defecisse videri possit. Deinde statuimus hanc vel illam particularem ecclesiam, in qua sunt boni & mali posse ex vno loco in alium migrare; at eam in qua sunt meri hypocritae, posse plane deficere & e medio tolli. Quae deficiendi potentia in ecclesiam catholicam & internam minime cadit. Hanc itaque thesin defendendam hoc loco suscipimus: Catholica Christi ecclesia in eas angustias & latebras redigi, atque adeo obscurari potest, ut vix vlla ipsius facies, seu splendor externus appareat. Quare *νεκροδίζαν*, non *νεκρὸν ἀλιβεραν*, hoc modo deficere dicitur. Vbi memoria repetere oportet, quod supra monuimus, ecclesiam Catholicam, itemque visibilem seu aspectabilem duobus modis dici. Primo enim ecclesia Catholica est cœtus omnium credentium, qui sua natura est inuisibilis. Deinde ecclesia catholica est cœtus omnium eorum, qui hoc vel illo loco & tempore viuunt, fidem in Christum profitentur. Et haec ordinariæ, seu plerumque est aspectabilis, quam diu scilicet, eiusmodi quidam cœtus alicubi in hoc mundo florentes, conspicui sunt: sed tamen aliquando sic obscuratur, particularibus ecclesiis deficientibus, aut latentibus, ut nulla externa ipsius facies, gloria, & splendor appareat. Concedimus ergo ecclesiam hanc in totum non posse deficere, etsi saepe nobis defecisse videri queat: ut Eliae accidit. Rursus concedimus ecclesiam secundum essentiam suam non posse deficere, etsi secundum existentiam possit. Quid multa? ecclesia credentium perire non potest, neque etiam ecclesia profitentium: sed potest in eum statum redigi, ut splendor & forma ipsius externa deficiat, nec supersit illustris & conspicuus aliquis cœtus, qui gaudeat publico verbi & sacramentorum ministerio. Neque tamen ecclesia vniquam ita lateret, quin ab aliquibus conspiciatur, ab ipsismet videlicet confessoribus, qui simul in aliquo loco latent sub cruce. Itaque ecclesia ad huius-

modi paucitatem redacta, non est inuisibilis in seipsa, sed *τὴν ὁμοίαν*. Hanc sententiam idoneis argumentis probabimus, eaque a variis exceptionibus aduersariorum vindicabimus. Distinguemus autem argumenta nostra in quatuor classes, ita ut sumus allaturi testimonia Scripturae, exempla, rationes, & testimonia Patrum.

II. *Primum classis* iterum subdividimus in tres ordines. In primo collocamus dicta Scripturae de corrupto statu ecclesiae V. Testam. in secundo, vaticinia Christi & apostolorum, de generali quadam apostasia visibilis ecclesiae sub Nou. Testam. futura: in tertio, ea Scripturae loca, quae veram Christi ecclesiam perpetuae cruci & persecutionibus obnoxiam esse testantur; ac proinde mundo fere semper exosam atque inuisam, & consequenter saepe obscuram & misere dispersam.

III. *Dicta Scriptura de corrupto statu Ecclesiae Veteris Testamen.* sunt quae relatae Prophetarum numero plurimae, & pondere grauissimae: ut *Esa. 1. ver. 2.* Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *ver. 3.* Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui. Israel autem me non cognouit & populus meus non intellexit. *ver. 4.* Vae genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis perditis: dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israel, auersi sunt retrorsum. *ver. 5.* Torum caput languet, & totum cor aegrotat. *ver. 6.* A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. *ver. 21.* Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis? *ver. 22.* Argentum tuum versum est in scorium, vinum tuum mistum est aqua. *ver. 29.* Confundentur ab idolis, quae in deliciis habuerunt. *Esa. 2. ver. 8.* Repleta est terra (Iuda) idolis: opus manuum suarum adorauerunt. *Esa. 5. ver. 4.* Expectaui, vt vinea mea faceret uvas, & fecit labruscas. *Ierem. 2. ver. 26. 27.* Confusi sunt domus Israel ipsi & reges eorum, & principes eorum, & sacerdotes, & Prophetae eorum, dicentes ligno, Pater meus es tu. *ver. 29.* Qui vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. *Ierem. 5. ver. 1.* Circumite vias Ierusalem, & aspice, & considerate, & quaerite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quaerentem fidem. Similia habet *cap. 2. ver. 8. 11. 13. 28. c. 3. ver. 6. 8. II. c. 6. 13. cap. 7. 28.* Sic *Ezech. 7. 26.* Peribit lex a sacerdote, & consilium a senioribus. *cap. 22. 26.* Sacerdotes violenter opprimerunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea. *Hof. 4. ver. 1.* Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. *ver. 6.* Perit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotum fungaris mihi. *ver. 9.* Populus est sicut sacerdos. *v. 12.* Spiritus fornicationum decepit eos, & fornicati sunt a Domino suo. *Mich. 7. ver. 2.* Perit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. *2. Paral. 3.* Transibunt dies multi in Israel sine Deo vero, sine sacerdote & doctore, & sine lege. Ex his, & similibus locis, efficitur, corruptissimum fuisse statum ecclesiae visibilis & externae in regno Iuda & Israel: etsi Deus semper sibi seruauerit semen sanctum, & reliquias quasdam.

IV. *Respondet Bellarminus.* 1. Prophetas & Apostolos interdum reprehendere vniuersum populum, quasi nemo ibi sit bonus, cum tamen permulti sint boni: & e contrario interdum consolari omnes, quasi omnes sint boni cum tamen constet ibi multos esse malos. 2. Quaedam loca intelligenda esse de regno Israel, non autem de regno Iuda. Constat autem de regno Israel, illud statim a principio, sub primo rege Ieroboam, defecisse a fide. *3. Regum 12. vers. 28.* & in eo statu permansisse vsque ad captiuitatem. *Respondeo ad primum.* Non hoc volumus, quod omnes & singuli defecerint. Semper enim in statu ecclesiae etiam corruptissimo supersunt aliqui boni. At hoc inde efficere conamur, bonos illos & fideles ad eam paucitatem redigi posse, ut non constituent aliquem visibilem & illustrem cœtum, sed veluti grana in acervo palearum lateant. *ad secundum.* Non solum in regno Israel, sed etiam in regno Iuda corruptelas doctrinae plurimas inualluisse & velut inundasse, cum primis vero sub Achaz, siue tempore Esaiæ, & sub Manasse, & Prophetis probari potest. Et vero nos ex Esaiâ pluribus probauimus. Et insignis est locus hanc in sententiam. *Ierem. 3. ver. 8.* Et vidit praeuaricatrix foror eius Iuda, & abiit, & fornicata est etiam ipsa. *Becanus in Manuali* distinguit hoc modo. Etsi regnum Israel defecit a vera fide, & publice coepit idola adorare sub primo suo rege, inque isto statu permansit vsque ad captiuitatem. *4. Regum 17. ver. 22.* Nihilominus semper aliqui fuerunt in isto regno, qui abstinerent ab idololatria, & verum Deum agnoscerent, etiam tempore Eliae, & constat ex *3. Regum 19. ver. 18.* In regno Iuda res aliter habuit. Nam aliqui reges fuerunt boni, & cultores veri Dei, ut Asa, Iosaphat, Azarias, Ioathan, Ezechias, & Iosias, sub quibus vera religio vel restaurata vel conseruata est. Alii mali & idololatrae, ut Achaz, Manasse, Amon. Alii denique, non quidem idololatrae, sed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur mansisse vsus sacrificiorum, secundum legem Mosaicam, vsque ad captiuitatem Babylonicam.

Respondeo. Id omne & nos asserimus. Neque enim pugnamus, ecclesiam penitus deficere: sed quod publicum ecclesiae ministerium ita degenerare & corrumpi possit, ut externa ecclesiae forma obscuretur, id vero est quod contendimus, & ex locis allegatis probare intendimus.

V. *Vaticinia Christi & Apostolorum de generali quadam apostasia Ecclesiae visibilis sub Nou. Testam. futura,* sunt eiusmodi. *Matth. 24.* Surgent pseudochristi & pseudoprophetae, & miracula eiusmodi edent, quibus etiam electos, si fieri possit, in errorem seducant. *Luc. 18.* Filius hominis cum venerit, an putas eum fidem in terra esse inuenturum & c. *2. Thess. 2.* Non veniet dies Christi, quin prius venerit apostasia. *1. Timoth. 4.* Spiritus diserte dicit, postremis temporibus multos a fide defecturos. *Apocal. 12.* praedicitur futurum, ut Satanas ecclesiam vndiquaque coarctet; atque in angustias, imo in solitudinem redigat. *Et cap. 13.* vniuersalis quaedam defectio describitur, quod videlicet omnes incola terrae bestiam illam bicornem adoraturi sint. Idem docetur *Apocal. 11.* vbi fumus ex abyssu ascendens describitur, quo sol, & totus aer obscuratus fuerit. Quo typo horrenda quaedam doctrinae obscuratio, seu caligo, in externa Christi ecclesia ex orbita graphice praefigurata fuit. Ergo etiam sub Nou. Testam. deficere potest ecclesia, quantum ad formam externam. *Bellarminus* excipit ad *Luc. 18. ver. 8.* quod non loquatur de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quae in paucis reperitur, & in paucissimis futura sit in vltimis diebus: ita enim exponere *Hieronymum in dialogo contra Lucif. & Aug. de vnit. Eccles. c. 13.*

Respondeo. Imo vero loquitur de vera & communi Christianorum fide, id est, de

est, de doctrina fidei: vt intelligi potest ex collatione cum *Matth. 24. ver. 11.* quem locum etiam citauimus. Agnoscit hoc tandem ipse Bellarminus, & dimissa illa priore responsione aliam subiungit: Vel dicamus, inquit, cum Theophylacto, loqui Dominum de fide absolute, & velle dicere paucos futuros fideles tempore Antichristi, non tamen nullos, nec tam paucos, vt non faciant ecclesiam.

Respondeo At hoc ipsum & nos dicimus. Neque enim hoc volumus, incidere posse tempus eiusmodi, vt nulli amplius supersint fideles, vel tam pauci vt non faciant ecclesiam: sed hoc dicimus, persecutionibus, vel hæresibus, vel vtrisque simul inualescentibus, vere fideles ad eam paucitatem redigi posse, vt præ reliquorum multitudine contremus & inuisibilis sit ipsorum cætus. Ad locum 2. *Theff. 2. ver. 3.* Bellarminus & Becanus excipiunt; intelligi in verbis Apostoli discessionem à fide, non generalem, sed particularem, id est, non omnium, sed multorum, qui tempore Antichristi deficient.

Respondeo. non dicimus Apostasiam sub Antichristo futuram, hoc sensu generalem, quod tota ecclesia sit defectura: sed, quia non erit particularis harum & illarum personarum (nam à tempore Apostolorum singulis artibus aliqui defecerunt, vt Nicolaitæ, Marcionitæ, Ariani, Donatistæ, &c.) verum integrarum prouinciarum, regnorum, & tot ecclesiarum particularium, vt externa ecclesie facies & forma videri non possit. *Apoç. 12. 6. cap. 13. ver. tertio, 8. 16. 17. cap. 17. 2. cap. 18. 3.* Porro solent quidam nostrates huic ordini dictorum addere duo ista, *Dan. 9. v. 27.* Cessabit hostia & sacrificium. *Ierem. 7. 4.* Nolite confidere in verbis mendacij dicentes; Templum Domini, templum Domini: Nam ex priori loco probatur, ecclesiam externam posse deficere, quia ministerium publicum cessare potest: ex posteriori, non glorandum esse de successione visibili, templo, & ceremonijs, quod illa possit deficere.

VI. Loca Scriptura de perpetuis ecclesie persecutionibus hæc fere adducunt nostri: *Luc. 12.* vera Christi ecclesia grex pusillus appellatur. *Iohann. 16.* veros Christianos odijs omnium atque iniurijs expositos fore docetur. Sic *Matth. 10. 2. 16. 24.* item *Luc. 21. 1.* & passim alibi, similia non pauca leguntur. Quibus etiam respondet illa veterum prophetarum vaticinia, de paucis quibusdam reliquijs ex gratia seruandis: vt *Es. 1. 2. 10.* Nisi Deus reliquisset nobis semen &c. *Et cap. 24.* comparatur populus Dei verus paucis oliuis, itemque paucis vuis, post ræmationem ac decussionem relictis. Vide etiam *Ier. 3. Hof. 1. Zach. 2. 1.* & alibi passim, vbi prædicit ipse Deus, se relicturum esse in medio nostri populum pauperem, & abiectum, qui speraturus sit in ipsum &c. Ergo non semper hic apparet vera piorum ecclesia; neque semper externa ecclesia in puritate doctrinæ perseuerat.

VII. Secunda classis argumentorum pro nostra sententia nititur inductione exemplorum, quæ in quatuor ordines subdiuidimus. Argumentatur enim à conditione & statu ecclesie ante Moysen, ecclesie Iudaicæ post Moysen, ecclesie quæ fuit tempore Christi, & ecclesie Christianæ quæ post excessum apostolorum per aliquot secula continuo viguit. *Primo* itaque sic ratiocinamur. In ecclesia illa antiquissima, quæ fuit inde ab initio mundi, fere vsque ad legem latam, externa ipsius forma & facies non mansit perpetuo sui similis. Nam Cainitæ, alijque plures, à puro Dei cultu defecerunt. *Gen. 4.* Imo tempore Noachi totus pene terrarum orbis, & proinde etiam externa Dei ecclesia, à vera fide & pietate defecit, *Gen. 6. 7.* Denique post diluuium, paulo ante uocationem Abrahami, nulla vsquam visibilis ecclesia apparuit, *Gen. 11. 12.* Ergo externa ecclesia deficere potest, & solet: quippe quæ tam sæpe in V. T. defecit.

VIII. Secundus ordo exemplorum continet vniuersum statum ecclesie Iudaicæ post legem latam. Et primo quidem totus Israelis populus, paucissimis exceptis, à vero Dei cultu tunc palam defecit, cum manifestam in deserto idololatriam exerceret. *Exod. trigesimo secundo.* Deinde sub iudicibus sæpe dicitur vniuersa ecclesia, relicto vero Deo, ad idola defecisse, *Iudic. 1. 2.* Tertio regnum Israel adeo defecit à fide & pietate, vt Elias se solum ex veris Dei cultoribus relictum esse putaret, *primo Regum decimo octauo & decimo nono.* Istud vero regnum erat maxima pars populi Dei: vt pote quod constabat decem tribubus. Denique regnum Iuda, quod constabat duabus tantum tribubus, subinde adeo degenerauit, vt *Esaias cap. 1. 2. 3. 4.* Ieremias *cap. 2. 5. 7.* & alij propheta passim narrent & conquerantur, totum Dei populum idololatriæ, & alijs id genus peccatis infectum fuisse, hoc est, vniuersam Iudæorum ecclesiam visibilem, à puro Dei cultu defecisse. Vide etiam 2. *Regum 16. 17.* vbi & regis Achazi, & sacerdotis Vziaz, Apostasia ita describitur, vt eam totus populus Iudaicus, saltem tacite, approbasse innuatur. Et quis nescit, hanc ipsam defecionem fuisse præcipuam, immo vnicam, captiuitatis Babylonicæ causam.

IX. Hic vero Bellarminus & Becanus ita excipiunt. 1. non defecit tota synagoga tempore Moysis, in adorando vitulo, sed pars eius. Nam neque caput ecclesie, quod tum temporis erat Moyses, neque corpus defecit: quia omnes Leuitæ immunes fuerunt ab eo peccato, *Exod. 32. ver. 36.* Erant autem filij Leui viginti duo millia, vt habetur *Numerorum 3. 39. 2.* non est eadem ratio populi Iudæorum & Christianorum. Nam populus Iudæorum non erat ecclesia vniuersalis, vt populus Christianorum, sed particularis, & propterea etiam extra illum populum inueniebantur fideles & iusti, vt Melchisedech, Iob, Cornelius, Centurio, Eunuchus reginæ Candaces, & alij. 3. & in regno Israel, & in regno Iuda remansit ecclesia. 4. ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, *Matth. 16.* Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 5. ecclesia est libera: synagoga fuit ancilla. Et illa designatur per Saraim, quæ fuit vxor Abraham: hæc per Agar, quæ fuit ancilla, *Galat. 4. ver. 24.* At Agar fuit dimissa & repudiata, non item Sara. Ergo similiter synagoga debuit repudiari, non item ecclesia. Secundam exceptionem sic amplificat Becanus. ecclesia est catholica seu vniuersalis, non solum ratione loci, sed etiam ratione hominum saluandorum. Quotquot enim saluantur, in ecclesia saluantur: & extra illam saluari nemo potest. Igitur, si deficeret tota ecclesia, nullus omnino saluaretur. At synagoga non erat catholica seu vniuersalis, quia extra illam poterant homines saluari, vt Niniuitæ, & alij. Tametsi ergo defecisset synagoga tota, adhuc tamen potuissent homines saluari, neque ideo omnis ecclesia Dei in terris defecisset. Ex his videre est, quam nulla sit ista consequentia: Synagoga defecit. Ergo ecclesia deficiet.

Respondeo primo ad istam conclusionem, nos non ita argumentari sed hoc modo: Synagoga defecit quantum ad externam formam. Ergo ecclesia potest deficere. Nunc ordine veniemus ad exceptiones. ad 1. fuerunt proculdubio inter Israelitas, qui non adorauerunt vitulum. Sed illi erant pauci, respectu vniuersæ multitudinis. Et erant occulti, neque confluerebant visibilem aliquem cætum. ad 2. Magnum est discrimen inter ecclesiam Iudaicam & Christianam. Sed illud non est positum in essentia. Itaque si ecclesia Iudaica potuit obscurari, & ad paucitatem redigi: etiam Christiana potest. Nam hoc ipsum fatum est prædictum, vt paulo ante vidimus. Deinde tametsi ecclesia Iudaica non fuit vniuersalis eodem gradu quo ecclesia Christiana: tamen vere fuit catholica, siu suo complexa particulares ecclesias in ciuitatibus & domibus collectas: Hinc *Augustinus sermone 217.* ait: ecclesia catholica non solum post aduentum Domini & Saluatoris nostri prædicata est, sed etiam ab initio mundi figuris & sacramentis designata. Tertio licet ecclesia catholica in Vet. Testam. solum inter Israelitas fuerit visibilis: omnes tamen fideles per totum mundum dispersi, illius ecclesie, ad quam Israelitæ pertinebant, membra fuerunt. Quarto ecclesia catholica V. Test. eisdem habuit promissiones de sui perpetua conseruatione, quas habet ecclesia N. Test. vt *Es. 49. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.* Quarto allegoria apostoli falso accommodatur: Nam Agar figurat fœdus legis, Sara fœdus gratiæ.

X. Tertius ordo continet exemplum eius ecclesie, quæ fuit tempore ipsius Christi: quæ sane vniuersa, si quidem externam speciem ac splendorem consideres, valde obscura fuit totaque à professione veræ fidei defecit; quippe quæ ipsum Christum, ecclesie sponsum & caput vnicum, eiusque paucos & obscuros discipulos, non solum animis auersata, sed & reipsa crudeliter persecuta fuit, suisque falsis dogmatibus, ac superstitionibus, tanquam pessimo fermento, legem Dei contaminauit. *Matthæi quinto 6. 7. 15. 16. 23. Iohann. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.* Ergo ecclesia externa etiam tota deficere potest, remanentibus occultis fideibus; quales tum temporis erant Simeon, Anna, Nicodemus &c. Deinde tempore passionis Christi ecclesia non erat visibilis, talis scilicet, in qua erant prælati & subditi, pastores & oues. Nam ecclesia visibilis non erat apud Phariseos & Scribas. Illi enim impudenter & scelerate errauerunt, *Bellarminus libro tertio cap. 17.* Neque apud Apostolos; quia vt idem ait: illi tantum fuerunt materiales partes ecclesie, non formales, hoc est, non episcopi, aut pastores. Hic excipit *Becanus*, synagogam tempore Christi defecisse, non quod tunc defecit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis ceremonijs & sacrificijs, & in eius locum successit ecclesia Christi. At non sequitur, hanc similiter repudiandam: imo contrarium sequitur: primo, quia synagogam representabat ancilla Abraham; quæ fuit repudiata: ecclesiam vero vxor Abraham, quæ non fuit repudiata. Secundo synagoga ideo fuit repudianda, quod neque perfecta esset, neque sufficiens ad salutem, *Hebraeorum 7. ver. 19.* Et hoc sensu ceremoniæ & sacramenta synagoga vocantur ab Apostolo infirma & egena elementa, *Gal. 4. 9.* At ecclesia Christi est perfecta & sufficiens ad salutem, quia sacramenta eius, quæ à Christo instituta sunt, habent vim iustificandi, & tollendi peccata. Tertio synagoga continebat vmbra futurorum, *Hebr. 10. ver. 1.* ecclesia continet lucem, qui est Christus, *Iohann. 1. ver. 9.* At vmbra necessario deficit, accedente luce. Debuit igitur cessare synagoga cum suis sacrificijs, quando venit ecclesia cum Christo. Quarto synagoga erat instituta pro seruis, ecclesia pro filiis. At serui accipiunt temporalem mercedem à suis dominis, & sic dimittuntur: filij autem succedunt in perpetuam hereditatem.

Respondeo. 1. Aliud est loqui de defecione ecclesie Iudaicæ tempore Christi, aliud de ipsius abolitione & repudio. Nos respicimus illud prius: Becanus disputat de posteriori. 2. Pharisei tempore Christi defecerunt à fide, vt Bellarminus concedit. Ergo ecclesia externa defecit. 3. Paulo ante ostendimus, duo fœdera fuisse representata per ancillam & vxorem Abrahami, non vero ecclesiam Vet. & Nou. Testam. Nam vtrobique est vnum fœdus gratiæ. 4. ecclesia in sensu composito non fuit repudiata, sed in sensu diuiso, hoc est, ecclesia, quatenus ecclesia, non fuit à Deo reiecta, sed ecclesia defecit: 5. Perpetua, & theologo indigna, est confusio essentia & accidentium ecclesie V. & N. T. Nam ecclesia vera V. T. est eadem specie cum ecclesia N. Test. quantum ad essentiam: discrimen duntaxat est in æconomia, siue in accidentibus. 6. Aliud est loqui de abrogatione ceremoniarum, aliud de reiectione populi ingrati, quam apostolus persequitur *Rom. 11.*

XI. Quartus ordo exemplorum completitur aliquot euenta vaticiniorum, de quibus dictum est §. 5. id est, historias ecclesie Christianæ, quæ paulo post Apostolorum excessum, per aliquot secula continuo viguit. Illæ enim non modo grauissimas persecutiones (quarum decem à Romanis Imperatoribus fuerunt profectæ) sed & varias episcoporum factiones, imo periculosas hæreses (quarum aliqua interdum maximam orbis Christiani partem occupabant) non sine scandalo & defecione multorum hominum & cætum experta fuit. Vide in primis *Eusebium lib. 8. ecclesiasticæ historiae*, fere per totum. Hinc *Athanasius episc. ad solitarios ait*: Quæ nunc ecclesia Christum libere adoratur: nam si alicubi sunt pii, illi itidem, vt magnus ille Elias, absconduntur, & in speluncas terræ se abdunt, aut in solitudine errantes commorantur. Similia habet *Hilarius lib. contra Auxentium Arianum, & lib. de synod. Ita Hieronymus dialog. contra Luciferianos* de sui temporis ecclesia scribit: Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est. Idem miratur, suo adhuc seculo reliquias Christianorum fuisse repertas ob persecutionum antecedentium immanitatem. Ergo Patres ipsi suo tempore hanc defecionem ecclesie externæ experti sunt.

XII. In tertia classe argumentorum sunt rationes pro nostra sententia. 1. Omnes homines, licet fidem Christi profitentes, respectu naturalis suæ libertatis, & ordinariæ diuinæ permissionis, à virtutibus ad vitia, & nominatim à vera fide, & pietate, ad idololatriam, & iniustitiam, deficere possunt. Ex quo efficitur, ecclesiam externam (quæ nihil aliud est, quam multitudo profitentium fidem in Christum) in eas sæpe angustias redigi posse, vt vel nulla profus, vel admodum obscura, & eius facies redigi posse, vt vel nulla profus, vel admodum obscura, & eius facies nobis appareat. Hinc dicit Propheta *Es. primo.* Quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis? Et *Exechiel 18. 2. 33.* testatur, iustum à iustitia posse retrahi, ciuitas fidelis? Et *Exechiel 18. 2. 33.* testatur, iustum à iustitia posse deficere. 2. Et si vera fides, vere iam in corde latens, perseuerantia

donum in omnibus electis sibi adiunctum habet: externa tamen fidei professio, aut sacramentorum usurpatione non semper veram illam fidem infallibiliter arguit. Itaque externa ecclesia potest deficere à vera fide. 3. Et si fides vera & interna in electis totaliter, ac finaliter extingui non potest: interdum tamen magna ex parte obscuratur, & quasi tentationum procellis obruitur: ita ut foris aut omnino nulla, aut valde obscura, eius indicia appareant. Itaque aspectabilis Christi ecclesia potest ad tempus deficere à fide actuali. 4. Nulli particulari ecclesiae facta est absoluta promissio, quod futura sit perpetua, ac defectiioni haudquaquam obnoxia. 5. Internus ecclesiae splendor est illi essentialis & perpetuus: externus vero accidentaliter & temporalis. 6. Quemadmodum Christus, caput ecclesiae, duplicem statum est expertus, humiliationis seu ignominiae, & exaltationis seu gloriae: ita ecclesia, corpus Christi, duos statum alternis vicibus recurrentes in hac vita experitur. Nam in statu humiliationis versatur, quoties vel tyrannorum potentia, vel haereticorum astutia, vel scandalorum frequentia, premitur: in statu exaltationis, quando sua habet haecyonia. 7. *Ambrosius lib. 4. hexaem. cap. 8.* Ecclesiam comparat lunae: quia ut luna interdum plena luce refulget, quandoque vero silet & inconspicua est, & varias omnino fluctus, defectus & ortus incrementa, & decreta obtinet: sic ecclesia Christi modo fulget per publicum & liberum cultus diuini exercitium, modo obscuratur per grauitatem persecutionum & haeresium inualescentium, tandem tamen ex obscuritate ista iterum emergens de persecutionibus & haeresibus gloriosum reportat triumphum. Sed *Becanus in Manuali* summam ita excipit aduersus hanc rationem. Hic iterum apparet eos, qui hoc obijciunt, degeneres esse filios ecclesiae. Habent clara & aperta testimonia pro innocentia & integritate matris suae. Cur sine causa quaerunt occasionem calumniandi? Cur, quae à Scriptura & Patribus optimo sensu dicta sunt, sinistre interpretantur? Esto sane: ecclesia sit similis lunae. Sed in quo illi similis est? An in eo, quod sicut luna saepe deficit, sic etiam ecclesia saepe deficiat? Hoc dicunt, qui oderunt ecclesiam. In quo ergo? In his potissimum. Primo, sicut luna in principio mensis exigua est, ac deinde paulatim crescit, donec plena & perfecta sit: ita ecclesia, in principio sui ortus, exiguum terrae locum occupabat; ac postea ita creuit, ut tandem toto terrarum orbe diffunderetur. Sic *Augustinus in Psalm. 103.* Secundo, sicut luna accipit lumen corporale à sole: ita ecclesia accipit lumen fidei ac sanctitatis à Christo. Sic idem *Augustinus in Psalm. 10.* & *Philo Carpathius in Cantica canticorum.* Tertio sicut luna mutationi est obnoxia: ita etiam ecclesia in hac vita. Nam aliquando fruatur pace, aliquando patitur persecutiones. Sic *Ambrosius lib. 4. hexaem. cap. 2.* ait: Ecclesia tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed non deficit. In his ergo consistit similitudo inter lunam & ecclesiam: non item in defectiione. Miror vero aduersarios, cur hanc vnam similitudinem allegent in praedictum ecclesiae, cum sint multae aliae, quae in fauorem & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scripturis & Patribus, ecclesia per allegoriam vocata est non solum luna, sed etiam sol, hortus conclusus, fons signatus, paradysus, columba speciosa, ciuitas Dei, terra viuentium, mulier amicta sole, regina in vestitu deaurato. Quae omnia honorifica sunt. Si essent boni ecclesiae filii, merito hos titulos matris suae tribuerent, & ab omni calumniandi studio abstererent. *Respondeo.* 1. Non calumniatur ecclesiam, quando ipsam cum luna comparamus: Sed scapham appellamus scapham. 2. Non solum hanc comparisonem in hoc tertio factam adferimus: sed etiam illas amplectimur, quas *Becanus* habet; imo longe plures adducimus. Et vero nouit *Becanus*, res duas in multiplici tertio comparari posse. 3. Non simpliciter asserimus, ecclesiam posse deficere, sed secundum quid. Nam neque in totum deficit, neque semper. Id quod ipse *Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 21.* his verbis testatur: Plurimis à religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidiae. Et quemadmodum mensuris cursibus luna vanescit & c. sic & sancta ecclesia, cum lumini caelesti vitia carnis obsistunt, fulgorem diuini luminis de Christi radijs non potest mutuari. 4. Omnia ecclesiae elogia, quae *Becanus* recitauit, agnoscimus; & pro renata illis vitimur.

XIII. *Quarta & vltima classis nostrorum argumentorum* exhibet testimonia Patrum, idem in hac causa nobilium sententiarum. *Nazianzenus serm. contra Arianos* irridet eos, qui opes ac splendorem suum insolenter iactabant, & ecclesiam multitudine desinebant, quasi pauper, exiguus, & obscurus grex, ac passim in mundo dispersus, ecclesiae nomine censerent non posset. *Hilarius libro contra Auxentium circa finem:* Male vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in teclis aedificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis: montes mihi, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores. *Athanasius & Hieronymi testimonia* vide paulo ante §. 11. Porro *Basiliius epist. 69. & 70. itemque Bernhardus serm. 33. in Cantica* ita deplorant vitia praetorum omnium sui temporis, ut satis ostendant, eo tempore omnes declinasse in viam suam, & nullam fuisse visibilem ecclesiam. *Chrysostomus homil. 49. in Matth.* docet, interdum nullum esse visibilem signum, quo vera ecclesia cognoscatur, & ideo tunc solum recurrendum esse ad Scripturas. *Hieronymus super psal. 133.* ait, Ecclesiam non in parietibus, aut rebus externis, sed vera fide consistere. *Augustinus epist. 80.* Ecclesiam soli, lunae, & stellis comparat, & interdum eclipsem quandam pati, imo nonnunquam penitus obscurari asserit, his verbis: Quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellae cadent de caelo, & virtutes caelorum commouebuntur, ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saeuientibus & c. Tunc stellae cadent de caelo, & virtutes caelorum commouebuntur, quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persecutoribus cedent, & cadent, & quidam fideles firmissimi turbabuntur. *Idem lib. 1. de consens. Euang. cap. 31.* Per multos annos ecclesia, quae futura erat in omnibus gentibus, in filiis tuis, id est, in sanctis tuis non apparuit. *Aretas in cap. 12. Apoc.* per mulierem in desertum fugientem intelligit ecclesiam. *Primasius in eundem locum:* Per desertum intelligo loca abdita, in quibus se ecclesia propter metum persecutionis ostendit. Ex his, & infinitis aliis, concludo ecclesiam Christi externam obscurari ac deficere posse. Atque haec ipsa quoque est asseritio aduersariorum. Nam *Gregorius de Valentia tom. 3. comment. in Thomam. col. 174.* ait: Licet apostoli fidem exterius non fuerint professi, & scandalum passi sint quoad externam fidei confessionem, potuisse tamen in anima fidem retinere. *Stapletonus lib. 13. princip. doctrin. cap. 2.* Pelli sane poterit in desertum ecclesia regnante Antichristo, & illo momento temporis in deserto, id est, in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo sancti se recipient, non in com-

mode quaeretur ecclesia. *Rhemenses in 2. Thess. 2. sect. 10.* Paulo ante finem mundi externus status ecclesiae Romanae cessabit, & publicum fidelium cum ea commercium; & apostasia passim tunc obtinebit: & tamen pij corde & animo cum Papa & Romana ecclesia communicabunt. *Bellarminus lib. 3. de Pontifice Roman. cap. 7.* Certum est Antichristi persecutionem fore grauisissimam & notissimam, ita ut cessent omnes publicae religionis ceremoniae & sacrificia.

CAP. XVII.

Sententia Papistarum, Ecclesiam Christi esse caetum visibilem, qui non possit deficere, refutatur.

PAPISTAE vno ore asserunt, impossibile esse, ut ecclesia Christi in his terris deficiat, sed semper illam futuram esse caetum visibilem & palpabilem, ut est caetus populi Romani, vel regnum Galliae, aut resp. Venetorum, ut sunt verba *Bellarmini lib. 3. cap. 2.* Qui sex classes argumentorum adornat, quibus hanc sententiam probat. *Primum classis* petit ex duobus Scripturae locis, in quibus ipsum Ecclesiae nomen ita exprimitur, ut perpetua stabilitas eidem promittatur. *Matth. 16. ver. 18.* Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, & portae inferi non praeualebunt aduersus eam. 1. *Timot. 3. 15.* Ut scias, quomodo conuersari debeas in domo Dei, quae est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Priorem locum ita explicat *Becanus in Manuali.* Christus duo promittit. Primo, quod velit Ecclesiam suam aedificare super petram. Secundo, quod portae inferi non sint eam expugnatura. In utroque alludit ad id, quod *Matth. 7. 24.* dixerat, sapientem architectum esse, qui aedificat domum suam super petram; stultum, qui super arenam. Causam addit; quia quando oritur aliqua vehemens tempestas, mox corruiat illa, quae super arenam; non altera, quae super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & aedificare Ecclesiam suam super petram, ut nulla ventorum aut imbrum vi possit disturbari. Hinc patet, eos magnam iniuriam irrogare Christo, qui asserunt ecclesiam ab ipso aedificatam posse deficere, & reipia defecisse. Nam inde sequitur, non super petram, sed super arenam fuisse aedificatam: ac proinde Christum fuisse stultum, non sapientem architectum. Imo fuisse mendacem, quod promiserit se super petram aedificaturum, & non fecerit: quod dixerit portas inferi non praeualituras, & praeualuerint. Et hoc argumento vsi sunt plerique patres. Locum, qui est 1. *Timoth. 3.* idem *Becanus* ita explicat. Ecclesia visibilis dicitur columna veritatis triplici sensu. Primo, quia est columna firma & stabilis, quae à veritate deflectere non potest, ut explicant Catholici. Secundo, quia est fida custos veritatis, eamque puram & sinceram ad posterum transmittit; ut vult *Caluinus*. Tertio, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in ecclesia, ut interpretatur *Beza*. Hinc sumo triplex argumentum, 1. Si ecclesia visibilis, est columna firma & stabilis, quae à veritate deflectere non potest, certum est, non posse errare in fide. 2. Si est fida custos veritatis, nunquam sua culpa amittit veritatem: aut si illam amittit, non est fida illius custos. 3. Si veritas non alibi habitat quam in ecclesia visibili; vel ergo superioribus seculis non habitauit veritas in hoc mundo; vel si habitauit, non alibi quam in ecclesia visibili habitauit. Neesse ergo est, fuisse ecclesiam visibilem.

II. *Respondeo.* 1. Duo ista loca probant perpetuam ecclesiae durationem, quam nos non negamus: non vero perpetuam eius visibilitatem & externam claritatem, de qua quaeritur. 2. Duo ista loca agunt de ecclesia catholica & inuisibili siue interna, quae constat ex solis bonis. Neque enim ecclesia visibilis, quae constat ex bonis & malis, est fundata super petram, aut domus Dei, aut columna veritatis. 3. Duo ista loca aliquo modo accommodari possunt ad ecclesiam visibilem siue externam & particularem, quatenus videlicet in illa degunt electi. Absolute & simpliciter non possunt. Nam multae visibiles & particulares ecclesiae sunt ab inferorum portis eueratae. 4. Ipsi aduersarii concedunt, Antichristum à medio sublaturum totam externam rationem ecclesiae. 5. Ecclesia dicitur columna, non propter stabilitatem, sed ratione officii sui: ut supra demonstrauimus. 6. Ecclesia catholica nunquam amisit veritatem. 7. Veritas caelestis habitat in ecclesia visibili vniuersa, & in vniuersa accepta, non autem in hac vel illa tantum. 8. In summa: Quae duobus hisce locis de interna tantum, seu catholica Christi ecclesia, deque eiusdem aeterna duratione, stabilitate, atque securitate aduersus omnis generis hostes, differuntur: ad externam & visibilem ecclesiam, eiusque temporalem in hoc seculo splendorem, seu splendendam & conspicuam in hoc mundo durationem, perperam accommodantur, per fallaciam homonymiae, & ignorantem elenchi. Non praeualent inferorum portae aduersus ecclesiam Christi, si vel maxime splendore eius externo, qui est accidens separabile, praeualeant. Nec definit esse ecclesia domus Dei, aut columna veritatis, si vel maxime vera ipsius membra lateant.

III. *Secundam classis* suorum argumentorum *Bellarminus* petit ex quatuor Scripturae locis, in quibus ecclesiae nomen non ita discrete exprimitur; sed eidem tamen perpetua stabilitas promittitur. *Matth. 28. ver. vltim.* Ero vobiscum vsque ad consummationem saeculi. Ergo ecclesia externa semper hic pura permanebit. Christus enim alloquitur discipulos suos, hoc est, ecclesiam visibilem. *Eph. 4. ver. 11. & d.* Ipse dedit apostolos, prophetas & c. ad consummationem sanctorum & c. donec occurramus omnes in unitate fidei. Vnde patet, externum verbi ministerium pure, ad finem vsque saeculi, in ecclesia duraturum; ac proinde ecclesiam visibilem nunquam à fide defecturam. *Psalm. 48. ver. 7.* Deus fundauit ciuitatem Hierosolymam in aeternum. Id quod de perpetua duratione ecclesiae omnino est accipiendum, & quidem de duratione ecclesiae visibilis: quippe cuius typus fuit illa visibilis Hierosolyma. *Esa. 51. ver. 8. 9.* Semen eorum cognoscetur in gentibus, & in medio populorum. Omnes qui viderint eos, scient esse semen à Deo benedictum. Qui locus tam est perspicuus, ut expositione non egeat. Quomodo enim inuisibilis erit ille caetus, quem omnes qui viderint, pro semine Dei habebunt? Quatuor hisce locis alii addunt quintum *Esa. 59. 21.* Hoc foedus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus; qui est in te; & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore feminis tui, dicit Dominus, à modo vsque in sempiternum.

Respondeo.

Respondeo ad 1. Sane Christus vi huius promissionis perpetuo adest creditibus, in quorum cordibus habitat per fidem. Sed hinc non recte inferatur, visibilem Ecclesiam semper fore splendidam. Perpetua duratio inde recte colligitur: quam nemo negat. *ad 2.* Ex illo loco recte concluditur, Ecclesiam Christi usque ad finem mundi semper habituram suos pastores, adeoque & auditores: qui utique se inuicem agnoscent. Sed inde non potest colligi, illud ministerium, quod erit perpetuum, fore perpetuo publicum, palpabile, & incorruptum. *ad 3.* Pfalteres loquitur de perpetua duratione Ecclesie Catholicae, cuius typus fuit Hierosolyma. Sed quid hoc ad splendorem externum & conspicuum? *ad 4. & 5.* Propheta loquitur de fœdere Dei, quod est perpetuum. Id autem pertinet ad Ecclesiam Catholicam & internam simpliciter; ad externam & particularem secundum quid, quatenus nempe in illa sunt electi Dei filii. Deinde concedimus, statum Ecclesie gentium in N. T. quandoque esse gloriosum & conspicuum. Sed de eo non est questio. Id enim in disputationem venit, an ille splendor externus sit attributum Ecclesie? *ad 2. & 3.*

III. *Tertia classis* complectitur parabolas illas, supra etiam allatas, de *area*, complectente triticum, simul & paleas; de *sagena*, seu reti, continente bonos simul, & putres pisces; de *agro*, in quo simul frumentum, & zizania reperiantur; de *conuiuio*, in quo discumbunt boni pariter & mali; & de *ouili*, in quo sunt oves simul & hædi. Quibus parabolis ex confessione aduersariorum describitur Ecclesia visibilis. At eadem parabola docent, hæc omnia talia permanere usque ad tempus messis, hoc est, usque ad consummationem seculi, *Matth. 3. 12. cap. 13. 30.* Hinc itaque apparet, Ecclesiam externam, utpote similibus istis adumbratam, perpetuo in hoc seculo duraturam esse: imo licet interdum aliqua eius membra impura sint; ipsam tamen, vna cum puritate, splendorem quandam externum & visibilem semper habituram esse.

Respond. 1. Ecclesie illæ visibiles ad finem usque mundi perdurabunt: sed non eodem splendore externo. Hic enim pro diuersitate temporum variat. 2. Puritas semper manebit in fundamento salutis: at non in toto ministerio externo. 3. Ex his locis non concluditur, Ecclesiam esse visibilem eo modo, quo Bellarminus contendit, quod scilicet in capite suo visibili, Pontifice Romano; itemque in prælatis sit conspicua, & externo splendore prædita.

IV. *Quarta classis* sumitur ex iis Scripturæ locis, in quibus mentio fit regni Christi, tanquam perpetuo in hac terra visibiliter duraturi. *Psal. 45.* Regnum tuum in seculum seculi. *Psal. 89. vers. 29. 36.* Stabiliam semen eius in seculum, & thronum eius sicut dies cœli. *Item:* Thronus eius erit sicut sol in conspectu meo. *Dan. 2. 44.* Suscitabit Deus regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Luc. 1. 33.* Regni eius non erit finis. *Item:* Regnabit super domum Davidis in æternum. At regnum omne, præsertim amplum, solet esse visibile ac conspicuum. Itaque Ecclesia Christi cum externo & regio splendore hic perpetuo durabit. Neque enim regnum dici possunt homines aliquot occulti, & dispersi, & separati ab inuicem, qui se non nouerunt.

Respond. 1. Est omnino regnum Christi perpetuum: sed non est perpetuo splendidum splendore externo. 2. Splendor & lux regni Christi est interior & spiritualis. Et hic splendor est de essentia regni Christi. Splendor externus est ipsi accidentalis. 3. Splendor externus regni Christi est alius à splendore mundano. Nam regnum Christi non est de hoc mundo.

V. *Quinta classis* continet luculentia aliquot testimonia Patrum; præsertim Augustini contra Donatistas: ut in *lib. de unitate Ecclesie cap. 13. & 20. item in Psal. 101. & 147.* Quibus locis Donatistas acriter reprehendit, quod dicerent, Ecclesiam omnium gentium apostatasse, aut interuisse, tantumque in angulo Africae tum temporis delituisse. Et *Bernhardus serm. 7. 9. in Cantic.* negat, genus Christianorum posse deficere, aut fidem de terra, aut charitatem de Ecclesia petire. Sic *Vincentius Lirinensis* Nestorium reprehendit, quod diceret, totam Ecclesiam errasse in mysterio incarnationis. Vnde apparet, Patres istos credidisse, visibilem Christi Ecclesiam à vera fide nunquam deficere posse; sed perpetuo stabilem, & incorruptam, in oculis omnium permanere.

Respond. 1. Nos nihil commune habemus cum Donatistis, qui Ecclesiam in sola parte Donati constituebant. 2. Bernhardus loquitur de Ecclesia Catholica & inuisibili. Nos contra Nestorium asserimus, Ecclesiam totam non posse errare in fundamento salutis, quale est mysterium incarnationis.

VI. *Sextam argumentorum classem* Bellarminus petit extriplici ratione. 1. Si aliquando Ecclesia visibilis interiret, impossibile esset eos homines, seu populos, qui extra Ecclesiam sunt, ad salutem peruenire: siquidem isti Ecclesiam inuisibilem prorsus ignorarent. Absurdum vero est statueri, Deum aliganti media ad salutem sufficientia vilo vnquam tempore, prætereptu seu denegare velle. 2. Si Ecclesia visibilis perit, aut perire potest, tum nulla vera Ecclesia remanet. Quia de formalis ratione veræ Ecclesie est, esse visibilem. At Ecclesiam interire, prorsus est impossibile. E. 3. Vel homines illi occulti, qui Ecclesiam inuisibilem constituunt; profitentur palam fidem suam, vel non. Si profitentur: ergo non est Ecclesia inuisibilis. Si non profitentur: ergo nulla est Ecclesia. Est enim de ratione veræ Ecclesie, ut profiteatur fidem *Matth. 10. 33.* Quicumque negauerit me coram hominibus &c. *Rom. 10. 10.* Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Cum igitur hæc confessio, & vnuerfus Dei cultus, sit externus & visibilis, non potest non, ipsa etiam Ecclesia perpetuo visibilis esse; & per consequens, fieri non potest, ut visibilis ista Ecclesia vnquam a vera fide deficiat, aut splendorem suum prorsus amittat.

Respondeo ad 1. Quamuis Ecclesia Catholica sit interna & inuisibilis: nunquam tamen ab Ecclesia visibili est separata; cum extra cœtum vocatorum, ordinarie non sint querendi electi. Deinde quamuis Ecclesia in eas angustias redigi possit, ut non sit visibilis mundo, aut multis: tamen absolute, simpliciter, & in se non est inuisibilis. Nam confessores, qui in ea latent, se inuicem norunt. Denique quando Ecclesia amittit externum suum splendorem, non est simpliciter de necessitate salutis, ut aliquis se coniungat Ecclesie visibili & particulari. Est enim duplex ad Ecclesiam accessus, externus & internus. Ille fit professione & loco: hic fide & animo. Et hic solus est simpliciter necessarius ad salutem: ut patet in exemplo Elie. *ad 2.* De ratione Ecclesie Catholicae est, esse inuisibilem. Ei autem accidit, videri in particu-

laribus Ecclesiis. Deinde manet perpetuo in his terris Ecclesia visibilis: sed non est perpetuo vno aliquo in loco, vno tempore, & eodem externo splendore visibilis. *ad 3.* Deest dilemmati isti vnum membrum: videl. vel profitentur fidem occulte & inter sese. Ita septem illa milla tempore Elie non profitebantur fidem palam, sed occulte. Idem fecerunt sancti martyres in speluncis & cauernis. Falsum itaque est, publicam fidei professionem vitæque sanctitatem visibilem requiri ab Ecclesia simpliciter, semper, vbique.

VII. Audiamus etiam *Becanum*, qui tres classes argumentorum hoc loco constituit. Sumit enim argumenta ex concessione aduersariorum, ex Scripturis; & Patribus. *Ex primo* quidem ex concessis necit quinque argumenta. 1. Concedunt aduersarii, esse articulum fidei, dari Ecclesiam Christi visibilem. At articuli fidei semper veri sunt, nunquam falsi. Ergo semper verum est, dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit. Ergo falsum est, totam Christi Ecclesiam visibilem post primos quingentos annos defecisse, & multis seculis nullam fuisse visibilem Christi Ecclesiam. Nam si ita esset, non licuisset tunc dicere: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam. 2. Concedunt etiam aduersarii, Ecclesiam visibilem; esse sponsam Christi. Hinc formo duplex argumentum. Vnum ex parte sponsi, qui indissolubili vinculo coniunxit sibi Ecclesiam visibilem, tanquam sponsam perpetuam, ut explicat Apostolus *Ephes. 5. 31.* & prædictum est *Hos. 2. 19.* Ergo nunquam ab ea separari potest. Alterum ex parte sponsæ, quæ ad perpetuam subiectionem, & fidem conjugalem obligauit se suo sponso. At non esset fidelis suo sponso, si post aliquot annos deheret à suo sponso. Vnde *Cyprianus lib. de unitate Ecclesie*: Adulteri non potest sponsa Christi; incorrupta est & pudica. 3. Ecclesia visibilis est domus Dei, ædificata super petram, aduersus quam non præualebunt portæ inferi. 4. Ecclesia visibilis est columna & firmamentum veritatis. Huius, ut & præcedentis argumenti amplificationem vide *§. 1. huius cap. 5.* Nemo potest saluari extra Ecclesiam visibilem, ut cum Catholicis discrete fatetur. At semper aliqui saluantur. Ergo semper durat Ecclesia visibilis. Falsum ergo est, Ecclesiam visibilem multis seculis non extitisse. Nam si non extitisset, multis seculis nemo fuisset saluatus. Perissent igitur omnes maiores nostri, quorquor ante Lutherum per aliquot secula, toto orbe vixerunt. Quis hoc credat? *Respondeo primo in genere.* Becanus disputat sine aduersario. Nos enim concedimus, semper in mundo esse Ecclesiam visibilem, sed non hærentem vni loco. *Deinde in specie ad 1.* Credimus Ecclesiam Catholicam & inuisibilem: cui accidit, videri in hoc vel illo cœtu. *ad 2.* Ecclesia interna & inuisibilis, in qua sunt soli boni, est sponsa Christi: non vero externa & visibilis, quatenus illa constat ex bonis & malis, electis & reprobis. Deinde ab officio Ecclesie ad factum non valet argumentum. Obligant se sancti ad officium pietatis. At sæpenu-mero illud non faciunt. *ad 3. & 4.* Responsum pete *ex §. 2. huius cap. ad 5.* Semper aliqui saluantur, videl. omnes qui sunt in Ecclesia Catholica. At hæc coniuncta est cum visibili: etsi sua natura & per se non est visibilis.

VIII. *Secunda classis* apud Becanum continet alia quædam testimonia ex Scripturis. 1. *Esaias cap. 54.* vaticinatur de Ecclesie Christi fœcunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoria contra hæreticos & alios hostes. Ac inter cætera, sic eam alloquitur in persona Dei. *vers. 4.* Noli timere, quia non confunderis, neque erubescas. Confunderetur autem & erubesceret, si erraret in fide. *Et vers. 10.* Montes commouebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. *Et vers. 11.* Ecce ego sternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. Et ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos: id est, Ego ita fundabo te, ut tempestate conuelli non possis: ita muniam te portis & propugnaculis, ut futura sis inexpugnabilis. *Et vers. 17.* Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigitur: & omnem linguam resistentem tibi in iudicio condemnabis: id est, omnes aduersarii, quos diabolus contra te excitabit, non habebunt successum: Et omnes hæreticos, qui tibi resistent in causa fidei & religionis, de errore conuictos condemnabis. Quod etiam factum est hæcenus. 2. Cum his verbis Esaiæ plane conspirant verba Christi *Matth. 16. 18.* Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quæ verba sic explicat *Augustinus lib. 1. de symbolo ad Catechumenos cap. 6.* Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta in utilia de vite præcisâ. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincunt eam. Vbi manifeste loquitur de Ecclesia visibili, ex qua exeunt hæretici. Non enim exeunt ex inuisibili, in qua soli prædestinati sunt; quia in ea nunquam fuerunt. Igitur ex sententia Augustini, Ecclesia visibilis est vna, vera, sancta, Catholica, quæ à portis inferorum vincit aut expugnari non potest. 3. Christus *Matth. 28. 19.* dicit ad discipulos: Euntes in mundum vnuersum, docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi q. d. Ecce ego mitto vos in vnuersum orbem, ut apud ethnicos prædicetis euangelium, & sacramenta administretis. Occurrent quidem vobis multa pericula. Sed forti estote animo. Ego non deseram vos. Adero vobis & successoribus vestris. Ego, inquam, adero, qui nuper dixi: Non relinquam vos orphanos, *Iohan. 14. 18.* Ego, qui dixi, Confidite, ego vici mundum, *Iohan. 16. 33.* Ego, contra quem princeps huius mundi non habet quidquam, *Ioh. 14. 30.* Ego, cui Pater promisit, Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, *Psal. 110. 2.* Hoc etiam testimonio vitatur *Augustinus conc. 2. in psal. 101.* quod citatum vide paulo post §. 10.

IX. *Respondeo 1.* Ex his locis non concluditur duratio Ecclesie perpetua in hoc mundo; qualem Pontifici intelligunt, quasi nimirum illa nullo pacto à vera fide deficere possit: sed eiusmodi duratio, quæ dicitur æterna. Differentiæ causa prior vocetur duratio gloriosa. Promittitur nempe veræ Ecclesie, illiusque membris, æterna salus, ac securitas, aduersus Satanam, mundum, peccatum, & mortem; idque in rebus secundis & aduersis, hæc, ut antea dicebamus, in statu exaltationis & humiliationis. Itaque semper vincunt fideles, etsi hæc victoria non semper coniuncta est cum splendore externo. 2. Quæ de æterna Christi gloria, ac cœlesti dominatione, itemque spirituali assistentia dicuntur, ad perpetuam Ecclesie visibilis, hoc est, vno aliquo in loco semper conspicuæ, conseruationem inepte trahuntur. 3. Esaias agit de Ecclesia Catholica, cum qua Deus inuit fœdus gratiæ, quod

quod est aeternum. Itaque tota ista concio non debet, aut potest accommodari Ecclesiae particulari & visibili, nisi quatenus in illa degunt electi Dei filii. 4. Augustinus dicit haereses exire de Ecclesia, non illa interna, aeterna, & Catholica, sed de externa & visibili, quam appellat Catholicam, non ratione formae internae, sed ratione obiecti, quod est fides Catholica. Quam ambiguitatem suo loco explicauimus. Itaque haereses exeunt de Ecclesia Catholica, quae fidem Catholicam profitetur. Rursus haereses exeunt de Ecclesia Catholica, iudicio charitatis. Nisi quis malit hanc esse mentem Augustini, quod Ecclesia N. T. per orbem totum dispersa sit Catholica. Et ita in Catholicismo non spectatur forma interna, sed amplitudo externa. Sed, inquis, apud Augustinum intelligitur Ecclesia Catholica, sancta, vna, vera. Resp. quia nempe Ecclesia Catholica coniuncta est cum visibili (vt supra dicebamus) haeretici exeunt de Ecclesia Catholica, non formaliter, id est, quatenus est Catholica, sed materialiter, hoc est, quatenus ipsi accidunt esse visibilem. 5. Christus adest Apostolis & illorum successoribus, quamdiu sunt Apostoli & Apostolorum successores, hoc est, quatenus faciunt suum officium. Deinde haec promissio non respicit omnia & singula indiuidua, sed indefinite Ecclesiam representatiuam.

X. Tertia classis continet Patrum testimonia: de quibus Becanus ita differit. Omnia argumenta, quibus olim Augustinus & alii Patres contra Donatistas vsi sunt, valent etiam contra Lutheranos & Caluinistas. Et quidem potiori iure. Nam Donatista docuerunt, Ecclesiam Catholicam quae antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe periisse, propter crimen Caecilianae episcopi, & solum remansisse in ea parte Africae, quae Donato adhaerebat: vt testatur Augustinus in lib. de haeres. cap. 69. Idem ferè docent Lutherani & Caluinista. Nam primo asserunt, Ecclesiam Catholicam, quae primis quingentis annis toto orbe fuerat diffusa, postea propter crimina Pontificis (quae Antichristum vocant) toto orbe periisse. Secundo, ita penitus periisse, vt nusquam, nec in Europa, nec in Asia, nec in Africa, salua & incolumis permanerit; sed vbiq; adultera & apostataria fuerit deprehensa. Tertio, postea nihilominus in ea parte Europae, quae Luthero adhaerebat, reuixisse. In primo & tertio puncto similes sunt Donatistas: in secundo deteriores. Igitur quidquid Augustinus & alii Patres contra Donatistas olim scripserunt, id vel pari, vel potiori ratione contra Lutheranos & Caluinistas scripsisse putandi sunt. Resp. Nos nihil commune habere cum Donatistas, ita probatur. Donatista, cum Catholicis nullam in doctrina falsitatem obiciere possent, propter mores tantum ab illorum communione sese separabant, criminis loco obicientes, quod Episcopi Catholici persecutionis tempore libros fautores haereticis tradidissent. Atqui maiores nostri non solum propter corruptos mores, sed etiã, ac vel maxime, propter corruptelas doctrinae ab Ecclesia Romana, nõ vero ab Ecclesia Catholica discesserunt. Deinde Donatista dicebant, Ecclesiam ex toto orbe periisse: nos contra dicimus, Ecclesiam & semper mansisse, & perpetuo duraturam. Vnde non solum superioribus seculis sub Papatu conseruatam fuisse Ecclesiam agnoscimus, sed adhuc in media Roma Ecclesiam Deo colligi sonora voce profitemur. Denique Donatista solius Africae finibus Ecclesiam includebant: vnde dicebant, omnes bonos defecisse de mundo, vt in sola parte Donati remanerent, teste Augustino de vnit. Eccles. cap. 13. nos Ecclesiam Catholicam, per totum orbem diffusam, credimus ac profitemur. Vnde patet, Becanum calumniari, quando nos cum Donatistas confert. Nam 1. non dicimus, Ecclesiam Catholicam propter crimina Pontificis periisse toto orbe: sed Ecclesiam Latinam à Pontifice post annum Christi 600. seductam esse. 2. Ecclesiam Catholicam in Europa, Asia, & Africa, hodieq; conseruari credimus. 3. Ecclesias particulares à Luthero hinc inde restitutas, & ad Apostolicam simplicitatem reductas fatemur. Videat itaque Becanus, an cum suis Papistis ab errore Donatistarum se penitus liberare possit, quando omnes Catholicos de mundo defecisse contendunt, exceptis solum illis, qui in Ecclesia Episcopi Romani remanserunt.

XI. Sed quia Becanus adducit insigne quoddam Augustini testimoniũ, quo suam assertionem stabiliri putat, age illud adscribamus, & consideremus. Extat illud testimonium conc. 2. in psal. 101. contra Donatistas: vbi vir magnus introducit Ecclesiam ita loquentem cum Christo: Quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdit me periisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuntia mihi exiguam dierum meorum. Quamdiu ero in isto seculo? Annuntia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & iam non est: apostatauit & perit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annuntiauit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Hic aduerte, quomodo Augustinus per latera Donatistarum confodiat Lutheranos & Caluinistas, qui etiã dicunt, quod illi dicebant: Ecclesia Catholica iam non est, sed fuit: apostatauit, & perit. Contra quos similiter licebit exclamare: Quid est, quod nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quod perdit me periisse contendunt? Nonne tu Domine dixisti, Ecce ego tecum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi? Certe non dixisti, Ecce tecum sum quingentis annis, & postea per aliquot secula te deseram, vsque ad tempora Lutheri & Caluini; sed dixisti, omnibus diebus, vsque ad finem mundi. Resp. 1. Contra quem disputas, Becane? Non certe contra nos. Dixisti enim fatemur, Ecclesiam Catholicam non posse deficere: neque Ecclesiam visibilem vniuersam sumtam, sed hanc & illam Ecclesiam particularem, qualis est Romana. 2. Ecclesia Christi fit inuisibilis, non in se, sed in oculis mundi, & hostium eius; quippe qui omnes caeci sunt. At pii nouerunt se inter se. Et semper profitentur religionem animo & opere, in Ecclesia, & extra Ecclesiam, vbiunque possunt & licet: vbi non profitentur, tua culpa non faciunt, sed aliena iniuria. Itaque semper profitentur, licet apud hos aut illos non profiteantur. 3. Promissio illa Christi facta est Ecclesiae inuisibili, hoc est, omnibus electis: & Ecclesiae visibili vniuersae, non autem particulariter huic vel illi. 4. Promissio

Christi sic est intelligenda, vt non aduerferet ipsius vaticiniis de apostatarum harum & illarum Ecclesiarum particularium. 5. Maiores nostri recesserunt non à Catholica Ecclesia, sed à Romana corrupta.

XII. Pergamus cum Becano. Sic autem ille concludit hanc disputationem. Cum ergo Ecclesia Christi, vt haec tenus ostensum est, non possit deficere vel errare in fide, propter peculiarem Spiritus sancti assistentiam, quam Christus illi promissit; magna omnino debet esse eius autoritas in negotio fidei ac religionis. Hanc auctoritatem saepe commendat Augustinus, vt lib. contra Epistolam Manichaei c. 5. cum ait: Ego vero Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret auctoritas. Et lib. de utilitate credendi ad Honoratum c. 17. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summam profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Notent hoc aduersarii. Porro in hac Ecclesiae auctoritate fundatur communis haec regula, quam Catholici perpetuo vrgent: Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit. Vel: quod idem est; Vnusquisque tuto ac secure potest id amplecti aut respicere, quod tota Ecclesia amplectitur aut respicit. Hanc regulam vbiq; tenuit Augustinus, & ex ea definiuit haec puncta. Primo, orandum esse pro mortuis, lib. de cura pro mortuis. Secundo, paruulos esse baptizandos, epist. 28. ad Hieronymum. Tertio, paruulis prodesse fidem eorum: à quibus ad baptismum offeruntur, lib. 3. de libero arbitrio c. 23. Quarto, haereticos non esse rebaptizandos, lib. 1. contra Cresconium Grammaticum c. 33. Quinto, librum Matthaei Euangelistae canonicum esse, non librum Manichaei, qui illi contrarius est, lib. 28. contra Faustum c. 2. Sexto, haereticis & schismaticis non esse praecipiam spem salutis, si respiciant, lib. inchoatae expositionis epist. ad Rom. post medium. Denique, vt semel dicam omnia, in omnibus sequendum esse iudicium Ecclesiae, epist. 118. ad Ianuarium cap. 5. Ad haec, inquit, ita respondeo. Si diuinae Scripturae praescribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus: vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequenter Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae est infania. Haec Augustinus. Et quamuis aliqua ex supra dictis punctis, quae ex ipso allata sunt, soleant probari ex Apostolica traditione: hoc tamen non obstat, quo minus etiam probari possint ex auctoritate Ecclesiae: praesertim cum ex praxi, iudicio, & auctoritate Ecclesiae debeamus cognoscere, quanam sint traditiones Apostolicae, & quae non sint. Nos cum Augustino eandem regulam amplectimur; ex ea speciatim deducimus, eos non errare, qui defendunt Purgatorium, sacrificium Missae, Inuocationem sanctorum, Exorcismum, & similia, quae consensu totius Ecclesiae, antequam Lutherus & Caluinus nascerentur, recepta & approbata sunt. Aduersarii, si hanc regulam respuunt, nihil certi habere possunt in rebus fidei & religionis.

XIII. Retexamus breuiter hanc disputationem. 1. Ecclesia Catholica absolute & vniuersae non potest errare. At hoc nihil pertinet ad Ecclesiam Catholicam in his terris; quae potest errare, licet non in fundamento salutis. Multo minus itaque hoc pertinet ad Ecclesiam particularem, qualis est Romana: de qua loquitur Becanus. 2. Ecclesia vera & visibilis non potest in toto deficere: sed potest secundum quid, vt nos probauimus auctoritate Scripturae, exemplis, ratione, testimoniis veterum, imo ipsorum Papistarum. 3. Assistentia Spiritus sancti, quam Christus promissit Ecclesiae, non periclitatur, quando haec vel illa Ecclesia errat. Semper enim Spiritus sanctus assistit suis: etiam si interdum illis subtrahit actualem assistentiam. 4. Augustinus loquitur de se conuerso à Manichaeismo. q. d. Ego non credidissim Euangelio, renuntiando erroribus Manichaeorum, nisi Ecclesiae auctoritas me commouisset, id est, occasionem credendi praebuisset. 5. Idem dat primas Ecclesiae, non in ordine ad Scripturas, sed in ordine ad Ecclesias falsas. Atque ita Ecclesia obtinet culmen auctoritatis. Deinde allegat successionem Apostolicam, quatenus successio doctrinae coniuncta erat cum successione personali. 6. Vera est ista regula: Nemo potest errare in fide & religione, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit, nempe ex Scripturis, & secundum illas. 7. Quod attinet ad sex illa puncta Augustini, primum aduersatur Scripturis; reliqua, ex iis decidi possunt primario & vltimo, ex iudicio & traditione Ecclesiae secundario. 8. Quidquid praescribit Scriptura, habet auctoritatem diuinam: quidquid praescribit tota Ecclesia ex Scriptura, similem, non vero parem, habet auctoritatem. Itaque est recipiendum. 9. Quenam sint traditiones Apostolicae, non primario ex iudicio Ecclesiae, sed ex collatione cum Scripturis, cognoscitur. 10. Becanus falso errores suos de Purgatorio, Missa, & similibus dogmatibus, concludit ex illa regula, Quidquid tota praescribit Ecclesia, nõ potest esse erroneum. Nam tota Ecclesia ita non sentit: sed Ecclesia Romana degenerans. 11. Nos illam regulam admittimus, eo sensu, quo diximus modo num. 6.

XIV. Sed imponamus finem libro primo, quem inscripsimus de natura & priuilegiis Ecclesiae in his terris, seu, quod idem est, de ipsius essentia & potentia. Essentiam ipsius explicauimus definiendo vocem, cap. 1. eamque distinguendo, cap. 2. & definiendo rem; vbi disputauimus, an Ecclesia Catholica sit visibilis, cap. 3. 4. & ex quibus partibus ipsa constet, idque in thesi, cap. 5. & 6. ex hypothesi, c. 7. 8. & 9. Ibi quaesitum est, an constet ex impiis & infidelibus; hic, an ex non-baptizatis, catechumenis, & ex communicatis. Potentia Ecclesiae alia est actiua, alia passiuua. Illa cernitur in potestate & auctoritate Ecclesiae, circa res fidei cap. 10. 11. (vnde resultat quaestio, an in Ecclesiam sit credendum, cap. 12.) & ceremonias, cap. 13. haec est potentia tum errandi, cap. 14. 15. tum deficienti, cap. 16. 17. Atque ita signatum explicauimus. Iam ad ipsa signa, siue notas, accedemus.



LIBER SECVNDVS

DE

NOTIS ECCLESIAE.

Caput Primum.

De notis Ecclesiae in genere.

M

AGNI momenti est disputatio, quam ingredi-
mur, de notis, siue characteribus Ecclesiae.
Summa enim controuersia inter nos & Papi-
stas in hac quaestione consistit: Quae sint
verae, certae, propriae, adeoque infallibiles notae
Ecclesiae Christi in his terris, quibus indubita-
to agnosci, & ab omnibus aliis congregati-
bus discerni possit & debeat? Qua quidem in re
si inter nos & aduersarios conuenire posset,
nulla superesset disputatio: vt Bellarminus lib. 4.

in principio recte iudicat. Quae cum ita sint, oportet adhibere diligentiam in
hoc negotio, quoad eius fieri potest. Id autem facile consequemur, si tria ista
ordine praestemus. 1. quales debeant esse notae Ecclesiae. 2. quae sint notae Ec-
clesiae inuisibilis. 3. quae sint notae Ecclesiae visibilis.

II. De primo capite multa dici possent ex scholis philosophorum. Sed nos
illa trademus solum, quae faciunt ad nostrum institutum: cuiusmodi sunt
ista tria; definitio, diuisio, & affectio seu proprietates notae. *Definitio* proba-
bamus istam. Nota est signum, quo res, quae in quaestionem venit, certo co-
gnoscitur. Itaque nota a noscendo dicta est. *Diuisio* est multiplex. Vna nobis
hoc loco sufficit. Nota est communis, vel propria. Nota communis est, quae
rem notat certitudine probabilitatis: propria, quae rem denotat certitudine
evidentiae. Nota propria est insita, vel assumpta. Illa est, quae ducitur ex forma
interna seu differentia: haec, quae ex forma externa, proprio effectu vel etiam
adiuncto. *Affectio* seu proprietates notae spectatur in genere, & in specie. *In ge-
nere* omnis nota debet esse vera, & certa, & clara. Nam si non est vera, non
ostendit veritatem in re: si non est certa, non est iusta nota: si non est clara,
notatur, non notat. Hinc sunt totidem axiomata: Omnis nota debet esse ve-
ra: in se, & nobis nota, id est, cognita: Debet esse causa certa conclusionis:
Debet esse notior suo notato. *In specie nota communis* debet esse determi-
nans, & determinabilis. Ratio primi est: quia si nihil determinet, nihil quo-
que notat, & ita non est nota. Ratio secundi est: quia quod commune est, id
rem singularem determinare non potest, sed determinatur ab alio. Itaque
notarum communium ea est natura, vt certo non notent, nisi ea certitudi-
ne, quam diximus probabilitatis, ac non concludant necessario. *Nota propria*
debet esse singularis, reciproca, inseparabilis, & distinctiua. Debet esse *singu-
laris*, hoc est, rei singularis vnus, solius, & semper. Itaque nota propria debet
competere omni, soli, & semper. Eadem debet esse reciproca, seu adaequata,
hoc est, aequalitate patere cum suo notato, ne illo sit latior, vel angustior.
Tertio debet esse *inseparabilis*; quia nempe est propria. Denique requiritur,
vt sit *causa distinctae cognitionis*, hoc est, vt distinguat suum notatum a quibus-
uis aliis rebus. Hoc omne in Scholis vna illa Maxima comprehendit solet:
Tres debent esse conditiones notae propriae; denotare veritatem in re, veri-
tatem in euidencia rei, & necessitatem rei illius perpetuam. Porro *nota insita*
conditio siue proprietates est, non admittere magis & minus: aliter se habet
nota assumpta.

III. Iam descendamus a thesi ad hypothesin, & dispiciamus, quales de-
beant esse notae Ecclesiae. Vno verbo debent esse propriae. Hoc eleganter ob-
seruauit Bellarminus cap. 5. his verbis. Nota, quibus Ecclesia discernenda
est, primo propria, non communes esse debent. Secundo re ipsa, quam illu-
strant notiores. Alioquin non notae sunt, sed ignotae. Tertio inseparabiles a
vera Ecclesia. Ex quibus nempe non coniecturalem, sed infallibilem certi-
tudinem Ecclesiae habere possumus, vt idem loquitur cap. 10. Tales itaque
esse debent notae Ecclesiae: ita vt crassissime hallucinatus sit Gregorius de Va-
lencia analys. lib. 6. c. 7. quando ita scriptum reliquit: Haec notae, quas vrgemus,
vna, sancta, Catholica, & Apostolica, non sunt notae Ecclesiae sigillatim,
sed coniunctim, quia fieri possit, vt vna harum, & altera aliis conuen-
niat.

IV. Tales, inquam, debent esse notae Ecclesiae, tum inuisibilis, tum visi-
bilis, vt eas Bellarminus descripsit. Iam videamus secundo loco, quales debeant
esse notae Ecclesiae inuisibilis seu internae. Vbi magna quibusdam videtur
esse difficultas, quomodo res inuisibilis possit habere notas inuisibiles? No-
tas enim fere appellamus, ex quibus res quae in quaestionem veniunt, certo
cognoscuntur sensu. Si sensu cognoscuntur, vtique omnis nota debet esse
visibilis & externa. Sed insignis est hallucinatio, sensum omnem metiri visu.
Quis enim nescit sensum esse internum, & externum. Itaque vt sensus, ita
quoque nota recte diuiditur in internam & externam. *Nota interna* est, ex
qua res quae in quaestionem veniunt, certo cognoscuntur, sensu interno.
Cuiusmodi sunt signa, quae philosophis dicuntur *phantasiae* & *phantasiae*. Illa
sunt species sensibiles: haec, intelligibiles. *Nota externa* est, ex qua res quae in
quaestionem veniunt, certo cognoscuntur, sensu externo. Cuiusmodi sunt
signa, quae philosophis dicuntur materialia. Hinc facile expeditur difficul-

tas, quam nonnulli hoc loco mouent de Ecclesia Catholica & inuisibili.
Cum enim illa sit coetus vere credentium, & finem fidei, nempe animarum
salutem consequentium, quis hinc non colligat, verbum Dei internum in
corde sonans, seu, quod idem est, veram fidem esse notam & reseram huius
Ecclesiae. Per fidem enim veram certi sumus, nos pertinere ad Ecclesiam in-
uisibilem. Fidei si quidem competunt omnes conditiones notae propriae, de
quibus paragrafo praecedente. Porro quia fides illa necessario connexam
habet spem & charitatem, tres haec notae statuuntur Ecclesiae inuisibilis. Hu-
iusmodi, inquam, notae, quae omnibus & solis credentibus sunt cognitae in
corde ipsorum. Neque enim necesse est, vt haec notae aliis sint cognitae. Imo
contra naturam ipsarum hoc foret: quia nempe sunt internae & inuisibiles.
Verum disputatio nostra est de notis Ecclesiae visibilis. Ad illas itaque pro-
peremus.

V. In tertio hoc capite duo excutienda nobis sunt. 1. proprietates. 2. numerus
notarum Ecclesiae visibilis. *Proprietates* & *conditio* ipsarum est, vt sint externae
& visibiles, ita vt sensu externo apprehendi possint. Itaque ita erunt compa-
ratae, vt coetus hominum religionem veram profitentium nobis agnoscen-
dum, & ab aliis discernendum ob oculos ponant infallibiliter. Nam non so-
lum externae esse debent, sed etiam insignitae illis proprietatibus, quas §. 3.
percepsimus. *Numerus* istiusmodi notarum variat. Aut enim est sermo de
notis insitis, aut de assumptis. Ibi vnica duntaxat est nota Ecclesiae visibilis:
hic possunt esse variae. Ratio primi est: quia nota insita respondet differen-
tiae specificae. Sic non visibile est nota hominis insita. Ratio secundi est: quia
nota assumpta respondet adiuncto proprio primario, quod in alia adiuncta
propria, tanquam truncus quidam in varios ramos diducitur. Sic non risibile
siue facultas ridendi, est adiunctum hominis primarium, ex quo oriuntur
ista secundaria, facultas flendi, & facultas irridendi, itemque desendi. Rur-
sus adiunctum proprium varias ex se actiones potest edere: quae ipsae quo-
que habent rationem notarum. His ita praemissis, dico vnam duntaxat esse
notam Ecclesiae visibilis, essentialem, inuariabilem, & perpetuam, & insita-
tam: puta verbum Dei reuelatum & communicatum. Haec siquidem nota
respondet specificae differentiae Ecclesiae, quae est vocatio Dei, seu euocatio.
Nam Ecclesia est coetus diuinitus vocatorum, vt supra vidimus. Quare haec
nota, quam diximus, vtique adeo propria est Ecclesiae Dei, vt adaeque inter se
conuertere possit propositiones istas, Ecclesia est quae communicat verbo
Dei, & quae communicat verbo Dei, Ecclesia est: quam illas decantatas in
scholis, Homo est animal risibile, & Animal risibile est homo. Vno dato
datur & alterum, sublato tollitur. Ita fuit omni tempore Ecclesia Dei,
cum verbo eius communicans, & quidem eiusmodi communicatione, qua
ab aliis coetibus internosci posset. Nam ne Cain quidem aut Lamech hanc
communicationem inficiari potuerunt. Itaque summa, essentialis, indivi-
dua, perpetuaque Ecclesiae visibilis nota est veritas doctrinae. Et haec nota
non recipit magis & minus. Est enim verbum Dei primo fuit non scri-
ptum, deinceps scriptum, & quidem non vno modo: tamen substantia ipsius
semper vna & eadem permansit. Nimirum prout aetas Ecclesiae fuit: ita haec
diuina nota suis accidentibus, iisque notabilibus, & notam cui insunt illu-
strantibus, vestita fuit a Deo, licet permanente integra & inuariata substan-
tia rei. Prima aetas ante Legem, cum adhuc infrequentior esset Ecclesia,
hanc notam habuit sine Scriptura: secunda aetas ex Lege habuit eandem no-
tam cum Scriptura Moysi & prophetarum apud populum Israelis: tertia de-
nique accessionem habuit Scripturae ab Euangelistis & Apostolis traditae,
apud populum Christianum ex vniuerso terrarum orbe congregatum. Ver-
bum Dei, foris enuntiatum & communicatum omnibus nota est diuina:
Scriptura vero, diuinum accidens diuinae notae. Memineris autem hic sem-
per esse sermonem de vocatione Ecclesiae externa, deque verbo Dei exter-
no. Nam vocatio interna, verbumque internum, pertinent ad Ecclesiam
inuisibilem: sicut vocatio in communi, & verbum Dei in communi, seu in
genere, spectata, pertinent ad Ecclesiam in genere quoque consideratam.
Atque talis est nota Ecclesiae visibilis insita. Nota assumpta sumuntur ex
actionibus Ecclesiae; quae actiones vulgo ordinis Ecclesiastici, aut discipli-
nae publicae appellantur. Sunt autem numero tres: praedicatorio verbi, admi-
nistratio sacramentorum, & procuratio disciplinae in fide & moribus iuxta
verbum Dei. Quam tertiam notam alii omittunt, quod sit pars verbi Dei.
Qua in re non est multum situm. Si enim ipsam rem teneamus, de numero
non est litigandum. Quod non obseruauerunt Iesuita Pohnanienses, quando
thesi II. scriptum reliquerunt, Protestantes alios Ecclesiae symbola duo assi-
gnare, alios tria, alios quatuor, alios denique quinque. Neque Bellarminus,
quando c. 4. scripsit, Lutherum excogitasse notas septem, quas alii reuoca-
uerint ad duas. Quasi scilicet hic in numero sit aliquid situm. Annon ipsi Pa-
pistae hic variant? Sotus profecto vnam praecipue notam posuit, concor-
diam: Horantius, vnam itidem, successionem: Catechismus Tridentinus,
quas:

duas: Gregorius de Valentia & Stapletonus tres: Colterus & alii quidam Papistae, quatuor: Driedo, sex: Medina, decem: Sanderus & Pistorius; duodecim: Bellarminus, quindecim. Quam varietatem ipse Bellarminus notauit *cap. 3.* Nos de numero non contenderemus, si de ipsa constaret. Potest enim una res variis modis proponi, & in varios numeros siue capita resolui.

CAPVT II.

Duodecim nota Ecclesiae apud Pistorium examinantur.

I. Habemus Lydium lapidem, ad quas exigere oportet notas Ecclesiae. Nunc itaque ad illud examen accedamus; primo omnium exploraturi aurum suberatum, quod Papistae vendit. Visum autem fuit faciendum, ut ex magna scriptorum Pontificiorum turba seligeremus illos tres, Pistorium, Colterum, & Bellarminum; quod illi maxime frequententur; primus a Germanis nostris, secundus a Belgis, tertius ab omnibus fere. Ille duodecim, iste quatuor, hic quindecim recitat notas. Dodecas Pistorii videtur alludere ad Apostolorum numerum duodenarium; & sic habet in *ipsius Hodegetico*. Notae Ecclesiae Christi Catholicae & visibiles sunt, 1. duratio vsque ad finem mundi. 2. propagatio ex vrbe sancta ad extremos mundi partes. 3. successio continua. 4. vocatio ordinaria. 5. confessio membrorum. 6. immunitas ab omni errore. 7. obedientia inferiorum erga superiores. 8. commutatio crucis cum gloria & honore. 9. dilatatio per totum orbem. 10. promissio specialis ipsi facta praeter Ecclesiam Iudaeorum. 11. consensus in doctrina. 12. visibilis professio fidei. Nam 1. Christus ad finem vsque seculi adfuturus est suae Ecclesiae, duratura vsque ad nouissimum diem. 2. Christi Ecclesia coepit Hierosolymis, non alibi, & inde progressura fuit ad extremas mundi partes. 3. Ex seipsa semper propagata fuit, & sequens Ecclesia ex antecedente est enata & edocta. 4. Semper habet veros a Spiritu sancto in Ecclesia positos, & legitime vocatos, missos, & ordinatos pastores atque doctores, eosque puros. 5. Semper etiam habet oues, non tantum malas, sed etiam bonas, quae vocem Christi audiunt, eumque confitentur ad salutem. 6. Nunquam tota, ne minimum quidem errat, sed semper est Ecclesia pura, & pura in ea fides, pura sacramenta. 7. Ecclesia est audienda, quia suo officio & regimine filios suos procurat, eosque obedientes habet. 8. Non tantum crucem & contemtum, sed etiam, suo tempore, magnam gloriam, pacem, & felicitatem apud dynastas & populos inueniet. 9. Ab vno mari ad alterum, per totum orbem terrarum habitabilem extenditur. 10. Ecclesia Christi longissime separata est a synagoga Iudaica, & aliud cum illa Deus inuit foedus quam cum ista. Alligauit enim Iesus Deus Ecclesiae suae sine vlla conditione. 11. Vna semper est mensura Ecclesiae, in omnibus semper consentiens, nunquam diuisa. 12. Ecclesia in mundo passim est visibilis, & conspicua, & visibiliter suum officium, & cultum diuinum exequitur. Ex his notis vniuersis vult fieri iudicium de Ecclesia.

II. In genere notentur ista duo. 1. Non qualiacunque epitheta, communia & contingentia, sunt habenda pro certis & infallibilibus notis. 2. Omnis nota, quae tueri suum nomen debet, necesse est ut sit notior re notata; & si propria est, soli illi rei conueniet, cui notanda adhibetur; & si infallibilis est, erit proxime & perpetuo coniuncta cum re notata, adeo, ut possit eum ea reciprocari. Istas enim esse veras & proprias notae affectiones, cap. praeced. euicimus. Quod si haec duo axiomata notis Pistorianis applicentur, plerumque in fumum abibunt. Sed excipiunt: quemadmodum nos in disputatione de Antichristo, non singulas, sed vniuersas notas vrgemus, ita ipsos in loco de Ecclesia notas illas vniuersas considerare, ita ut dicant illam Ecclesiam esse veram, quaecunque notas illas vniuersas habet. *Respondeo 1.* Concedimus notas quasdam Ecclesiae communes dari, quae non singulae, sed coniunctae sunt spectandae. 2. Notas Ecclesiae Catholicae distinguendas esse a notis Ecclesiae particularis contendimus. Sed ordine eamus per singulas Pistorii notas.

III. Prima nota est: Ecclesia durabit vsque ad nouissimum diem. *Respondeo 1.* Haec est nota Ecclesiae Catholicae & inuisibilis, itemque Ecclesiae visibilis vniuersae sumtae; hoc est, quatenus Ecclesia Catholica & interna non est separata ab Ecclesia visibili seu externa, sed haec cum illa est coniuncta. 2. Non est nota propria Ecclesiae. Multa enim alia durabunt etiam ad finem seculi. 3. Eadem non est notior Ecclesia. 4. Futurus rei euentus non est nota propria alicuius rei. 5. Duratio Ecclesiae visibilis vsque ad finem seculi non est vno aliquo in loco: ut ostendunt fere infinita exempla Ecclesiarum in oriente. Est autem quaestio inter nos & aduersarios de tali duracione, & de tali quoque visibilitate, id est, de splendore externo.

IV. Secunda nota est: Ecclesia Christi coepit Hierosolymis. *Respondeo 1.* Sane ita est. Sed non omne quod coepit Hierosolymis, est Ecclesia. 2. Falsum est, omnes Ecclesias particulares coepisse Hierosolymis. 3. Ecclesiam coepisse Hierosolymis, verum est respectu doctrinae Euangelii, quae ibi coepit, & inde fuit propagata. 4. Sicut Ecclesia Apostolica coepit Hierosolymis, ita ut nata fuerit ex doctrina Euangelii: sic eadem coepit in aliis locis, vbi Apostoli sparserunt semen Euangelii, iuxta illud *Act. 1. 8.* Eritis mihi testes in Ierusalem, & in tota Iudaea, Samariaque, & vsque ad vltimas terras. Nimirum Apostoli plantarunt Ecclesias, ut Hierosolymis, ita quoque alibi: etsi interim verum est, Ecclesiam peculiari ratione coepisse Hierosolymis, tanquam in matrice, ut ita dicam.

V. Tertia nota est: Ecclesia ex seipsa semper propagata fuit, & sequens Ecclesia ex antecessore est nata. *Respondeo 1.* Ut verum hoc esse fatear de Ecclesia Catholica: tamen de particularibus concedi non potest, quae sapissime tota euerse sunt, & nullae aliae ex iis enatae. Aliis vero regionibus nouae Ecclesiae constitutae sunt, non ex illis euerfis, sed ex praedicatione Euangelii. 2. Multa imperia & regna ex seipsis propagantur, & ex iis nascuntur alia. 3. Continua successio personarum frustra allegatur, vbi non est successio formae. Hinc Stapletonus *controu. 1. de Eccles. quaest. 4. art. 2. in relectione principiorum suar. doct.* contra suos gregarios recte obseruat, nullam in Ecclesia esse

veram successionem posse absque vera doctrina. Dependet igitur successio Apostolicae doctrinae Apostolica; quam doctrinam nos asserimus esse notam Ecclesiae Christi verissimam & certissimam: ita ut vbi est doctrina Apostolica, ibi sit Apostolica successio, & Apostolica Ecclesia; & contra. 4. Si Ecclesia visibilis semper manet affixa vno loco, eodemque praedita splendore, quomodo potest dici ex seipsa semper propagata?

VI. Quarta nota est: Ecclesia semper habet puros, & ordinarios pastores atque doctores. *Respondeo 1.* Habet Ecclesia in Euangelica puritate suos gradus, & lunae instar (solem iustitiae, Christum Iesum, respicientis) sua decreta & incrementa, prout nimirum ad illum solem propius accedit, vel ab eo longius recedit: ut modo purior sit & sincerior, modo contra minus pura & sincera. Vnde non solum aliae Ecclesiae aliis puriores sunt, sed etiam vna & eadem Ecclesia sit seipsa nunc purior, nunc impurior. Nempe gradus puritatis doctrinae variant in omnibus, & inter omnes. 2. Puri doctores dicuntur propter doctrinam puram, quam profitentur. Et haec doctrina pura, est vera & certa nota pura Ecclesiae. 3. Doctor itaque iudicatur ex doctrina, non autem doctrina ex doctore. Ex personis non probamus fidem, sed ex fide personas. 4. Ordinarii pastores possunt esse etiam in Ecclesiis impuris, adeoque haereticis. Vnde haec nota non conuenit soli Ecclesiae purae. 5. Imo vero in Ecclesia vera non semper sunt soli ministri legitime vocati, & ordinati; sed multi illegitime ingressi, multi per vim aut fraudem obtrusi, multi degeneres, lupi rapaces, pseudoprophetae, pseudoapostoli &c. quos cauere iubentur pii. 6. Ordinarii pastores & doctores possunt grauissime errare, *Ier. 2. 8.* Speculatores eius caeci: vniuersi ipsi nihil norunt. Sacerdotes non dixerunt, vbi nam est Iehoua? Et tenentes legem, non nouerunt me: & pastores praeruaricati sunt in me, &c. Vide quae Christus & Apostoli praedixerunt de falsis doctoribus, *Matth. 24. 24. Act. 20. vers. 29. 30. 2. Thess. 2. vers. 3. 4. 9. 1. Tim. 4. 1. 2. Petr. 2. vers. 1. Apoc. 12. & 17. & 18.* Cum his prophetiis coniunge historiam Ecclesiasticam de horrendis erroribus, quos ordinarii doctores & Episcopi in Ecclesia disseminarunt. Quod tam verum est, ut ipsi Papistae fateantur, ipsum etiam Romanum Pontificem (caput illud & fundamentum Ecclesiae) posse esse haereticum. 7. Sane in Sacris literis ita describitur officium pastorum Ecclesiae, ut maxima sinceritas & fidelitas ab ipsis exigatur. Sed hic est manifestus elenchus a iure ad factum. Ostendunt enim illa dicta, quales esse debeant doctores Ecclesiae, non vero quales semper sint. 8. Neque Ecclesia Catholica, neque particularis semper habet solos puros, legitime vocatos, & ordinatos doctores: ut patet ex inductione exemplorum, de qua *lib. praeced. cap. quatuor postremis*. 9. Ex hypothesi Pistorii sequitur error Donatistarum: nimirum Ecclesiam non esse, vbi sunt impuri & mali ministri. 10. Sequitur etiam, nullas vquam haereses potuisse aut posse esse in Ecclesia. Nam vbiunque ministerium publicum Ecclesiae est semper purum, sincerum, legitimum; & auditores obsequuntur doctoribus suis (quod vtrumque Pistorius hic de Ecclesia affirmat) quomodo ibi rimula patebit error? Nunquam enim auditum est, homines imperitos & de plebe esse haereticos, sed doctores. 11. Promissiones in N. T. de praesentia & gubernatione Spiritus sancti non sunt absolutae, sed conditionales, respectu horum & illorum indiuiduorum. 12. Sed quia ex Pistorii sententia promissiones istae sunt absolutae, sine vlla annexa conditione: quis non videt, fieri absolute non posse, quin Ecclesia semper aequa pura & sincera maneat, sine vlla exceptione? Quod quam sit falsum, ex superiori libro est perspicuum.

VII. Quinta nota est: Ecclesia habet puras & electas oues Christi vocem audientes, & Christum ore confitentes ad salutem. *Respondeo 1.* Semper in Ecclesia sunt electae oues, seu credentes: ut supra non semel probauimus. 2. Electae Christi oues soli Christo, & sibi ipsis sunt notae, notitia euidentiae, & certitudine partim visionis, partim fidei. Priori modo nouit Dominus qui sunt sui. 2. *Tim. 2. 19.* posteriori, ipsi credentes. 3. Audire vocem Christi, & Christum confiteri, dicitur ambigue. Aut enim intelligitur obedientia, & confessio profecta ex fide vera: aut externa verbi Dei auditio, & qualiscunque confessio. Priori modo soli electi audiunt & confitentur Christum posteriori electi & reprobi, boni & mali. Et hoc posteriori modo haec nota coincidit cum nostra sententia, quae doctrinam Euangelii pro verissima Ecclesiae nota commendat. 4. Confessio publica interdum silet in Ecclesia: ut quando Apostoli latitarunt praeter metu Iudaeorum, *Iohan. 20. 19.* & pii martyres in caernis & speluncas sese abdidit, iuxta illud Christi *Matth. 10. 23.* Cum vos persequentur in vna vrbe, fugite in aliam. 5. Dicta Scripturae, quae commendant officium piorum Christianorum, ab obedientia fidei, & eius fructibus, & in quibus recensetur confessio ad salutem, frustra a Pistorio allegantur. Committitur enim elenchus ab officio ad factum. 6. Quid amabo Scriptura praedicit futurum tempore Antichristi? Quid Christus dicit *Luc. 18. 8.* Filius hominis cum venerit, num reperiturus est fidem in terra?

VIII. Sexta nota est: Ecclesia nunquam tota, ne minimum quidem, errat: sed semper est pura, & in ea pura fides, pura sacramenta. *Respondeo 1.* Haec nota non est notior ex hypothesi Papistarum, quibus Ecclesia est prior & notior ipsa Scriptura. Si autem est vera nota, Scriptura est notior quam Ecclesia. Quid enim est error in religione? Annon est dogma Scripturae sacrae seu verbo Dei contrarium? Error itaque in religionis negotio iudicatur ex Scriptura. Igitur si erroris carentia in religionis negotio arguit & notat Ecclesiam; & errores isti agnoscuntur ex Scriptura: ergo verbum Dei arguit & notat Ecclesiam. Porro si Ecclesia errare non potest: ideo id erit, quia & quatenus sequitur vocem Christi. Ergo vox Christi est vera nota Ecclesiae: quae est nostra sententia. 2. Sed falsum est, Ecclesiam plane & simpliciter errare non posse. Nam Ecclesia Catholica & particularis, interna & externa, quotiescunque non sequitur ductum Spiritus sancti, & vnice audit atque amplectitur vocem sponsi sui (quod fieri posse, adeoque sapissime factum esse, Scriptura & exempla confirmant, ut suo loco vidimus) toties errat. 3. Scripturae testimonia, quae a Pistorio citantur, non probant, Ecclesiam plane & simpliciter non posse errare: sed tantum, Ecclesiam in sensu composito non errare, hoc est, quatenus definitio vera & pura Ecclesiae ipsi competis, seu quamdiu vocem Christi audit. Errat itaque Pistorius, absolute accipiens id, quod sub conditione est dictum. 4. Quod Pistorius adfert de fide Petri, nihil ad rem facit: quia inde concluditur, Ecclesiam internam non posse deficere a fide habituali. Et inde contra Pistorium sic argumentor.

Petrus

temporibus, non vniuersis locis, sed iidem profus per vniuersum orbem errores, siue grauissimi irrepperint, nemine animaduertente episcoporum, quos sibi successores Apostoli constituerant. Certum est (vt testatur *B. Irenaeus lib. 4. cap. 32. & 34.*) sacrificium Missae in omni loco Deo oblatum statim a morte Apostolorum Christi fuisse: constat vbiq; inuocatos sanctos, & satisfactiones penitentibus indictas. Quae dum non possunt inficiari haeretici, fatentur prima post Apostolos centuria introductos errores, quos Calvinus appellat hallucinationes Patrum. Caeterum vir prudens & cordatus statuet potius homines illos, qui 1500. annis post Apostolorum aetatem secuti sunt, grauius hallucinari & falli, fallereque, quam sanctissimos illos maiores nostros, qui & ex Apostolorum decentium ore veram puramque religionis Christianae cognitionem acceperunt, & eorum mentem probe assecuti sunt: praesertim cum non pauci illorum fidem ab Apostolis perceptam sanguine suo consignarint. Intellet certe vir prudens non esse consentaneum diuinam bonitatem, vt totis annis 1500. vera fides doctissimos quosque pientissimosque viros, Apostolis vicinos latuisse; & demum post tot secula innotuisse Lutheri, Caluini, caeterisque neotericis, asseratur. Si namque statim post Apostolos corrupta est fides, perierit vtiq; cum sit vna fides, *Eph. 4. 5.* quae sibi neque addi quidquam, neque demi paritur. Si fides perierit, interit simul Ecclesia, quae in vera fide innititur. Sublata fide atque Ecclesia, necessarium efficitur, aternis ignibus adiudicatos, quos quot alienam a Lutheri fide professi sunt; quia sine fide impossibile est placere Deo, *Heb. 11. 6.* Ista si sepositis affectibus vir prudens expendat, non credet se nouis doctoribus, qui licet fidem suam atque Ecclesiam ad Apostolos ipsos referre laborent, in primis tam haereticis suis subsistere coguntur, & totis 1500. annis successione interruptam fateri, cum ne vnum quidem post Apostolos hominem adferre possint, qui per omnia cum ipsis in doctrina consenserit. Neque mouebitur vir prudens, si dicant occultos aliquos extitisse omni tempore, qui Lutheranam fidem a se conseruatam ad posteros transmiserunt. Primo namque Lutherus ipse fateretur, a nullo homine se institutum, sed a solo Christo, agnoscentque se primum sui dogmatis inuentorem. Deinde argumento vel teste nullo, occultos hos Lutheranos docere possunt. Si occulti fuerunt, vnde norunt fuisse? Ego pari ratione, si nouam comminisci haeresim velim, a caeteris omnibus alienam & diuersam, ad Apostolos per occultos quosdam deducam: sed ita occultos, quos neque homo vllus inquam nouit, neque Deus. Et haec de origine sectarum. Conuertat porro nunc se homo prudens, suae salutis amans, ad Ecclesiam Romanam, eius intueatur originem, consulat annales, Graecaeque & Latinae historias, inspiciat veterum monumenta, templa, monasteria, sacramenta suppellectilem, ritus & ceremonias, & quidquid demum aliquid antiquitatis refert: inueniet ante annos 100. 200. 300. & vsque ad 1500. eandem doctrinam, eandem fidem, eandem Ecclesiam, quouis tempore, per omnes aetatum gradus extitisse. Siue enim ascendat ad Apostolos, cognoscat eandem fidem in Catholicis hac nostra tempestate viuentibus, atque in eorum parentibus ante annos 100. & in istorum auis, abauis, caeterisque maioribus, re nulla profus variata: siue descendat, manifeste videbit, perpetuum ab Apostolis ad nos vsque nullo vnquam tempore interruptam successione. Videbit ex Christi Domini mandato primum quidem praedicatum esse Euangelium Hierosolymis, tum in omni Iudaea & Samaria, demum ad vltimos terrae fines. Vt namque orientales & meridionales praetermittamus, certum est Germaniam vtramque & Galliam nunquam aliam didicisse fidem, quam quae hodie a Catholicis seruatur. B. Petrus Germanis misit Crescentem, qui Moguntinis; Eucharium & Valerium, qui Treueris; Maternum, qui Tongris & Colonienfibus Euangelium praedicarunt. Ad Gallorum conuersionem ablegauit Sixtum, Sinicium &c. D. Petri successor Clemens in Gallias direxit Dionysium Areopagitam, cum Rustico & Eleutherio &c. Hi porro eandem, quam a B. Petro atque Clemente acceperant fidem & religionem ad posteros transmiserunt: populos non alia quam Catholica fide imbuerunt, & nouis Ecclesiis Episcopos praefecerunt. Qua in re non paruum operam praestitit in Gallia temporibus Clodouaei B. Remigius Remensis Episcopus, & in Germania B. Bonifacius, Moguntinus primus Archiepiscopus, qui auctoritate Stephani Romani Pontificis, auxilioque Caroli M. Imperatoris, multas Ecclesias erexit & Episcopales Cathedras instituit. Nec cessarunt interea Romani Pontifices, qui sibi vniuersalis Ecclesiae curam non ignorabant esse commissam, subinde novos doctores & pastores emittere, Medardum, Peregrinum &c. Hos autem omnes non aliam in sibi designatas prouincias fidem atque doctrinam inuexisse ab ea, quam posteri coluerunt, primum quidem ex eo manifestum euadit, quod a Romanis Pontificibus mandatum acceperint, eandem fidem praedicandi, quam Romae didicerant. Romae autem nunquam fuisse variatam fidem & religionem Christianam, scriptores omnes fatentur. Deinde vero quod fere per monachos sit ad fidem conuersa Germania & Anglia, & id quidem maiori ex parte temporibus Caroli Magni: qui in signe monasterium Fuldense, doctorum hominum seminarium, in Buchonia maximis sumptibus erexit atque fundauit: in quo nonnunquam praeter diaconos & inferiores clericos 400. vixerunt sacerdotes monachi, ad Germanorum conuersionem expediti. Denique, quod eadem vbiq; religio, eadem ceremonia diuini cultus, eademque doctrina a posteris omnibus retineatur. Idcirco vir prudens, qui fidem nullam, nullamque Ecclesiam a prima origine in Germania & Gallis agnitam fuisse aduertet, praeter Catholicam, cui praepositus est Romanus antistes, intelliget hanc esse verissimam Ecclesiam a Christo euocata & constitutam, non recentibus illas, quae tametsi nihil praeter Apostolicam fidem atque doctrinam, & verbum Dei in ore habent, quarentes tamen originem suam in medio haerent, neque ad Apostolos deueniunt. Hac nota semper vsi fuerunt maiores nostri aduersus haereticos, & in Constantinopolitano simbolo pulchre eam indicarunt, quando Ecclesiam vocauerunt Apostolicam, hoc est, quae sine interruptione originem suam ad Apostolos ducit. Itaque sicut is de nobilitate non potest gloriari, qui licet iactet se a maioribus nobilibus profapiam ducere, a patre tamen ignobili ex vili scorto est susceptus: ita neque haeretici verae Ecclesiae laudem, quae tot seculis manifesta & incorrupta perseuerauit, sibi iure vindicare possunt. Atque ista de priori genere signi sufficient.

II. Haec est continua fere oratio Costeri cap. 4. & 5. quam in quatuor membra partemur, maioris lucis causa. Primum est partitio notarum Ecclesiae: secundum, illustratio partitionis per similitudinem: tertium, negatio primae notae de Ecclesia Lutherana: quartum, accommodatio eiusdem pri-

mae notae ad Ecclesiam Romanam. Haec itaque ordine ad veritatis normam examinemus. Quod attinet ad partitionem notarum, alias nempe sumi ab ipsa origine, alias ex proprietatibus externis, hoc non est vniuersaliter verum. Nam notae etiam sumuntur a differentia, & proprietatibus internis: vt cap. 1. huius libri ostendimus. Sed transeat haec Costeri partitio. Quod ipsum quoque de proposito similitudine dici potest. Nam quemadmodum Colonia, quae hoc tempore extat, certo inde cognoscitur esse vetus illa ab Agrippa condita Colonia, quod veterum annalium & historiarum descriptioni sola conueniat, & certis Coloniae Agrippinae proprietatibus sola sit praedita: ita & Ecclesia vera ex sacrarum literarum indicio & descriptione cognoscenda est. Illae siquidem ortum, formam, & proprietates verae Ecclesiae describunt. Nam cum sola Christi Ecclesia sit columna veritatis, 1. *Tim. 3. 15.* vbi cumque regnat veritas, ibi & originem veritatis a Deo, & veram esse Christi Ecclesiam, luce meridiana clarius est. Fallitur itaque Costerus, quando non ex doctrina Ecclesiam, sed ex Ecclesia doctrinam metiri iubet. Quod tolerari possit, si de eo tempore disputaret; quo prophetae & Apostoli, Spiritus sancti impulsu Ecclesiam docuerunt. Quamquam ipsi quoque prophetae, Christus, & Apostoli, se suamque Ecclesiam ex S. literarum examine voluerunt cognoscere, suamque doctrinam ex iisdem confirmarunt, *Iohan. 5. vers. 39. 46. & 8. 47. & 10. vers. 4. 5. Act. 24. 14.* Quae porro adiungit, virum prudentem non debere sibi vindicare auctoritatem de doctrina iudicandi, sed ipsius esse, certis notis deprehensa Ecclesia, ipsius iudicio per omnia stare: quod illa falli non possit, neque fallere: illa plus quam absurda sunt. Nam & stulta credulitas hoc modo inducitur, & Ecclesiae nimia perfectio asseritur. Principio itaque Costerus hominibus oculos eruere conatur, quando iudicium ipsis eripit. Quid enim? Annon sicut quando de Colonia Agrippina dubitatur, an sit illa antiqua necne, ex antiquis historiis iudicium formandum est: ita quoque cum de vera Ecclesia disceptatur, ex sacrarum literarum monumentis hac de re est iudicandum? Sane Christus & Apostolus ita facere iubent. *Iohan. 5. vers. 39. 46.* Scrutamini Scripturas. 1. *Iohan. 4. 1.* Dilecti, ne cuius spiritui credite, sed probate Spiritus an ex Deo sint. 1. *Thess. 5. vers. 20. 21.* Prophetias ne pro nihilo ducite: omnia explore, quod bonum est retinere. Quamobrem vir prudens ex vera doctrina veram Ecclesiam, non autem ex Ecclesia, veram doctrinam metietur. Nam quod probationis loco adfertur a Costero, Ecclesiam neque falli neque fallere posse, falsum est: vt pluribus libro superiori demonstraui-

III. Iam sequitur apud Costerum primae notae, videlicet antiquitatis, consideratio. Eam nostris Ecclesiis magna oratione detrahit: quam vere, videamus. 1. Ecclesiarum nostrarum origo non ab anno 1517. sed inde ab initio noui testamenti est reperenda: est earum splendor Antichristiana tyrannide diu fuerit obfuscatus. Nam in medio Papatu Deus semper habuit suos, qui ob consanguinitatem doctrinae fuerunt veri successores Apostolorum. Quod autem Lutherus, & alii quidam, superiori demum seculo, felici cum successu in os contradixerunt Papae Romano, id praedictum est ab Apostolis, qui de reuelatione Antichristi, eiusque confectione & ruina non vno in loco scripserunt. 2. Nos nihil habemus commune cum veteribus haereticis. At, inquit Costerus, doctrinam suam de sola fide mutuati sunt ab Aetio & Eunomio. Quod quam verum sit, audiamus ex Augustino, qui cap. 54. de haeresibus ita de vtroque illo scribit. Fertur vsque adgo fuisse bonis moribus inimicus, vt assueuerat, quod nihil cuiquam obesser quorumlibet perpetratio & perseuerantia peccatorum: si huius, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset. Eane nostra etiam est doctrina, Costere? Non vtiq; sic enim Caluinus antidot. aduersus Concilium Trident. sess. 6. can. 11. scribit: Sola fides est, quae iustificat: fides tamen quae iustificat, non est sola. Sicut calor solis solus est qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in sole, sed cum splendore. Idem docent omnes nostri doctores. Quod attinet ad reliquas haereses, quas Iesuita nobis impingit, de illis copiose disputatum vide infra in examine notarum Bellarmini. 3. Libere profiteamur ac docemus, nemini vnquam eorum haereticorum, qui ante nos vixerunt, nobiscum per omnia conuenisse. Nos enim sequimur ductum S. literarum, cumque illis loquimur & tacemus: quod haeretici non fecerunt. 4. Illustre est Patrum, quos ita appellamus, nomen, & veterum consensus: sed illustrior est Pater caelestis, & sacrae illius tabulae, ad quarum canonem Patres se examinari voluerunt, & decretum Pontificum pluribus iubet *dist. 9. 5. Neque.* Hac norma vsi Patrum scripta non subterfugimus, sed nauos eorum, quos Costerus cum suis perperam excerpit, & amplectitur, & defendit, a veris sententiis fecerimus. Ita Hieronymus aliquid humani est passus, quando pro reliquiarum veneratione pugnavit. 5. Augustinus inter haereses Eunomii recenset doctrinam de sola fide; illa scilicet fide, quam Eunomius erat commentus. Vide etiam paulo ante *num. 2. 6.* Falsum est, omnes ad vnum maiores tenuisse fidem Ecclesiae Romanae de sacrificio Missae, de inuocatione sanctorum, de Pontificis Romani auctoritate &c. vt Chamierus & nos suo loco probauimus. 7. Costerus falso gloriatur, neminem ex sanctis Patribus ante Lutheri tempora extitisse, qui idem nobiscum senserit. Nam Patres in omnibus iis, quae ex S. literis tradiderunt, eandem nobiscum doctrinam habuerunt. 8. Quando sectarii omnes allegant Scripturas, non est quod primo confugiamus ad iudicium Ecclesiae. Nam ipsae Scripturae litem istam dirimunt. Vt enim probum aurum ab adulterino lapidis Lydii affricatus, & rectum a curuo norma adhibita discernitur: sic etiam doctrinae propheticae & Apostolicae veritas, ad prophetarum & Apostolicarum literarum canonem examinata, dignosci potest. 9. Nemo nostrum asseruit vnquam, ne vnum quidem hominem posteritati relictum, qui sinceram doctrinam Apostolicam per omnia integram incorruptamque tenuerit, posterisque tradiderit. Nam plurimi extiterunt viri pii, qui nihil scripserunt. Multa etiam scripta intereiderunt. Ex iis ergo quae supersunt, de reliquis omnibus non est ferendum iudicium. Deinde si doctrinae Christianae fundamentum spectes, veteres scriptores non paucos (etsi suos habuerunt nauos) veram doctrinam conseruasse ac tradidisse agnoscimus. 10. Non est quod miretur Costerus, statim a primis illis temporibus Apostolorum eisdem profus per vniuersum orbem errores irrepsisse. Nam Spiritus sanctus id praenuntiavit. 2. *Thess. 2. 7.* vbi Apostolus ait: *Iam enim peragitur mysterium iniquitatis.* Et Apostolis etiam superstitibus Iudaismus & inanis philosophia bene multas Ecclesias corruperunt, *Coloss. 1. & 3.* Apostolis vero vita sanctis, a verbi-

puritate defectentibus viris primariis, facile reliqui auctoritate illorum decepti in varios errores inciderunt: vt ex Papiæ, Origine, & similibus videre est apud *Eusebium hist. Eccles. lib. 3. cap. 6.* Quid hic dicam de inualefcente regno Antichristi, quo tempore stellæ de cælo deciderunt, hoc est, insignes doctrina & pietate viri, vel è medio sublati, vel in errores prolapsi sunt? 11. Sacrificium Missæ ignotum fuit puriori antiquitati. Neque vero Irenæus loco illo, quem citat Costerus, vllam facit mentionem Missæ, sed Eucharistiæ & gratitudinis fidelium; qua in Ecclesia, ex more vulgato, offerebant panem, vinum, & reliqua, in vltim partim cœnæ Dominicæ, partim Ecclesiæ ministrorum, partim pauperum. Quam oblationem Irenæus nominat sacrificium, non propitiatorium, redimendis peccatis, sed Eucharisticum, gratitudinis ergo. 12. Inuocatio sanctorum est idololatria, à qua veteres purioris æui doctores abhorruerunt. 13. Satisfactio est duplex: alia, qua satisficit Ecclesiæ publica exomologesi & resipiscentiæ professione; alia, qua soli Deo, cum peccator resipiscens satisfactionem Christi fide amplectitur, eaque fretus veniam à Deo implorat. Vtriusque meminerunt veteres: non vero illius, quam Papiæ commentati sunt. 14. Etsi Patres in pretio habemus: tamen illorū hallucinationes, vt Caluinus loquitur, probare non possumus. 15. Etsi antiquiores Patres Apostolorum temporibus fuerint propinquiores; id tamen ab errore illos minime liberat. Ita videmus *Iustinum Martyrem Apolog. 2.* Socratem, Heraclitum, & alios ethnicos qui cum ratione vixerunt, accensere Christianis: *Irenæum lib. 4. cap. 30.* docuisse, Enochum legatione ad angelos Dei functum: *lib. 2. cap. 39. 40.* Christum docuisse annos fere viginti, crucifixum vero circa annum ætatis suæ quinquagesimum. *Clemens* quoque *Alexandrinus Stromatum lib. 6.* docuit, Christum necessarium esse vere, nec vere sitisse, & imparibilem, gaudii ac doloris expertem fuisse. Omitto errores *Origenis, Cypriani,* & aliorum Patrum. 16. Non sequitur, Costerus: Si statim post Apostolos corrupta est fides, perit. Nam vt non omnia corporis vulnera mortem inferunt, sic nec quæuis fidei corruptio illius interitum adfert. 17. Etsi fides est vna: tamen quia variū sunt gradus illius vnitatis, vt docet Apostolus *1. Cor. 3. 12.* multiplici obnoxia est corruptioni, iusto Dei iudicio, & nostro vitio. 18. Neque fides Catholica: neque Ecclesia Catholica vnquam interiit: sed vtraque varios subinde paroxysmos est passa. 19. Quemadmodum pii Israelitæ temporibus Eliæ furore Achabii afflicti sese abdidit: sic vere fideles, maiorum memoria, tyrannide Antichristiana pressi, sæpius latebras querere coacti sunt. E quibus tamen emerferunt nonnunquam, & libertiore voce vsi sunt. 20. Quæ de fidei fundamentis docentur in Ecclesiis nostris, quæque in Papiæ reprehendimus, eadem ante hos ducentos, 300. 400. &c. annos cordati quidam viri constantissime docuerunt, & animosissime reprehenderunt. 21. Lutherus non simpliciter, sed secundum quid fatetur, se à nullo homine, fuisse institutum. Quia scilicet non habuit vllum præceptorem Papiæ. 22. Etsi Ecclesia Christi persecutionibus Pontificum pene oppressa, velut ignis sub cineribus latuit: tamen ex ea scintillæ quædam subinde emicuerunt, ex quibus Ecclesia innouit. Fruolūm itaque est, quod Costerus de occultis Lutheranis adfert. Atque ex his, opinor, patet, falso nouitate doctrinæ aut Ecclesiæ nobis obici à Costero.

IV. Num vero antiquitas illa tantopere decantata competit Ecclesia Romana? Ita videtur Costero. Quam recte, videamus. 1. Tempore Pauli sincera & illustris fuit Romana Ecclesiæ fides, quæ expressa & confirmata est Epistola ad Romanos. At hoc tempore fides Romana est adeo deformata, vt Epistola illa non tath ad Romanos, quam contra Romanos scripta videatur. 2. In Romana Ecclesia non semper eadem cum maioribus viguit doctrina. Nam *Hieronymus prolog. galeato* in apocryphorum numero ponit, quos Papiæ habent pro libris canonicis. *Idem tom. 2. Epist. ad Euangrium,* Pontificem Romanum iure diuino aliis Episcopis minime superiorem esse docet. At Papiæ ipsum affirmant caput Episcoporum, Episcopum æcumenicum &c. *Gelasius Papa de consecrat. distinct. 2. §. Comperimus,* poculi vsu in cœna Domini sine sacrilegio omitti non posse decernit. Contrarium statuit Concilium Tridentinum, *quod sess. 21. can. 1.* ita sentientibus anathema dicit. *Concilium Elbertinum can. 36.* imagines Dei in Ecclesia fieri prohibuit. Contra *Gregorius M. Papa* permisit, sed adorari tamen vetuit, *Epist. lib. 9. Epist. 9.* Vtrique vero repugnans Concilium Nîcenum II. imagines etiam adorandas decreuit. Ex his liquere satis arbitror, quam belle hodierna Ecclesia Romana de fidei suæ constantia, & irrupta ab Apostolis successione gloriatur. 3. Etsi Clemens, & alii à Petro hinc inde missi, eandem ad posteros transmiserunt fidem, quam à Petro acceperant: tamen hodierna Ecclesia Romana dissentit à doctrina Petri. Nam Petrus *1. Epist. cap. 5.* Christum appellat principem pastorum, se vero compressbyterum. Contra Pontifex Romanus se summum sacerdotem, & caput omnium prædicat. Petrus iustam & acrem Pauli reprehensionem submisit *perulit Gal. 2. 14.* iniuste accusatus, patienter & modestè facti rationem reddidit, & reliquorum Apostolorum consensu cum Iohanne ad Samaritanam Ecclesiam confirmandam missus, pie obtemperauit, *Act. 11. 24. cap. 8. versic. 14. 15.* Contra vero Papa Romanus nulli Imperatori, nulli Concilio se submittit, nullius mortalium reprehensionem admittit. Petrus Christum vocat fundamentum fidei *1. Epist. 2. 4.* At Pontifex se ipsum hoc titulo ornat. Petrus docet non esse aliud nomen sub cælo, per quod oporteat nos seruari, *Act. 4. 12.* At Pontifex adiungit nomen Mariæ, & innumera sanctorum nomina; quorum merita cum Christi meritis ad salutem nostram in vnum indulgentiarum thesaurum conflat, & pro arbitrio dispensat. Petrus docuit corda fidelium fide purificari, *Act. 15.* Christum corpore suo contineri cælo ad tempora instaurationis omnium, *Act. 3.* Christum semel obtulisse sacrificium pro peccatis, & à nobis tantum offerri spiritualia sacrificia. *Epist. 2. 5. cap. 3. 18.* Contra Papiæ meritis operum etiam adscribunt salutem, & corpus Christi in Missa contineri dicunt, & Missam pro sacrificio expiatorio habent. Quare cum Pontifex Romanus, & ipsius affectu tantopere à doctrina Petri (quam Clemens, & alii eius discipuli, fatente Costero, secuti sunt) dissentiat, inanis est gloriatio de consensu cum antiqua Ecclesia. 4. Vniuersalis Ecclesiæ cura non est commissa Pontifici Romano: vt pote Episcopo particularis Ecclesiæ. 5. Pontifices Romani emiserunt multos doctores, qui potius fuerunt seductores. Ita sane Bonifacius multa commisit indigna doctore, quem sanctissimas Papalis euexit ad sublime dignitatis fastigium. Nam (vt quædam dunt-

taxat recitem) hominem ab indocto sacerdote sermone corrupto in nomine Patriæ, & Filiæ, & Spiritus sancti baptizatum, rebaptizauit: & secutus Pontificem suum Zachariam, in sacramentorum administratione ignotam populo linguam, contra præscriptum Apostoli, & antiquæ Ecclesiæ praxin, adhibuit. 6. Si doctores à Pontifice missi acceperunt mandatum eandem, quam Romæ didicerant, fidem prædicandi, non sane veram fidem prædicarunt: quia vt probauimus *numer. 2. & 3.* Pontifices Romani discesserunt à fide Apostolica. 7. Si Pontifices Romani fuissent orthodoxi in fide, non tamen inde sequeretur, doctores ab illis missos eandem fidem constanter prædicasse, quia vt hoc facerent, mandatum acceperant à Pontificibus. 8. Idem est iudicium de monachis, qui aliquot regiones ad fidem conuertunt. 9. Quemadmodum doctrina Ecclesiæ Romanæ à maiorum fide dissentit: sic quoque ceremoniæ, vt vel ex vno Missæ canone videre est. 10. Maiores recte sunt vsi nota successione, in disputationibus aduersus hæreticos, dum viguit doctrinæ successio. Sed ea paulatim vitata alia est ratio. 11. In Concilio Constantinopolitano Ecclesia vocatur Catholica, non tam quod sine interruptione originem suam ad Apostolicam ducat Ecclesiam, quam quod Apostolorum doctrinæ consentiat. Alioquin doctrinæ puritas aut legitima munitis successio interrumpi in Ecclesia non posset, nec Constantinopolitanam, nec Romanam, nec Alexandrinam, nec Antiochenam Ecclesiam Apostolicam appellare licuisset. Nam Constantinopolitana Ecclesiæ Episcopi, Sergius, Pyrius, Paulus, Petrus: Romanæ, Honorius: Cyrus, Alexandrinæ: Antiochenæ, Macharius, post symboli recitationem in eodem Concilio, hæreticos nomine accusantur. Quare si hæc legitima Ecclesiæ nota est: sequitur Romanam Ecclesiam non esse veram Christi Ecclesiam, vt quæ irrupta & perpetua successione careat. 12. Costerus admittit aliquot *quædam res in recitandis historiis:* quale inter alia est, quod fundationem monasterii Fuldenis tribuit Carolo Magno: quod illius patris debet, temporum ratio, & Marianus Scotus monachus Fuldenis testatur.

V. Pergit Costerus, *cap. 6.* ita ait. Alia indicia sumuntur ex proprietatibus sensu notioribus, quæ multo, antequam dubitatio à quoquam moueretur, certissimis scriptis fuerunt indicata. Eiusmodi in symbolo Constantinopolitano, aut potius in symbolo Apostolico, tria exprimentur: *Vna, sancta, Catholica, Ecclesia vnitas* ab eadem doctrina fidei accipitur. Cum enim se habeat Ecclesia ad modum scholæ (sumus quippe & vocatur in Scripturis discipuli) cernitur Ecclesiæ diuersitas à varietate doctrinæ. Sumitur præterea Ecclesiæ vnitas ab vno capite visibili, sicut corpus animale non est nisi sub vno capite. At vero vtraque vnitatis ratio in Ecclesia Romana obtinet. Ibi enim omnes vnum sentiunt sub vno Pontifice. At illi, qui sequuntur Lutherum, etsi omnes originem suam Luthero debent, tamen in varias opiniones scinduntur, variolque habent superiores & prælatos; non aliter quam apud philosophos veteres Academicis, Peripateticis, Stoicis, & Cynicis ex opinionibus distinguebantur. Itaque vir prudens, qui toties audiuit in sacris literis vnitatem fidei commendari *Eph. 4. 5. 1. Cor. 1. 10.* quos viderit in negotiis religionis acriter contendere, facile intelliget non pertinere ad eandem Ecclesiam.

VI. Respondeo 1. Vnitas in eadem doctrina vera, seu veræ fidei, est illa ipsa nota, quam nos requirimus. Nam vnitas vere fidelium constituit Ecclesiam. 2. Huius vnitatis variū sunt gradus. Alia enim est vnitas in fundamento, alia in reliquis omnibus dogmatibus. Illa ad constitutionem, hæc ad perfectionem Ecclesiæ pertinet. Non itaque statim qui dissentit in quibusdam negotiis religionis, ad eandem Ecclesiam non pertinent: vt docet exemplum Hieronymi dissidentis ab Augustino & Rufino. Quid? Inter ipsos Papiæ innumera sunt dissensiones in omnibus fere capitibus religionis. 3. Ecclesiæ vnitas ab vno capite sumta, intelligitur de Ecclesia vniuersali, vel particulari. Prior vnitas respicit omnes omnium locorum & temporum credentes, qui sunt vnum sub vno capite Christo: posterior respicit omnes eodem loco & tempore profitentes religionem Christianam, qui sunt vnum sub vno aliquo pastore. Hoc recte obseruauit *Gregorius M.* quando *lib. 4. Epist. cap. 80. 82. & 83.* docuit, Ecclesiam vniuersalem soli vni capiti Christo coherere: Petrumque non caput vniuersalis Ecclesiæ, sed primum tantum fuisse illius membrum. 4. Ecclesiæ Romanæ vnitatem sciderunt tot schismata inter Papias, illorumque tot irruptiones illegitimæ in sedem Papalem.

VII. Secunda nota (inquit Costerus *cap. 7.*) est, esse Catholicam, vniuersalem, vbique diffusam. Hanc notam sicut multo ante Christum prædixerunt propheta *Psalm. 19. 5. & 71. 8. Esa. 54. 13. Jer. 31. 34.* ita eam agnouit B. Apostolus Paulus suo tempore impletam *Rom. 10. 18. Col. 1. 5.* Si quis ergo certo indicio deprehendere velit Ecclesiam, mente percurrat orbem terrarum. Lutheranos inueniet in sola Germania, Caluinistas fere in sola Gallia & Anglia, Anabaptistas in variis obscuris angulis Hollandiæ & Moraviæ: sicut Donatistæ & Nouarum fere in Africa latuerunt, & Iconoclastæ in Græcia. Extra Europam nulla sectarum Lutheri, Caluini &c. notitia ab orbe condito vnquam peruenit. Fieri igitur non potest, vt Nouatores nostri seculi ad veram Ecclesiam pertineant. At vero Romana Ecclesia per orbem vniuersum fusa, hoc nomine (Catholica) perpetuo sola gloriatur. Et quidem primis illis maiorum temporibus priusquam in Turcarum potestatem Patriarchales Ecclesiæ venissent, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, magna erat omnium in vna fide consensio, sub vno capite Romano Pontifice, neque alia fides vsquam quam Romana prædicabatur. Postquam vero orientales Episcopi sese ab Ecclesia Romana segregarunt: non amisit tamen Ecclesia nomen Catholicæ, tum quod in regionibus illis non desint Catholici, tum quod eadem profus perseueret Ecclesia, eadem fide, eodem diuino cultu, eadem religione, licet contractior. Arbor eadem est, si truncus maneat, tamen si ramuli excidantur, alii succrescant. In Apocalypsi prædixit Apostolus *cap. 6. 14.* nouissimis temporibus, cælum recessurum ad instar libri inuoluti, hoc est, Ecclesiam, quæ prius late patebat, in angustias contrahendam. Non enim ex eo Ecclesia dicitur Catholica, quod eodem tempore totius orbis ditones occupet, hoc quippe in hunc vsque diem fortassis contingit, quando Antarcticis hominibus, & qui extremas Americæ oras incolunt, fides Christi nunquam innotuit. Sed his duabus potissimum de causis: tum quod nulli nationi, vt olim lex Moïsi, sit alligata, nulloque loco

conclusa, sicut Donatistarum & Lutheranorum errores, quorum hi extra Germaniam nusquam celebrantur, nec illi extra Africam reperiuntur: tum quod iuxta veterum prophetarum vaticinia, aliquando per singula orbis loca seminandum sit Evangelium, plantanda fides, atque extendenda Ecclesia, quod nulli alteri cœtui contingere potuit. Ariana quidem hæresis Romanum orbem fere peruagabatur, sed prius extincta est, quam latius serperet. Turcarum perfidia latissime patet; sed occidentem Dei gratia nunquam attigit. Calvinistæ ante annos non ita multos tentabant ad Indos & Peruanos errores suos inuicere, sed auxilio Christi & Catholicorum industria exclusi fuerunt. Catholica vero Ecclesia primum totam ab ipsis Apostolis per omnes fere regiones est propagata: non quod totæ regiones Christum suscipere, sed quod in omnibus fere regionibus essent Christiani, qui Ecclesiam Catholicam efficiebant. Deinde successores Apostolorum, quæ inchoata erant ab Apostolis, perfecere. Quod in occidentem fere per Romanos Pontifices, etiam primis illis temporibus, præstitum legimus: quorum labore ad fidem venit Africa, Saxonia, Britannia, Scotia; & his postremis seculis in regiones orientales, occidentales, & meridionales remotissimas atque vastissimas, fides importata est, paulatimque deducitur: eadem, inquam, fides illa, quam à B. Petro acceptam incorrupte constanterque retinet Ecclesia Romana. Excant à nobis Germani & Angli, Græci quoque, Afri, & Syri: satis nobis est ad Catholicum nomen tuendum, quod nostri fuerint, à nobisque exierint, fidemque eandem nobiscum aliquando tenuerint, adeoque quod omnibus illis locis Catholici non desint, etiam vbi maxime vel hæreses nostræ aratis vigent, vel schismata Græcorum. Cæterum, quæ Dei est bonitas, hæc nostris temporibus, quando vel maxime impetitur ab Europæis hæreticis Romana fides, orientalium oculi paulatim ad veritatem aperiuntur & c.

VIII. Speciosa sane oratio: sed speciosa tantum. Etenim, 1. Si hæc est nota Ecclesiæ propria, qua ratione eam à Satanæ synagoga distingues, Costere? Nā (vt ait vester *Franciscus Sonnius episcopus Antuerp. in demonstr. relig. Christi. tract. 8. cap. 3.*) quantum obsecro nunc patet per orbem habitabilem Ecclesia Catholica? Vix tres vlnas longum, comparatione eius vastitatis, quam possidet Ecclesia Satanæ. Sic ille. Non igitur hæc est propria nota Ecclesiæ. 2. Aliquid dicitur Catholicum, id est, vbi que diffusum, bifariam: vel re ipsa vno eodemque tempore, vel iure tantum & successu temporis. Priori modo Ecclesia N. T. hæcenus Catholica nondum fuit, vt ipse Costerus fatetur. Altero vero modo Ecclesia Christiana nunquam desit esse Catholica; quamuis in miras angustias interdum fuerit contracta. Quod ipsum etiam Costerus recte fatetur. Quamobrem nostram Ecclesiam falso arguit tanquam non catholicam, quod re ipsa hoc tempore non sit vbi que diffusa. Nam hoc etiam verum est de Ecclesia Romana. Vnde *Sonnus d. l. ait*: Diuidunt Cosmographi orbem habitabilem in tres plagas, Asiam, Africam, & Europam. Quarum pars longe minima est Europa: & ea sola nunc patet Euangelio Christi: nec tota. Quoniam non modicam eius portionem iam fortiter occupauit Mahometana perfidia. nempe Græciam, Dalmatiam, Bulgariam, Hungariam & c. 3. Reformata Ecclesiæ membra non inueniuntur in sola Germania, Gallia, Anglia, sed etiam in Italia, Hispania, Lusitania, & cæteris Europæ regnis: vt testantur nostra Martyrologia. 4. Quæ de Anabaptistis, Donatistis & c. dicuntur, ad nos nihil pertinent. 5. Iconoclastæ neque hæretici fuerunt, neque in sola Græcia latuerunt. 6. Nihil Ecclesiæ veritati detrahit locorum angustia, aut fidelium raritas: quia vtrumque diuinitus est prædictum, *Luc. 18. 18. 2. Thess. 2. 3. Apoc. 12. v. 5. 14.* qua de re diximus libro superiori. 7. Ecclesia Romana falso sola gloriatur nomine Catholica: quia Græci, Syri, Moscovitæ, alii, qui non agnoscunt iugum Papæ Romani, etiam pertinent ad Ecclesiam Catholicam, eamque in symbolo profitentur. 8. Constantinopolitanus Episcopus (vt Concilium Basileense in appendice testatur) habet in Asia, Africa, & Europa vastissimas prouincias, atque amplissima regna, & plurima genera hominum lingua & motibus longe disparia. Quare arroganter hanc laudem Ecclesiæ Romanæ tribuit Costerus. 9. Quæ dicuntur de veteri Romana Ecclesia, nihil faciunt ad præsentem & corruptissimam Ecclesiæ Romanæ statum: non magis profecto, quam Abrahami, Moysi, & Aharonis fides & pietas impiis ipsorum successoribus, Annæ & Caiphæ, ipsorumque sociis contulerunt. 10. Falsum est, Ecclesias patriarchales à Pontifice Romano, tanquam capite, fuisse gubernatas: vt constat ex actis Concilii Niceni, Chalcedonensis, & Africani sexti. 11. Aque falsum est, Ecclesiam Romanam eandem constanter perseuerare, eadem fide: vt patet ex *4. num. 2. & 3. huius cap. 11.* Falsum etiam est, Turcarum perfidiam occidentem nunquam attigisse. 12. Nostri veram religionem studuerunt propagare ad Indos & Peruanos: sed inde eieci sunt, non Christi auxilio, & Catholicorum industria; sed hominum crudelium, id est, Hispanorum insatiabili auaritia, & Christi tolerantia, donec mensura immanitatis Ibericæ, vt olim Chanæ, compleatur. 13. Quænam est Ecclesiæ propagatio, quæ non doctrinæ viribus, & Spiritus sancti virtute, sed terrore & tyrannide plus quam belluina ab Hispanis instituta est? Nam Hispanus Episcopus in India, Bartholomæus de las Casas, narrat, Peruanam & vicinam regionem adeo vastatam, vt hominum bis mille myriades inaudita feritate, paucorum annorum spatio, ab Hispanis deleatæ sint. In nunc Costere & Indorum ad fidem conuersionem iacta. Sane si euertere est conuertere, vicisti. 14. Græci, Syri, & Afri non exierunt ex vobis, Costere: quia Ecclesia olim diuisa fuit in Græcam, Africanam, & Romanam: vel, vt aliis placet, in orientalem & occidentalem. 15. Germani, Galli, & Angli nostri non exierunt ex Ecclesia Catholica, sed ex Romana immane quantum corrupta. 16. Quæ Costerus addit de Abdiso Armenorum primare, ipsum subscripsisse Concilio Tridentino, fidem vix inueniunt apud ipsos Papistas: qui varie fabulantur de personato hoc Abdiso. 17. De Antiocheno patriarcha gloriatur, ipsum venisse Romam, vt obedientiam suo suorumque nomine Pontifici deferret. Sed vt Pontifici turpiter & auare se subiecit, sic propter indignitatem rei à Syris munere suo abdicatus, ac frater in illius locum substitutus est: eoque exul in Italia consenuit.

IX. Tertia nota Costeri est sanctitas, de qua differit copiose *cap. 8. 9. 10.* Summa hæc est. Sanctitas hoc loco non est ita accipienda, quasi interna hominis pietas, & congregationis sanctitas externis oculis cerni ab aliquo possit, sed quod manifestis indicis impietas & pietas deprehendi possint. Cœtus igitur illi, qui nihil sanctitatis habuerunt vnquam vel pietatis, sed contra potius grauissima in Deum atque homines flagitia, & id quidem non ex humana infirmitate, sed ex professo atque ex instituto suæ doctrinæ & fidei,

Ecclesia sancta dici nequeunt. Vbi vero manifestis indicis deprehenditur sanctitas fuisse, & manifeste colligi non potest ab omnibus abesse, quin potius verisimilibus rationibus iudicetur in multis inesse, hæc erit sancta Ecclesia. Tametsi namque eius plurima membra sint emortua & impia, non amittit tamen sancti nomen, quamdiu vel vnus pietatem ex animo colens, retinet sanctitatem, quæ tempore passionis Dominicæ in sola sacratissima virgine viguit. Arbor namque viuere dicitur, quamdiu aliquid habet vitæ, licet multi sint aridi rami. Porro indicia sanctitatis non satis certa sunt ieiunium, eleemosynæ, orationes productæ: quia his talibus actionibus Pharisæi non potuerunt Christo facere fidem suæ iustitiæ. Quærenda igitur sunt alia firmiora sanctitatis indicia, diuina scilicet ac supernaturalia, cuiusmodi sunt reuelatio diuina, & miracula in testimonium sanctitatis alicuius diuina virtute edita. Porro hæreticis nostri temporis nulla sanctitas inest vere. Nam vt omnes hæretici, ita quoque isti ex instituto doctrinæ suæ, duo grauissima habent peccata, blasphemiam in Deum, impietatemque in parentes, quantumcunque præ se ferant diuinum cultum, & parentum proximorumque amorem. Impietatem in eo luculenter est videre, quod maiores suos omnes, & quotquot hæcenus ab Apostolorum temporibus vixerunt additi Catholice probitati, grauissimi criminis accusent & damnent. Dicunt eos non rectam fidem tenuisse, male credidisse & c. Tot doctores Ecclesiæ, tot martyres, tot Pontifices Romanos & c. irritent, damnant, & nefcio quid non. Deum simili modo grauissimis blasphemis lædunt, quem faciunt mendacem, crudelem, iniquum. Mendacem quidem, qui non præstet promissa. Per veteres quippe prophetas de temporibus Ecclesiæ prædixit, veram Dei notitiam per orbem terrarum manifestam fore *Ier. 31. 34. Hebr. 8. 11.* Et ipse Christus perpetuum nobis suam sanctitatem Spiritus sui præsentiam addixit, *Matth. 28. 20. Iohan. 14. 16.* Hæretici admittere nequeunt hæc esse præstita, qui ne vnum quidem hominem exhibere possunt, à temporibus Apostolorum toto terrarum orbe eiusdem omnino fidei secum & religionis. Nusquam igitur manifesta fuit vera Christi doctrina, nec vbi que recepta, desit adesse Ecclesiæ suæ Christus, secessit Spiritus sanctus, secessit Spiritus erroris & demoniorum. Deinde crudelem faciunt Deum, qui pauculos quidem illos Christianos, quos puram Euangelii doctrinam Apostoli ipsi docuerunt, participes esse voluerit sanguinis Christi, reliquos vero omnes excluderit, quia discipulis successoribusque Apostolorum imbuti errores hauserint, non sinceram fidei doctrinam. Inultum denique, qui nec ipsis sanctis martyribus notitiam veræ fidei religionisque dederit, aut sanguinis Christi fructum communicauerit, quos constat pro Christi amore dedisse sanguinem suum. Hæc certe omnia necessario consequuntur, si maior fides, quam nostram esse docuimus, errorem habuerit, vt Lutherani & Calvinistæ docent. Præter hæc grauissima in Deum hominesque peccata hæreticis omnibus communia, alia etiam sunt, quæ hæreses comitantur: vt sunt bella, seditiones, perduelliones, Catholicorum persecutiones, monasteriorum atque templorum euerfiones, sacramentorum violationes, rerum sacrarum profanationes, sacerdotum neces, sanctorum martyria & c. Neque hic moueat quemquam, quod constituta iam Ecclesia, principes & reges edictis & legibus in hæreticos sæuiant. Non enim aliena inuadunt, sed sua conseruant, sibi que subiectos ad officium & iuram fidem adigunt. Sciunt principes, quanta blasphemia sit hæresis: sciunt, quam irreuerentem sit malum, quod pacem publicam turbat, aliosque secum ad perniciem trahit. Seueras igitur penas in hæreticos statuerunt, legibusque grauissimis cauerunt omnem religionis inuouationem. Quæ leges iam olim à vetustissimis Imperatoribus vulgatæ, & multis retro seculis per orbem Christianum seruata, magnam pacem attulerunt Ecclesiæ. Certe non minus est regum & principum eos compefcere & tollere, qui nouis dogmatibus reip. nocentur sunt, quam qui furis & homicidis tranquillitatem, & libertatem publicam violant. Catholici igitur qui hæreticos insectantur, non rapiunt aliena, sed sua retinent, atque id non iudicio suo, sed autoritate legum. Et hæcenus quidem de peccatis hæreticorum, quæ vel necessaria semper, vel communiter & plerumque hæreses omnes comitantur. Sanctitatem vero in cœtibus eorum vel fuisse, vel esse, nullo certo indicio demonstrari potest. Edunt illi quidem moralia nonnunquam bona, largiuntur eleemosynas, Xenodochia erigunt & c. Sed id genus virtutum etiam in plerisque ethnicis philosophis reperias, & externa hæc officia ex mente hominis, tam ad vitia, quam ad virtutes referri possunt. Si enim vel eleemosyna, vel alio officio opituleris pauperi, vt tibi in hæresi consentiat, non minus est actio hæresis & graue peccatum, quam ex superbia vitio proficiscitur, si idem præstes, vt honoreris, vel ex libidine, si tali officio occasionem venetis luxuriæ. Quærenda igitur sunt alia sanctitatis indicia. Ea autem, vt diximus, vel ex aperta reuelatione sumuntur, vel ex miraculis ad hominum vtilitatem sola potentia diuina editis. Sanctus Iohannes Baptista nullum quidem signum virtutis edidit, sed testimonium sanctitatis à Christo accepit, *Matth. 11. 11.* Christus vero innumeris miraculis testatur omnibus fecit, se Filium Dei esse, *Iohan. 10. 36.* Miracula porro ex duabus causis fiunt, altera est doctrinæ testimonium, vt indicia sint veritatis & sanctitatis doctrinæ; quomodo etiam ab impiis miracula possunt edi, *Matth. 7. 21. 1. Cor. 13. 2.* Altera causa, in testimonium sanctitatis vitæ, *4. Reg. 1. 10.* Hæreticis neutro modo concessum est miracula edere vt vel de sanctitate doctrinæ suæ, vel de sanctitate vitæ testentur. Faciet miracula Antichristus, sed opera demonis, & prorsus inutilia: nihil enim ad hominum commodum, *Apoc. 15. 2.* Cæterum miracula quandoque à mortuis eduntur, ad eorum vel reliquias, vel inuocationem, *4. Reg. 13. 21.* Et hæc testantur sanctitatem defuncti. Hæretici nec viui, nec mortui sanctitatem suam miraculis confirmare possunt: neque etiam manifesta & indubitata reuelatione illam docere. Proinde ad Ecclesiam veram non pertinent, cuius signum est sanctitas. Sed Ecclesiæ Catholicæ nunquam defuerunt certissima argumenta sanctitatis: tot, inquam, miracula veterum SS. Benedicti, Antonii, Hilarionis & c. qui vt viui sanctitatem suam, religiosique instituti sui, miraculis potentissimis docuerunt, ita post mortem cum Christo in cœlo regnantes, quo loco apud Deum semper fuerint, atque etiamnum sint, miraculis palam fecerunt, & plerique eorum non raro adhuc faciunt. S. Andrea ossa sacra oleum sudant & Miracula porro quæ sanctitatem doctrinæ in Ecclesia testentur, vbi que per orbem fiunt, ad B. Mariæ virginis, aliorumque sanctorum imagines atque memorias & talia sane, quæ neque humanis fraudibus simulati, neque arte demonis

perfici queant. Si reuelationibus agendum est, quas pro somniis aduersarii relictur, non defunt vaticinia Brigittæ, Gertrudis, aliorumque sanctorum hominum, quibus quæ prædicta legimus, secuta videmus. Sufficiant porro stigmata S. Francisci, in fidem sanctitatis viri a Christo impressa. Rident hæc hæretici, vt omnia pia. Scriptum est autem, Ipse deludet illos, & mansuetis dabit gratiam, *Prout* 3. 34. Certe vir prudens suæque salutis studiosus hæc secum ruminans, non facile inducetur vt cogitet hæreticorum synagogas ad veram pertinere Ecclesiam, quæ cum recentes sint, & vel maxime egeant testimonio, nihil tamen exhibent, quod fidem faciat vel sanctitatis vitæ, vel puritatis doctrinæ. D. Apostolus Corinthiis, *Vos ipsos*, ait, *temptate*, si estis in fide, vos i. sos probate, 2. Cor. 13. 5. Quasi dicat, ibi fidem cessare, vbi cessant miracula. Ecclesia vero Catholica & fundata est miraculis, & conseruatione. Ad Gentium conuersionem miracula etiam hodie fiunt in remotioribus partibus, demones non raro per sacerdotes, Ecclesiam ministros, exorcismis citiuntur. Ad hæreticorum reductionem, impii homines iconoclastæ & blasphemii, sanctorum potentia conteruntur. Iam vero quod ad peccata attinet, habet Ecclesia peccatores, quæ nigra est & formosa, *Can. 1. 5.* Multum tamen interest inter Ecclesiam atque sectarios: primo quidem, quod Ecclesia vna hoc vitæ spatio integre pieque confecto ad cælum præmiserit. Hæreses peccata habent, sanctum neminem vel habent, vel habuerunt, neque quemquam ad cælos præmiserunt. Deinde ex vi hæreses peccata nascuntur. Vnde in terra hæreticorum, videre est vastitatem & abominationem desolationis, denos sacrorum ministros sine altari, sine sacrificio, sine sacerdotio, profanum Catholicorum singulorum fragilitate vel malitia peccantur, non vitio doctrinæ. Hæc de sanctitate, quarta Ecclesia nota apud Costerum.

X. Excuriamus singula. Verum est, Ecclesiam recte dici sanctam, & internam animi sanctitatem soli Deo esse conspicuam. Vnde sequitur sanctitatem internam non esse posse notam Ecclesie, nisi quatenus manifestis indicibus se prodit. Sed quoniam ea sunt indicia, disceptatur. 2. Nos sacrarum literarum ductu indicia ista collocauimus in externa sanctitate, quæ internæ respōdet. Vt itaque internam sanctitatem fide & charitate Christiana: sic externam vitæque patefactione definimus. Ac Primum quidem fidei patefactionem statui mus esse partim auditionem & constantem professionem doctrinæ veræ, partim legitimum sacramentorum usum. Vt enim vnus exercitus milites signum & sacramentum militare ab aliis fecerit: sic Ecclesia in terris sub Christo militans, simbolo, decalogo, & sacramentis Christi dignoscitur. *Ioh. 3. v. 31. 47. Matth. 10. 32. Rom. 10. 10. Gal. 3. 27. Eph. 5. 26. Ioh. 10. 27. 2. Ioh. 9. 9. Act. 2. 42.* Deinde vero charitas interna Dei & proximi, externis etiam fructibus innotescit. Et charitas quidem Dei patet, partim verbis, quando debita per Christum Deo gratia aguntur, & publice ac priuatim solus ac legitime per Christum inuocatur: partim factis, quando vitata omni idololatria & idololatriæ secundum verbum ipsius colimus, & crucem, Christi ac veritatis nomine, fortiter toleramus. Charitas vero proximi innocentia & beneficentia declaratur. *Rom. 10. v. 13. 14. Gal. 6. 10. 1. Petr. 2. 9. c. 1. v. 6. 7. Matth. 16. 24. Ioh. 13. 35. 1. Thess. 5. 11. Heb. 10. 24. Iac. 2. 8. c. 1. 27.* Atque hoc etiam modo, ex fidei & charitatis argumentis, in suis Epistolis Apostoli, & ipsi quoque Patres, veras Ecclesias a falsis distinxerunt. 3. Non accipimus externas illas, de quibus diximus, actiones tam late, vt Costerus accipit (sic enim etiam ethnicis & hypocritis conueniunt, vt ipse recte obseruat) sed strictius & angustius, vt proficiuntur ex vera fide. Atque hoc pacto fidei & Christianæ charitatis officia certo testantur de interna sanctitate. 4. Prædicatio verbi Dei, & administratio sacramentorum legitima in sola Christi Ecclesia viget. Itaque ex his duabus actionibus & Christiani, & Christiana Ecclesia, ab omnibus definiuntur. Hinc *Bellarmin. lib. 3. de Eccles. c. 2.* recte ait. Vt aliquis absolute dici possit pars veræ Ecclesie: de qua Scripturæ loquuntur: non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantum externam professionem fidei & sacramentorum: quæ sensu ipso percipitur. Et *lib. 4. c. 11.* hanc notam esse Ecclesie agnoscit, his verbis: Octaua nota est sanctitatis doctrinæ. Vera enim Ecclesia non solum est Catholica, Apostolica, vna, sed etiam sancta, vt habet Concilium Constantinopolitanum. Constat enim sanctam dici Ecclesiam: quia professio eius sancta est: nihil continens falsum, quoad doctrinam fidei, nihil iniustum quoad doctrinam morum. 5. De charitate Christiana eadem est ratio. Nam quamuis externa illius officia non pauca reperiantur etiam infidelibus esse communia: quædam tamen propria sunt Ecclesie. v. g. mutua in fide & pietate institutio & confirmatio. Quid? Omnia officia charitatis Christianæ sunt propria Ecclesie: quia fides per charitatem operatur, *Gal. 5. 6.* Vbiunque ergo hæc vera fidei professio, & charitatis Christianæ officia vigent, ibidem Ecclesia Dei existit, iisque notis lōge profecto melius quam reuelationibus & miraculis cognoscitur. Quoniam hæc nota communes sunt & incertæ. Communes quidem, quia & hypocritis in Ecclesia, & sceleratis extra Ecclesiam interdum conueniunt, vt Christus docet, *Matth. 7. v. 22. 23.* & exemplum Bileami confirmat, *Num. 22. c. 2. 2. Petr. 2. 15.* Incertæ vero sunt hæc notæ: quia iusta Dei permissione & iudicio diabolus & infideles ea imitantur: ac propterea, an diuina sint reuelationes & miracula dubitari potest. Nota sunt ex veterum historiarum oracula Delphica, & miracula apud ethnicos perpetrata. Nota sunt ex historia sacra magorum Ægyptiorum miracula, *Exod. 7. c. 8.* Eadem ratione de Antichristo dicitur, ipsum priorum miracula, *2. Thess. 2. v. 9. 10. 11. 12. Apoc. 13. v. 13. 14.* Itaque ne de veritate doctrinæ aut sanctitate Ecclesie ex hisce notis certo iudicemus, ritate doctrinæ aut sanctitate Ecclesie ex hisce notis certo iudicemus, Christus nos præmonuit præmuniuit *Matth. 24. v. 24. 25.* Pseudopropheta edent signa magna & miracula, ita vt seducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Quare quamuis veræ miracula & reuelationes diuinæ veritatem diuinam confirmant, *Marc. 16. 20.* tamen an vera sint miracula & sanctæ reuelationes, ad Lydiū sacrarum literarum lapidem exploranda sunt, ne falsa specie seducamur: quemadmodum Apostolus præscribit *Gal. 1. 8.* Et ideo Abrahamus ad sacras literas potius quam ad miracula & reuelationes attendendum docuit *Luc. 16. v. 29. 30. 31.* Et vt Christus miraculis suam doctrinam confirmauit: sic vtrique sacrarum literarum consensu stabiluit, *Ioh. 5. 39.* Quamobrem miracula & reuelationes, notæ quidem esse possunt Ecclesie, sed secundaria: primaria autem & certior nota est doctrina sanctitatis, quæ in consensu cum S. literis consistit. Quæ si adsit, non opus est alio indicio firmiori: quia reuelationes & miracula omnia, quibus per prophetas

& Apostolos olim S. literæ confirmatæ sunt, doctrinam cum iis consentientem similiter stabilunt. 7. Reuelationes & miracula nec sunt in Ecclesia Dei perpetua, nec hoc tempore necessaria, cum doctrina Apostolica satis superque per Apostolos & ipsorum discipulos sit confirmata. Vnde *Gregorius M. homil. 29. in Euangelia* recte ait: Numquid non, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesie fuerunt. Vt enim ad fidem cresceret multitudo, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos, cum arbutta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. 8. Falsum est Ecclesiam non amittere sanctæ nomen, quamdiu vel vnus pietatem ex animo colens retinet sanctitatem. Nam Ecclesia est sanctorum societas siue multitudo: ac propterea sanctitas illius vno contineri non potest. Neque vero sanctitas Ecclesie tempore passionis Dominicæ in sola Maria virgine viguit, vt Costerus cum quibusdam suis Dd. loquitur. Nam et si omnes Apostoli a Christo auferantur: tamen fidem & sanctitatem habitualem non amiserunt, sed illa, vt ignis sub cineribus, ad tempus fuit conseruata, vt precatio Christi *Luc. 22. 32. Ioh. 17. 17.* & electionis æternæ *Tit. 2.* Deinde nonne passionis tempore fidem suam testatam fecerunt Iohannes, Maria Cleopæ, & Maria Magdalena, *Ioh. 19. v. 25. 26.* itemque Nicodemus, Iosephus Arimathæus, & alii, quibus vitæ sanctitas derogari non potest. Ac propterea huius paradoxo falsitatem Pontificii doctores confutarunt: nominatim *Bellarminus de Eccles. lib. 3. cap. 17. Dominicus Bannes in 2. 2. Thom. q. 1. art. 10.* Sed pergamus ad alia. 9. Falsum est, & mera calumnia, nos damnare omnes maiores nostros, qui post Apostolorum tempora vsque ad Lutherum vixerunt. Ita enim docemus. Quemadmodum Deus Elia temporibus, septem millia piorum, quæ Baalem non odorantur, conseruauit: sic maiores nostros non paucos, sed innumeros, confirmauit idem ille Pater misericordum, qui Antichristi decreta insuper habuerunt in corde suo. Et quemadmodum Iatro in cruce conuersus est: sic non dubitamus, quin Christus oues suas non paucas ante vitæ finem e faucibus lupi Romani ereptas conseruauerit. Quid? In medijs Papismi tenebris Ecclesia constitit semper ex infantibus electis, Christianis ingemiscens & latentibus, denique ex Christianis contradicentibus Papæ. Quod attinet ad reliquos, iterum distinguimus inter seducentes & seductos: & illorum errores deploramus, secuti sanctos viros, qui maiorum suorum errores & peccata notarunt & deplorarunt, *Ios. 24. 14. Psalm. 78. vers. 9. 10. & 106. vers. 6. 7. Dan. 9. Matth. 23. 23. Act. 7. 39. 1. Cor. 10. 5.* Itaque non omnes maiores nostros Papistas fuisse agnoscimus: nec eos qui fuerunt, tam proterue damnamus. Quamuis enim vna sit fides: suos tamē seruato fundamento habet gradus. Scimus enim complures, ex maioribus nostris in extremo mortis agone ad solius Christi meritum tanquam ad sacram anchoram confugisse. Scimus in medio Papatu nunquam tam densas viguisse tenebras, quin aliqua in templis fuerit Euangelii & promissionum Euangelicarum lectio, quæ in cordibus plurimum fuerit fructuosa. Scimus in Papatu multos concionatores & doctores contradixisse Antichristo Romano, & omnes fere ipsius errores damnauisse. Scimus deploratum & contaminatum Ecclesie Romanæ statum plurimis displicuisse. Scimus multa millia fidelium occultorum in Papatu salutis. 10. Quia nullum est fundamentum Costeri, nos videlicet iniurios esse in maiores nostros, quod asseramus omnes æternum damnatos esse: cadit gratis illa accusatio, quod Deum faciamus mendacem, crudelem, & iniquum. 11. Quæ Christus & propheta prædixerunt de vniuerso Ecclesie statu in N. T. ea Costerus perperam ad omnia & singula temporum momenta refert. Perstitit enim hæcenus, & persistit ad finem vsque mundi veritas Christi & Ecclesie: quamuis lunæ instar varia facie, nunc clarius, nunc obscurius, interdum quasi extincta & multis in locis prostrata. 12. Comitetur sane hæresim ista omnia, seditiones, bella, euersiones templorum &c. Sed quid ista ad nos? Quippe neque magistratum contempnimus, neque sacramenta & templa profanamus & cetera sed imagines idololatrias, & similia, non diuini, sed idololatriæ, cultus instrumenta tollimus. 13. Res ipsa loquitur, vtri sint auctores & fautores persecutionum, an Papistæ, vel nos miseri hæretici, qui nihil non patimur a bonis illis Catholicis. 14. Inquisitio Hispanica luculento nobis est argumento, quam belle Pontificii propagent fidem suam. 15. Ait Costerus, suos Catholicos aliena regna non inuadere. At historia contrarium testatur. Nam Gregorius III. Italiam ad defectionem a Leone Imperatore adduxit. Gregorius VII. Rudolphum Sueviæ ducem ad rebellionem contra Henricum IV. Imperatorem concitauit. Paschalis II. Henricum VI. prouocauit ad patrem suum Henricum IV. regno deturbandum. Iulius II. Gallia & Navarra regna excommunicatione sua prædæ exposuit, & Ferdinando Aragonum regi iniustissime inuadendi & occupandi potestatem dedit. Alexander VI. Ferdinando & Isabella dominium insularum maris Oceani vsque ad illud tempus inuentarum & inuentendarum concessit. Cuius rei iniquitatem agnouit Paulus III. qui definiuit Indos occidentales veros esse dominos rerum, quas habebant ad usum, nec esse tali dominio & iurisdictione spoliandos. 16. Papistæ inuadunt regna aliena, non morum vitio, sed ex doctrina sua instituto. Docent enim, Pontificem Romanum habere summam in omnia mundi regna potestatem, qua possit suo iure alios reges constituere, alios destituere. Extraneas conc. de maior. c. vnam. *Gratianus caus. 15. q. 7. c. Alius item.* Docent, infideles omnes sola infidelitatis causa posse per bellum priuari dominio rerum temporalium: quod solum dominium verum rerum temporalium sit apud fideles, *Sepulveda in 2. 2. Thom. quæst. 10. art. 10.* Docent, principibus a fide Romana discedentibus non esse obediendum, & subditos absoluant a iuramento fidelitatis, *Gratianus caus. 15. quæst. can. nos sanctorum.* Docent, post latam sententiam declaratiuam de crimine hæresis, iniuste principem possidere regnum & principatum: teneque subditos eximere se ab illius obedientia, & bellum gerere contra illum, si vires suppetant, *Dominicus Bannes in 2. 2. Thom. quæst. 12. art. 2. 17.* Vobis, Costere, hæretici sunt omnes illi, qui contra receptam in Ecclesia Romana doctrinam sentiunt. Hos omnes exterminandos esse censetis, & eas, quæ a veteribus Imperatoribus in hæreticos recte statutæ sunt pœnæ, crudeliter in illos decernitis. At non omnis, qui errat, hæreticus est. Neque hæreticus statim emendat tollendus est. Nam in hæreticis tollendis primum opus est institutione fidei: deinde vero moderatione & prudentia Christiana. 18. De vere hæreticis non laboramus. Sed negamus nos hæreticos esse, quod errores Ecclesie Romanæ detestemur. 19. Sanctitas Ecclesie consistit in sincera verbi

Dei prædicatione, & legitimo sacramentorum usu: non in iis, quæ Costerus commemorat, operibus: cuiusmodi sunt ieiunium, eleemosyna &c. Nam ubi duo illa vigent, quamvis palea frumento, boni malis permixti sint, Ecclesiam tamen agnoscimus: quod vt eleganter ait *Augustinus epist. 166.* intra retia verbi & sacramenti, mali pisces cum bonis inclusi sunt. 20. Elias. 4. Reg. 1.10. petit à Deo, vt miraculum edere velit, non ad sanctitatem ipsius, sed contra ad muneris & prophetiæ veritatem à ludibrio & iniuria aduersariorum vindicandam. 21. Falsum est, hæreticis neutro modo concessum esse miracula edere, vt vel de sanctitate doctrinæ suæ, vel de sanctitate vitæ testentur. Deus enim hoc vtrumque illis interdum permittit iusto iudicio, *Deus. 13. v. 1. & seqq.* Quare miracula nobis examinanda sunt ad vocem Dei in S. literis resonantem. 22. Si hæc non sunt censenda miracula, Costerus, quæ diaboli potestatem non excedunt. Falso in Legendis vestris tot plaultra recensentur miraculorum, quæ ope Diaboli fieri posse nemo sanus negauerit. 23. Miracula nulla à defunctis eduntur: sed si vera sunt, à Deo; sin falsa, à Satana & illius squamis. 24. Ad ossa Eliæ editum est miraculum, non ad stabilendum cultū reliquiarum, sed vt esset typus salutis nostræ per Christi pro nobis mortui coniunctionem, vt loquitur Glossa ordinaria. 25. *Augustinus* non miraculis, sed sacris literis Ecclesiam demonstrari docet *tom. 7. de vniv. Eccles. cap. 7.* his verbis. Sed vtrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi diuinarum scripturarum libris canonicis ostendunt. Quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, q̄ in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quæ tenemus commendauit Mileuitanus Optatus, vel Mediolanensis, vel alii innumerabiles nostræ communionis episcopi: aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa prædicata est: aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel auditionum, vel sanitarum sunt &c. aut quia ille somnium vidit, & ille Spiritu assumtus audiuit, siue iret in partem Donati, siue vt recederet à parte Donati. Quæcunque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, nõ ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. 26. Veterum Patrum miracula nihil iuuant causam Papistarum, nisi prius suum cum iisdem in doctrina consensum demonstrant. 27. Miracula à veteribus illis nõ sunt edita ad sanctitatem ipsorum ostendendam, sed ad doctrinæ Christianæ veritatem obfirmandam, aut potentiam, bonitatis, vel severitatis Dei demonstrationem, aut aliam aliquam Ecclesiæ vtilitatem. Variæ enim sunt miraculorum causæ. 28. Miracula Dominici, Francisci, & similibus, nec illorum, nec Ecclesiæ Romanæ sanctitatem testantur: adeo redundat omnia fabulis, superstitione, hypocriti, impietate; vt ex Legendis, & Libro conformitatum B. Francisci videre est. 29. De reliquiis sanctorum quid dicam, vel potius quid non dicam? Scitum est illud verum: Multorum corpora coluntur in terris, quorum animæ torquentur apud inferos. 30. Quis probet reuelationes illas, quæ vel inter sese, vel cū sacris literis è diametro pugnant? 31. Ne aliquid fabularum omisisse videri queat Costerus, stigmata Francisci adiungit. Quæ fabula plena est impietatis & turpitudinis. 32. Costerus ait: *Rident hæc hæretici, vt omnia pia.* Imo, in quâ ego, Rident hæc & detestantur viri prudentes & suæ salutis studiosi, tanquã ridicula, impia, & impura. 33. Apostolus dicendo Corinthiis, *Vos ipsos tentate, si estis in fide,* non agit de externa fidei probatione ex miraculis, sed de interna animi & conscientiæ exploratione ex testificatione Spiritus sancti. Nam, vt *Augustinus de ciuit. Dei lib. 13. c. 1.* ait: Omnis qui credit, videt se credere: hoc enim experitur in se. Deinde quamuis de probatione fidei ex miraculis ageret Apostolus, non inde tamen consequeretur, eam probationis rationem generalem esse & perpetuam. Tum enim temporis viguit donum miraculorum, donum dico extraordinarium & rarum. 34. Exorcismi & adurationes vestræ, Costerus, redolent superstitionem & incantationem. 35. Humana commenta falso palliantur nomine sanctitatis: qualia sunt vota monastica ieiunia meritoria, coniugii in ministris Ecclesiæ damnatio, certorum ciborum prohibitio, imaginum cultus &c. 36. Verum est, Ecclesiam veram multos habere pios, & si qui in ea minus pie viuant, id non doctrinæ, sed hominum vitio euenire. Sed laus ea minime conuenit Ecclesiæ Romanæ: quippe quæ sanctitatem collocat in meritis operum, & infinitis superstitionibus & *ἀθελαθησολαίς*: de quibus nihil attinet hoc loco dicere.

XI. Concludit suam dissertationem Costerus his verbis. Hactenus ex ciuitatis similitudine rationem docuimus, & methodum dedimus in tanta Ecclesiarum multitudine, veram Ecclesiam à Christo fundatam, priuilegiisque ornatam à falsis discernendi. Iuuabit ad eandem rem similitudo viarum, quæ sicut ad ciuitatem ducunt, ita fides, sincera doctrina, & vera religio, quæ in sola Ecclesia colitur, ad ciuitatem patriamque celestem. Esto igitur mercator quispiam, cui in itinere Francofordiensi occurrant viæ septem vtrunque tritæ, hoc tamen discrimine, vt vna quæ latior est, rectissime ducat, & plena sit viatoribus, qui hunc eodem inuitent, dicantque multis abhinc annis infinitam hominum turbam eadem præcessisse, quos Francofurtum attingisse certissimis nuntiis innotuerit: alias illas vias obliquas esse, non ita nuper stratas, & paucos quidem per eas ingressos, de quorum nomine hactenus certi aliquid relatum non sit, an Francofurtum venerint, an potius in feras, aut latrones inciderint. Quid hic facturus est mercator? Si sapit, dimissis pauculis illis, abire vias suas, vulgato ipse & tutiori itinere se committet, ridentibus licet miscellis aliis. In spirituali hoc itinere, quo in celos tendimus, viæ multæ sunt, vna regia, lata, vetus, sui similis, quam infinita hominum turba, iam mille quingentis annis ingressa est: Catholica, inquam, Ecclesia, per orbem vniuersum diffusa, quæ non Germanos tantum, Gallos, Belgas, Anglos, & hos septentrionales ducit viatores, sed innumeros per Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Indiam, Japoniam, Sinas, Perus, Brasiliam, Africam, Æthiopiam. Omnes enim Catholici tam late in orbe sparsi, eandem vbi que retinent fidem, idem credunt per omnia, idem sentiunt, idem dicunt, eundem ducem sequuntur Christi in terris Vicarium, non præsentem modo, sed antecessores quoque totis 1500. annis, successione nunquam interrupta. Hanc porro viam ingressos certissimis argumentis compertum est, ad celestem illam, quæ tendebat, ciuitatem, non paucos deuenisse, euidētissimis (inquam) miraculis, quibus post mortem in fidem sanctitatis claruerunt. At non defuerunt omni tempore homines, qui huius tam celebris viæ per se, nõ uas sibi suisque sequacibus vias sternerent. Primus Simon Magus, tum Arius, Sabellius, Nestorius, postea Berengarius, Waldenses, & quotquot à recto itinere deflexerunt. Sed quod posteris nullo testimonio alicuius ex antecessoribus salus comprobaretur, paulatim obducta sunt vetera illa deuia, vt eorum ne vestigium quidem amplius relinqueretur. Anno autem

Domini 1517. quidam frater Martinus Lutherus, professione & habitu monachus, ordinatione sacerdos, nouum quoddam & compendiosum iter in celum à se repertum docuit, ex regia tamen illa via ad latus eductum. Noua igitur dogmata mundo proposuit, nouam fidem atque religionem excogitauit, ab orbe condito nulli vel auditam, vel usurpatam: modumque quo in illius notitiam primus venerit, ipse non tacuit. Scripsit enim cum dæmone eam sibi consuetudinem fuisse, vt cum eo plus quam modicum salis consumferit: sibi que ab illo administrata recenseret argumenta, quibus ad euentum dū Missæ sacrificium deinceps est usus. Hanc viam cum fraterculus ille primus strauisset, qui eandem secuti fuerant, ne, cū duces ipsi met esse vellent, vnius illius hominis ducatum sequi viderentur, ex illius obliqua via multa sibi singuli diuertacula aperuerunt, populūque Christianum in innumeras sectas diuisum, varios in errores abduxerunt. Neque tamen an illorum quispiam in celum peruenerit, mortalium vlli constare hactenus potuit. Is ergo, qui serio de salute æterna cogitat, quos tandem sequetur? Videbit sectarios parum suspicatos, consiliis, inquam, diaboli seductos, viam regiam Catholicorum deseruisse. Videbit paucos quosdam homines in singulis diuerticulis (quid enim ad orbem Catholicum Germania vel Gallia, quæ tamen non integræ eundem ducem sequuntur?) videbit nunquam hactenus tritas vias, non ita nuper ab obscuris quibusdam apertas fuisse: neque adhuc cuiquam constare, an eo quisquam appulerit, quo proficiscebatur: sane qui sapit, nihil sibi cum hæreticis commūne esse vult, sed veterum fidem, Romanamque Ecclesiam sequetur. Vni enim Luthero, paucis hæreticis, nouis hominibus, quos constat ab Ecclesia descivisse, nec constat boni aliquid post hanc vitam consecutos esse, se ipsum suamque salutem committere, est plenum periculum.

XII. Apodosis huius similitudinis constat partim petitione principii, partim calumniis, partim mendaciis. Nam primo est mera petitio principii, Papistas idem cum Ecclesia Catholica sentire, Pontificem esse Christi vicarium in terris, Ecclesiam antiquam Pontifici fuisse subiectam, successione in Ecclesia Romana nunquam fuisse interruptam, miracula esse sanctitatis argumentum indubitatum. Quæ fundamenta apodosis Costerianæ partim paulo ante, partim alibi à Chamiero, & nobis, sunt confutata. Deinde calumniæ sunt, quæ de Berengario, Waldensibus, & Luthero commemorantur. Denique mendacia sunt, Ecclesiam Romanam per vniuersum orbem esse diffusam, Catholicos Romanos idem sentire per omnia, Lutherum excogitasse nouam fidem. Quare (vt similitudinis allata protasis plausibilis & popularis habeat conuenientem apodosis) is qui de salute æterna serio cogitat, & in tanta opinionum varietate dubius hæret, quos tandem sequatur, is viam regiam, quam propheta, Christus, & Apostoli muniuerunt, & triuerunt, & commendarunt, vnice insitat, hoc est, vocem Dei in S. literis sonantem, vera fide & charitate sequatur: reliquas vero vias, quæ à via ista regia, vniuersali, & antiquissima, abducunt, cane peius & angue fugiat, hoc est traditiones humanas, quantumuis splendidas & mangonizatas, detestetur, certoque sibi persuadeat, hos solos vitam æternam assecutos, assequi, & assecuturos, qui fidem suam ad Euangelium, & vitam ad Legem Dei conformant. Sed nihil faciamus Costerus, qui oratorem potius egit quam disputatorem. Quæ etiam causa fuit quod contextum ipsius totum fere transcribere nos oportuit.

CAP. IV.

Prima Ecclesia nota apud Bellarminum: Appellatio Catholicorum & Christianorum.

I. *Bellarminus lib. 3. c. 3. de Eccles. milit. ait,* Ecclesiam Catholicam esse quasi solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, vt facillime per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas, siue testimonia, & signa, quæ eam discernunt ab omni falsa religione paganorum, Iudæorum, hæreticorum: & non quidam efficiunt euidenter verum, ipsam esse veram Dei Ecclesiam, sed tamen efficiunt id euidenter credibile. Itaque notæ, quas adferemus, non faciunt euidentiam veritatis simpliciter (quia alioqui nõ esset articulus fidei, hanc Ecclesiam esse veram Ecclesiam: neque vlli inueniretur, qui id negaret, sicut nemo inuenitur, qui neget sententias matrematricorum) sed tamen efficiunt euidentiam credibilitatis. Apud eos autem, qui admittunt Scripturas diuinas, & historias, ac Patrum etiam scripta, faciunt etiã euidentiam veritatis. Porro hæ notæ à variis varie nominantur & numerantur. Nos quindecim notas præcipuas proponemus, quæ si quis velit, poterunt reuocari ad illas quatuor, quæ communiter à recentioribus assignantur ex symbolo Constantinopolitano, Vnam, Sanctam Catholicam, & Apostolicam. Ita Bellarminus.

II. Nos vero non de quibusuis, aut quam plurimis Ecclesiæ visibilis & externæ notis laboramus: sed de necessariis, essentialibus, & propriis, quas solus in Ecclesia impressit Deus, Ecclesiæ parens. Deinde requirimus notas, quæ nobis non sint credibiles solum, sed etiam euidenter notæ. Neque enim hic moramur ethnicos, Iudæos, & omnino homines ψυχρούς, qui hic talpis cœciores sunt. Itaque facile admittimus distinctionem Bellarmini. Denique non laboramus de numero: vt supra non semel diximus. Itaque videamus quindecim Bellarmini notas, quas omnes & singulas non modo veræ & Catholice Ecclesiæ proprias, siue essentielles esse: verum etiam Romanæ Ecclesiæ, qualis etiam nunc hoc tempore est, & huic quidem soli, verissime conuenire; nostris autem, siue reformatis, vereque Evangelicis Ecclesiis, nullo modo competere, animose affirmat. Vnde in singulis notis tria futura sunt capita disputationis. 1. Vtrum notæ istæ per se veræ ac genuinæ, hoc est, Catholice Ecclesiæ essentielles sint, nec ne. 2. Num soli Ecclesiæ Pontificiæ recte aptentur, an secus. 3. Annon Ecclesiis nostris, potiori iure, aliquatenus accommodari possint. Hoc igitur ordine singulæ notæ, cum Deo, deinceps nobis examinandæ sunt. Si malis, dic duo solum esse capita huius methodi, videlicet thesis, & hypothesis, adeoque translatio thesis ad hypothefim.

III. *Prima nota* est ipsum Catholicæ Ecclesiæ, & Christianæ nomē. Quibus verbis Bellarminus duo coniungit artificiose, & mentem suam enuntiat

ambiguitate. Duo distincta sunt, Catholicus & Christianus; diuersaq; ratione vnifubiecto attributa: ac proinde ad vnā notam eadem ratione nō possunt pertinere. Ambiguum est, cum ait ipsum nomen esse notam. Nam aut sensus est huiusmodi, notam esse Ecclesie, quod Catholica & Christiana est prout nominatur; aut istiusmodi, ipsum nomen & appellationem notam esse illius. Priore modo falsa est propositio. Nam (vt ipse Bellarminus cap. 2. h. l. arguebat) omnis nota Ecclesie visibilis videtur aut cadit in sensus. At vero *το κοινον*, siue Catholicum & vniuersale non videtur aut cadit in sensus, quia est rationis obiectum. Hinc *Gregorius de Valentia Analys. lib. 6. c. 3.* ait, Ecclesiam dici Catholicam, id est, vniuersalem, tribus de causis. 1. ob vniuersalitatem doctrinae, quam profiteretur de Deo, creaturis, angelis & c. 2. ob vniuersalitatem loci, quia per vniuersum terrarum orbem diffusa est. 3. respectu temporis, quia ad finem mundi perseverabit. At vero hæc omnia non sensu, sed mente, & fide comprehenduntur. De Christianitate, eadem omnino ratio est. Nā nulla forma interior videtur. Christianitas est forma interior. Non ergo videtur. Sin externam intelligit, eadem cum nota ipsius decima & sequentibus, futura est. Posteriore modo neutrum est essentialis nota, sed accidentalis: contingens, non necessaria. *Non est essentialis*; quia nullum dici est essentialiale. Nam *το κοινον* *omne dici*, impositionis est. Omnis autem impositio accidentaria est. Omne igitur dici accidentarium, & proinde eiusmodi, quo aliquis uti & abuti queat. Ita *Codic. lib. 1. tit. 8. leg. 6.* decretum est, vt Nestoriani non abutantur nomine Christianorum. *Non est necessaria*; primum quia dici aliquid de aliquo, res contingens est, non necessaria. Est enim dici ab instituto atque voluntate, quæ libere & citra vllam necessitatem pleraque nomina rebus imponit. Deinde, quia istud dici commune est, & ab aliis qui extra Ecclesiam degunt, seque ab ea scindunt, communiter potest vsurpari. Etenim quoties, obsecro, memoria nostra contigit, cum Papistæ exprobrarent, Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas, Libertinos, esse hæreticos, vt alii Catholicos se, plerique Christianos esse, responderent? Si ergo ita dici nota necessaria est, quid nobis dicentibus non credunt necessario? Si dicentibus sibi de sua Ecclesia Pontificia credi volunt, & notam putant necessariam, cur non etiam cuique ex animo de se profitemi credituri sunt? Ecclesiam ergo Catholicam & Christianam profitemur esse, atque à nobis credi & coli: sed *το κοινον* *το κειμενον*, id est, vniuersalitatem & Christianitatem esse negamus ipsius notam, ex qua internoscatur foris. Porro neque nomen istud, *Catholica*, neque res ista per nomen significata, Ecclesie Dei perpetuo, iam inde ab initio ipsius, tribui potest: cum initio quidem Ecclesia, Christo in terris adhuc viuente, neque Catholica fuerit appellata, teste *Paciano epist. 1. ad Sympronianum*; neque ante vniuersalem Euangelii prædicationem, reuera sic dici poterit, quod nempe fuerit Catholica ratione loci. Itaque hæc nota spuria est, siue nomen ipsum, siue rationem nominis, à Gregorio de Valentia paulo ante dictam, respiciamus. *Si nomen*; est nimis commune. Et à nomine ad rem non valet cōsequētia. *Si rationem nominis primam*; non vniuersalitas doctrinae simpliciter, sed vniuersalitas doctrinae veræ diuinitus patefactæ, est nota Ecclesie. *Si secundam*; Ecclesia non semper fuit diffusa per orbem. *Si tertiam*; quia non omne quod ad finem mundi perseverabit, est Ecclesia. Quod attrinet ad nomen *Christianus*, illud est magis honorificum, quā alterum, quippe ab ipsis Apostolis impositum, *Act. 11.* Nudum vero nomen nihil probat, iuxta illud *Ignatii epist. 3.* Decens est non tantum vocari Christianos, sed etiam esse: & iuxta illud *Saluiani li. 4. de prouid.* Christianum nomen quasi aureum decus est: quo si indigne vtamur, fit vt sues cum ornamento esse videamur.

IV. Sed Bellarminus duobus argumentis probat, hoc vocabulum siue epitheton, nullis hæreticis, aut schismaticis, sed soli veræ Christi Ecclesie conuenire. *Primo* adducit illa Patrum. *Augustinus lib. contra epist. fundam. c. 4.* docet, etiam si omnis hæresis velit videri & dici Catholica Ecclesia: tamen cum interrogantur hæretici à paganis, vbi ad Catholicam conueniatur, nemo audeat domum suam ostendere. Et *Cyrillus Catech. 18.* dicit: Si iueris in aliquam urbem, non petas, vbi sit Ecclesia, vel domus Dei: nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei & Ecclesiam: sed petas, vbi sit Catholica Ecclesia: id enim nomen proprium est huius sanctæ Ecclesie, matris omnium nostrum. *Pacianus in epist. ad Sympronianum*; Certe, inquit, non est ab homine mutatum, quod per tanta secula non cecidit. Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores. Et *infra*: Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit. Et *ibidem* ait, nomen Catholicum conuenire capiti principali, & trunco illius arboris, vnde multi rami variis temporibus excinduntur. Sectæ enim hæreticæ rami sunt, id est, partes quædam ab arbore Ecclesie præcisæ; ipsa autem arbor, quæ sua radice nititur, & semper eadem manet, & est quid totum, Catholica dicitur. Et hoc est primum Bellarmini argumentum ex patribus: ad quod respondemus ista. 1. Nuda nominis appellatio nihil probat. Hinc *Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum c. 23.* ait: Multi Christiani Catholici vocantur, & sunt adulteri, raptores, auari, ebriosi, & quidquid aliud doctrinae sanæ aduersatur. Vide *Apo. 2. 9. c. 3. 9.* in quem posteriorem locum *Ribera* recte adnotat: Hæc (Ecclesia Sardicēsis) erat mortua, cum tamen nomen haberet, quod viueret, & opinione sua viua erat. 2. Argumentum à nomine ad rem non solum semper est puerile, verum etiā sæpe perniciosum. Nam hæreses & error solet quoque sibi arrogare nomina dignitatis & præstantiæ. Hinc *Cyprianus ad Iubaianum epist. 73.* ait: Nouatiani simiarum more, quæ cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesie Catholice autoritatem sibi & veritatem vendicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis extiterit. Sic *Augustinus lib. contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, c. 4.* ait, quod omnes hæretici se Catholicos dici velint. Idem testatur *Lactantius lib. 4. diuinarum Inst. c. 30. 3.* Patres nomen Catholice cum re ipsa coniungunt. Recte itaque *Cosierus Apol. part. 3. cap. 7.* ait: Non queritur quid cæteræ Ecclesie dicat, sed quid vere dicant. Omnes enim hæretici affirmant, apud se veram & Catholicam fidem inuolam retineri. 4. Ecclesia Catholica dicitur aut simpliciter, aut secundum respectum quendam. Simpliciter Catholica est, quæ omnia Christi membra sine distinctione temporis & loci complectitur, id est, corpus illud Christi mysticum. Secundum quid vero Ecclesia Catholica dicitur oppositè duplici respectu: primum per comparationem Ecclesie Iudæorum, quæ angustis finibus fuerat olim inclusa; secundum per comparationem hæreticorum & schismaticorum, qui non retinebāt doctrinam Catholicam. Patres, quādo Ecclesiam suam vocant Catholicam,

eam hoc epitheto discernunt à synagoga V. T. & à conuentibus hæreticorum. Sed quid hoc ad Ecclesiam Papisticam? Neque enim est idem modus huius Ecclesie cum illa Patrum.

V. Secundum argumentum Bellarminus ducit ex Scriptura, nempe 1. *Cor. 3.* 4. vbi Apostolus prohibet, ne nomina schismatica vsurpent. At nulla est hæresis, quæ non accipiat nomen ab homine aliquo, authore nempe suo, & nomen Christianum relinquat iis, à quibus discedit: vt Iustinus, Irenæus, & alii Patres testantur. Ita enim Marcionitæ à Marcione, Ariani ab Ario & c. dicuntur. Nobis autem nullus vir nomen dat, sed sola fides, vt ait *Chrysostomus homil. 33. in Act.* Iam ergo si nunc dicuntur alii Lutherani, alii Calvinistæ & c. nos autem ab aliquo certo homine nemo vnquam vocauit, constat nostram solam esse veram Ecclesiam. *Resp. 1.* Propositio ista est contingens & particularis: Nulla est hæresis, quæ non accipiat nomen ab aliquo homine authore suo, & nomen Christianum relinquat iis, à quibus discedit. Nam & hæreses inueniuntur, quæ ab authore non habent nomen, sed à doctrina, loco, & similibus: & inueniuntur, quæ non relinquunt Christianum nomē, sed ipsum sibi arrogant. Nam Marcionitæ & Valentiniani se Catholicos & Orthodoxos dici voluerunt, cæteros hæreticos appellabant: Nouatiani se puros vocabant, cæteros omnes impuros. 2. Loca Patrum, quæ citantur affirmant particulariter, quod res est, ac non vniuersæ. Itaque propositionem vniuersalem Bellarmini non probant. Nam Patres vel indefinite loquuntur, Esse hæreticos, qui denominati sunt à viris quibusdam, vel singulariter Marcionitas, & alios commemorant. 3. Nomina schismatica nobis ipsi non imponimus, sed ab aliis imponi dolemus. Bene autem habet, quod nomina tantum, nō etiam crimina nobis imponant. Sic olim Ariani Orthodoxos appellabant Athanasianos. Itaque vehementer probamus illud Chrysostomi, quod paulo antè allegauit Bellarminus: & istud *Athanasii serm. 2. contra Arianos*: Nunquam populus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit: certe à beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti nō sumus, sed à Christo Christiani sumus, & nuncupamur: illi vero qui alii de originem fidei suæ deducunt, merito authorum suorum cognomen præ se ferunt. Quapropter cum à Christo omnes Christiani essemus, & diceremur, explosus est Marcion, & c. Quod testimonium etiam Bellarminus allegat.

VI. Iam videamus, vtris hoc nomen iure tribuatur, an aduersariis, vel nobis. Vbi duo axiomata ponimus loco fundamenti. 1. Ecclesia quæuis particularis vere Catholica est & dicitur, quæ doctrinam Ecclesie Catholice, hoc est, omnium fidelium, amplectitur. 2. Cuius Ecclesie confessio cum Scripturis consentit illa est Catholica. Quam in sententiam *Chrysost. homil. in Matth. 7.* ait: Si videris hominem Christianum, considera, si confessio eius cōueniat cum Scripturis: si sic, tum verus est Christianus. Iam assumo. Ecclesia Romana hodie non amplectitur fidem omnium fidelium, neq; consentit cum Scripturis. Nam illa pro capite agnoscit Papam, & confidit in meritis operum, & adorat creaturas itemque imagines, aliaque his similia docet ac facit, quæ praxi Ecclesie V. & N. T. & S. literis aduersantur. At nostræ Ecclesie solam Scripturam habent pro canone fidei & vitæ, solum Christum pro capite Ecclesie, solo ipsius merito confidunt, solum Deum inuocant, secuti veltigia fidelium in V. & N. T. Vnde iam facile colligat vir prudens, penes quos stent aquilæ, aues illæ victrices.

VII. Hic non est prætereundum illud Bellarmini, quando ait sub finem c. 4. Papistas ita appellari non ab aliquo nouo authore & hæresiarcha, sed à Papa, qualis fuit etiam Petrus, & Christus ipse: item *to Romanus & Romanensis* etiam ante 1100. annos idem fuisse quod *Catholicus*. Itaque licet ipsi appellentur Papistæ & Romani, hoc tamen nihil derogare titulo Catholici. *Resp. 1.* Imo vero Papistæ sic appellantur ab homine: videl. ab illo homine peccati, qui retinet quidem nomen honorificum Papæ, sed reuera est Antichristus. 2. Romanus certe à loco ita dicitur. Nec potest esse nomen Ecclesie Catholice: quod contradictionem implicet, Ecclesiam esse Romanam, id est, particularem, & Catholicam, id est, vniuersalem. Atque eodem sensu Ecclesia Romana dicitur Latina. Colophonis loco ad hanc notam aduerte illud ex *Augustino l. contra epist. Fundamenti c. 4. & 5.* Postremo tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen. Quibus verbis Augustinus hanc notam facit honorariam, & ancillariam, siue postremam, non vero primam & palmariam; vt videtur facere Bellarminus.

CAPVT V.

Secunda Ecclesia nota apud Bellarminum: Antiquitas seu Vetustas.

I. Secunda nota est Antiquitas, ait Bellarminus c. 5. Negamus primum notā essentialē esse: nam antiquitas res accidentaria est. Secundo notā propriam esse: nam si propria esset, nunquam sine hac nota fuisset Ecclesia: fuit autem, vt Ecclesia primo nascens: neque cum rebus aliis communis esset, est autē cōmunis cū aliis rebus antiquitas, quia errores & hæreses in multa antiqua sunt, & falsa Ecclesia vna cum vera inde ab initio cœpit. Tertio notam esse negamus: nam videri aut sensu percipi cuiusquam non potest, quod Bellarmini distinctio postulat. Est itaque antiquitas commune adiunctum & accidentarium, non singularis & necessaria nota Ecclesie. Quare etiam iubemur *Ezech. 20. v. 18. & d.* non in antiquis Patrum consuetudinibus, sed in præceptis Dei ambulare. Et hinc *Tertullianus lib. de uelando virginibus* ait: Hæreses non tam nouitas, quam veritas reuincit. Et *idem lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 32.* Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Ecclesie, quæ nec nullum ex Apostolis vel Apostolicis authorem suum proferant, vt multo posteriores, quæ denique quotidie instituantur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro cōfanguinitate doctrinae. Et *d. lib. cap. 20.* Apostoli in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud vnāquamq; ciuitatem condiderunt, à quibus traduceim fidei & semina doctrinae, cæteræ exinde Ecclesie mutuatæ sunt, & quotidie mutantur vt Ecclesie fiant. Ac per hoc & ipse Apostolicæ deputatur, vt soboles Apostolicæ rû Ecclesiarum. Omne genus ad originē suā censetur necesse est. Itaque totæ & tantæ Ecclesie, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnā omnes probant vnitatē. *Cyprianus epist.*

epist. 74. ait: Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Similiter olim Ambrosius & Prudentius, ethnicis Romanis, antiquitatem suae religionis iactantibus, pro Christiana religione responderunt. Et eleganter Augustinus Enarratione psalm. 64. Hierusalem accipit exordium per Abel, Babylon per Cain. Idem quae st. 114. Paganis antiquitatis causa verum se tenere contendunt: quasi antiquitas, aut vetus consuetudo, praedictet veritati. Idem d.l. Hic est mos diabolicus, ut per antiquitatis traducem commendetur fallacia. Non igitur sola antiquitas, & per se, sed antiqua veritas, est germana Ecclesiae nota.

II. Audiamus tamen, quomodo Bellarminus probet, antiquitatem, quae talem, esse notam Ecclesiae. Adfert quinque argumenta. 1. quia Deus antiquior est diabolo. 2. quia Matth. 13. 24. prius bonum semen, deinde zizania in agro Domini seminata esse dicuntur. 3. quia Ecclesia Christi Catholica vocatur, non tantum locorum, sed etiam temporum omnium respectu. 4. quia Ecclesia dicitur Apostolica, utpote ab Apostolis inde ab initio fundata. 5. quia Patres hanc Ecclesiae notam, contra haereticos & paganos vrgere solent: praesertim Tertullianus in apologetico c. 19. & 20. Augustinus l. 18. de ciuit. Dei c. 37. 38. & alii. Item antiquitatem inter notas Ecclesiae ponunt: ut Tertullianus de praescript. Opatas lib. 2. contra Parmenianum, Hilarius li. 6. de Trinit. & c. Resp. ad 1. Inde sequitur, Ecclesiam veram esse antiquiorem quam falsam: at non istud, Ergo antiquitatem esse notam Ecclesiae genuinam. ad 2. eadem est responsio. ad 3. Ecclesia Catholica absolute dicta ideò: sic appellatur: non autem Ecclesia Catholica, quae sic dicitur ob doctrinam Catholicam. ad 4. Ecclesia dicitur Apostolica, quia nitur fundamentum Apostolorum, quod est Christus, & conseruat doctrinam Apostolorum. ad 5. Patres antiquitatem ponunt inter elogia Ecclesiae Catholicae, non inter notas. Deinde antiquitatem non nudam & solam, sed patrocinio veritatis munitam, referunt inter adiuncta Ecclesiae. Denique de sua illa propinquiore, in corruptiore, liberiore loquuntur: non de hac longinquiore aliquot seculis, corruptissima, occisissima: de Ecclesia, inquam, Catholica, non vero Romana.

III. Atque hoc est primū caput huius quaestionis, num antiquitas sit nota Ecclesiae. Secundum est accommodatio huius notae ad Ecclesiam Romanam, cui soli eam competere Bellarminus probat ex inductione sex circumstantiarum, quae in omni insigni mutatione religionis demonstrari possunt: cuiusmodi sunt author, siue inuentor noui dogmatis; ipsum nouū dogma; tempus, quo incepit; locus ubi coepit; aduersarii, qui dogma illud oppugnarunt; denique conspicuus aliquis & exiguus coetus, qui paulatim aliis accedentibus, crescere coeperit. At nihil horum demonstrari potest de religione & Ecclesia Romana. Primo enim haeretici nunquam nobis obiecerunt authorē nostrae sectae. Neque ostenderunt primam originem vllius dogmatis nostri. Nec potuerunt designare tempus certū nostrae defectionis ab Ecclesia. Nunquā ostenderunt locū, quo coepit: aut aduersarios, qui eam oppugnaverunt vel priuatim, vel in Conciliis. Denique non potest vllō modo ostendi, quod vnquā nostra Ecclesia separauerit se ab aliqua maiore, ita ut qui adhārebāt sedi Romanae, essent paucissimi, reliqui Christiani multo plures. Hinc itaq; efficitur, nostrā Ecclesiam nunquā ab Apostolica fide defecisse, & consequenter, ipsam esse antiquissimā, & Catholicam Christi Ecclesiam. Resp. ad propositionē maiorem, illam non esse vniuersalem. Dicendum fuerat, in omni insigni mutatione & subitanea. Nam est & mutatio lenta, in qua haec omnia simul nō possunt demonstrari. Insignis fuit mutatio doctrinae religionis in Hierosolymis & Scribis, Matth. 5. 20. c. 16. 6. Sed fuit mutatio lenta, cuius nec author, nec tempus, nec oppugnatores singulares adferri possunt: nec coetus nouum instituit, sed in coetus populi Dei se insinuauit instar veneni latentis, & cancri serpentis. Ita & Papiasmus coepit atque serpsit. Certe communis ratio, & quotidiana experientia, clare testatur, multa quotidie in rebus tum physicis, tum maxime politicis & ecclesiasticis, valde corrumpi, siue in deterius mutari, nemine tamē istas mutationum circumstantias, praesertim simul omnes, obseruante. Sic Matth. 13. zizania occulte sparguntur in agro dominico, quae non nisi progressu temporis animaduersa fuerunt. Idem fit in rep. & Ecclesia. Ad minorem respondeo per partes. ad 1. Obiicit vobis varios Pontifices, qui corrumperunt Ecclesiam diuersis temporibus. ad 2. Erumpentes, aut irrumperentes haereticos facile videmus: at Antichristus Romanus vias suas obtexit diligentissime, ne animaduerti possent ab omnibus. Prius enim mors quā vulnus ab eo inflictum saepe cognoscitur, prius sentitur cadaver, quam mors. Deinde origo vestrorum dogmatum & rituum facile ostendi potest, & iam saepe ostensa est, tum à vestris Dd. tum à nostris, ut paulo post patebit. ad 3. Tempus vestrae defectionis & coepit, & proeuentis (nam haec non vno imperu, sed per incrementa sua; non temporis momento, sed longo successu & serie facta est) à nostris quam studiōsissime adnotatum est. Nam inde ab anno Christi 314. ad 606. hoc est, à Syluestro I. vsque ad Bonifacium III. et si Pontifices non fuerunt pessimi, tamen traditionibus & decretis suis viam & sedem parauerunt Antichristo, ita ut anno Christi 606. Bonifacius III. aperuit os suum ut ambrosia bestia, & sibi vendicauit titulum pastoris oecumenici. Deinceps errores magis magisque inualuerunt iusto Dei iudicio. ad 4. In templo Dei coepit illa vestra seductio actiua & passiva, 2. Thess. 2. & quidem in magna illa vrbe Hierosolyma Apoc. 17. ad 5. Confutatur hoc vel vnico illo libro Illyrici: qui Catalogus testium veritatis inscribitur. De Conciliis quod dicitur, quid mirum est, illa, si excipias vnicum Constantinopolitanum, non contradixisse Pontifici Romano, cum ille Conciliis madata dederit, aut liberius à Graecis habita suppresserit. ad 6. Praeposterum est, Bellarmino, quod monstrari desideras, ut se filius perditionis ab aliqua maiore Ecclesia separauerit; cum Romana Ecclesia iam olim, Irenaeo teste lib. 3. maxima fuerit; cū Pontifex ipse maximus in templo Dei sedeat, & Deus haberi velit; cum alia Ecclesia tam diu sub tyrannidis illius iugo gemuerint; cum denique particulares Ecclesiae cogantur discessionem facere ex Ecclesia illa magna, quae tantam cheu passa est corruptionem. Papa maximā Ecclesiae partem occupauit & corrupit: & Bellarminus doceri perit, quomodo se ille à maiore separauerit. Idem ille veterator Papa sedet in templo Dei: cui particulares Ecclesiae primum refragatae sunt ab Asia & Africa, ipsaque Graecia, deinde refragantes, conterritae sunt minis, obrutae calumniis, obiectae persecutionibus. Nihil itaque mirum, quod ille praualuerit: quomodo erat praedictum à Paulo & Iohanne.

IV. Etsi insanum est, nolle credere rem aliquam mutatam esse, quam certo mutatam esse constet, nisi scias à quo, quando, ubi, quomodo & c. primū mutata fuerit: cū videamus ut in morbis, ita in moribus; ut in natura, sic in rep. & externa Ecclesia, paulatim fieri inclinationem, nemine tamen id

obseruante, priusquam ipsa mutatio facta sit: tamen, ne Papiis hic frigidi & ieiuni videamur, age ostendamus paucis, quo tempore, quo loco, quibus auctoribus, & promotoribus, quibus itē cōtra nitentibus, noua quaedam dogmata paulatim in Ecclesiam Romanam inuenta sint, siue doctrinam fundamentalem, siue ritus Ecclesiasticos spectemus. Qui plura volet hac de re cognoscere, legat Polydorum Vergiliū, alioqui plane Pontificium, in libris de rerum inuentoribus: ubi passim multa de primis auctoribus. Missa, & partium eius, vtorū monachalium, cultus imaginum, & reliquiarum, necnon indulgentiarū, satisfactionum, Purgatorii, coelibatus, & aliarum id genus rerū, accurate describit. Videat quoque Catalogum testium veritatis, Centurias Magdeburgenses, Bullingerū de origine erroris, Mornaeum de mysterio iniquitatis, Perkinsum de emendato Ecclesiae Romano Catholicismo, Hostinianum de origine & progressu temporū, festorum, monachorum &c. Nos compendio rem omnem tradere conati sumus, obseruata seculorū serie, in Thesaurō Chronologiae: vnde ista summam huc transtulimus. Anno Christi 142. Telephorus Papa Quadragessimā instituit: an. 154. Hyginus christina: an. 221. Calixtus quatuor anni tempora. An. 310. Antonius Eremita inuehitur in superstitiones, circa reliquias, & improbat peregrinationes religionis causa susceptas: an. 326. Paphnutius contradicit decreto Concilii Niceni de coelibatu Episcoporum: an. 360. Vigilantius oppugnat inuocationem sanctorum, orationes pro mortuis, adorationem reliquiarum & imaginum, coelibatum Episcoporum &c. An. 400. & deinceps doctrina de praedestinatione, de iustificatione gratuita, de libero arbitrio, & similib. dogmatibus, ita fuit exposita, ut hodie à nobis sit: sicut videre est ex scriptis Augustini. An. 606. primatus incipit in Phoca. An. 675. synodus Constantinopolitana II. Ecclesiam Romanam acerbe perstringit, & vxores permittit Episcopis. An. 724. Graeci tollunt imagines: an. 788. cultus imaginū stabilitur in Concilio Niceno II. ann. 880. Adrianus Papa sibi vsurpat potestatem canonizandi: an. 1058. & deinceps coniugium sacerdotum prohibetur: an. 1060. hostia introducta sunt loco panis in S. Eucharistia: an. 1215. transubstantiatio stabilitur: an. 1220. Robertus Grothaeus Episcopus Lincolnensis, qui malleus Romanorū dictus fuit, notat & reprehendit idololatriam & abusus Ecclesiae Romanae &c. Vide amplius infra. 9.

V. Restat tertium membrum huius quaestionis, ubi Bellarminus probare instituit antiquitatem nostris Ecclesiis minime competere, his fere argumentis. 1. Reperit suam illam inductionem. Nominat enim auctores nostrae religionis, nempe Lutherum, Zvinglium, alios: item ipsa dogmata; ab illis inuenta, & antea mundo ignota v.g. de sola fide iustificante, de seruo arbitrio &c. tum locum, & tempus, ubi & quando auctores istius dogmata tradiderunt: praeterea aduersarios, qui sese illis opposuerunt: denique coetus eorum, qui illis adherere coeperunt, & paulatim magis ac magis increuerunt. Itaque nobis hoc loco obiicit illud Tertulliani lib. de praescript. Qui estis vos? vnde, & quando venistis? ubi tam diu latuistis? Item illud Optati l. 2. contra Parmenianum: Ostendite originem vestrae cathedrae, qui sanctam Ecclesiam vobis vendicatis. 2. His absurdus in nos pugnat. Si Ecclesia Romana per tot annos non fuit vera Ecclesia, quomodo ista corruptio nō est toto illo tempore detecta: & ita nō solū pastores, sed etiā Deus valde dormiuisset: & delendum esset ex Evangelio illud, Ego sum vobiscū vsq; ad consummationē saeculi: & nulla fuit in mundo vera Ecclesia: vel certe ista quae fuit tum temporis Ecclesia, fuit deformior ipsis ruinis synagogae, & miserior ipso populo Iudaeorum post euersionem Hierosolymae: quae non conueniunt cum gloria Ecclesiae, quam Deus pollicitus est per prophetas. 3. Si vestra Ecclesia tā est antiqua, ut iactatis, aut fuit manifesta, aut latens. Si manifesta, quomodo nemo aduerterat? Si latens, tūc ista Ecclesia latens profitebatur fidem suam, vel non. Si illud, ergo nō fuit latens. Si hoc, ergo nō fuit vera Ecclesia. Porro quomodo nullum vestigium, nulla memoria istorum, qui constituerunt istam Ecclesiam, extat? Illa Ecclesia latens nō habuit vnum angulum terrae, ubi libere exerceret actus religionis suae: ac proinde non fuit vera Ecclesia. 5. Maxima pars vestrorum Dd. ex nostra Ecclesia exiit. Ergo illa est vera Ecclesia.

VI. Resp. ad 1. Lutherum, Zvinglium, alios, non sunt auctores nostrae doctrinae. Etsi enim Deum opera illorum in restanda & uangelii doctrina, iam multis seculis deformata, vsum fuisse agnoscimus: hinc tamen nō efficitur, illos esse veros & primos doctrinae nostrae auctores. Fuerunt illi instrumenta Dei, qui veritatem in V. & N. T. a se patefaciam, iustoque ipsius iudicio in Papatu obscuratam, per istos suos seruos in lucem postliminio protulit. Hoc sane non magis doctrinae nostrae nouitatem arguit, quam olim antiquae illae reformationes piorum regum & sacerdotum in V. T. subinde instituta: aut doctrinae, aut Ecclesiae Mosaeicae nouitatem arguebant. Itaque nos inanē aduersarii iactationem eodem modohic retundimus, quo veteres Ecclesiae Dd. similem ethnicorum & Iudaeorū iactantiam olim retulerunt, prouocantes scilicet ad ipsam antiquae doctrinae veritatem. ad 2. Corruptio Ecclesiae Romanae subinde fuit notata & detecta a variis, ut diximus paulo ante §. 4. Sed fraus & violentia Antichristi praualuit. Deinde fatalis detectio fuit reseruata superioris saeculo. Tertio pastores pii & cordati restiterunt erroribus istis quouis saeculo, prout sciuerunt potueruntque. Non itaque dormiuerunt. Quarto Deus illos ipsos pastores excitauit per Spiritum suum & Scripturam ad propagationem veritatis: sed furdis canebatur fabula. Itaque nec Deus dormiuit toto illo tempore. Quinto Deus est etiam cū filiis suis errantibus, ne errēt plane atque totaliter. Neque vero dixit, Ero vobiscum sic ut nunquam possitis errare. Sexto fuit in mundo semper, semperque erit vera Ecclesia. Sed Ecclesia vera in Papatu latens non fuit exposita oculis persecutorum. Septimo Ecclesia ista latens in Papatu non fuit deformis. Ergo nec deformior ruinis synagogae Iudaicae. Octauo illa ipsa Ecclesia miserior interdum fuit populo Iudaeorum post euersionem Hierosolymae, aut certe aequae misera in specie & apparentia, uti vocant. Nam quid aliud Apoc. 12. & seqq. cap. ostenditur? Gloria post secura est. Propheta itaque vtrumque tempus vaticinatus sunt in Ecclesia fore, persequutionem & gloriam. Denique gloria Ecclesiae perpetua est interna & spiritalis. ad 3. Eadem Ecclesia diuerso respectu & later, & manifesta est. Apud Denm & bonos manifesta est; hique aduertunt inter se & profitentur. Respectu autem mundi, tanquam in deserto agens aut solitudine, ut vocatur Apoc. 12. & loco suo, studiose cauet, ne rem sanctam obiciat canibus, qui nil nisi latrare & lacerare appetunt. Itaque pii omni tempore inter sese sunt professi fidem coram Domino; sed non apud canes aut feras incursum. Deinde piorum confessorum in medio Papatu vestigia & memoria per Dei gratiam extant, sed Romanorum Pontificum ingratis. Vide Catalogum testium veritatis, & historias martyrum.

tyrum ad 4. Ecclesia in Papatu latens habuit omnia bona in ecclesia ipsa catholica cum Romana communiter, & communicauit cum ea diuino cultu vbiq; tantisper dum puro cultu, bona fide & conscientia communicantem passa est. Sed vbi non potuit ob illius persecutionem subsistere, discessionem fecit, & ecclesiam liberiolem coluerunt, Albigenes in Gallia, Hussita in Bohemia &c. ad 5. vnde quæso Christ' & Apostoli prodierunt: annon ex Iudæis? annon ex ecclesia, cuius religionem tum temporis corruptissimam esse Christus testatur *Matth. 5.* Deinde quemadmodum sub regimine Scribarum & Phariseorum, nihilominus multi pii & fideles fuere, qui aduentum Messia expectarunt, vt Zacharias, Simeon &c. Sic nō dubitamus quin plurimi fuerint in Papatu, inter ipsos etiam Monachos, qui fundamentum salutis summamque Euangelii retinuerint. Sed concludamus hanc notam ex iure Canonico *decr. p. 1. d. 8. c. 4.* Veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Et *cap. 5. Gregor. 1.* Christus dixit, Ego sum veritas, non consuetudo. *Item cap. 8.* Consuetudo sine veritate, vetustas est erroris. *Denique decr. Greg. lib. 1. tit. 4. c. 11.* Consuetudo non derogat iuri diuino.

CAP. VI.

Tertia Ecclesia nota apud Bellarminum: Duratio perpetua.

I. TERTIA nota est duratio diuturna: quæ à superiore nota hoc differt, quod illa tempus præteritum, hæc futurum respicit. Hæc neque essentialis, neque propria nota est; immo ne nota quidem: vt de antiquitate, quæ germana est soror huius, & quarum altera alteram capit, diximus. Nam est accidentale quid, neque soli ecclesie Christi conuenit, & videri non potest. Tantum conditio est ecclesie propria ex promissione Dei adeoque ipsius elogium. Sicut enim falsæ ecclesie iusto Dei iudicio: ita vera ecclesia singulari Dei beneficio semper durat. Nimirum vt in agro dominico non modo bonum triticum, sed & Zizania vsque ad tempus messis crescere dicuntur, *Matth. 3. 39.* vtque hœdi ab ouibus non profus ante diem iudicii separabuntur, *Matth. 25. 31.* vt denique Antichristus non ante gloriosam Christi apparitionem penitus opprimetur. *2. Thess. 2.* ita etiam non modo Christi suam, hoc est, vere catholicam & sanctam; sed & diabolus suam, hoc est, Antichristianam ecclesiam vsque ad finem mundi habebit. Itaque duratio ista non soli veræ ecclesie conuenit; nec proinde essentialis eiusdem nota constitui potest. Vt enim mortalitas, in humano genere, perpetuo ad finem vsque mundi durabit; neque tamen ideo naturæ humanæ nota propria constitui potest; quippe quæ bestiis non minus quam hominibus accidit: ita etiam perpetua, seu diuturna duratio. Ecclesiam quidem veram omnino comitatur, non tamen solam ecclesiam veram comitatur. Ideo *Augustinus lib. 15. de ciuit. Dei c. 1.* & alibi passim eleganter docet, duas illas ciuitates, Dei & diaboli, cæpisse in Cain & Abel, inque hoc seculo permixtas esse, non separandas nisi in vltimo die.

II. Sed tamen Bellarminus probat hanc suam notam. 1. quia ecclesia catholica dicitur, non solum quia semper fuit, sed etiam, quia semper erit, *Dan. 2. c. 7. Luc. 1.* vbi regnum Christi æternum fore asseritur, neque finem vnquam habiturum. 2. quia cæteris hæreticorum non sicut admodum diuturni, *2. Tim. 3. 9.* Quod ipsum etiam docent Patres: vt *Cyprianus lib. 4. epist. 2.* vbi ait, schismaticos semper inter initia feruere, incrementa vero habere non posse. Similiter *Augustinus in psal. 57.* ait, hæreses diu stare non posse, sed morte torrentium aquarum decurrere. *Respondeo.* 1. Est ignorantio elenchi: Nos enim vltro hanc conditionem ecclesie agnoscimus, durationem diuturnam, imo perpetuam vsque ad consummationem seculi, *Matth. 28.* Fatemur, inquam, aliquam semper ecclesiam Christi, alias obscuram, alias magis vel minus splendidam, in hoc seculo permanfuram. Sed hinc non efficitur, durationem siue perpetuitatem istam esse notam ecclesie. 2. Experientia testatur paganisum, Iudaismum, Mahometisum, longo hæc tempore durasse. Et Scriptura docet, Antichristum toto tempore N. T. vsque ad finem seculi mansurum, *1. Iohan. 2. 18. 2. Thess. 2. Apoc. 20.* Itaque quod Apostolus dicit *2. Tim. 3.* non est accipiendum vniuersaliter, sed indefinite: neque simpliciter, sed secundum quid. Etsi enim diu vigeant hæretici: tamen ipsorum amentia filiis Dei fit manifesta, nihilque proficiunt illi in his seducendis.

III. Iam Bellarminus probat, notam hanc ecclesie Romanæ, & huic quidem soli, vere conuenire. 1. quod nostri homines vltro fateantur, eam multis seculis huc vsque, si non inde à tempore Apostolorum, saltem inde à Gregorio Magno, h. e. annos circiter mille perdurasse perpetuo. 2. quod ante Lutherum nulla alia manifesta fuerit ecclesia, præter ecclesiam Romanam, quæ pro vera Christi ecclesia haberi possit. 3. quod omnes alie hæreses, quotquot ab ecclesia Romana hucusque damnatæ fuerint, licet olim ad tempus floruerint, multosque reges & principes sibi addictos habuerint, paulatim tamen extinctæ sint, salua interim manente ecclesia Romana. 4. quod sancti Patres, vt *Hieronymus dialogo contra Luciferianos*, itemque *Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 17.* luadeant, in ecclesia Romana permanendum esse, quippe quæ ab Apostolis fundata, in illum vsque diem durauerit. *Respondeo ad 1.* Tamen si fatemur ecclesiam Romanam hodiernam, mille circiter annos, continuo sub hac corrupta forma, generatim accepta, durasse: tamen neque eandem specificam huius ecclesie faciem perpetuo fuisse concedimus; quippe quæ multas subinde mutationes experta sit, multaque noua dogmata, nouosque ritus, & ceremonias, inde à Gregorio M. receperit: sicut vel ex ipso Gratiano, itemque Tomis conciliorum, & aliis ecclesie historiis, euidenter ostendi potest, & nos *cap. præced. §. 4.* probauimus: neque hinc lucri quidquam ad illam redire scimus; quippe cui tanquam pares hæc in re conferri, imo etiam, tanquam superiores, præferri possint Iudæi, Ariani, Mahometani, & Græci; qui tamen omnes licet hucusque in eodem fere statu perdurauerint, ex ipsa etiam aduersariorum opinione, ab ecclesia Christi penitus sunt alieni. *ad 2.* Præter Romanam siue Latinam ecclesiam fuit nota Græca, & Æthiopica. Fuerunt & alie palam nota: vt Hussitarum, Albigenium. *ad 3.* Ecclesia Romana verus recte damnauit hæreses: hodierna damnat fere hæreses, quæ non sunt sua natura, sed ipsius corrupto iudicio tales. Deinde multæ hæreses ab ecclesia Romana olim recte damnatæ hæ-

dieque perdurant: vt Ariana. *ad 4.* Patres loquuntur de ecclesia sui temporis, quæ non erat ita corrupta vt nunc est.

IV. Postremo Bellarminus probat, hanc eandem notam nostris Ecclesie minime competere: quod & hæcenus, ante Lutherum, vniuerso mundo ignota fuerint, & deinceps quoque non admodum diu, aut saltem non perpetuo, durare possint: siquidem illud demum perpetuum Christi regnum censi debeat, quod iam inde ab Apostolis, absque vlla interruptione, in toto mundo perdurauit. *Respondeo.* 1. Ecclesia nostra Euangelica, tametsi ante Lutheri tempora non ita splendida, aut vulgo manifesta, passim in mundo viguit, vt nunc, Dei beneficio, viget: si tamen ipsam doctrinæ substantiam potius, quam ritus quosdam externos, & per se adiphoros, spectare velimus; omnino asserimus, eam reuera, & in omnibus illis orbis Christiani partibus viguisse, in quibus aliqui, licet pauci & dispersi, vere religionis professores vixerunt. Cuiusmodi semper aliquos fuisse, ex historiis superiorum temporum apud *Centuriarum Magdeburgicarum* auctores constat, & ex *Catalogo testimonii veritatis* ostendi potest. 2. Pro certo habemus, nostram ecclesiam, quippe vere catholicam simul & Apostolicam, deinceps ad finem vsque mundi permanfuram esse. Simul etiam speramus, splendidam satis breui fore hanc ecclesie nostræ durationem. Nam etsi non eo modo, quo regna mundana solent, duratura est (has enim *triumphos* ipse Christus iam olim à regno tuo remouit, *Luc. 17.*) tamē ad spiritualem & diuinam durationis eius modum accedet magna quædam felicitas, de qua nos in *Diatriba ad c. 20. Apoc.* pluribus differuimus.

CAP. VII.

Quarta Ecclesie nota apud Bellarminum: Amplitudo, seu multitudo, & varietas credentium.

I. QUARTA nota est amplitudo, siue multitudo, & varietas credentium, ait Bellarminus cap. 7. Sed neque nota hæc essentialis est (nam etiam in Adamo & Eva, in Noe, & familiis variis fuit ecclesia) neque propria, sed communis affectio & accidentaria; denique ne nota quidem, sed conditio ecclesie, illiusque attributum tam varians & instabile quam quod maxime, si ad communem vsum & speciem ecclesie respexeris. Alioquin hæc conditio, quæ Bellarmino dicitur nota, eadem est ferme cum catholica, seu vniuersalitate, tanquam species illius. Vniuersale autem non videtur, non ergo est nota. Proinde hæc nota, vel potius conditio, eadem est cum prima illa cap. 5. Sed placuit Bellarmino ita distinguere. Quare transeat illud; quia diximus, nos de numero nolle contendere, sed de re sollicitos fore. Res autem, vt modo animaduertimus, non est bona nota: in primis quia amplitudo, per se & seorsim accepta, & ab ipsa vera fide separata, neque soli ecclesie, neque semper conuenit. Primo enim Satanæ ecclesia etiam longe lateque patet, immo semper hucusque latior & amplior fuit quam vera Christi ecclesia: vt qui propterea princeps huius mundi appellatur, qui passim mundanos homines (quorum semper ingens numerus fuit) pro arbitrio regit, atque ita vere in maxima mundi parte dominatur. Vnde *1. Iohan. 5.* totus mundus in maligno esse asseritur. Contra vero ecclesia Christi non sine causa pusillus grex appellatur, *Luc. 12.* Denique plurimi homines latam illam viam, quæ ad exitum ducit, insunt: sed pauci in angusta via ambulant, quæ ad vitam æternam perducit, *Matth. 7.* Itaque Patres hanc notam, vt plane fallacem, repudiant. *Nazianzenus serm. contra Arianos:* Vbi nam illi sunt, qui ecclesiam multitudine ætenuunt, & exiguum gregem aspiciunt? *August. in psal. 39.* Noli numerare turbas hominum, qui incedunt per latas vias &c. Profer stateram iustam, & appende potius pauca grana, quam multas leues paleas. *Chrysostomus homil. 40. ad Antiochenos:* Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate, piorum multitudo consistit. Elias vnus erat, sed toto modo dignior. *Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos:* Multitudo sociorum nequaquam te catholicum, sed hæreticum esse demonstrabit. Verum quia Bellarminus non simpliciter multitudinem, sed multitudinem credentium constituit notam ecclesie, age videamus, an hoc possit consistere. Non vero posse iam diximus. Hæc siquidem conditio est maxime varians & instabilis, neque omni ecclesie conuenit. Etsi enim ecclesia sæpe angusta fuit, & multitudine, atque claritate floruit, vt in confesso est apud omnes: sæpe tamen in eas quoque angustias redacta fuit, vt latitauerit, quemadmodum ex statu veteris & nouæ ecclesie patet. Nam in V. Testam. duo imprimis tempora occurrunt, vbi publicus Dei cultus in ecclesia Mosaica siue Iudaica, miseris modis profanatus & obscuratus fuit: videlicet Eliæ, & primi aduentus Christi tempore. Ecclesia N. T. in infantia sua, tempore ipsius Christi, non multos credentes numerabat; neque etiam toto illo tempore, quo Antichristus præualuit, de quo dicitur *Apoc. 13.* omnes incolas terræ adoratos bestiam. Recte igitur *Tertullianus lib. de pœnit. cap. 10.* In vno & altero est ecclesia.

II. Sed redeamus ad Bellarminum, qui hanc suam notam primo probat, deinde explicat, denique applicat. *Probat* duobus modis: primo ratione, ecclesia enim vere catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Sic enim explicat, quid sit esse catholicum, *Vincenſis Lyrinensis in suo commonitorio.* vbi dicit eos esse proprie catholicos, qui id tenent, quod semper, quod vbiq; & quod ab omnibus est creditum. Deinde adfert tria Scripturæ testimonia, vbi hæc amplitudo est prædicta: vt *psal. 2. 8.* Dabo tibi gentes hæreditatem. Et *psal. 72. 8.* Dominabitur à mari vsque ad mare. Et *Luc. 24. 47. c. Act. 1. 8.* vbi Euangelium, apud omnes gentes prædicandum esse dicitur. Ergo necesse est, ecclesiam Christi locis diffusam esse. *Respondeo ad 1.* Hæc non est conditio ecclesie visibilis, & externæ, sed inuisibilis & internæ: non ecclesie particularis, sed vniuersalis, complecti omnia loca, omnes nationes, omnia hominum tempora. Itaque competit ecclesie catholice absolute, vt est multitudo omnium credentium, inde ab initio mundi vsque ad finem eius. Deinde non competit hoc in ecclesiam Vet. Testam. sed in ecclesiam N. T. est. & quidem secundum plus & minus. Denique Vincenſis definit catholicum bonum, non vero ecclesiam catholicam. Catholicus nempe bonus est, qui tenet fidem illam, quæ inde ab initio ab omnibus credentibus fuit recepta. *ad 2.* Dicta Scripturæ loquuntur de am-

plitudine regni Christi. quam non negamus: verum ita, vt habeat suos gradus suaque incrementa, secundum quatuor status ecclesiae Noui Testamenti. quorum primus est inde ab Apostolis vsque ad Antichristi dominationem: secundus sub Antichristi tyrannide: tertius, inde à reuelatione Antichristi vsque ad illius confectionem primam, de qua *Apoc. 18. 19. & 20.* quartus, paulo ante finem mundi, quando incidet confectione Antichristi secunda, & totalis. Vide nostram *Diatriben ad Apoc. 20. c. & paulo post §. 6. cis finem.*

III. *Explicatio huius nota apud Bellarminum* constat quatuor aphorismis. I. Vt ecclesia sit catholica, in primis requiri, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera: in quo distinguitur à synagoga, quæ erat particularis ecclesia, non catholica, vt pote alligata vni tempore, id est, vsque ad aduentum Messiae; item vno loco, id est, templo Salomonis; & vni familiae, id est, filiis Iacob. 2. Vt sit ecclesia catholica, non requiri, vt sit in omnibus locis totius mundi, sed tantum, vt innotescat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouincijs aliqui sint de ecclesia. 3. Nō requiri, vt hoc fiat simul, ita vt vno tempore in omnibus prouincijs necessario oporteat esse aliquos fideles. Satis enim est, si fiat successiue. Ex quo id sequitur, quod si sola vna prouincia retineret fidem catholicam siue veram, adhuc vere & proprie diceretur ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse vnam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuersis in toto mundo: quemadmodum nunc quælibet diocesis dicitur catholica, quia est continuata cum alijs, quæ faciunt vnam ecclesiam catholicam. 4. Et si ecclesia non necessario debuit esse simul in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessario vel esse, vel fuisse in maiori parte orbis terrarum. Nam ecclesia omnium consensu, etiam hæreticorum, iam senuit. Si ergo in sua adolescentia & iuuentute non creuisset, quomodo nunc in senectute cresceret? Oportet igitur, vt iam creuerit, atque occupauerit, si non totum orbem terrarum, at certe magnam partem.

IV. Quatuor istas condiciones accipimus, sed cum certa explicacione. Nam. I. Ecclesia Iudaica etsi non fuit Catholica eo modo, quo ecclesia N. Testam. hic titulus tamen simpliciter ipsi non potest derogari; quatenus videlicet ecclesia interna & inuisibilis est vere Catholica ecclesia. 2. & 3. Oportet distinguere prædicationem Euangelij; adeoque propagationem ecclesiae successiuam à simultanea. Illa hæc est: hæc est præ foribus. Oportet enim Euangelium innotescere ita, vt prædictum est. Prædictum autem est vtrumque: videlicet successiue prædicatum iri Christum, & tandem etiam simul, quando tyrannis Antichristi compescetur. Innumera hanc in rem testimonia suppeditabit tibi nostra Diatribe, quam semel atque iterum allegauimus. 4. Ecclesia iam senuit, quantum ad secundum statum, de quo paulo ante §. 2. Sed expectamus ipsius *παλιγγενεσία*, de qua *Apoc. 17. 18. 19. & 20.* Et ipse Bellarminus Ecclesiam suam quotidie crescere paulo post ait.

V. *Applicatio huius nota apud Bellarminum* sequitur: vbi duo præstat. Primo hanc notam Ecclesie Romanae, & quidem soli, conuenire probat: deinde illam nostris ecclesijs omnino detrahit. Primum membrum prolixè ex historijs superiorum ætatum ostendere conatur; itemque ex inductione earum regionum, in quibus eadem ecclesia adhuc viget. Ex historijs citat tum locum Apostoli *Coloss. 1. 6.* vbi euangelium iam tum in toto mundo fructificasse dicitur, tum *Irenæum libro primo cap. 3.* qui Ecclesiam Christi, iam suo tempore per omnes mundi prouincias sparsam fuisse refert; tum *Tertullianum lib. contra Iudæos cap. 3.* *Cyprianum lib. de vnitae Ecclesie, Chrysostomum & Hieronymum in c. 24.* & alios; qui omnes idem de sui temporis ecclesia affirmant; & nominatim eam Romanam fuisse, aut saltem cum Romana communionem coluisse, docent. Quo in primis pertinet illud *Prosperi libro de ingratia*:

*Sedes Roma Petri, qua pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.*

Inductio regionum prolixa & magnifica est: quæ non tantum omnes Europæ prouincias, sed & magnam Asiæ, atque Africæ partem, imo vtramque Indiam & c. complectitur: in quibus omnibus ecclesiam Romanam, eiusque religionem, etiam nunc florere, toti mundo est cognitum. *Respondeo. 1.* Ecclesia Romana dicitur aut communiter secundum se, aut speciatim respectu hodiernæ hierarchiæ an monarchiæ affectatæ. Dicta Patrum loquuntur de ecclesia Romana, quæ fuit tempore Apostolorum, & suo ipsorum: cum qua nihil commune habet Ecclesia Romana hodierna. 2. Hoc tempore ecclesiæ reformatae non minus longe lateque patent, quam Pontificiæ. 3. Vnica Mahometis secta longe amplior est omnibus eorum cœtib; qui ecclesiam Romanam sequuntur. 4. Non est, quod aduersarii gloriantur de ecclesijs apud Indos & Americanos: quippe quos non ad veram fidem, sed ad suam superstitionem & idolomaniam conuerterunt. Quanquam quid dico conuerterunt? Imo profus euerterunt: dum ipsos immaniter tractarunt, & plures interfecerunt quam viuos reliquerunt; & quos viuos reliquerunt, per summam crudelitatem ad qualemcunque fidei professionem adegerunt. Nimirum hic est modus conuertendi, non apostolicus, sed barbaricus. Sitiuerunt illi aurum potius Indorum, quam salutem animarum. Et ipsi vtuntur hodieque tanquam equis & bobus ad arandum & fodiendum. Denique paucos ibi habent catholicos, quos conuerterint. Habent enim illos fere duntaxat, quos eo miserunt.

VI. *Postremo eandem notam nostris ecclesijs omnino detrahit* Cardinalis noster quippe quæ nunquam mare transuerint, vt ipse loquitur: neque Asiam, neque Africam, neque Indiam vnam viderint: immo quæ in aliquo obscuro duntaxat orbis angulo hucusque latitauerint, nempe in solo septentrione; quem etiam non totum potuerint occupare. Addit, nos sperare non posse, sectam nostram aliquando occupaturam esse totum orbem: quod non debeat nunc incipere crescere ecclesia, cum iam senuerit. *Respondeo. 1.* Nos verò non allegamus amplitudinem per se tanquam notam ecclesiæ, sed vsurpamus illud egregium testimonium *Nicolai I. Papa*, qui ad Michaellem Imperatorem ita scribit: Numerus pusillus non obest, vbi abundat pietas; nec multiplex prodest, vbi abundat impietas. Nolite igitur gloriari in multitudine, quia non multitudo, sed causa damnationem vel iustificationem adducit. Cum qua insigni sententia confer quæ §. 1. huius cap. ex Patribus citauimus. 2. Duæ illæ condiciones, secunda & tertia, quas recitauimus paulo ante §. 3. ex Bellarmino, pro nobis faciunt. Si enim non requiritur ad vniuersalitatem ecclesiæ, vt omnes omnium prouinciarum homines fidem profi-

teantur, sed tantum vt innotescat omnibus prouincijs, ita vt in omnibus prouincijs aliqui sint de ecclesia: item si hanc ipsam ad rem non requiritur, vt simul & eodem tempore sit ecclesia in omnibus gentibus & prouincijs, sed satis est, si hoc fiat successiue: si, inquam, hæc duæ condiciones obseruentur, facile obtineri potest, nostram ecclesiam esse catholicam. Nulla enim regiones in Europa sunt & pauca in toto mundo, in quibus non sint aliqua ecclesiæ nostræ membra, qui detestentur cultum imaginum, & sola fide in Christum, absque vllis hominum meritis, saluari sperant. Rursus si secula successiue consideremus, facile patebit, fidem nostram per totum mundum dispersam fuisse. 3. Christi Ecclesia non ideo tantum Catholica dicitur, quia vniuersaliter per omnes nationes disseminata fuit (ita enim ipsi Apostolorum temporibus non fuit catholica) sed etiam, quia doctrinam ipsius est catholica, vniuersaliter perfecta, & per totum orbem diuulganda. Hinc *Augustinus lib. de Genes. c. 1.* ait: ecclesia catholica dicitur, quia vniuersaliter perfecta est, & in nullo claudicat. 4. Nostræ ecclesiæ etiam quantum ad amplitudinem cum Papisticis iure possunt certare: præsertim si Ecclesiam vtramque, non tam ex personarum huic vel illi ecclesiæ subiectarum numero, quam ex veterum Professorum conditione æstimemus. Professores autem dici non possunt, nisi qui explicite & intelligenter ea credunt, quæ profitentur: cuiusmodi non admodum multi sunt in regno Pontificio; vbi vulgus implicitam, & vere carbonariam fidem amplectitur. Quanquam, si ista contentio iam fortassis institui non possit, satis est, aliquando saltem institui posse. Neque enim ecclesia quouis tempore æqualiter ampla est ac diffusa; sed paulatim ac successiue seipsa promouet; vt ex historia constat. 5. Negamus ecclesiam iam senuisse simpliciter. Id enim verum est secundum quid, de illo statu ecclesiæ, quem debuit experiri sub Antichristo. Hunc autem statum longe felicior excipiet ante finem mundi, quem speramus esse præ foribus. De isto statu vide in primis *Deut. 30. ver. 3. 4. Psalm. 22. 28. & 86. 9. Esai. 2. v. 1. & d. Jer. 32. v. 37. 39. Hos. 3. v. 4. 5. Matth. 24. 14. Luc. 21. 24. Rom. 11. v. 25. 26. 27. 2. Cor. 3. ver. 15. 16. Apoc. 20.* Quibus locis promittitur conuersio Iudæorum, & simultanea Euangelij prædicatio, & felix status ecclesiæ N. Test. vt patebit consideranti locos allegatos.

CAPVT VIII.

Quinta Ecclesia nota apud Bellarminum. Successio Apostolica.

I. *QVINTA nota* est successio Episcoporum in Romana ecclesia ab Apostolis deducta vsque ad nos: hinc enim dicitur Apostolica. Sunt verba Bellarmini cap. 8. Hæc vero neque essentialis nota est, neque propria ecclesiæ (nam quam multa succedunt inter se, personæ personis, res rebus;) neque communis nota, immo ne nota quidem Ecclesiæ Catholicæ, sed particularis conditio, & æquiuoce dicta. Particularis est: cum Romana ecclesia sit particulare membrum, non corpus καθολικόν seu vniuersale. Si communis est, cur non & aliarum ecclesiarum successio eodem iure censetur, vt Tertullianus libro de præscriptionibus fecit? Æquiuoce dicitur: nam successio aut principalis est, aut secundaria. Principalis successio est doctrinæ veritatis, quæ semper est essentialis nota ecclesiæ. Secundaria est personarum, rerum, locorumque accidentaria. Illa semper essentiam constituit & monstrat Ecclesiæ, etiam sine hac altera: hæc sine illa nil nisi fumus est. Sic distinguunt etiam Irenæus, Tertullianus, & Patres alij, vt mox adnotabimus. Secundaria priorum significationem, negamus successione vere simpliciterque de ecclesia illa Romana prædicari: secundum posteriorem vero, negamus prædicari iuste. Porro quod addit Bellarminus: *Hinc enim dicitur Apostolica: id æquiuoce dicitur.* Nam proprie dicitur Apostolica, quæ doctrinam retinet ab Apostolis traditam, siue immediate, quod primum est, siue mediate, quod secundarium. Non secus *Tertull. lib. de præscr. c. 20.* Sed paulo penitius hæc inspicienda sunt.

II. Thesis nostra sit ista: non localis, personalis, & externa episcoporum successio siue Romanorum, siue aliorum ab Apostolis deducta ad nos vsque: sed successio realis, doctrinalis, & interna, seu, quod eodem redit, vera doctrina & fides atque religio ab Apostolis tradita & per Episcopos sibi inuicem succedentes continuata & propagata, & germana nota Ecclesiæ Catholicæ, hoc est, puræ & orthodoxæ. Priorem huius theses partem hoc loco probandam suscipimus: de posteriori vide *infra cap. 19.* His autem rationibus nitimur. I. Olim tempore Christi & Apostolorum vera fuit Ecclesia, cum nulla tamen esset episcoporum successio continua & non interrupta: nisi forte Christum eiusque Apostolos, Sacerdotibus & Phariseis successisse dicamus: quo nihil est absurdius. II. Synagoga Iudaica tempore Christi successione istam habuit vere, nec tamen vera ecclesia fuit; quippe quæ Christum ipsum, vt seductorem, eiusque ecclesiam, vt hæreticam, damnauit. *Iohan. 9. 22. c. 12. 42.* III. Successio localis & personalis etiam apud hæreticos & schismaticos locum inuenire solet: vt olim apud Arianos, & alios; & nunc etiam apud Græcos & Syros; quos tamen aduersarii ab ecclesia alienos iudicant. Sic *Augustinus epist. 164.* non redarguit successione Episcoporum Donatistarum, sed illi opponit successione Episcoporum veterum Romanorum, in quibus nullus fuit Donatista. *Vincenius Lyrinensis libro aduersus profanas hæreses nonationes cap. 34.* ait: A Simone Mago Apostolica distinctione percussio, verus ille turpitudinum gurges vsque in nouissimum Priscillianum continua & occulta successione manauit. Ita Paulus Samosatensis hæresiarcha successit apostolis in illa ecclesia, in qua docuerunt celeberrimi Prophetae & Doctores; *Actorum 11. 25. cap. 13. 1.* Nestorius & Macedonius hæresiarchæ successerunt in ecclesia Constantinopolitana Apostolo Andrea, qui illam ecclesiam fundauit. IV. Ordinaria pastorum successio sæpius aliquam diu interrumpi solet. Cuius rei exempla sunt in familia Eli, *1. Sam. 2. 30.* & tempore Achab, in Pontifice *Vzia. 2. Reg. 16. v. 10. & d. Vide etiam Ezech. 44. v. 12. & d. Hos. 4. v. 6.* vbi Deus minatur, velle se Leuitas illos à ministerio repellere, qui scientiam & purum Dei cultum abiecerunt. V. Patres ipsi clare testantur, non externam illam & mere personalem, sed internam & doctrinalem, seu veræ fidei & doctrinæ successione hic præcipue spectandam esse. Sic enim *Irenæus lib. 4. aduersus hæreses. c. 44.* ait: Ab omnibus igitur talibus abstinere oportet, adhærere vero his, qui & Apostolorum, sicut præ diximus, doctrinam custodiunt & c. *Et lib. 3. c. 3.* Eam, quam habet

habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum peruenientem ad nos usque. *Tertullianus lib. de prescript. cap. 32.* Edant ergo origines Ecclesiarum suarum &c. vt & cetera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis (id est, Apostolicæ doctrinæ) traduces habeant. Conspiciant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confixerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostolice auctoritatis esse neque Apostolice. *Et mox:* Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctoritatem suam proferant, vt multo posteriores, quæ denique quotidie instituntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. *Idem d. l. de prescript.* Non ex personis fidem, sed ex fide personas probari oportet. *Gregorius Nazianzenus in orat. de Athadum peruersum exemplum, quod postea inoleuit, neque per vim ac cædem, sed Apostolice & spiritualiter ad Marci thronum euehitur, non minus pietatis, quam primariæ sedis successor.* Vt enim si hanc spectes, remotissimæ ab eo futurus est: ita si illius rationem habeas, statim illi proximus inuenietur. Quæ quidem proprie successio existimanda est *το μὴ ἴδωσιν ἡμῶν ἢ ἡμῶσθε* hoc est. Nam qui eandem doctrinam profiteantur, eiusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam doctrinam amplectitur, aduersarius quoque in throno censeretur debet. Atque hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam, & veritatem habet successionis. Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est: sed qui eadem fide præditus est. Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quem admodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & demenciam prudentiæ succedere dicimus. *Ambrosius lib. 1. de panit. cap. 6.* Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discernunt. *Chrysostomus opere imperfecto in Matth. homil. 43. vt citatur in iure canonico capitulo multi.* Videte ergo quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. *Hieronymus, prout citatur apud Gratianum, dist. 40.* Non sunt filii sanctorum, qui loca sanctorum tenent, sed qui opera eorum exercent. VI. Ipsi quoque aduersarii non adeo magni faciunt, immo quidam etiam reiciunt, successionem personalem. Sic enim *Stapletonus lib. 13. de doct. princip. c. 6.* ait: Personalem successionem nihil moramur, modo doctrinam nostram consentientem Scripturis ostendere possimus. *Et Bellarminus hoc ipso cap. 8.* ait: Dico secundo, argumentum à successione legitima adferri à nobis præcipue ad probandum, non esse ecclesiam, vbi non est hæc successio, quod quidem euidentis est: ex quo tamen non colligitur necessario, ibi esse ecclesiam, vbi est successio. Vbi tamen obiter notandum est, illam Bellarmini assertionem; vbi non est successio, ibi non esse ecclesiam; falsam esse. Etenim in principio ecclesia fuit sine successione, & in fine mundi futura est sine successione. Secundo & hoc falsum est, vbi non est successio Episcoporum, ibi non esse ecclesiam: vt videre est in ecclesiis sub cruce destitutis hoc beneficio. Postremo nec illud necessarium: Non apparet, aut non legitur dicitur successio. E. non est. III. Audiamus nunc quomodo Bellar. probet hanc suam notam vere notam. Omnes, inquit, veteres hæc successionem, tanquam argumento euidentissimo vsi sunt, ad ecclesiam ostendendam. *Irenæus lib. 3. cap. 3.* enumerat Episcopos Romanos à Petro, vsque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, ac dicit, per hanc successionem confundi omnes hæreticos. *Tertullianus lib. de prescript. c. 32.* ait: Edant hæretici origines ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. *Epiphanius hæres. 72.* enumerat ordine Pontifices Romanos vsque ad sua tempora, & deinde subiungit hæc verba: Ne quis miretur, quod tam exacte singula recensemus. Per hoc enim semper claritas ostenditur. *Optatus lib. 2. contra Parmenianum* eodem modo Pontifices Romanos à Petro vsque ad Syricium, qui tunc sedebat, recenset: vt ostendat non esse ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos ascendere non poterant, & subdit: Vos vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vendicare. Denique *Augustinus epist. 165.* eodem modo, & in eundem finem, omnes Romanos Pontifices, à Petro vsque ad Anastasium, qui tunc Romæ sedebat, enumerat. *Et in Psalm. contra partem Donati* ait: Numerate sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successio videtur. Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum porte. *Idem contra epistolam Fundamenti cap. 4.* sic scribit: Tenet me in ecclesia, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas suas oues Dominus commendauit, vsque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum. Si ergo veteres tantifecerunt ad veram ecclesiam ostendendam, continuationem XII. vel XX. aut XL. Pontificum, quanti nos facere debemus continuationem non interruptam Pontificum 200. & amplius? præsertim cum videamus defecisse alias sedes Apostolicas, Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam, in quibus posteaquam à Persis, vel à Saracenis, ea loca Romanis adempta sunt, quod accidit ante annos 900. aut nulla, aut obscurissima fuit successio. Et in ipsa vrbe Roma toties mutata esse formam temporalis domini, nunc Imperatoribus, nunc regibus Gothorum, nunc Exarchis Græcorum, nunc etiam consulis, siue iuste, siue iniuste dominantibus, & ipsam vrbe aliquoties euersam, & tamen sedem Petri nunquam defecisse, neque euersam fuisse, sed immobitem semper permanisse.

IV. *Respondeo primo.* Patres illis ipsis in locis, quæ citantur non extant tantum, siue personalem, sed in primis internam & viuam hanc, seu veram fidei, doctrinam vrgent: vt patet ex §. 2. vbi illa ipsa loca, quæ Bellarminus allegat, ex Irenæo & Tertulliano citauimus. 2. Patres ideo meminerunt successionis Episcoporum, quia negotium habebant cum huiusmodi hæreticis, qui sua quædam propria inuenta, tanquam ab Apostolis accepta, tenere vrgerant; nec tamen originem ac progressum illorum inde ab Apostolis deriuare poterant; & simul Scripturas maxima ex parte repudiabant. 3. Patres hoc argumento vsi fuerunt, non tam in pugna, seu prælio, quam post pugnam fere depugnatam, veluti triumphum de hostibus agentes. Nam alioqui præcipuum causæ suæ robur in ipsa Scriptura collocabant: sicut ex verbis Tertulliani §. 2. citatis colligere est. Hinc *Augustinus epist. 165.* post-

quam successionem contra hæreticos protulisset, ita tandem concludit: Quamquam non tantum nos de istis documentis præsumamus, quam de Scripturis sanctis. 4. Patres successionem laudant in ecclesia Romana vt erat (quam exempli causa attulerunt) non de hac vt nunc est. Verus autem illa ecclesia Romana habebat successionem & doctrinam, & cathedra. Hinc *Deer. part. 2. caus. 2. q. 1. c. 14.* Hieronymus ita scribit Damaso: Petri & fidem & sedem tenes. 5. Patres non solum ad successionem Episcoporum ecclesiam Romanam; quæ tunc pura erat in doctrina fidei, sed etiam aliarum ecclesiarum, in veræ fidei negotio respexerunt; & alios reuocarunt: neque semper ecclesiam Romanam primo loco nominarunt. Itaque quod de Ecclesia Romana dicebant, de aliis quoque poterat & solebat prædicari, vt *Tertullianus lib. de prescript. c. 32.* de Smyræorum ecclesia facit. Sed Romanam, vt particulare exemplum, non vt attributum vniuersale, propterea magis adferre bant, quod maxima esset atque cognitissima, teste *Irenæo lib. 3. cap. 3. & 4. 6.* Non sequitur: Si veteres tantifecerunt continuationem 12. &c. Episcoporum: ergo nos pluris debemus facere continuationem 200. Episcoporum. Non, inquam, sequitur à communi indiuiso. Nam cum successio sit in doctrinam, & in locum personalem, & interrupta sit illa principalis successio in doctrinam, iniqua est argumentatio à parte accidentali & minore ad totum. Deinde etiam personalis ista successio, quæ hic affirmatur de ecclesia Romana, vt nunc est, quoties interrupta est? Qua de re mox.

V. Porro notam hanc Ecclesia Romana, & quidem soli conuenire, nostris autem nullo modo competere, quatuor argumentis, siue hypothesebus, probat Bellarminus. *Prima hypothesis* est: Non posse vilo modo ecclesiam esse sine Pastoribus & Episcopis: nempe quia *Actuum 20.* & *Eph. 4.* scriptum est, Christum siue Spiritum sanctum constituisse Episcopos & Pastores, ad regendam ecclesiam Dei. Item, quia *Cyprianus lib. 4. epist. 9.* & *Hieronymus lib. contra Luciferianos* dicunt: ecclesiam non esse, quæ non habeat Sacerdotes. *Secunda hypothesis* est: Illos tantum pro veris Episcopis habitos semper fuisse, qui per legitimam successionem, simul & ordinationem, ab Apostolis descendunt: sicut in Vet. Testam. nulli erant sacerdotes, nisi qui ab Aharone ex tribu Leui descendissent. *Tertia:* Duo requiri ad hoc, vt Episcopus aliquis ab Apostolis descendisse dicatur, nempe successionem continuam, siue nunquam interruptam; & deinde ordinationem legitimam, qualis scilicet in antiquis canonibus præscripta fuit: vt nimirum vnus Episcopus à tribus aliis, iam ante legitime vocatis, ordinetur. *Quarta:* Antiquos hæreticos vt plurimum ordinationem legitimam obseruasse; eoque sanctos Patres non nisi defectum successionis in eis reprehendisse: sed nostri temporis hæreticos, neutrum habere, neque iustam ordinationem, neque successionem: & proinde longe inuerecundius, quam illi antiqui fecerint, nomen simul & munus Episcoporum usurpare. Vnde postremo efficit, totam ecclesiam Romanam, in qua & successio & ordinatio ista vigeat, pro germana Christi ecclesia agnoscendam esse.

VI. *Respondeo ad primam hypothesein.* Ecclesia externa & visibilis non potest vilo modo esse sine Pastoribus, ex iure, quia sic instituit Dominus. Sed tamen ex facto potest, siue casu & iudicio diuino, vt quando morte tolluntur; siue ignauia, vt cum segnes ii sunt, ad quos hæc procuratio pertinet; siue iniuria aliena, vt sit persecutionibus tyrannorum. Deinde ecclesia non potest esse sine Episcopis, id est, Pastoribus: quæ est significatio huius vocis in Scriptura, *Act. 20. ver. 17. & 8.* Falsum itaque est, ecclesiam non posse esse sine Episcopis illis hierarchiæ Romanæ. *Ad secundam hypothesein respondeo.* Episcopus (vt modo dixi) accipitur duobus modis: primum ex Scripturæ vsu, pro omni Pastore, qui vocatus est vt attendat gregi Christi, *Actuum 20. Phil. 1. 1. Timoth. 3. & Tit. 1.* deinde vero ex humani ordinis instituto, pro eo, qui collegio pastorum præest & presbyterio. Priore modo si acceperis, necessariam plane ordinationem esse agnoscimus, & impositionem manuum presbyterii: posteriore, negamus rem esse necessariam, cum ne ille quidem ipse Episcopus sit diuinitus necessarius. Deinde successio doctrinæ requiritur, non vero persona: vt iam sæpe diximus. *Ad hypothesein quartam dico.* 1. successionem illam continuam nihil iuuare, vbi deest successio doctrinæ. Illa est honoraria: hæc necessaria. 2. canones illi sunt apocryphi, non genuini Apostolorum: vt ostendit Gelasius cum Romana synodo dist. 18. & euincunt alia plurima. Nihil itaque moramur primum ex illis canonem, vt vnus Episcopus à tribus aliis ordinetur. Nam Apostolorum & ecclesiæ praxis diu alia fuit. *Timotheus enim 2. Tim. 4. 14.* ordinatus fuit à toto presbyterio, quod non tantum Episcoporum congregatio fuit, vt Bellarminus contendit, sed & aliorum pastorum, vt *Hieronymus* interpretatur *epist. ad Euagr.* Porro *Martinus Decret. part. 1. dist. 65. cap. 2.* sic decernit: In ordinatione Episcopi adesse oportet omnes, qui sunt in provincia sacerdotes &c. Itaque ordinatio Bellarminiana non conuenit cum Apostolica, & Canonica. Vbi non est prætereundum, quod *Ambrosius in Eph. 4.* ait: Non per omnia conueniunt scripta Apostoli Ordinationi, quæ nunc est in ecclesia. *Ad hypothesein quartam respondeo,* nos vtrumque illud habere, & ordinationem, cum ab Episcopis vel presbyteris syllituris ordinentur nostri; & successionem ab ecclesia Apostolica. Habemus enim successionem & ordinationis, & doctrinæ, quod est caput rei.

VII. Verum quia tantopere gloriatur Bellarminus de successione interrupta, videamus quam hoc sit verum. Successio Romanorum Episcoporum & incerta est, & interrupta. *Incerta est;* quia nondum probatum est, Petrum fuisse Episcopum primum Romæ; & in recensione primorum episcoporum Romanorum est irreconciliabilis discordia. Nam *Irenæus lib. 3. cap. 3.* & alii scribunt Linum successisse Petro. *Clemens Romanus* scribit *epist. 1. ad Iacobum Apostolum*, sibi soli à Petro datam esse cathedram: & idem confirmat *Tertullianus lib. de prescript. cap. 32.* Porro *Ignatius epist. ad Mariam Cassoboliten* scribit, Clementem successisse Anacleto: & idem dicit *Tertullianus lib. 3. carminum;* vbi hic est ordo: Petrus, Linus, Cletus, Anacleto, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus &c. Et hanc germanam esse Romanorum Pontificum successionem contendit *Baronius ad an. Christi 69. sect. 39.* Clementi successisse Anacleto, scribit *Optatus Milletianus lib. 2. contra Parmenianum.* At *Eusebius Anacleto* facit successorem Lini, sicut & *Irenæus.* Rursus *Ignatius, Irenæus, & Tertull.* Clementem dicunt successisse Anacleto, cuius nulla mentio facit *Epiphanius.* Plura in hanc sententiã vide apud *Polanum Symphonia cathol. c. 18.* Est itaq; incerta successio primorum Episcoporum Romanorum. Si a. in ordine & tempore primorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omnino cogetur, ait *Baronius ad an. Christi.*

Christi. 69. sect. 43. Similiter ostēdi ex Platina & aliis historicis potest, incertā etiā esse sequentiū Episcoporum Romanorū successionē, inter tot schismata & deiectiones Pontificū, & violentas sedis Romanæ occupationes. Aliquando enim duo, nonnunquam tres Pontifices simul fuisse. Deinde hæc ipsa successio est interrupta, & quidem quatuor modis. 1. per hæresin. Nam Papa Zephrinus & Honorius fuerunt Montanistæ, Cælestinus, Nestorianus, alii alii hæresibus infecti. 2. per schismata; quæ obseruantur ab historicis numero triginta, inter Pontifices Romanos; ita ut alii ad epti sint Pontificatum malis artibus, ut Christophorus; alii vi, ut Romanus; alii arte magica, ut Syluerius II. & c. 3. per successionē feminæ, nempe Iohannæ, impuræ meretricis. 4. per neglectum officii pastoralis: quia nempe Pontifices Romani præcipuum pastoris munus, quod consistit in prædicando, iam olim omiserunt, & multiplicem *πολυπλοκῶς* exercuerunt. De his omnibus vide testimonia idonea apud *Mortonum lib. I. Apologia catholica. c. 18. & seqq.* Eant nunc Papistæ, & gloriantur, eatenam successionis suæ ne semel quidem esse dilutam.

VIII. Quid igitur vetat, quo minus hoc caput ita concludamus? Cum in ecclesia Romana (intellige semper illud corpus, quod illi hierarchiam vocant) neutra successio continuo perdurauerit, neque cathedræ, neque doctrinæ: non illa, quia series Pontificum multis hæresibus, schismatibus & c. ipsorummet est interrupta: non hæc, quia doctrina Apostolica, qualis in S. literis continetur, in ea non est vere continuata: vtraque autem ista successio in nostris ecclesiis locum habeat, & doctrinalis, & personalis: illa, propter consanguinitatem doctrinæ nostræ cum Apostolica: hæc, quia semper fuerunt aliqui, licet pauci & dispersi, qui eandem nobiscum fidem professi sunt: Cum, inquam, hæc ita sese habeant, ex hypothesi Bellarmini, ecclesia Romana non est vera, sed nostra. Meminisse autem hic oportet successionem personalem duobus modis distingui. Primo enim est splendida, vel minus splendida. Illam Papistæ, hanc nos allegamus. Deinde aut est continuata, aut interrupta. Priorem Papistæ sibi tribuunt, sed falso: posteriori quibusdam nostris attribui potest. Non enim omnes proxime & immediate orthodoxis superiorum ætatum doctoribus, sed nonnulli post detectionem Antichristi, accedente pii magistratus auxilio, ad ecclesiam Romanam à corruptelis repurgandam, successerunt: non secus atque in regno à tyranno euulsi; prædonibus liberato, posterioris legitimi regis administri, prioribus, decurso intermedio tyrannidis spatio, ad illud instaurandum surrogantur, aut sicut in corpore ægri conualescentis posterior sanitas priorem sublato prius morbo, sequitur. Porro quia Bellarminus successionem cum ordinatione coniungit, videamus vtri ecclesiæ competat ordinatio. Dicimus autem, eam nostris Pastoribus, siue ecclesiarum ministris, optimo iure attribui: quippe in quibus ad sacrum ministerium vocandis, & ordinandis Apostolici canones (quales 1. *Timoth. 3. ver. 1. & d. cap. 4. ver. 14.* & alibi descripti sunt) satis accurate obseruantur; licet impositio manuum, ut ritus per se adiphorus, alicubi nō adhibeatur: contra vero ecclesiæ Romanæ nullo iure attribui posse; quippe in qua neque isti Apostolici, neque alii antiqui ecclesiæ canones, quales postea in Conciliis conditi fuerunt, rite hæcenus obseruantur, sed omnia fere per Simonias, & profanas nundinationes, præsertim in Curia Romana, expediuntur. Qua de re vide infra lib. 4. iam pergamus ad sextam notam.

CAP. IX.

Sexta Ecclesiæ nota apud Bellarminum: Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.

I. **S**EXTA nota est conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. Vera enim ecclesia dicitur Apostolica, teste *Tertulliano lib. de præscript.* non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, ut ipse loquitur, quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt. Certum autem est, antiquam ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, & proinde doctrinam Apostolicam retinuisse. Quare laudatur Theodosius Imperator à *Sozomeno lib. 7. hist. cap. 12.* quod hac arte compescuerit hæreticos sui temporis. Iussit principes sæctarum conuenire, deinde petiit an existimarent, antiquos Patres, qui ecclesiam rexerant ante dissidium illud, quod de religione ortum erat, recte consensisse, & vere sanctos & Apostolicos fuisse: quod cum illi concessissent, subiunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur, sin minus, abiiciatur.*

II. Hanc Bellarmini orationem partim vehementer probamus, partim improbamus. Nam conspiratio in doctrina cum ecclesia apostolica, quæ sola est vere primitiua & antiqua, est essentialis nota ecclesiæ. Cum enim ecclesia Apostolica sine dubio fuerit verissima Christi ecclesia, omnino est genuinum hodiernæ ecclesiæ *νεοτερῆς*, si consentiat in doctrina cum illa ipsa ecclesia. Et hoc sibi voluit duo illa testimonia, quibus assertionem suam stabilivit Bellarminus. Verum enimvero, quia ille per antiquam ecclesiam intelligit eam, quæ primis quingentis annis fuit: & Papistarum communis opinio est, ecclesiam illam potuisse præter Scripturas nonnulla statueri: non possumus hanc notam, ita acceptam, pro genuina habere. Est enim ecclesia, quæ ducentis, trecentis, vel potius quingentis, aut sexcentis annis Apostolicam consecuta est, veram Christi ecclesiam aliquatenus fuisse concedimus: tamen non per omnia vere Apostolicam fuisse, hoc est, doctrinam Apostolorum non omnino pure & sincere tenuisse, scimus. Et certe quanto longius ab ætate Apostolorum ecclesia Patrum abfuit, tanto plures errores & abusus, qui tamen non omnes capitales fuerunt, doctrinæ Apostolicæ admiscuit. Quare consensio in doctrina cum ista Ecclesia, quæ ducentis, vel trecentis, vel potius quingentis, aut sexcentis annis Apostolicam consecuta est, non iam simpliciter, sed *ἁπλοῦς* veræ ecclesiæ nota fuerit nempe, quatenus ista Patrum ecclesia, cum prima illa, vereque Apostolica, conspirauerit. Et hoc quoque sibi voluit duo illa testimonia, Tertulliani & Sozomeni. Distinguiamus itaque doctrinam veritatis, traditam, & acceptam. Doctrina ab Apostolis tradita est perfecte, atque ideo est nota ecclesiæ. Accepta autem est ab ipsorum discipulis, magis vel minus pure & sincere. Vnde ipse *Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 7.* fatetur, errauisse aliquos Patrum in quibusdam dogmatibus.

III. Iam videamus, quomodo Bellarminus ex hac nota probet, suam ecclesiam esse veram ecclesiam, non autem nostram. Et duobus modis id probari posse docet. Primo proferendo sententias veterum, quibus singula ipsorum dogmata confirmari, nostra vero refutari possunt. Sed hunc modum air esse prolixissimum, & multis calumniis, atque objectionibus obnoxium, ideoque hoc loco præteriri. Altera via (inquit Bellarminus) est breuior, & certior, nimirum ostendendo primum ex confessione aduersariorum, nostra dogmata esse doctrinam omnium veterum: deinde dogmata aduersariorum fuisse in ecclesia antiqua pro exploratis hæresibus. Sic enim constabit doctrinam nostram conspirare cum doctrina veterum Catholicorum, doctrinam vero illorum conspirare cum doctrina veterum hæreticorum.

IV. Primum suæ assertionis membrum Bellarminus ita probat. In medium adfert testimonia nostrorum, puta Caluini, & Centuriatorum Magdeburgensium, qui passim quosdam veterum errores, ut ipsi vocant, curiose adnotarunt, quos illi tamen cum Papistis communes habuerunt: nempe *de libero arbitrio, de meritis operum, de satisfactione, de inuocatione sanctorum, &c.* Vnde concludit, nostros vltro concedere, veteres ita sensisse de plerisque controuersis, imo de omnibus omnino, quemadmodum Pontificii ipsi hoc tempore sentiunt.

Respondeo. Negamus, 1. Pontificios idem per omnia nunc docere, quod Patres antiqui, quales ad quintum vsque seculum floruerunt, de præcipuis controuersis olim docuerunt. 2. Patres istos nobis in hodiernis controuersis, quæ quidem maioris momenti sunt, reuera contrarios esse. Ut enim ingenue fateamur, quosdam Pontificios errores admodum antiquos esse, & à Patribus quibusdam iam olim fuisse defensos, contraque quædam dogmata nostra, his ipsis erroribus contraria, quadantenus à Patribus quibusdam improbari: ita certo scimus, & sæpius à nostris euidenter demonstratum est, eosdem Patres doctrinam Pontificiam, qualis hoc tempore est in Concilio Tridentino comprehensa, in multis saltem partibus, aperte damnare; nostram vero substantialem doctrinam à nemine illorum, tanquam noxiam hæresin, aperte reiectam fuisse: nisi ab iis fortasse, qui Scripturam ipsam reiecerunt. Itaque perpetua hic committitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; quatenus Bellarminus ex Caluini, & Centuriatorum Magdeburgensium, confessionibus colligit, omnes omnino Patres, in omnibus controuersis, contra nos, pro Pontificiis militare: cum istæ confessiones & particulares sint, & non nisi cum certo respectu accipiendæ, prout ipsa authorum verba satis aperte præ se ferunt.

V. Sed probemus ista tria, quæ diximus. 1. Papistas non consentire in omnibus, cum antiquis Patribus. 2. Nos in præcipuis dogmatibus consentire cum illis Patribus. 3. Antiquos Patres fuisse quosdam errores. Sed probemus breuiter omnia: cum à nostris hoc fuisse sit præsumtum. *Primum & secundum* ita patet. I. Antiqui Patres, librum Tobie, Iudith, Sapientie & reliquos apocryphos non receperunt in canonem: ut patet ex prologo galileo Hieronymi, Nazianzeno, & aliis. Atque hoc fatetur *Melchior Canus lib. 2. loc. theol. c. 10.* At Pontificii illos recipiunt, adeo ut Concilium Tridentinum anathema dicat iis, qui contrarium statuunt. Nos vero facimus cum Patribus. II. Antiqui Patres ex solis Scripturis definiendas esse fidei controuersias statuebant: ut fatetur *Iacobus Faber Stapul. præfat. in Euang.* Idem & nos statuimus: Pontificii secus. III. Antiqui Patres in Ver. Testam. Hebræum, in nouo Græcum, authenticum esse debebant: ut multis Patrum testimoniis confirmat *Benedictus Arias Montanus præfat. super opus Biblium.* Idem & nos docemus: contra Pontificii. IV. Antiqui Patres docent, omnes homines, vnico Christo excepto, nasci in peccato originis, ipsamque B. Virginem hac labe infectam fuisse testantur: adeo quidem, ut quidam Pontificii contra immaculatæ conceptionis B. Virginis priuilegium proferant ducentos Patres, alii, ut Sandellus, fere trecentos, Caietanus quindecim, & illos quidem irrefragabiles, ut sunt verba *Alphonsi Salmeronis comment. in Rom. 5. disp. 51.* ubi tandem subiungit iuniores doctores, utpote perspicaciores in hac questione præferendos esse antiquis. Vnde satis liquet, nos, non vero Papistas, hoc in loco habere Patres *ὡς ἡνθρώπων*. V. Antiqui Patres nihil habent de Indulgentiis. Hinc *Antoninus archiepiscopus Florent. part. 1. tit. 10. cap. 3.* ait: De indulgentiis nihil expresse habemus ex Scriptura sacra, nec etiam ex dictis antiquorum doctorum, sed modernorum. VI. Antiqui Patres, ut Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, & alii Patres Græci, confessionem se cretam, siue auricularem, non necessariam esse statuerunt, ut sunt verba *Gratiani C. in poenit. dist. 5. de poenit.* VII. Antiqui Patres docuerunt, nos sola fide iustificari, ut *Iohan. Hofmeisterus in harm. Augusti. confess. fatetur, & alii Pontificii concedunt.* VIII. Antiqui Patres non habent distinctionem congrui, & condigni, ut fatetur *Vega lib. 1. de iustif. cap. 8. & in opus. de merit. quæst. 7.* IX. Antiqui Patres non agnoscunt septenarium numerum sacramentorum. Vnde *Cassander in Consult. de Augusti. Confess. art. 13.* ait: Non temere quenquam reperies ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem ac definitum sacramentorum numerum statuerat, & de his septem non omnes quidem Scholastici æque proprie sacramenta vocabant. X. Antiqui Patres probant in Eucharistia communionem sub vtraque specie. Hinc *Cusanus Cardinalis episc. 2. ad Bohemos* ait: Olim sanctissimi viri vtriusque speciei sacramentum necessarium esse vi præcepti Christi, verbo & opere astruxerunt. Et *Cassander art. 12.* inquit: Satis constat, occidentalem seu Romanam ecclesiam mille à Christo annis, in solenni & ordinaria huius sacramenti dispensatione, & vtramque panis & vini speciem omnibus ecclesiæ membris exhibuisse: id quod ex innumeris veteribus tam Græcorum quam Latinorum testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent, inductos fuisse exemplo Christi. XI. Antiqui Patres ignorarunt Transubstantiationem. Ideo Scotus, referente *Bellarmino lib. 5. de Euchar. cap. 2. 3.* ait, ante Concilium Lateranense non fuisse dogma Transubstantiationis. XII. Antiqui Patres detestantur vocabulum œcumenici & vniuersalis Episcopi: ut constat ex *Gregorio M. lib. 4. epist. 26.* XIII. Antiqui Patres docuerunt, omnem animam, etiam clericos, lubie etiam esse magistratui ciuili: ut fatetur *Episcopus Espenceus comment. in epist. Tit. 3. digness. 10.* XIV. Antiqui Patres coelibatum sacerdotum voluerunt esse liberum: ut fatetur *Caietanus tom. 1. opus. tract. 17.* XV. Antiqui Patres ignorarunt Purgatorium: ut agnoscit *Episcopus Roffensis art. 18. aduers. Luth.* Hæc, & similia, fatentur ipsimet Papistæ. Vnde profecto efficitur, nos, non vero illos, cum antiquis Patribus consentire in his doctrinæ capitibus. Vide de hoc argumento *Mortonum apolog. cathol. part. 1. c. 76. & d.* Postremo luculentem huius rei argumentum exhibent Indices expurgatorii: de quibus vide infra c. 9. §. 6.

VI. Tertiam nostram thesin, quod Patres etiam suos habuerint & defendierint errores, ita probamus. Primo constat quosdam Patres amplexos fuisse errores hæreticorum. Nam Iustinus Martyr contra Tryphonem, Papias teste Eusebio lib. 3. hist. eccles. cap. 36. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Lactantius lib. 7. cap. 24. Apollinarius, Victorinus Pictaviensis, & alii, ut restatur Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. Papias, secuti sunt errorem Cerinthi de mille annis regni Christi. Deinde circumferuntur multæ fabulosæ traditiones Papiæ, Tertullianj, & aliorum veterum, quas vulgo Apostolicæ appellantur. Tertio, Iustinus Martyr apolog. 2. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. Chrysostr. homil. 38. in Matth. & alii, diserte asserunt, Iugum legem Moysi, Gentibus Philosphiam, ante Christi aduentum, seu cognitionem Dei creatoris, absque cognitione Christi, fuisse factis ad æternam salutem. Quarto, Irenæus lib. 4. cap. 30. ait, Enochum legatione Dei ad angelos functum: fidem esse in potestate nostri liberi arbitrii, lib. 4. cap. 72. Christo contra Clemens Alexandrinus ait, Christum vnicum duntaxat annum docuisse, & crucifixum cum esset annorum triginta, quem errorem Irenæus in Valentianis reprehendit lib. 2. c. 38. Idem Clemens maiori errore ait, Christum nec efurisse vere, nec vere sitiisse, & impatibilem fuisse, Christioloris expertem: Apostolos etiam post resurrectionem Christi ab affectibus stultos omnibus animabus, quæ apud inferos erant, annuntiasse Evangelium, ut quæ ad fidem in inferno conuerterentur, eas seruaret; reliquas vero in incredulitate perseverantes, iuste damaret. Quinto, errores Origenis adeo multi & graues sunt, ut inde Origenistarum secta sit appellata. Sexto, error Cypriani & Synodi Africanæ de baptismo hæreticorum notissimus est ex lib. 2. epist. 1. ad Stephanum Papam Romanum. Septimo, Hilarius in Psalm. 1. ait: Deum nec pios, nec impios iudicaturum, sed medios. Et alibi dicit, Christi animam tristem fuisse vsque ad mortem, non metu mortis, sed quod, cum spiritus blasphemix nec hic, nec in æternum remittatur, metuerit, ne discipuli se Deum abnegarent, quem cælum, & conspurum, & crucifixum essent contemplati. Vide ipsum in Matth. can. 31. De corpore Christi docet, primo illud non habere originem ex Maria (ut quæ incrementa tantum, & partum contulerit, sed ex cælo, & Spiritu sancto: de Trinit. lib. 10. Deinde, corpus Christi passum sine vlllo dolore, ibid. Denique idem corpus tandem in fine mundi mutatum iri in naturam diuinam, ne Christus ex parte Deus sit, sed totus Deus, lib. 11. Octauo, Ambrosius contra historiam Euangelicæ veritatem Petri abnegationem mirifice extenuat & excusat, comment. in Luc. lib. 10. cap. 22. quam sententiam merito reprehendit Hieronymus comment. in Matth. 2. 6. Deinde paradysum, quem Moses describit, non in terra, sed in animo hominis, constituit, & totam illam historiam varie deformat, lib. 6. epist. 62. Nono, Hieronymus tradidit, angelos multis seculis ante mundum creatum extitisse ac Deo seruiisse, comment. ad Tit. 1. Idem negat Dei prouidentiam singulas res, etiam vilissimas, nosse, commentarius in Habac. 1. In argumento vero de Petri reprehensione & Apostolorum veritate quam grauius aberrarit comment. ad Gal. 2. demonstrat Augustinus epist. 19. Qui suos etiam (ut hoc adnotemus loco decimo) habuit nauos. Quamuis enim Patrum omnium, communi sententia, purissimus habeatur: hominem tamen se esse, qui errare potuerit & errarit lapsus, non solum Christiano & singulari candore, suis Retractionum libris confessus est: sed alia etiam, quæ non animaduertit, idem restantur. Quale est illud, quod infantibus cœnam Domini ad salutem omnino necessariam asserit, tom. 7. de peccatorum meritis contra Pelagianos; lib. 1. cap. 20. & alii in locis. Nec is priuatus fuit Augustini error, sed aliis etiam Patribus communis. Quippe propterea infantibus cœnam Domini, contra Christi institutionem, administrabant, ut ex Augustino colligitur, tom. 10. serm. de verbis apostoli, & tom. 2. epist. 107. & ex Cypriano, serm. de lapsis. Undecimo, Chrysostr. & ceteri Græci Patres, vel illud etiam satis erroris conuincit, quod liberi arbitrii vires tantopere extollant, ut eius dignitate nos præparari ad gratiam latuant. Quam Chrysostr. sententiam cauendam & repudiandam esse, merito agnoscit Stapletonus Antidot. Euang. in Iohann. 6. 37. Et Toletus comment. in Roman. 6. non Chrysostr. solum, sed etiam Cyrillum, nec istos tantum, sed alios etiam Doctores, maxime Græcos, ita statuisse agnoscit, & his verbis reprehendit: Augustinus multo aliter quam isti, docet enim à Deo nobis dari non modo gratiam ut credere possimus, verum etiam ut velimus. In hoc igitur prædicti auctores non probantur. Similiter Pererius comment. in Roman. 9. num. 33. obseruat, Theodoretum, Oecumenium, & Hieronymum in illa ipsa sententia fuisse: & addit, Profecto illa doctrina contraria videtur iis, quæ in hoc loco disputat Apostolus. Sententia Augustini est doctrinæ Pauli conuenientior. Neque aliter Maldonatus comment. in Iohann. 6. Agnoscit enim, Theophylactum, Arnobium, Euthymium ita loqui, ac si homo antequam per gratiam ad gratiam trahatur, possit gratiam mereri. Sed addit: Hæc doctrina eorum nimis affinis est Pelagianorum errori. Caueat lector, si Chrysostr. in hunc locum legat, ne in Pelagianorum hæresim incidat. Duodecimo, Hieronymus videtur aliquanto matrimonio iniquior, ut sunt verba Acofia de Christo reuelato cap. 20. Postremo, Conciliorum multorum, tam vniuersalium, quam particularium, errores occurrunt. Nam quartum Concilium œcumenicum, nimirum Chalcedonense, adeo errasse scribit Gregorius lib. 4. epist. 80. & 83. lib. 6. epist. 188. lib. 7. epist. 30. ut Leoni Romano tribuerit episcopi vniuersalis titulum; quem titulum, profanum ac scelestum fideique perniciosum appellat. Hinc Leo & ipsius legati recte sancteque fecerunt, quod huic decreto pertinacius reluctati fuerunt. Porro canon. 3. Concilij Niceni Catechumenos lapsos à communibus ecclesiæ precibus excludit per triennium: & can. 20. decernit, nec die Dominica, nec in Pentecoste, genua ad Deum orandum, vlli fidelium esse spectenda. Leo etiam epist. 41. ad Marcianum, Concilium Ephesinum II. asserit non posse vocari concilium, quod in euerfionem fidei fuerit agitatam. Quod pertinet illud Bellarmini lib. 2. de Concilijs cap. 11. in fidei decretis Concilia vniuersalia errare posse. Quod probat variis exemplis. Hæc accedit, quod Concilia generalia sibi mutuo sapius aduersentur. Nam Concilium Constantinopolitanum, sub Constantino Copronymo, imaginum cultum merito damnauit: Nicenum secundum probauit: Francofurensis sub Carolo M. aduersus Concilium illud Nicenum, imaginum cultum iterum damnauit. Sic Concilium Constantiense & Basileense, Papam fieri posse, & interdu fuisse, hæreticum, Concilia vero vniuersalia errare non posse, eisque & Papam subesse debere, decreuerunt: contrarium vero definiuit Concilium

Lateranense. Quæ hætenus paulo prolixius persecutus sum, cõ tendunt, ut intelligamus, quia primæua antiquitas & vere Apostolica veritas, in Patribus antiquis tam saepe desideratur, ut & in Concilijs; hoc vnicum superesse, ut ad doctrinam Apostolicam recurramus, & conspirationem cum illa doctrina pro nota ecclesiæ habeamus. Nam in sola Scriptura occurrit aurum: in Patribus aurum & fœnum atque stipula. Quare adhibita norma Scripturæ fœnum ac stipulam doctrinæ humanæ ab auro verbi Dei secernamus. Nihil hic dico de iis, quæ sancti illi viri in interpretatione SS. literarum, à Spiritu sancti mente aliena prouulerunt. Latere etiam patior diuersitatem sententiarum in rebus grauissimis. Sufficit enim hoc loco, ipsorum hallucinationes leui brachio perstrinxisse. Iam redeamus ad contextum Bellarmini.

VII. Texit ille catalogum errorum, qui apud antiquos Patres pro exploratis hæresibus notantur, quos tamen Protestantes pro orthodoxis dogmatibus amplecti ait: atque hoc probare nititur longa inductione viginti hæresium. Vbi in genere monemus, 1. hæreses quasdam ab ipso in medium productas, hæreses non esse verbi gratia, quæ ex Hieronymo adducit de Ioviniano & Vigilantio, ex Epiphano de Acrio. 2. hæreses illas, quæ reuera sunt hæreses per apertum mendacium, aut calumniosam interpretationem, nostris ecclesijs impingi. 3. multos recenserit inter nostros, qui reuera nostri non sunt. verbi gratia Anabaptistæ; Neariani; Vbiquistæ, & alii quidam. Sed percurramus ordine lepidum istum catalogum, & retexamus insignem corollam ex illis viginti hæresibus contextam, qua nos redimitos ait Cardinalis.

VIII. Prima hæresis est Simonianorum & Eunomii. Simoniani docebant hominem saluari per gratiam Simonis Magi, quem Deum faciebant, non secundum opus iustitiam. Eunomius tam fuit inimicus bonis operibus, ut nemini obesse quorumlibet peccatorum perseverantiam diceret. Idem Protestantes. Respondeo. 1. Simoniani docebant, hominem saluari secundum gratiam Simonis Magi. At nos dicimus, oportere nos iustificari tantum per gratiam Dei in Iesu Christo, quam per fidem tantum apprehendimus. Atque hæc est Apostoli doctrina Rom. 3. & 4. & alibi. Quid? Multi ex Pontificis fatentur, tantum per imputationem iustitiæ Christi, quatenus fides nostra apprehendit misericordiam, atque iustitiam Christi, propter meritum Christi, nos iustificari coram Deo: teste Vega lib. 7. de iustif. cap. 21. & Lys. c. 11. & 21. itemque Stapletono lib. 7. de iustif. cap. 9. Non itaque est hæretica hæc sententia. 2. Eunomius nihil cuiquam obesse peccatorum perseverantiam dixit. At nos dicimus, peccatorum perseverantiam omnibus infidelibus obesse, quod illi reuera in peccatis perseverent: non vero obesse fidelibus, quod illi per gratiam Dei hoc consequantur, ut perseverare non possint in peccatis, sed re ipsa perseverent in fide & bonis operibus; quæ contendimus esse necessaria necessitate præsentis, ad iustificationem; necessitate efficientiæ, non vero meriti, ad glorificationem. Sunt enim bona opera causa sine qua non, vitæ æternæ. Itaque aliqua saltem efficientia ipsis tribuitur. Dico aliqua: nempe organica & extrinseca. Nam de efficientia principali & intrinseca negamus. 3. Eunomius docuit, hominem iustificari sola fide, quæ non est ferax bonorum operum. Nos docemus, hominem iustificari sola fide, quæ ex se parit opera. Neque fidei tribuimus hanc dignitatem: sed hoc volumus, iustitiam Christi fide apprehensam esse causam meritoriam iustificationis, fidem esse causam organicam.

IX. Secunda hæresis est Florini, quæ eadem Simonis Magi, Marcionis, & Manichæorum fuit: Deum esse authorem peccati. Eandem restaurant Lutherus, Melancthon, Calvinus. Respondeo. 1. Cedo locum, ubi? 2. Calvinus plus centies diserte negat, Deum esse authorem peccati. Vide in primis comment. in Iacob. 1. 13. Iesuitæ eodem profus modo loquuntur de permissione & gubernatione peccati, ut nostros. Sic enim Pererius com. in Gen. disp. 8. Multa facit Deus etiam intra eum, qui obduratur, quibus vitio suo is fit deterior. Excitat varios motus vel spei, vel timoris, vel cupiditatis, vel iræ; itemque varias imaginationes immittit, dubias atque perplexas, quibus ille nimio plus incredulus præcipitatur in malum. Hanc excecandi impios, & obdurandi viam, omnium maxime approbat Augustinus, Deum non modo per permissionem atque patientiam, sed etiam per potentiam & actionem potentissima sua prouidentia, sed tamen sapientissima atque iustissima agere. Eodem modo Vega expos. Concil. Trident. lib. 2. cap. 15. ait: Quemadmodum malæ ambulationis in homine claudo in detortam tibiam vitium reuicimus, & vitium Scripturæ exarata ab optimo scriba, in malâ papyrum, aut male temperatum calamum: ita mala nostra non debent imputari Deo, quod auxilio generali ad ea concurrat, sed nobis, qui desectimus, & claudicamus ab ipsius lege, & influxum eius in malum detorqueamus. Quamobrem licet nobiscum faciat actus, qui intrinsecam & inseparabilem habent malitiam: nequaquam tamen peccati author censeri debet. Eadem profus est doctrina nostrorum. Quare si doctrina Iesuitarum non est hæretica in hoc loco, uti non est, neque nostra fuerit.

X. Tertia hæresis est Origenis, qui primo docuit, Adamum perdidisse imaginem Dei, ac quam creatus erat: deinde, infernum nihil esse aliud, quam horrorem conscientie. Vtrumque Calvinus docet. Respondeo. 1. Si Origenes per imaginem Dei intellexit imaginem naturæ; errauit (illa enim mansit) si vero imaginem gratiæ; id est, doctores, non errauit. Et posteriori modo Calvinus docet, imaginem Dei in solidum esse amissam. Quod ipsum etiam docent Patres & Papistæ. 2. Calvinus aliquando, non vero omnem inferni pœnam constituit in cruciatu conscientie. Vide ipsum Inst. l. 3. cap. ult. §. ult.

XI. Quarta hæresis est Peputianorum; qui mulieribus sacerdotium tribuebant. Lutherus similiter docet tam mulierem, quam sacerdotem, absolueri posse. Et iam regnat in Anglia mulier Pontifex, apud Calvinistas. Resp. 1. Lutherus tribuit mulieribus potestatem absoluedi priuatim tantum: quod quilibet Christianus potest. 2. Nullum primatum regina Angliæ Elisabetha exercuit, quem non Iosaphato & Iosifæ Deus tribuit: ut infra docuimus lib. 4. 3. Papistæ sunt vere Peputiani, quando mulieribus tribuunt potestatem baptizandi.

XII. Quinta hæresis est Procli & Messalianorum, qui peccatum in renatis semper viuere, nec per baptismum tolli dicebant. Idem docent Protestantes.

Respondeo. 1. Nos docemus, peccatum originis in renatis habitare semper, quamdiu sunt in statu vitæ, at non dominari seu regnare: id quod Proclus asserbat. 2. Et si peccatum in renatis est, non tamen obest. Itaque domi-

natus & reatus illius nobis abolutus est in Christo. Quo pertinet illud *Augustini sermon. sexto de verbis apost.* Peccatum regnum amittit in terra, perit in caelo. 3. Messaliani tantam vim orationi tribuebant, ut baptismo derogarent, dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere. At nos distincte loquimur de baptismo. Aut enim ita administratur, ut actio externa sit separata ab interna, aut ita, ut actio externa coniungatur cum interna. Ibi est nudum sacramentum: hic sacramentum & res sacramenti simul. Itaque peccatum per baptismum non tollitur vi operis operati, sed vi & merito sanguinis Christi, cuius sacramentum est baptismus externus.

XIII. *Sexta haeresis est Novatianorum*; quorum praecipuus error erat, non esse in ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo, nisi per baptismum: postea etiam addiderunt, non debere baptizatos inungi chrismate ab Episcopo. Ita Calvinus reiecit sacramentum poenitentiae, itemque chrisma: Augustana Confessio, confirmationem: Lutherus nunc tria sacramenta agnoscit, baptismum, poenitentiam & panem, nunc poenitentiam reiecit. Itaque Protestantes nullum agnoscunt poenitentiae sacramentum, praeter baptismum.

Respondeo. 1. Nos negamus poenitentiam esse sacramentum: ipsam poenitentiam magni facimus. 2. Chrisma merito repudiamus; quia est superstitione humanitus introducta. 3. Lutherus varie, seu diverso respectu, de poenitentia loquitur, prout vox sacramenti est homonyma. 4. Confirmationem merito reiecit tanquam sacramentum ementitum.

XIV. *Septima haeresis est Sabellii*, qui docuit, vnam tantum esse personam in Deo, non tres. Idem docuit nostro tempore Michael Seruetus. *Respondeo.* Sed quid ad nos Seruetus? Ad nos dico, qui sacrosanctam Trinitatis mysterium religiose credimus, & studiose defendimus.

XV. *Octava haeresis est Manichaeorum*; qui primo hominum damnabant naturam, & liberum auferabant arbitrium: deinde accusabant passim patres V. T. ut Abrahamum idolatriae, & similibus peccatorum. Vtrumque faciunt nostri temporis haeretici. *Respondeo.* 1. Manichaei naturam hominis tollebant, id est, libertatem naturae, ut vocamus, & caueamus a malo. Ad hoc enim, inquit *Augustinus lib. 3. de doct. Christi. cap. 23.* etiam peccata illorum hominum scripta sunt, ut Apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait: Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Quo pertinet illud vulgatum: Lapsus maiorum sit cautio minorum.

XVI. *Nona haeresis est Donatistarum*; qui Ecclesiam ex solis iustis constare volebant, atque inde deducebant, ecclesiam visibilem periisse de orbe terrarum, & in sola Africa remansisse. Idem Catholicos crudelissime trucidabant, oderant praecipue Monachos & Episcopos, quos Phariseos vocabant, & in primis Episcopum Romanum, cuius sedem cathedram pestilentiae appellabant, altaria frangebant, ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant, Eucharistiam canibus dabant, chrisma proiciebant. Eandem esse doctrinam, & vitam Calvinistarum, certum est. *Respondeo.* 1. Ecclesia inuisibilis in hac vita constat ex solis bonis, qui sunt perfecte iusti iustitia Christi sibi donata, imperfecte iustitia inchoata, in caelis consummanda. Ecclesia visibilis constat bonis & malis, & latius multo patet quam inuisibilis. Haec sententia nihil commune habet cum haeresi Donatistarum. 2. Donatistae persequuntur Catholicos, id est, veros Christianos: oderant Monachos & Episcopos illorum temporum, qui erant viri docti & innocentes. Nos non persequimur Catholicos, id est, veros Christianos, neque odimus veros Episcopos, id est, antifites ecclesiarum. Imo neque Catholicos Romanos persequimur, id est, Pontificios: neque ipsorum Episcopos & Monachos odimus: sed & illos, & istos, & hos amamus, ut proximos. Detestamur autem in ipsis errores. 3. Singularia facta, vel militum, vel intempertive Zelantium, quid faciunt ad rationem communis doctrinae & vitae demonstrandam? 4. Exempla sunt dissimilia, & criminationes falsae.

XVII. *Decima haeresis est Arianorum*; qui docebant, Filium Dei esse Patre minorem: nec recipiebant villo modo traditiones non scriptas: denique maiora scelera perpetrarunt in sacramenta, altaria, sacerdotes, monachos, sanctimonialia &c. quam Donatistae. Primum errorem docent hoc tempore Tritheitae: huiusque erroris semina sparserunt in suis scriptis Lutherus, Melancthon, Calvinus; vnde postea orti sunt isti noui Ariani, quos ipsi impugnant. Deinde alterum errorem docent omnes huius temporis haeretici. Reieciunt enim omnes traditiones. Porro crudelia illa, & sacrilega facinora Arianorum, si tantum nomina mutantur, sunt illa ipsa, quae Calvinistae passim faciunt. *Respondeo.* 1. Quid ad nos Tritheitae? 2. Nostri non sparserunt semina huius erroris, quando Patrem scripserunt appellari Deum *καὶ ἕως ἄρτι*. Hoc enim docet Scriptura *Iohan. 14.* Pater maior est me; scilicet non quantum ad aetatem, sed ratione originis, quia Filius est a Patre non Pater a Filio: itemque ratione officii. Quod attinet ad priorem rationem, illam ipsi Papistae probant, nominatim Toletus & Maldonatus; quorum ille *comment. in Iohann. 14.* dicit hanc expositionem esse Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Hilarii, Origenis, quorum loca ibi citat: *hic comm. super d. lat.* Pater est maior Filio etiam quatenus Filius Deus erat, non quidem re ipsa, sed hoc ipso, quod ille Pater, hic Filius. Patris enim nomen est honorificentius nomine Filii. Atque hoc est, quod Scholastici in Patre vocant auctoritatem, in Filio subauctoritatem. 3. Non auersamur ritus traditos, sed doctrinas non traditas. 4. Criminatio ista constat singularibus facinoribus, & dissimilibus exemplis. Vide §. *preced. n. 3. 4.*

XVIII. *Vndecima haeresis est Arianorum*; qui tres errores docuerunt: videlicet orare, seu offerre pro mortuis oblationem non oportere; nec statuta solenniter ieiunia celebranda esse, sed cum quisque voluerit, ieiunandum esse; denique presbyterum ab Episcopo nulla debere differentia discerni. Eadem docent & faciunt Calvinistae, & Lutherani fere omnes. *Respondeo.* 1. Orare & sacrificare pro defunctis est haeresis. Itaque non Arianis, sed Papistae

sunt hac in re haeretici. 2. Ieiunia promiscue non reiecit: nam bona laudamus, & suo tempore obseruamus: sed illa Pontificiorum improbamus, superstitiosa plane, animosque & corpora simul extarnificantia, sine causa, modo, & fine. 3. Episcopi & presbyteri ex Scriptura iidem sunt: & episcopus non est *ἐπίσκοπος διακονῶν*, quod dicebat Aerus. Quid? *Medina lib. 1. de sacr. orig.* affirmat, non modo sanctum Hieronymum in hoc cum Arianis haereticis sensisse: verum etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum. Itaque haec sententia non est haeretica. Postquam vero in prisca ecclesia, humano instituto, facti sunt Episcopi, qui Presbyterio ordinis causa praesentent, distincta sunt illorum functio: quod Aerus praefraete euerbat: neque tamen ob id erat haeticus. Hos autem non adeo praecise simpliciterque negamus: sed Pontificium istum fastuosumque praesulatum, & quidquid in Ecclesia *ἐπιφλορητικῶν* sapit a feruis Dei alienissimum.

XIX. *Duodecima haeresis est Iouiniani*; cui tribuuntur isti quinque errores. 1. hominem non posse peccare post baptismum, si vere baptizatus fuerit, id est, si reuera fidem, & gratiam Dei acceperit. 2. ciborum delectum, & ieiunia non esse meritoria. 3. coniugium virginitati dignitate & merito aequari. 4. Praemia beatorum esse paria. 5. B. Virginem in partu carnis virginitatem amisisse. Eadem docent nostri temporis haeretici. *Respondeo.* 1. Nulla hic occurrit haeresis. 2. Aliud est, non posse peccare simpliciter, quod Iouinianus dicitur de baptizatis falso affirmasse: aliud, non posse veram fidem & gratiam Dei amitti, quod dicimus nos ex Scripturis. 3. Nullum opus formaliter & intrinsece bonum est meritorium. Ergo multo minus ieiunium, quod est indifferens *φύσει*, & *χρησει* fit bonum extrinsece. 4. Castitatem specialem & extraordinariam dicimus esse nobilissimum donum coniugio. Alias coniugium & virginitatem ita inter se conferimus, ut coniugium sanctum superstitione, coacta, & plerumque vix virginitati, anteferamus. 5. Beatorum praemia sunt paria, quantum ad formale vitae aeternae: imparia, quantum ad gradus. 6. Iouinianus non simpliciter, sed secundum quid hoc intelligit: quia Christus nascens ex Maria, vuluam ipsius adaperuit, atque ita *καὶ ἕως ἄρτι* virginitatem abstulit, non vero *καὶ ἕως ἄρτι*. Quae expositio si non placet, error tribui potest Iouiniano, haeresis non potest.

XX. *Decima tertia haeresis est Vigilantium*; qui docuit ista quatuor. 1. sanctorum reliquias non esse venerandas. 2. orationes mortuorum pro aliis non exaudiri. 3. Ecclesiasticos debere esse vxoratos. 4. non expedire, relinquere omnia, & dare pauperibus, & ad religionem, relicto seculo, propere. Eadem omnia docent nunc sectarii. *Respondeo.* 1. Nulla hic est haeresis. 2. Eadem nos docemus, sed certis cautionibus, ut patet ex seqq. 3. Reliquias falsas & supposititias ridemus: veris non derogamus venerationem, sed dolemus illis tribuamur adorationem religiofam. 4. Ecclesiastici, qui non habent donum specialis continentiae, omnino debent abstinere. 5. Haeticum est, paupertatem meritoriam vouere, & defendere.

XXI. *Decima quarta haeresis est Pelagianorum*; qui docebant inter alia, 1. non esse in hominibus peccatum originale, & praecipue in filiis fidelium. 2. per quodlibet peccatum, quamuis leuissimum, perdi iustitiam, ac proinde omne peccatum esse mortale. Primum horum docent Zwinglii & Calvinus: alterum, omnes sectarii. *Respondeo.* 1. Pelagiani negabant peccatum originis simpliciter: nos negamus secundum quid. Illi, non esse: nos, credentibus non obesse docemus. 2. Filii fidelium nascuntur sancti, quia nascuntur in foedere Dei: iidem nascuntur in peccato, quia nascuntur ut omnes homines, etiam illi qui non sunt in foedere Dei. 3. Nostri docent, quosdam liberos fidelium saluari etiam sine baptismo: quatenus videlicet intelligitur baptismi sacramentum stricte, ut distinguitur contra rem sacramenti. Nam baptismi nomen accipitur tribus modis: aut de baptismo integro absolute dicitur interno externoque simul, aut de interno solum, aut de externo solum. Duobus prioribus modis cum dicitur, certo certius est, nos ordinari non saluari sine baptismo *συνόλω* dicto, & neminem posse saluari sine baptismo interno: de externo negamus. Multi enim non-baptizati externe baptizati interne, & ita saluantur. 4. Iustitia, electorum propria, non potest amitti: etsi interim vetum est, omne peccatum in foro poli esse sua natura mortale.

XXII. *Decima quinta haeresis est Nestorianorum*; qui docuerunt, in Christo duas esse personas, & duas naturas. Idem omnes veteres contemnebant id quod egregie praestat Lutherus, Calvinus &c. Praecipuum autem errorem docet hoc tempore Beza, qui in libro de *unionem hypost.* in Christo duas vniones hypostaticas ponit, vnam animam cum carne, alteram deitatis cum humanitate. *Respondeo.* 1. Veteres non contemnimus, sed veterum errata deploramus. 2. Non omnes sunt veteres, quos aduersarii pro talibus habent. 3. Beza dictum inuidiose trahitur. Nam ille impugnat d. Nestorium, qui duas personas in Christo statuebat. Duas quidem vniones hypostaticas in Christo esse ait: sed hinc non sequitur, duas esse personas. Nam vtraque vnio dicitur hypostatica secundum rationem speciei; sed non vtraque hypostatica secundum rationem individui.

XXIII. *Decima sexta haeresis est quorundam*; qui docuerunt, in Eucharistia non manere corpus Christi, si seruetur in alteram diem. Hunc errorem docent hodierni sectarii. *Resp.* Non est error, sed ipsissima veritas. Nam sacramentum non est res permanens, sed transiens, utpote consistens in actione & vsu.

XXIV. *Decima septima haeresis est Eutychianorum*; qui docuerunt, vnam esse in Christo naturam, sicut vnam personam. Eandem hoc tempore instaurarunt Schwenckfeldius & Vbiquistae. *Respondeo.* Id nihil ad nos. Neque enim cum Schwenckfeldio docemus, humanam Christi naturam post ascensionem eius conuersam esse in diuinam: neque cum Vbiquistis asserimus, Christi humanitatem ab ipsa incarnatione semper fuisse vbi-que.

XXV. *Decima octava haeresis est Xenae Persae*; qui primus palam asseruit, Christi & sanctorum imagines non esse venerandas. Idem docet Calvinus. *Respondeo.* Calvinus non prohibet licitum vsu imaginum, sed idololatriam, h. e. adorationem ipsarum religiosam. Haec enim repugnat verbo Dei.

XXVI. *Decima nona haeresis est Lampetianorum*; qui docuerunt, monasteria debere esse libera, id est, sine votis perpetuis. Idem hoc tempore dicit Luther. *Resp.* Et illi, & iste recte. Non enim in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio, ut recte ait *Calet. comm. in Mat. 19.*

XXVII. *Vigesima*

XXVII. Vigesima & vltima hæresis est quorundam, qui negabant Eucharistiam vere esse carnem Christi, & tantum esse volebant figuram, seu imaginem corporis Christi. Hanc hæresim docent hoc tempore Zwinglius & Calvinus. Resp. Non dicimus Eucharistiam esse figuram tantum, sed illam constare asserimus ex re terrestri & cœlesti, secuti Irenæum: & rem terrestrem, id est, panem & vinum, dicimus esse signum, figuram, typum, imaginem & c. secuti innumeros Patres, de quibus vide supra in supplemento tom. 4. Hoc est, quod Calvinus passim inculcat, symbola & corpus atque sanguinem Christi, licet loco inter se plurimum distent, tamen coniuncta esse non solum ratione signi, sed etiam in legitimo vtu, quia cum signo Deus vere nobis exhibet ipsum verum Christi corpus & sanguinem.

XXVIII. Habemus viginti hæreses, quas Bellarm. hoc loco nobis imponit. Idem, & alij quidam Papistæ, nobis tribuunt alias etiam hæreses, numero XIII. & quibus aliæ oppugnant deitatem ipsam, aliæ vtramque Christi naturam, aliæ Christianorum bona. Videamus omnia veluti per satyram. Quantum ad deitatem ipsam, dicunt nos cum *Atheis* oppugnare omnipotentiam, & cum *Arianis* odisse vocabulum *ipso*, & Trinitatis & c. Resp. ad 1. Non negamus Dei omnipotentiam, sed illam impie & falso dicimus extendi ad ea, quæ Deus non potest velle. v. g. Deus non potest facere, vt corpus tria dimensionem præditum sit indiuisibile, quia hoc non potest velle. ad 2. Lutherus non rejicit ista vocabula; sed partim vocabulum *ipso*, & ita comparatū esse ait, vt, si nolit eo vti, non tñ ideo futurus sit hereticus, modo rem teneat: partim vocabulum Germanicum *Dreifaltigkeit* non satis accuratum esse docet, quia rectius diceretur *Trinitas*. *Diuinam Christi naturam impugnant* calumniantur à Caluino, qui scribit Filium Dei esse *adversus*; & à Protestantibus omnibus, qui docent Christum esse mediatorem secundum vtramque naturam. Prima hæresis est Autotheorum, altera partim Arianismum, partim Eutychanismum inducit. Resp. ad 1. Regula iuris est, ne vis fiat verbis. Hoc etiam obseruandum est in modo loquendi, quo Calvinus vtitur, recte explicando. Non n. si Concil. Nicenum recte loquitur, Deus de Deo: ideo Calvinus non recte scribit, quod Filius sit *adversus*. Ibi enim vox Deus accipitur *in vno*: hic, *in vno*, ad 2. Imo vero hæc est sententia Scripturæ, & Patrum, & multorum Papistarum, quod Christus *deus* sit mediator.

XXIX. *Humanam Christi naturam* calumniantur à nobis impugnant ratione animæ & corporis. *Ratione animæ*, quod doceamus, 1. cum Agnoitis, ipsam ignorasse quædam. 2. eandem desperasse, quæ est blasphemia. 3. aliquid egisse, quod corrigi debuerit; quæ similiter est blasphemia. 4. Christum nihil pro se meruisse; quæ opinio etiam est blasphemia. 5. ipsum non vere descendisse ad inferos. Resp. ad 1. Agnoitæ simpliciter Christo tribuebant ignorantiam, qui credebant humanam naturam esse conuersam in diuinam. Itaque ignorantiam impingebant Deo. At nos tribuimus animæ Christi, h. e. creaturæ, ignorantiam, sed non vitiofam. ad 2. Christus non desperauit sed verba desperantis & sperantis simul protulit. Sperantis, ibi: *Deus mi, Deus mi*. Desperantis, ibi: *Quare me dereliquisti*. Vide *Maldonatum comm. in Matt. 27.* & alios quosdam Papistas apud nostrum Martonum c. 55. p. 1. apol. Cathol. ad 3. Christus corripit suam orationem, correctione rhetorica, non vero ethica sive morali, quando *Matth. 26.* dixit: Pater si possibile est, transeat à me hic calix: veruntamen non vt ego volo, sed vt tu vis. ad 4. Respondet pro nobis *Vega opusc. de meritis q. 6.* Christus totam suam gratiam, totamque gloriam essentiali sine meritis habuit, in primo suo humanitatis instanti, nec nisi indirecte meruit gloriam corporis. ad 5. Variant hic nostri: neque mirum, quia & veteribus accidit. Omnes tñ consentiunt, Christum vere descendisse ad inferos, alij realiter, alij virtualiter. *Quantum ad corpus Christi* dicunt à nobis errari, quando illud appellamus cadauer, dum iacuit in sepulchro. Sed respondeat pro nobis *Suarez, qui in Tom. p. 3. q. 53. disp. 45. art. 2. ait*: Vt Christus doceret, inquit Achanasius, corpus suum esse mortuum, non, priusquam triuianum cadauer esset, excitauit.

XXX. *Christianorum bona* à nobis oppugnantur conqueruntur duobus modis videl. primo beatitudinem ipsam immediatam post mortem, deinde media ad beatitudinem necessaria, videl. Confessionem & contritionem. Dicunt n. nos 1. cum hæreticis veteribus, fabricare abdita quædam receptacula, vbi seruentur animæ, nec Deum videant ante resurrectionem. 2. cum Audiōnis negare confessionem peccatorum. 3. cum Libertinis asserere, contritionem generare hypocritam aut desperationem. Resp. ad 1. Multi ex Patribus ita docuerunt; videl. Euthemius, Tertull. Lactantius, Victorinus, vt recte obseruat *Vasquez tom. 1. in Thom. disp. 19. c. 1. nu. 1. & II.* Et tamen *Feuardentius in Thomach. lib. 8. c. 7. & 8.* audeat scribere, Caluinum hac sua sententia Libertinis fenestram aperuisse, negandi immortalitatem animarum. Ita pungit Patres per latus Caluini. Verum vbi Caluinus ita scribit: Annon toties sanctorum animas locat in cœlo, etiam ante aduentum Christi? Quod ipse Bellarm. lib. 4. de Christo c. 15. totidem verbis de Caluino prædicat. ad 2. Nos probamus confessionem peccatorum generalem & specialem, publicam & priuatam improbamur meritoriam illam & tyrannicam Papistarum. ad 3. Contritio sine fide aut hypocritam parit, aut desperationem.

XXXI. Nunc, vt par pari respondeamus, & vanitatem argumenti Bellarmiani ostendamus, operæ pretium fuerit, ad oculos demonstrare quid Papistæ commune habeant cum ethnicis, Philosophis, Iudæis, & hæreticis. Ex illorum enim lacunis suam ambrosiam fere hauserunt: vt merito *Petrarcha epist. 20.* curiam Papæ appellauerit matrem omnium scortationum & idolatriarum, nec non asylum hæresum & errorum: & in *rhythmis Italici* Romam vocet scholam errorum & templum hærescos.

XXXII. Atque vt hinc ordiamur, ipsi Papistæ fatentur ab ethnicis quosdam ritus in Ecclesiam Romanam receptos esse: puta cereos arduentes, cultum imaginum, multitudinem patronorum & patronarum. Nam ceremoniarum ardentium cereorum à Februalibus Romanorum sacris originem sumere: vt auctor est *Beatus Rhenanus in lib. 5. Tersull. contra Marcionem.* Imagines Petri & Pauli *id est, in vno*, id est, gentili consuetudine sunt retentæ & cultæ; vt ait *Eusebius libro septimo histor. eccles. cap. vigesimo octauo.* Sicut enim ethnici suas imagines, siue deos, colebant auro, gemmis ebore: illis thus incendebant, libamina offerebant, lampades accendebant, vestibus induebant, vota nuncupabant, altaria erigebant, cultum religiosum præstabat & c. ita Papistæ suas imagines venerantur, vt ipsa praxis demonstrat. Porro vt ethnici non ab omnibus diis omnia petebant, sed à certis certa beneficia: sic quoque Pontificii ab alijs sanctis alia expectant beneficia. Hinc Apollonia fingitur mederi dentium dolori; *Orilia* &

phtalmiæ & c. In locum deorum gentilium substituerunt suos sanctos, iuxta verbum:

Vt Martem Latij, sic nos te diue Georgi.

Apollinis locum apud ipsos occupant Sebastianus & Rochus, Martis & Bellonæ Georgius, Lunonis Anna, Neptuni Nicola & c. vt videre est apud *Theodor. de euang. verit. cognit. lib. 8.* Ethnici certis prouincijs & vrbibus præficebant deos deasque tutelares. Ita Pontificij Petrum præfecerunt Romæ, Marcum Venetijs, Mariam Vngariæ, Stephanum Viennæ & c. Ethnici idolis suis præficebant sacerdotes cœlibes & rastos; suaque delubra ingressuri aqua litrali se adspergebant. Quod ipsum etiam fit in Papatu. Exorcisationes ipsorum ab incantationibus gentilium sumere originem. Neq; solum ritus, sed etiam dogmata quædam ab ethnicis mutuati sunt. Ignem purgatorium acceperunt ex Gorgia Platonis & lib. 6. *Æneid. Virg.* Canonizatio sanctorum est gemina *deus* ethnicorum. Ordines Ecclesiasticos imitatione gentilium distinctos esse fatetur Ius canonicum *c. decretis dist. 21.* vbi postq; dictum esset alios esse simpliciter sacerdotes, alios archiepiscopos, alios chotepiscopos, alios episcopos, alios archiepiscopos & c. tandē subiungitur: Horum discretio à gentilibus maxime introducta est; quos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protosflamines appellabat. Ethica speculatio de iustitiæ aliarumque virtutum habitibus sustulit iustitiæ fidei: Vnde *Iesuita Colonienfes in Cens. pag. 154.* ex Aristotele probant hominem non fide, sed bonis operibus coram Deo iustificari, prouocantq; ad iudicium omnium philosophorum; siue Arabes sint, siue Græci, siue Latini, qui non concedunt, vt iustus dicatur, nisi qui iustitiæ habituali est præditus. Liberi arbitrii fundamentum *Cochlaus in art. 18. August. Confess.* collocat in illo Aristotelis, quod ratio semper feratur ad optima. Concupiscentiam prauam ex numero peccatorum exemerunt propter regulam Ethicam: Inuoluntariæ actiones non habent rationem peccati. Quæ cum ita sint recte scripsit *Polydorus Virgil. lib. 4. de inuent. rerum.* Sylua quædam gentilium ceremoniarum agrum Domini occupauit. Et *Secus in 3. sent. dist. 2. q. 1.* theologos philosophiam cum theologia miscuisse: non maximo cum fructu, vt ibidem ait, sed maximo cum errore & damno. Neq; enim hæc, vt ita dicam, *μειζοφιλοσοφολογον* illustrauit, sed obscurauit lucem Euangelij.

XXXIII. Theologi Scholastici (vt secundum membrum probemus) à philosophis hæc mutuati sunt: ab Academicis modum disputandi in vtramque partem de grauissimis articulis religionis Christianæ; itemq; *in vno* siue dubitationem de certitudine salutis: à Peripateticis principia & fundamenta suarum disputationum: à Stoicis opinionem sanctitatis, opera supererogationis, statum perfectionis, denique *in vno* monasticam: ab Epicureis assiduitatem honorum, voluptatum, diuitiarum. Hinc illæ querelæ apud ipsos inter Pontificios: factam theologiam à philosophia fuisse contaminatam, Sententiariorum sacram Scripturam philosophiæ postposuisse, multos Pontifices egisse vitam Epicuream. Vnde *Trihemium, Panormitanum, & alios.*

XXXIV. *A Iudæis* quid habeat ecclesia Romana discipiamus. Principio ipsi fatentur, se multos ritus à Deo in V. T. præscriptos transulisse ad sua sacra: puta vestes sacras, aquam benedictam, ceremonias Missæ plurimas & c. de quibus vide *Durandum in Rationali & Bellarminum de Missa, cultus sanctorum & c.* Sed & ab ecclesia Iudaica posterioribus seculis corrupta ritus atque dogmata quædam ad se transfulerunt nostri Papistæ. Nam ipsorum monachi similes sunt Eslenis: ipsorum Pontifices, qui de animæ immortalitate, & resurrectione carnis dubitarunt, quique vitam flagitiosam vixerunt, sunt ipsissimi Sadducei: totus deniq; clerus Romanus est propago & tradux Pharisæismi, vt patet ex diligente lectione *cap. 23. Matth.* Merito itaque *Hieronymus præfat. in lib. Didymi de Spir. S.* clericos Romanos appellat senatum Pharisæorum: & *com. in Matth. 10.* Pharisæos vocat clericos Iudæorum. Similiter *Iohann. Saruberienfis,* qui circa an. Chr. 1150. vixit, in suo *Polycratico de nugis Curialium* scribit: Sedent in Ecclesia Romana Scribæ & Pharisæi ponentes onera importabilia in humeros hominum. Et *Innocentius,* qui vixit seculo decimo tertio, *serm. 2. in die Cinerum* ait: Funiculus superbiæ, peccatis nostris exigentibus, ita nos detinet alligatos, vt iam magis velimus superbi quam humiles apparere, incedentes extenso collo, eleuatis oculis, erecta certice, magnificantes simbrias, phylacteria dilatantes, quærentes primos recubitus in cœnæ, paruas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus. Rabbi. Sed paulo penitus inspiciamus hæc collationem. I. Pharisæi ita dicti sunt, vel quod vitæ sanctimonia à reliquis Iudæis essent separati, vel quod genuinam legis expositionem sibi arrogarent. Ita ministri Pontificis se appellant clericos, quasi soli sint de sorte Domini, & suo Pontifici tribuunt atheniticam Scripturæ expositionem & in rebus fidei decernendi potestatem. II. Pharisæi habebant farraginem traditionum: ita quoque Papistæ. III. Pharisæi externam iustitiam putabant satis esse ad salutem; ita Pontificii tibi placent in opere operato. IV. Pharisæi perfectam legis implementationem vrgebant. Vrgent eandem Papistæ. V. Pharisæi peccatum magis definiabant transgressionem suorum traditionum, quam Legis diuinæ. Idem faciunt Papistæ. VI. Pharisæi cultus suos electivos sectabantur, non contenti operibus in lege præscriptis. Ita Papistæ habent, & tantum non verbo Dei præponunt suas *ιδιολογίας*. VII. Pharisæi onera importabilia humeris suorum discipulorum imponebant. Idem licet dicere de votis Papistarum, illa esse onera importabilia. VIII. Pharisæi ex personali successione vendicabant sibi titulum ecclesiæ. Annon idem faciunt nostri Papistæ? IX. Pharisæi erant infestis regibus, vt auctor est *Iosephus lib. 17. antiq. c. 3.* Pontifices Romani quam infestis fuerint Imperatoribus, restantur historia.

XXXV. Superest vt ostendamus, quid Papistæ commune habeant cum hæreticis. Vbi merito exclames licet, doctrinam ecclesiæ Romanæ hodiernæ esse *in vno* omnium fere hæresum. quomodo *Irenæus lib. 5.* scribit de Antichristo, ipsum in se recapitulare diabolicam apostasiam. Esti autem non viginti tantum, sed quinquaginta & amplius hæreses ipsis exprobare possumus: tamen infra hunc numerum subsidet oratio nostra. I. *Pseudoapostoli* præter fidem in Christum requirebant ad iustificationem obseruationem legis Moisaicæ, vt patet ex epistola ad Galatas. Simili ratione Pontificii iustificationem tribuunt fidei & operibus. II. *A Simone Mago* habent superbiam, & Simoniam, & vsum exorcismorum, & multitudinem traditionum. Nam vt *Simon Magus* diuinos affectabat honores: ita & Pontifex Romanus, qui saluatur *Vicedeus,* & omnipotentia Pontificia conseruator. Deinde *Simon Magus* pecunia volebat emere dona Spiritus S. Quimos emendi &

CAPVT X.

Septima Ecclesia nota apud Bellarminum: Vnio membrorum inter se, & cum capite.

vendendi sacra regnat in Papatu. Simoni & eius sectatoribus Irenæus tribuit vsum exorcismorum, qui admodum familiaris est Papistis. Denique de Simonianis refert idem Irenæus, quod gloriantur de iis, quæ non sunt scripta, sed viua solum voce tradita. Quod ipsum alii Patres memoriae prodiderunt de Sethianis, Archonticis, Encratitis, Bardesanis, Artemone, Valentinianis, Marcionitis, Carpocratianis, Ptolemæo hæretico, Ario, Eutyche. Horum itaque omnium similes sunt Pontificii, qui ad traditiones tanquam ad sacram quandam anchoram confugiunt. III. *Basilides & Helcesoite* docebant, fidem perfectionis tempore incunctanter etiã perituro negandam. Ex hac schola prodiit æquiuocatio Iesuitica. IV. *Corpocrates & Gnostici* habebant, coronabant, colebant imagines. Idem faciunt Papistæ. Gnostici quoque commenti fuerunt Euangelium quoddam perfectionis. Tale est Euangelium æternum, quod monachi confinxerunt. V. *Cerinthiani & Nazarei* obseruabant quasdam ceremonias Mosaicas. Obseruant & hodie Pontificii, vt patet ex ipsorum Missa, discrimine ciborum, aqua lustrali, & similib. VI. *Valentiniani & Heracleonita* ægrotos suos vngebant oleo. Ita Papistæ extremam vnctionem habent in pretio. VII. *Anonymi hæretici* apud Augustinum de hæresibus. c. 79. statuebant, Christo ad inferos descendenti credidisse incredulos, indeq; liberatos esse. Simile quid docent Papistæ de limbo Patrum. VIII. *Archontici* certos angelorum ordines commenti sunt. Talis est philosophia Papistarum de hierarchiis angelorum. IX. *Angelici* angelos cultu religioso afficiebant. Idem faciunt & docent Papistæ. X. *Marcita* profitebantur se certis verbis vinum, quod est in calice Domini, mutare in sanguinem, & gratiam in eum calicem deducere. Idem gloriantur Pontificii transubstantiatores. XI. *Marcionita* virginitatem suis imperabant, neq; coniugatos in comunione suam admittebant. Illos imitantur monachi & monachæ. *Idem, Marcionita* corpus phantasticum Christo affingebant. Idem vero, si non verbis, saltem re ipsa, Pontificii toties docent, quoties corpus Christi inuisibile, impalpabile, & insensibile esse, & sub speciebus panis & vini in Eucharistia latere, imo simul infinitis in locis adesse affirmant. XII. *Hieracita* in communionem suam recipiebant solum non coniugatos, & meritis operum tribuebant vitam æternam. Faciunt idem monachi. XIII. *Montanista, Encratita, & Tatiani* ieiunia, & delectus ciborum obseruabant, & secundas nuptias saltem in electis suis, damnabant. Idem etiam faciunt Papistæ. XIV. *Meletiani* in suis sacris utebantur tintinnabulis. Vtuntur & Pontif. XV. *Nouatiani* secundas nuptias damnabant: se puros & mundos nominabant, indeque gloriosissimo titulo *Catharos* se ipsos appellabant: denique docebant, perpetuo esse dubitandum de remissione peccatorum. Ita Pontificii nuptias secundas benedictionem ecclesiasticam denegant: ipsorum monachi persuasione perfectionis superbiunt: dogma dubitationis perpetuè in Conc. Trid. stabilitum defendunt. XVI. *Manichei* tribuebant Christo corpus imaginariũ. Quod quomodo faciã Papistæ, diximus modo n. 11. *Idem* alteram duntaxat speciem in comunione adhibebant. Atqui Papistæ prorsus idem & docent, & faciunt. *Idem* in suis ieiuniis delectum ciborum adhibebant, & nominatim à carnibus abstinebant. Similia nunc sunt Papistarum ieiunia. XVII. *Peputianorũ* hæresis fuit, sceminis sacerdotiũ obire licitũ esse. Idem Papistæ, saltem ex parte sentiunt, dum sceminis baptizandi potestatem tribuunt. XVIII. *Mariolatra* Mariam virginẽ diuina quadam ratione colebant. Idem etiam Papistæ re ipsa faciunt. XIX. *Eustathius* Sebastia in Armenia episcopus in Concil. Gangrensi fuit damnatus, quod religiose exercitationis gratia esum carniũ prohiberet. An nõ eundem prohibent nostri Romanenses? XX. *Priscillianista* iacitabant reuelationes Christi, periuria probabant, coniugium ceu statum carnalem repudiabant. Faciunt id omne nostri Pontificii. XXI. *Donatista* Ecclesiam in sola Africa remansisse contendebant. Bellarm. omnes sedes Apostolicas, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanã defecisse, solam Romanam immobilem permansisse, neq; deficere posse scribit. Quæ est comunis omnium Papistarum opinio. *Donatista* etiam vim verbi & sacramentorum à dignitate ministri sui suspendebant. Ita Pontificii à suis ministris catholicis verbum & sacramenta duntaxat rite dispensari docent. XXII. *Pelagiani* docebant gentes per philosophiam seruatã fuisse; & quemuis hominem viribus liberi arbitrii sui legem Dei implere, & perfecte iustum esse posse; & homines propter præuisa bona opera, seu præuisum boni arbitrii vsum, ad salutem diuinitus prædestinari; & peccatum Adæ non transire in posteros nisi reatu &c. Quæ dogmata etiam hodie tuentur Papistæ. XXIII. *Nestoriani* vnitatem personæ Christi dissoluebant. Dissoluant & Papistæ, quando in Eucharistia corpus Christi creant, quod non est assumptum in vnitatem personæ τὸ ὅλον. Item, quando diuinitatem ab operibus mediationis excludunt, quod Christus duntaxat sit mediator secundum humanam naturã. XXIV. *Messaliani*, siue *Eucheta*, semper sibi esse orandum censebant, & hoc exercitium meritorium esse dicebant. In quo consentientes habent monachos. XXV. *Collyridiani* Mariam *θεογον* adorabant, ei collyridas siue placentulas offerebant, imaginem eius circumgestabant & colebant. Quam hæresin Papistæ iam pridem sibi fecerunt propriam. XXVI. *Eutycheiani* confundebant naturas in Christo. Confundunt & Papistæ, quando dicunt corpus Christi esse simul in pluribus, imo infinitis, locis. At hoc est proprium diuinæ naturæ. XXVII. *Petrus Gnaphæus* in quinta synodo vniuersali hæreseos fuit damnatus, quod author fuerit miscendæ inuocationis sanctorum inter publicas Ecclesiarum preces, & vt in omni precatone Dei genitrix nominaretur, diuinumq; eius nomen inuocaretur. Id ipsum in suis precibus obseruant Papistæ. XXVIII. *Armenii* crucem adorant: vnde *Stauolatra* sunt dicti. Faciunt idem Papistæ. XXIX. *Nudipedales*, qui ambulabant nudis pedibus, imitantur Franciscani. XXX. *Patralorinchi*, qui semper studebant silentio, imitantur Carthusiani. XXXI. *Mirabilarij* p̄textu miraculorum errores defendebant defendunt & Papistæ. Plura talia ex Irenæo, Tertulliano, Epiphano, Theodoro, Augustino, & alijs Patribus, qui de sui temporis hæresibus scripserunt, hoc loco coaceruari, nostrisque aduersarijs optimo iure accommodari possent. Sed hæc sufficiant, ad vanitatem argumenti Bellarminiani ostendendam.

I. **SEPTIMA** nota est vnio membrorum inter se, & cum capite. Nam ecclesiam esse vnum corpus, vnam sponsam, vnum ouile, passim Scripturæ docent, Rom. 12. Cant. 6. Ioh. 10. Et in symbolo Constantinopolitano dicimus vnam ecclesiam. Hactenus Bellar. qui vt alibi, ita quoq; hic vel nesciuit, vel non voluit distinguere inter attributa & notas ecclesiarum. Vnitas est illa quidem attributum ecclesiarum certissimum: sed nec essentialis eius nota, nec propria. Non propria, quia omne quod est, eo ipso quod est, vnum est. Non essentialis, quia ne nota quidem est, cum sit omnium vniuersæ. Sed, inquit aliqui, intelligitur hoc loco vnitas, seu cõsensio in doctrina. Resp. Vnitas in doctrina, per se seorsim accepta, non est genuina nota ecclesiarum Christi quamuis in religione dissensio, sit germana nota ecclesiarum falsæ siue antichristianæ. ob has euidentes rationes. 1. Quia vnitas in doctrina etiam inter impios, hæreticos, & idololatrias esse potest: qualis v. g. fuit inter sacerdotes Baaliticos, aduersus Eliam, itemq; Micheam, coactos, 1. Reg. 18. & 2. Reg. 22. item qualis fuit Iudæorum aduersus Christum & Apostolos coniuratorum, Ioh. 9. & 14. Act. 5. & seqq. Vide etiam Apoc. 13. 16. vbi oēs orbis in colæ, parui pariter & magni, Antichristum sequi dicuntur. Id quod sine consensione fieri non potest. 2. Quia sæpe vsu venit, vt etiam pij in aliquibus rebus inter se dissentiant. Ita Petrus & Paulus, Paulus & Barnabas, inter se acriter aliquando dissenserunt. Et Act. 11. v. 2. & d. dicuntur multi pij cum Petro litigasse. Sic tempore Irenæi inter orientis & occidentis ecclesias, de celebrando paschate diurna fuit & acris contentio. Similiter tempore Cypriani Concil. Africanum ab aliis fere omnibus ecclesiis dissensit in materia baptismi. Sic denique Chrysostr. & Epiphanius, August. & Hieron. Cyrill. & Theodoretus, alijque Patres, variis de rebus acerbis sæpe contentiones inter se susceperunt. 3. Quia ipsi Patres duplicem vnitatem, seu consensionem in doctrina, non sine causa distinxerunt: quarum vnam bonam & salutarem, alteram malam & noxiam, appellant; & nominatim monent, non esse, quod speciosio pacis, vel vnitatis nomine nos seduci sinamus; eum ea demum sit vera ecclesiarum vnitas, quæ in Christo fundata est, h. e. cum veritate cœlestis doctrinæ coniuncta. Sic enim ait *Clemens Alexandrinus* lib. 2. *Stromat.* Virtus continens ecclesiam, fides est, per quam seruantur electi Dei. Et *Hilarius* lib. contra *Arianos*, vel *Auxentium Mediolanensem*: Speciosum quidem est nomen pacis, & pulchra est opinio vnitatis: sed quis ambigat, eam solam Ecclesiarum atque Euangeliorum vnitatem esse, quæ Christi est: Et mox ait, Antichristi ministros pace sua, id est, impietatis suæ vnitate se iactare. *Gregorius Nazianz.* orat. 1. de pace: Melius est vitiosa concordia dissidium veritatis causa ortum. *Augustinus* serm. 1. de pace & vnitate: Pax (Christi) cum bonis & Dei præcepta seruantibus custodienda est: non cum iniquis & sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem æternam proficit, pax quæ in diabolo est, ad perpetuam venit perditionem. *Idem de ciuitate Dei* passim ait: Non minus vna est Diaboli Babylon, quam vna veri Dei ciuitas. Vnde *Bernhardus de consideratione libro primo* ait: Ab his (malis) cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo tibi ista pace. Quæ cum ita sint, vnitas per se seorsim accepta, pro essentiali nota Ecclesiarum haberi non potest, sed coniuncta cum vera doctrina fidei.

II. Pergit Bellarminus, & ait: Præcipua vnitas corporis consistit in coniunctione membrorum cum capite, & inter se. Quod ad primam attinet, ex Patrum testimonijs constat apud veteres semper fuisse habitam pro nota veræ ecclesiarum coniunctionem cum Romano Pontifice. Nam *Irenæus* lib. 3. c. 3. aperte dicit, ad Romanam ecclesiam, propter potentiorẽ principalitatẽ, necesse esse conuenire omnem ecclesiam. *Cyprianus* lib. 1. epist. 3. Petri cathedram vocat ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est. Et lib. 4. epist. 8. Cathedram Romani Pontificis iubet agnoscere & tenere, vt ecclesiarum catholicarum matricem & radicem. Similia docent *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Opratus Mileuitanus*, *Augustinus*, & *Leo*. His adde experientiam. Videmus enim omnes illas Ecclesias, quæ ab isto capite se diuiserunt, tanquam ramos præcisos à radice, continuo aruisse: vt patet in ecclesijs Asiaticis & Africanis.

III. Respondeo. 1. Nititur hic discursus illo principio, Pontificem Romanum esse caput ecclesiarum. Sed hoc repugnat Scripturæ, quæ nullum agnoscit caput, sponsum, & pastorem ecclesiarum catholicarum præter Christum, Eph. 1. 22. c. 5. 2. 4. *Iohan.* 3. 29. cap. 20. 11. 1. *Pet.* 1. v. 1. itemque Patribus, qui episcopum Romanum habuerunt pro fratre, non pro capite. 2. Itaq; veteres Patres communionem coluerunt cum Romana ecclesia & illius episcopo, vt cum membris. 3. Idem coluerunt communionem cum ecclesia Romana, quamdiu traduxit fidei Apostolicæ in ea fuit conseruata. Sed hodie dispar est ratio. Ergo vt olim propter conseruatam doctrinam Apostolicam puritatem omnes ecclesiarum gestiebant cum Romana communicare: ita hodie propter deprauationem doctrinæ Apostolicæ oportet ab ea secedere. 4. Irenæus ita laudat ecclesiam Romanam in officio suo persistentem, vt eandem exorbitantem quoque reprehendat. Restitit enim Victori episcopo ecclesiarum Romanarum illegitime excommunicant Ecclesias Asiaticas, *Euseb. hist. eccles. lib. 5. c. 23. 5.* Cyprianus dicit vnitatem sacerdotalem exortam esse ab ecclesia Romana non simpliciter, sed secundum quid, videlicet quantum ad Italos, vt bene obseruat *Polydorus Virgilius* lib. 4. cap. 6. Et hoc quoque sensu ecclesiam Romanam vocat matricem & radicem ecclesiarum catholicarum: nimirum quia Roma fuit Italiae metropolis, & sedes imperii. Alias Hierosolyma est mater ecclesiarum N. T. *E. a. 2. 3.* Ambros. veneratur ecclesiam Rom. non vt fidei dominam, sed sociam. 7. Hieron. ecclesiam Romanam non habuit pro principali & vniuersali. Diserte n. ait epist. ad *Euagr.* Si autoritas quaeritur, orbis maior est, quam vrbs (Romæ) vbicunque Episcopus est, siue Romæ, siue Tanais, siue Eugubini, eiusdem est meriti, eiusdem sacerdotii. 8. Opratus Mileuitanus requirit coniunctionem cum ecclesia Romana, non vt cum matre ac domina reliquarum Ecclesiarum, sed vt fidei Apostolicæ custode. 9. Augustinus tribuit ecclesiarum Romanarum principatum, secundum quid: quatenus persistabat in fide, quam Paulus Romanorum primo commendabat. 10.

Leo scribit Episcopis sui Patriarchatus, & suo more. II. Non qui ab ecclesia Romana, sed qui à doctrina Christi recedunt, desinunt esse ecclesie membra. 12. Est fallacia non causa, ut causa, Ecclesias Asiaticas & Africanas ideo esse in solitudinem redactas, quod se ab ecclesia Romana separauerint. 13. Fallum est, illas ipsas ecclesias in solitudinem esse redactas, & nunc versari in confessionem, quam ecclesia Romana.

IV. Nunc probemus, coniunctionem cum Pontifice Romano non esse notam veræ ecclesie. Principio cum nullo hæretico est colenda communio. At Papa potest incidere in hæresim, ut fatetur Bellarm. lib. 4. de Pontif. c. 2. & theletha, quo nomine fuit anathematizatus in Concilio generali Constantinopolitano: Felix II. Papa ab Ariani episcopus fuit ordinatus; ut aupas hæreticos non recenseo: quia ex his, quæ breuiter dixi, liquido liquet, cum Papa hæretico non esse comunandum: & hæreticos, qui cum illo comunione coluerunt, ob id non fuisse cathol. Nam Monothelæ habebant comunione cum Romano Pontif. Honorio, Ariani cum Liberio & c. neque tamen propterea fuerunt Cathol. Christi Ecclesia. Deinde potest incidere tempus, quo liceat Pontifici resistere, ut Bellarm. concedit. Ergo licet aliquando ab vnione cum Pontifice recedere. Deniq; Concilium generale potest deponere Papam: ut in Conc. Basileensi & Constantiensi est definitum. Ergo vnitas cum Pontifice Romano non est simpliciter necessaria ad vnitatem Ecclesie cathol. Omitto hic, quod sedes Romana sæpe vacauit, sæpe schismatibus fuit interpellata, sæpe ab aliis episcopis reprehensa.

V. Veniamus nunc cum Bellarmino ad consensionem membrorum inter se. Ceterum est (inquit) concordiam esse signum regni Dei; discordiam autem, Dei ecclesiam: siquidem in nostra ecclesia imprimis omnes Scriptorum sacri mirifice inter se consentiunt: & omnia legitimorum Conciliorum & Pontificum decreta inter se conueniunt in omnibus dogmatibus: deniq; nunc omnes catholici, toto orbe dispersi, de omnibus dogmatibus fidei sentiunt idem. Resp. I. Concordia secundum Deum, pietate & veritate coniuncta, vtiq; est signum regni Dei. 2. Tres adferuntur probationes, quæ omnes falsæ sunt, vel, ut mitius dicam principium petunt: ut patet ex §. 6. 7. 8. 3. Et si inter affectas Ecclesie Romanæ est aliquis consensus in doctrina: is tamen neque sincerus, neque liber & ingenuus, neque cum veritate coniunctus est: sed plane seruilis, coactus, & sanæ doctrinæ contrarius. Sunt enim septem causæ siue species, huius consensus, eaque plane detestandæ. Prima est *Satanica*, orta ex diabolo, qui modis omnibus cauet, ne regnum suum diuidatur, ut Christus docet *Matth. 12. 25. Luc. 11. 8.* Soler nempe esse consensus inter Satanæ ministros, ob metum amittendæ potentie & autoritatis. Secunda est *Politica & ethnica*: cum scilicet, ideo homines consensiant, ne inquieti & rixosi esse videantur, licet alioquin errores, etiam grauissimos, inter se vigerent agnoscent. Ita videmus in Papatu multos egregie doctos in hac vnica ratione acquiescisse, quia Papa contrarium sanxerit. Tertia est *Bellumina, seu peccatina*, qualis est inter eos, qui nihil omnino de religione intelligunt, sed pecudum more aliorum opinionem sequuntur. Talis fuit carbonarius ille, qui tentatus à Satana, & de fide sua interrogatus respondebat, se credere quem admodum ecclesia credit: cum que instaret diabolus & quæreret, quam esset ecclesie fides, respondebat, ecclesiam credere id, quod ipse credit. Vti etiam mercator ille Placentinus (quem tantopere commendat Gregorius de Valentia in *analysi de ecclesia*, ut scribat Deum omnino nihil habiturum, quod in tremendo illo iudicio ipsi opponere possit) qui staturabat, vel se Pontificiam potius quam Lutheranam amplecti religionem, ob id imprimis, quia illic compendio quodam discere possit veritatem, videlicet si affirmet, quod Pontifex affirmat, neget, quod ipse negat: hic vero si Lutheranus fieri veller, Catechismum sibi discendum, & Scripturas esse scrutandam. Quarta vnitatis causa est *Iscariotica*; quando homines numeribus & præmiis corrupti, qualemcunque consensum inter se colunt, ne lucrum amittant. Quæ quidem causa non est in postremis habenda. Videmus enim curiæ Romanæ æclesie hoc vnice agere, ut gratiam superiorum aucupentur sua obedientia, etiam cæca. Quinta est *tyrannica & seruilis*; quando minis, persecutionibus, carceribus, & equaleis aliter sentire homines prohibentur. Qualem vnitatem Inquisitio Hispanica hætenus in Papatu fouit. Sexta species vnitatis est *Herodiana*; cum is, qui alioqui grauiter inter sese dissentiunt, tamen ob communes hostes è medio tollendos, aliquam concordiam colunt: perinde vt olim Herodes ac Pilatus inter se vel maxime discordes, de Christo tamen è medio tollendo consentiebant. Sic Pontifici licet non consentiant in omnibus: tamen in vno illo extremo, quod Protestantes sint hæretici, mirifice consentiunt. Septima, & vltima est *culinaria*, siue illa, quæ ventris causa suscipitur: qualis profecto hætenus inter Monachos, & alios Pontificios viget. Quidam addunt octauam vnitatis speciem, *extrinsecam & accidentalem*; quæ non consistit in interiore religionis vnitate, siue in articulis fidei, sed in rituum & ceremoniarum conformitate. Atque hæc vnitas etiam in Papatu locum habet. Plura de hoc argumento vide apud *Illyricum lib. de sectis & dissensionibus Papiatarum*: quas nunc velut in compendio exhibebimus.

VI. Principio scriptores sacri, hoc est, Patres, non consentiunt inter sese. Quæ de re vide *cap. preced. §. 6.* Viderunt hoc ipsi Papiæ, censores librorum, qui multa Patrum loca obelisco confixerunt. Vnde & illud est manifestum, ipsos non consentire cum Patribus. Quid enim aliud sibi volunt ipsorum censura, quæ autoritate Concilij Tridentini in orthodoxos Patres incredibili auidacia fuerunt editæ, Indices expurgatorij, atque interpellationes quotidianæ in libris ipsorum factæ. Deinde Concilia inter se quoque non consentiunt: vt *ibidem* probauimus, & nunc amplius probabimus. *Concilium Ariminense, Seleuciense, Sardicense II.* & alia ediderunt decreta contraria Catholice fidei & Synodi Nicenæ decretis de *opus Cypri. Ephesinum II.* Eutychie errore stabiluit. *Arelatense II.* statuit canon. 2. non esse assumendum ad sacerdotium eum, qui in vinculo coniugij constitutus est, nisi fuerit promissa conuersio. Quod pugnat cum decretis Concilij Gongrensis canon. 4. *Concilium Constantinopolitanum I.* quod fuit œcumenicum secundum, statuit can. 6. quod primatus ecclesiasticus tribuendus sit Pontifici Romano, sed hoc è diametro pugnat cum can. 26. Concilij Carthaginensis III. vbi statuitur, neminem vocari debere principem sacerdotum.

Tom. V.

Concilium Romanum sub Stephano VII. damnauit Formosum Pontificem, & omnia illius acta abrogauit. Postea aliud concilium habitum fuit Raueinæ sub Iohanne IX. in quo Formosus restitutus fuit, & Stephanus damnatus, omniaq; acta eius Concilij, quod sub Stephano fuit habitum, abrogata. Vide plura de hoc argumento lib. seq.

VII. Tertio loco sequuntur *Pontificum decreta*: in quibus deprehendere est triplicem dissensionem. Primo enim quædam decreta Pontificum repugnant Scripturis. Nam Zepherinus fuit Montanista, Marcellinus idololatra, Liberius & Felix Ariani, Vigilius Eutichianus & Monothelæ & c. Deinde plurima fuerunt dissidia Paparum inter se: ita vt nonnunquam duo, vel tres simul extiterint, Antipapæ propterea cognominati. Huc pertinent schismata XXX. inter Papas, apud Onuphrium. Occurrit etiam hic alia cõcordia (scilicet) species, quæ effectum est, vt nonnunquam Pape successores, tam acerbe damnauerint suos antecessores, vt mortuorum etiam cadauera, è sepulchris effossa, vel exusserint, vel alia quæpiam ignominia affecerint. Quæ de re vide *Platinam* in vitis Formosi, Stephani, & aliorum Pontificum; item *Genebrardum* in *Chronologia*. Deniq; decreta Pontif. Romanorum sibi inuicem aduersantur. Plurimi ex iis decreuerunt, decreta prædecessorum non esse annihilanda. Itæ enim Zolimus concludit *decr. p. 2. caus. 25. q. 1. c. 7.* Contra statuta Patrum condere vel mutare aliquid, nec huius quidem sedis potest autoritas. *Et q. 2. c. 4.* Gregor. ita loquitur: Si ea destruerem, quæ antecessores nostri decreuerunt; non constructor, sed euerfor esse comprobaret. Neq; canones tm religionis, sed alias etiam constitutiones ciuiles suorum prædecessorum seruandas esse statuerunt. Hinc Leo 4. q. 25. c. 16. ait: Quod Patres siue in sanctis Canonibus siue in humanis affixere legibus, transgredi non licet. Hæc tamen constitutionibus posthabitis non pauci Pontifices fuere, qui suorum prædecessorum decreta abrogarunt, cum in causis ciuilibus, tum in religionis negotio. Quod ad causas ciuiles & æternas attinet: Clemens V. euerit constitutionem Bonif. VIII. de oneribus ecclesie impostis, *Clem. l. 3. tit. 17. r. 1.* Vice versa Iohan. XXII. *Extrau. tit. 9. c. 1.* constitutionem Clemens V. de hastiludis rescidit. Idem Clemens constitutionem Benedicti XI. contra prædicationem monachorum factam, abrogauit, *Clem. l. 3. tit. 7. c. 1.* Benedictus XI. correxerat decreta Bonif. VIII. de immunitatibus prædicantium monachorum, *Extrau. com. l. 5. tit. 7. c. 1.* Bonif. VIII. reuocauit omnia, quæ cumq; Cælestinus decreuerat, *Extrau. Ioh. tit. 7.* Benedictus XI. Cardinal. restituit, quos Bonif. VIII. depulerat ac condemnata, *Extrau. com. l. 5. tit. 4. c. 1.* Ioh. XXII. reprehendit decreta Gregorij X. & Bonif. VIII. de reservatione beneficiorum. Similis consensus reperitur apud ipsos in *causis religionis*. Iohan. XXII. decreuit contra Nicolaum IV. Christum non fuisse mendicum, *Extrau. Ioh. tit. 1. c. 4.* Idem Iohan. XXII. sectam Circumcellionum, confirmatam à Cælestino, dissoluit, *Extrau. Ioh. tit. 7.* Idem sectam Beginarum, sublata à Clemens V. flabiliuit, *Extrau. com. l. 3. r. 9. c. 1.* Nicol. I. docet, baptismum in nomine Christi, sine expressa trium personarum mentione prolatum, esse ratum, *c. à quodam. dist. 4. de consecr.* Contrarium docuit Zacharias, scilicet, verum baptismum esse non posse, si vel vna persona de Trinitate nominetur, *c. in synod. de consecr. dist. ead.* Si ergo talis est vnitas capitum, vt vnus vnus se opponat, Iohannes Clementi, Clemens Benedicto, Benedictus Bonifacio, Bonifacius Cælestino; & hi omnes prædecessores suis Zolimo, Gregorio, Leoni & c. quid de reliquo corpore itatendum est.

VIII. Postremo scriptores Pontificij acriter inter se, de multis doctrinæ capitibus, dissident. Dissensiones illæ sunt alia generales, alie speciales. *Generales* dissensio est trium præcipuarum familiarum inter theologos Scholasticos, nempe Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum: qui etiam de reb. arduis, & maximi momenti, grauiter inter se decertant. De quorum pugnis vide *Brasmum li. 2. contra Latomum, & in Enchiridio militis. Speciales* dissensiones sunt innumera: quas eleganter collegit *David Pareus in Irenico c. 27.* cui fecit titulum, *Bellum Papiasticum, seu, de contradictionibus Papiatarum in doctrina fidei.* Recenset ibi secundum ordinem locorum communium contradictiones 2: 9. Nos ex fecunda ista Iliade istam decadem excerptimus. I. De *S. Scriptura* pleriq; Pontificij statuunt, illius lectione laicis interdicens esse: Sed *Clauus. Esphenus episc. com. in 2. Tim. 3.* aliter sentit. Cõc. Trid. sess. 4. libris can. adiungit Tobiam Iudith & c. *Peuerius præf. lib. 16. com. in Daniel* disertè scribit, multos Catholicos nobiscum censere libros illos controuersos esse apocryphos. II. De *Deo* quam indignè loquantur & sibi contradicant, audiatur *Dominicus Bannes in 2. Thom. q. 1. art. 3.* Alij (inquit) Dd. Scholasticij aiunt, quod quamuis Deus potentia ordinaria non possit mentiri aut falsum dicere, tamen de absoluta potentia mentiri potest. Huius sententiæ fuerunt quidam doctor Hibernicus, *Gregor. de Ariminis in 2. sent. d. 42. q. 1. Petrus Alianensis in 1. sent. q. 12. art. 3. Gabriel in 3. dist. 38. q. 1. concl. 2.* Contra Bannes ait, hanc doctrinam esse erroneam in fide. III. De *Pontifice Romano* dissentiant inter se, possint errare in fide & hæreticos fieri, annon? Affirmantem partem integræ sæpe Academia defenderunt, & quidam recentes adhuc, vt *Alphonus de Castro lib. 1. contra hæreses, Ambrosius Catharinus comment. ad Gal. 2.* multique alij. Negantem vero lesuitæ, & plerique alij defendunt. De eodem Papa inter se dissentiant, Vtrum supra Concilium sit; an contra, Concilium supra Papam? Hoc enim posterius duo œcumenica Concilia, nempe Constantiense & Basileense aperte affirmant: & nostro tempore *Alphonus de Castro lib. 1. cap. 6. contra hæreses, & cum eo plures alij theologij id ipsum docent.* Illud vero prius lesuitæ, & illorum asseclæ tuentur. IV. De *conceptione B. Virginis Mariæ* magna & diuturna lis fuit inter Dominicanos & Franciscanos: illis quidem asserentibus, his vero negantibus, Mariam in peccato originis conceptam fuisse. Et licet tandem Sixtus IV. Pontifex pro Franciscanis iudicari; Dominicani tamen, vt potè non ratione persuasi, sed vi & tyrannide oppressi, se tacere coacti, etiam nunc sententiam suam, saltem in claustris suis, occultè tuentur. Vbi non est prætereunda turpis Pontificis dubitatio & contradictio. Nam bonus ille Sixtus IV. in *Extrauag. comment. libro tertio de reliquijs cap. 2.* penam excommunicationis statuit in eos, qui alterutram sententiam, vt hæreticam damnare audeant; quod (vt ibi ait) id nondum esset à Romana ecclesia & sede Apostolica decisum. Atqui si Papa, vt Papiæ gloriantur, in iudiciis suis errare non potest, cur pacis & veritatis studio quæstionem non soluit? Si res adhuc dubia esse debebat, cur ante id tempus, cum ecclesia Romana festum sanctæ conceptionis Mariæ instituit, & indulgentiis roborauit? Id enim ex eadem Extrauagante, & ex antecedente, perspicue declaratur.

V. De peccato originis quam graues sunt Pontificiorum theologorum con-

ditiones

entiones? quam turpes contradictiones? Nam Lombardus, Henricus de Gandavo, Gregor. Ariminensis, & Iohann. Driedo definiunt peccatum originis esse morbidam in anima qualitatem, prava desideria perpetuo excitantem. Contra, hanc doctrinam aperte erroris infirmat & impugnat Bellar. de *amiff. grat. li. 5. c. 15.* Deinde alii contraria sententia docent, peccatum originis nihil aliud esse, nisi illam primam Adami inobedientiam: vt Alber. Pighius, & Ambr. Catharinus episcopus. Contra Bellarm. d. l. c. 16. hanc doctrinam refutat, & haeresin vocat; aliaque quinque de peccato originis diuersas Pontificiorum sententias recenset. Praeterea Ruardus Tapperus, Louanienfis academiae cancellarius, statuit, peccatum originis non esse proprie peccatum, to. 1. de *pec. orig. pag. 73. 74.* Contra, Ruardum hac in re confutat Greg. de Valent. *com. theol. tom. 2. disp. 6. q. 12.* & hanc Ruardi sententiam a veritate alienam, imo Pelagianam esse docet. Adhuc Greg. Ariminensis in 2. sent. dist. 2. art. 2. ait: peccati originis reatum baptismo tolli, essentiam vero illius tamen minui. Contra Greg. de Valent. tom. 2. disp. 6. q. 12. p. 1. hanc sententiam plane contra fidem esse asserit. Denique oēs homines, excepto solo Christo, cum peccato originali conceptos, eoque virginem Mariam in peccato conceptam, asserunt Tho. Aquinas p. 3. q. 27. ar. 2. Caiet. *com. in eum locum*, additque sanctos & antiquos doctores ita tenuisse. Gregor. Ariminensis lib. 2. dist. 30. qu. 2. art. 1. Dominicus Bannes in 2. 2. q. 1. ar. 10. & Decreti Pontificij glossa de consecr. d. 3. c. pronunciantium. Festum (inquit) conceptionis (Mariae) celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit & maxime in Anglia. Et haec est ratio, quod in peccatis concepta fuit, sicut & ceteri sancti, excepta vnica persona Christi. Idemque pluribus docet Bernhard. ep. 174. ad Lugdunenses. Atque haec etiam est sententia Dominicanorum, vt modo diximus. Contrariam vero sententiam tuerentur Franciscani, Scoti, & Scotista. VI. De libero arbitrio quid sit, octo diuersas sententias recenset Bellarm. de lib. arb. lib. 3. c. 7. De viribus quoque ipsius non conuenit inter illos. VII. De fide Ambr. Catharinus aduersus Dominicum a Soro asserit, hominem posse habere certitudinem fidei de remissione peccatorum suorum: idemque docetur in Enchiridio religionis Christianae Concilii Coloniensis. Sed huic sententiae Conc. Tridentinum anathema dicit, sess. 6. c. 9. & 13. VIII. De bonis operibus docent nonnulli, ea iure promereri vitam aeternam ratione operis, etiam si nulla extaret diuina promissio; vt Thom. & Caiet. in 1. 2. q. 114. ar. 3. & Dominicus a Soto lib. 3. de nat. & grat. c. 7. Contra alii tradunt, opera iure quidem promereri vitam aeternam, non tamen ratione operis, sed tamen ratione pacti & acceptionis diuinae: vt Scotus in 1. sent. d. 17. q. 2. & And. Vega de iustif. q. 5. Alii bona opera promereri vtroque modo: vt Bellarm. de iustif. lib. 5. c. 17. Denique alii, neutro, vt Durandus cuius sententiam propterea Bellarm. d. lib. c. 16. refutat. IX. De reliquiis tam turpis est Pontificiorum dissensio, vt inde non solum magna imprudentia, sed etiam summa impudentia appareat, quemadmodum a Caluino in lib. de reliquiis clare demonstratum est. Ego ex innumeris vnam persequar. Pontificij vulgo statuant, praepitium Christi & sanguinem qui de corpore eius in cruce profluxit, adhuc in terris conseruari: sicut vtrumque (vt ait Biel in canon. lect. 50.) in Ecclesia Lateranensi vrbis Romae contineri dicitur, & die Paschae populo adorandum ostenditur. Contra vero Thom. p. 3. q. 54. ar. 2. totum sanguinem Christi in cruce effusum rediisse in corpus asserit ac probat, eandemque rationem esse ait omnium particularum, quae ad integritatem & veritatem humanae naturae pertinent: & sanguinem, qui vulgo in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conseruatur, non fluxisse de latere Christi, sed miraculose dici effluxisse de quadam imagine Christi percussa. Contra vtramque vero sententiam Innocent. Papa haeret dubius. Sic enim loquitur lib. 4. de sacro altaris mysterio c. 30. & 31. Iam & illud inquiratur, vtrum Christus resurgens a mortuis sanguinem illum resumpsit, quem effudit in cruce. Si enim capillus de capite vestro non perit, quanto magis sanguis ille non perit, qui fuit de veritate humanae naturae? Quid ergo de circumfusione praepitij, vel umbilici praecisione dicitur: an in resurrectione Christi similiter rediit ad veritatem humanae substantiae? Creditur n. in Lateranensi Basilica in sancto sanctorum conseruari: licet a quibusdam dicatur, quod praepitium Christi fuit in Hierusalem delatum ab angelo, Carolo M. qui sustulit illud & posuit Aquiligrani. Sed postea a Carolo Caluo positum est in ecclesia Saluatoris apud Carosium. Melius est tamen Deo totum committere, quam aliquid temere definire. Haec ille. Nec multo minore dubitatione loquitur Biel d. lect. 50. in canon. Vnde perspicue apparet, quam male Pontificiis hac in re conueniat; & quam temere & impie fictitium Christi praepitium & sanguinem adorent. X. De baptismo quam male conueniat, quantum ad materiam & formam ipsius, ex seqq. patebit. Guido de monte Richerii in manipulo curatorum de baptismo c. 2. de materia baptismi ita scribit: Sed numquid in aqua rosacea, vel in aqua ardente, vel in aliquibus aquis destillatis possit fieri baptismus, si aqua elementaris inueniri non possit: dicendum est, quod non: quia tales aquae non sunt propriae aquae, sed humores illorum corporum, a quibus destillantur. In lixiuio tamen si aqua non possit inueniri, possit fieri baptismus: cum lixiuio nihil sit aliud, quam aqua coluta per cineres. Et propter eandem rationem dicunt aliqui doctores, quod in vrina propter defectum aquae possit baptizari: quod non credo verum. Quia vrina non est aqua, sed humor resolutus a cibis comestis. Et idem dico de salua. Et nonne in iure carniū possit fieri baptismus, vbi alia aqua non potest inueniri? Dicendum est, quod autem resolutio carniū est facta in iure illo, quod desit species aquae esse: & est alia species de nouo generata, & tunc non potest fieri baptismus: aut non est in vrina resolutio carniū facta, & tunc fieri potest, & in tali iure baptizari. Deinde de forma baptismi primum plerique vltimam verborum formulam necessariam esse docent. Contra Panormitanus & Paludensis docent, posse baptismum conferri sub alijs signis exterioribus, sine expressione verborum: vt testatur Adrianus VI. Papa in 4. sent. de sacram. baptismi art. 3. q. 2. Deinde si quis dicat, Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis Mariae, esse baptismum, docet Guido in Manipulo de baptif. c. 3. & Holcotus in sent. 4. q. 1. Alii contra statuant: vt Thom. p. 3. q. 10. art. 8. & Durandus in sent. 4. d. 3. q. 2. Praeterea de forma baptismi Guido ait, si diminuat dictio integra, quaeunque illa sit, de omnibus istis, Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen: nihil sit, quia omnia ista verba sunt de essentia formae. Contra Holcotus affirmat, dictionem Amen non esse de essentia, sed de euidencia: quod in Euangelio non apponatur. Sed desino mouere hanc Camarianam: & illud superponendi loco addo, dissensionem Papistarum etiam cerni in *varietate Ordinum suae Religionum*, vt illi amant loqui. Et si enim omnes

illi Ordines militant sub vno capite, id est, Pontifice Romano: tamen schismatica est haec religionum multitudo, quia quilibet ordo habet peculiarem ducem, qui & ipse est caput, vt Franciscus Franciscanorum, Dominicus Dominicanorum & c. vt iam nihil dicam de eo, in cultibus hisce electis non posse conseruari summam illam vniouem, non dico Christianorum, sed Pontificiorum, quae volunt esse vnum inter sese. Verum hoc transeat. Videamus quid concordissimi illi Cadmaei fratres nobis obiciant.

IX. Tertium huius capituli membrum superest, Num ecclesis nostris haec nota competat: Bellar. trib. argumentis demonstrat non competere. 1. quod Lutherani vix dum nati diuidi coeperint in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios: & rursum singulae sectae in alias & alias, primo vsque ad 34. postremo in 100. quae sectae diuersissimae ab vno Luthero proderint. 2. quod ijdem auctores haeretici secum non consentiant. Vnde Iohan. Cochlaeus in Septicipite innumeras Lutheri contradictiones collegit: vbi ad finem adiecit 36. varias sententias vnus Lutheri de vno articulo, id est, de communione sub vtraque specie. 3. quod fieri non possit, vt consensum in doctrina retineamus, tum quia nullum ecclesiae visibile caput, seu iudicem in causa religionis summum, in terris agnoscamus: tum quia nullam certam finiendam controuersiarum regulam habeamus.

X. Respondeo. 1. in genere. 1. In negotio religionis Christianae oportet accurate distinguere inter principia, & conclusiones: itemque inter articulos Catholicos, & theologicos. Principia etsi sunt fontes conclusionum: tamen vsuuenire potest, vt in principiis aliqui consentiant, qui in conclusionibus dissident. Prior ille consensus ad vnitatem conseruandam in religionis negotio est simpliciter necessarius, quantum ad articulos Catholicos: non vero simpliciter quantum ad articulos theologicos. Dicuntur articuli catholici, qui ad fidem catholicam requiruntur. Et fides Catholica est, quae vniuersis saluandis est necessaria ad salutem. Articuli theologici sunt, qui ad scientiam theologiam proprie pertinent, h. e. theologis ad professionem suam sunt necessarii. Catholici articuli sunt fundamentum fidei & salutis: vnde & fundamentales dicuntur. Atque de his articulis, quantum ad principia, consensus Ecclesiae est plane necessarius. De conclusionibus a. articulorum catholicorum, itemque de articulis theologis, lacerare velle Ecclesiam, non est Christianae charitatis, sed Antichristiani supercilij. 2. Consensus in doctrina non ex priuatis hominum scriptis, sed ex publicis potius ecclesiarum confessionibus aestimari debet. 3. Consensus externa in religione Christiana est principalis, vel minus principalis. Illa in dogmatibus: haec in ceremonijs, & his vel necessarijs, vt pote diuinitus institutis, vel liberis & adiaphoris. 4. Consensus interna est sub capite vnico Iesu Christo. 5. Itaque tametsi vltro fateamur, aliquot adhuc dissensiones in Ecclesijs nostris vigere: tamen si ex publicis potius ecclesiarum Confessionibus, quam ex priuatis quorundam ambitiosorum & pertinacium hominum scriptis, statum ecclesiae reformatae aestimemus; omnino solidum & pulchrum, saltem in fundamentali doctrina consensum, siue harmoniam, apud omnes Euangelicos animaduertemus. Qua de re luculentum testimonium perhibere potest Harmonia Confessionum. 6. Atque haec consensus tanto est laudabilior, quod non simulata, neque coacta, seu per tyrannidem extorta, sed vltro & sponte suscepta, atque in vno Dei verbo fundata esse deprehenditur. 7. Neque vero vnquam firma, & fida, in religione concordia sperari potest, quamdiu S. Scriptura, pro vnico controuersiarum iudice non agnoscitur. Etsi n. externa quaedam consensus, seu qualiscunque conspiratio, fortassis alia via quapiam obtineri, contraque dissensio publica fortassis aliter vitari potest: nulla tamen interna animorum pax, nulla etiam conscientiae tranquillitas, nulla denique vera concordia erit, nisi singulid; quod de religione tenent, in Scripturis fundatum esse noverint.

XI. Iam in specie respondeo, ad 1. Anabaptista non sunt propago Lutheri: vt patet ex collatione dogmatum. Deinde, Confessionista sunt illi ipsi, quos aduersarij appellant Lutheranos. Tertio, Sacramentarii, quos appellat Bellarm. consentiunt cum Lutheranis in fundamento salutis. Quarto est hyperbole Pontificia, de 100. sectis ab vno Luthero prodeuntibus. ad 2. Quid mirum est, si homo ex infirmitate interdum a se dissentiat? Cum videamus ipsum etiam Bellarminum non vno in loco sibi contradixisse. Deinde est criminatio de 36. sententijs Lutheri in vno articulo. Quanquam ne hoc quidem homini Christiano dari vitio potest, si proficiens in melius, a seipso interdum, id est, ab antecedente sua ignorantia, discesserit. ad 3. Tamen si visibile illud ecclesiae caput, quod Pontificij nobis obtrudunt, minime recipimus: cum vero tamen ecclesiae capite, Iesu Christo, consensum & vniouem aeternam retinemus. Deinde, quamdiu omnes ad S. Scripturam, tanquam supremum & aeternum, seu vnicam iudicandi normam, atque adeo tanquam ad infallibilem iudicem confugimus: tamdiu certam, & minime fallacem, dicendam controuersiarum regulam habebimus.

XII. Neque vero est, quod aliquis nobis obiciat, ea, quae §. 10. modo diximus, fauere Bellarmino: quod ipse diserte scribat, 1. Thomistas, Scotistas, & alios Dd. ipsorum non dissentire, nisi in iis rebus, quae ad fidem non pertinent. 2. Nomina illa Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicanorum, desumpta esse non ab auctore doctrinae, sed ab institutore seu ueteris disciplinae. Nam primo nos impugnandum suscepimus illud Bellarmini theorema: Nunc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei sentiunt idem; nec possunt aliter sentire, & c. Hoc quam vere dicatur, ex superiori nostra demonstratione manifestum est. Deinde id quoque falso dicitur, Thomistas a Scotistis non dissentire nisi in iis rebus, quae ad fidem non pertinent. Contrarium testatur Caietanus locis innumeris in summam Thomae. Vix enim vllus est grauis in causa fidei locus, in quo Scotus Thomae non sit aduersarius. An vero modus Transubstantiationis ad fidem non pertinet, quem tot Concilij, tot anathematis, tot vniuersis sancierunt Pontifices Romani? Denique, & hoc falsum est, nomina illa Benedictinorum, Franciscanorum & c. non esse schismatica. Nam perinde sunt, vt illae voces, Ego sum Pauli, Apolos, Cephae, 1. Cor. 1. & 3. quae sane sunt voces hominum carnalium schismati operam dantium. Neque vero Christus monachis seu ueterem instituit disciplinam, quam reliquis Christianis.

CAP. XI.

OCTAVA ECCLESIAE NOTAE APUD BELLARMINUM. SANCTITAS
DOCTRINAE.

HACTENVS septem praecipuae Bellarmini notae examinatae sunt: sequuntur aliae octo, sed minutiores, & quae non ita operose ab ipso tractantur. *Octava* autem nota est sanctitas doctrinae. Vera enim ecclesia non solum est Catholica, Apostolica, una, sed etiam sancta, ut habet Symbolum Constantinopolitanum. Constat autem sanctam dici ecclesiam, quia professio eius sancta est, nihil continens falsum, quod ad fidei doctrinam, nihil iniunctum, quod ad doctrinam morum. Unde in *Psal. 18.* appellatur lex Dei immaculata, testimonium fidele, praecipuum Domini lucidum.

II. *Resp. 1.* Haec nota coincidit cum sexta. 2. Sanctam doctrinam omnino pro genuina ecclesiae nota agnoscimus: tamen si interea falsum est, ecclesiam idcirco sanctam dici, quia sancta est eius professio. Hoc enim titulum propterea gaudet, quia vera & interna sanctitate diuinitus ornata est, pura sanguine Iesu Christi purgata, & Spiritu sancto sanctificata, *1. Cor. 6. 11. Eph. 5. 27.* Haec autem sanctitas soli Deo nota est: ac proinde non externa, seu visibilis ecclesiae, de qua sola hic disputatur; sed interna; seu invisibilis, ecclesiae nota est. Si tamen doctrinae sanctitas hoc nomine intelligi debet, ut contendit Bellarminus, omnino consequitur, id, quod nos maxime volumus; esse verum: nempe ex ipso genere doctrinae, de ecclesia iudicandum esse. Ita ut Bellarminus hic imprudens in nostra castra transierit. Sed videamus, quid Patres sentiant de sanctitate ecclesiae. *Theodor. in Phil. 4.* Non quicumque se sanctum nominat, sanctus est, sed qui credit Domino Iesu, & qui vitam ex eitis legibus instituit. *Cyillus lib. 12. in Leuit.* Apostolus dicit: Ut exhibeat ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Quomodo ergo eam quae rugosa est, facit esse sine ruga, nisi quia renouat eam: *Es lib. 5. c. 7.* Opus enim Patris, homo factus, absoluit, quia naturam hominis reparauit. Et adduxit Patri ecclesiam sine ruga & macula, mundam & sanctam. Ita facti sumus in ipso noua creatura, per obedientiam Christi a morte ad vitam restituti. Similiter *Catechismus Roman. p. 1. c. 10. q. 12.* docet, ecclesiam Christi inter tot peccatores dici sanctam, quod Deo consecrata dedicataque sit per fidem; & quod veluti corpus cum sancto capite, Christo Domino, totius sanctitatis fonte coniungatur a quo Spiritus S. charismata, & diuinae bonitatis diuinae diffunduntur.

III. Pergit Bellarm. & ait: Ex hac nota euidenter ostenditur nullam esse veram ecclesiam, nisi nostram. Illa siquidem nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etsi multa supra rationem. Proinde sola est absolute sancta, eiq; soli conuenit, quod in Symbolo dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam.* Quam rem ostenderunt aduersus Paganos Iustinus, Tertull. & alii. Contra Paganos autem & haereticos omnes, idem ostendit accuratissime B. Tho. in libris contra Gentes.

IV. Magnificum profecto elogium: Sed quam verum sit, videamus. Atq; ut a posterioribus Bellarm. verbis incipiam, falsum est, ecclesiam Romanam esse absolute sanctam. Id n. est epitheton ecclesiae catholicae. Neq; probatio, quam ex Patrib. adfert, de praesente ecclesia locum habet. Illa siquidem defendit errores, peccata, & paradoxa. Quae tria operose demonstrata sunt a nostris: nominatim a *Mortono apol. Cathol. p. 1. c. 11. c. seqq.* Gerharo, de ecclesia, *sect. 8. de notis ecclesiae; itemq; alii,* qui collegunt errores ecclesiae Romanae, iuxta ordinem symboli apostolici, eiusq; peccata contra singula decalogi praecipua, into errores & peccata contra quinq; capita Catechismi. Nos breuiter indicabimus quosdam errores, & quaedam peccata atq; paradoxa: quod hinc inde ex Chamiero & hac nostra tractatione plura possint colligi. Quod attinet ad errores. Papista contra articulos fidei docent, Gentes potuisse saluari seruata lege naturae, *Maldonatus com. in Matt. 11. 21.* fidem implicitam sufficere ad salutem: sacrificium posse creare creatorem suum: Christum non esse mediatorem secundum utramq; naturam: merita sanctorum & nostra esse coniungenda cum merito Christi: Christum in Missa quotidie sacrificari: sanctos esse mediatores nostros: corpus Christi quotidie creari, & non esse tantum in caelo: internum Spiritus S. testimonium esse fallibile: caput & Sponsum ecclesiae esse Pontif. Romanum: nos non esse certos de remissione peccatorum: dari purgatorium post hanc vitam & c. Deinde *peccata ecclesiae Romanae* sunt notoria. Nam contra primum & secundum decalogi praecipuum, suppliciter adorant mortuos, reliquias, & frustulum panis in Missa: contra tertium, adhibent exorcismos, & defendunt artem aequiuocationis & perjurium: contra quartum, instituunt festa in honorem sanctorum: contra quintum, docent filios inuitis parentib. ingredi posse religionem, clericos esse exemptos ab obedientia magistratus, Pontificem posse reges & principes priuare regnis: contra sextum, defendunt infidias principum caedes, & in monasteriis multos abortus procurant, vel infantes recens natos interficiunt: contra septimum, permittunt lupanaria, Sodomitiam, impurum coelibatum sacerdotum, concubinarum clericorum, connubia prohibita: contra octauum, Pontif. magna Italiae partem ad se rapuit, monachi & alii clerici pascuntur sanguine & sudore aliorum: contra nonum, defendunt mendacia & fabulas, ut donationem Constantini M. Legendas sanctorum & c. scripta supposititia, p legitimis venditant, ut Canones apostolorum, Traditiones apostolicas & c. contra decimum, docent concupiscentiam interiori non esse peccatum. *Contra rationem* defendunt ista paradoxa: meritum Christi esse infinitum, & nihilominus cum eo coniungenda esse merita sanctorum & nostra: hominem in hac vita esse peccatorem, & nihilominus posse legem Dei perfecte implere, adeo quidem, ut possit facere opera supererogationis: sacra peragenda esse in lingua populo incognita: accidentia panis & vini esse in Eucharistia sine subiecto & c. Hinc, opinor, manifestum est, plurima impura, & prorsus absurda dogmata in ecclesia Rom. palam doceri. Quid n. (ut rem totam in pauca contraham) turpius est illa multiplici idololatria, qua mortuos, reliquias, imagines, & frustulum panis in Missa, suppliciter adorant, & religiose colunt: Quid absurdius est dogmata Transubstantiationis, & totius Pontificiae Missae, in quo & ppetuae contradictiones insunt & fundamenta totius veritatis evertuntur? Quid foedius est indulgentiarum nundinationibus, quib. apud eosdem nihil crebrius? Ut iam nihil

dicamus de impuro sacerdotum coelibatu, de absurdis monachorum & monialium votis, de purgatorio, de meritis humanis, de operibus supererogationis coram Deo, deq; aliis id genus compluribus commentis hominum, quorum nonnulla tam aperte sunt contradictoria, & contra & extra omnem sanam rationem, & fidem Christianam, ut doctissimi Papista desperent conciliationem. Hinc itaq; efficitur, hanc notam Ecclesiae Romanae plane non competere. Atq; utinam in hac nota pedem figant aduersarii. Sic enim tandem exitum aliquem in his controuersis inuenire, & veram in Domino concordiam aliquando sancire possemus.

V. Iam probat Bellarminus, hanc notam ab Ecclesia nostris plane alienam esse: quod in illis doceantur dogmata omnino foeda & paradoxa, cuiusmodi nobis obiicit numero tria. Primum dicit esse commune sectariis nostri temporis: reliqua duo, propria. Sic itaq; disputat. *Sectarij* nostri temporis docent, omnem hominem iustificari sola fide speciali, qua quisq; certo credit, se propter Christum, iustum esse coram Deo; quod cum quolibet paradoxo comparari potest: non n. est id supra, vel praeter rationem, sed plane contra omnem rationem. Quare n. cum incipio credere me esse iustum, vel sum iustus, vel iniustus: Si iustus, igitur non iustificor per fidem, qua credo, me esse iustum, quia fides est posterior mea iustitia; si iniustus, ergo fides ista est falsa, ergo non est fides diuina iustificans, nisi dicamus homines iustificari per mendacium. Praeterea Lutherani omnes, maxime Spiritum precum & inuocationem extollunt; & tamen haec fides tollit orationem Dominicam: nam si credo certo, me nullum habere peccatum, melior, si cum hac fide dico, *Dimitte nobis debita nostra.* Praeterea Caluinistae Anabaptistas omnino damnant, nec censent posse eos iustificari, nec saluari, nisi conuertantur ab erroribus suis, & tamen sciunt Anabaptistas certo credere se esse iustos: ergo coguntur dicere, eos simul & iustos, & non iustos esse. Praeter hoc dogma commune, singuli habent sua propria dogmata, plena manifestae absurditatis. *Lutherani* habent quasi proprium errorem illum manifestissimum, quod infantes, dum baptizantur, utantur ratione; audiant verbum Dei, credant, diligant. *Caluinistae* habent tanquam propriam sententiam illam, non modo pietati, sed etiam rationi aperitissime repugnantem, quod omnia absoluta necessitate eueniant, quodque Deus sit causa peccatorum.

VI. *Resp. ad 1.* Quod credimus nos sola fide iustificari, est supra rationem: quippe dogma pendens a sola reuelatione, *Rom. 3. 28. Gal. 2. 16.* Deinde disiunctum Bellarmini *id. c. 10;* quia datur istud tertium, sit iustus. Cum primum n. homo vera fide amplectitur, promissionem gratiae, sit iustus. Nimirum fides & iustitia, in actu iustificationis considerantur ratione applicationis passivae, ut loquuntur, quae nempe homo sibi applicat iustitiam Christi: non vero ratione applicationis activae, qua Deus homini applicat iustitiam Christi. Na ista applicatio est in mente Dei. Res itaq; breuiter sic habet. Deus, quos elegit ad vitam, non elegit extra Christum, sed in Christo. Itaque Christus & electi censentur una persona: ita ut iustitia Christi primo in mente Dei sit iustitia electorum. Cum primum a. Deus hominem efficaciter vocat, creat in ipso fidem, qua tanquam manu apprehendit sibi; applicat iustitiam Christi. Itaq; iustitia Christi est prior fide, quippe principium & fundamentum fidei. Rursus est posterior fide quatenus haec est instrumentum iustificationis. Tertio argumentum Bellarm. fallit ignotatione elenchi: quia non sum iustus per fidem tanquam habitum, sed per iustitiam Christi fide, tanquam manu, apprehensam. Itaq; iustificor in Christo, velut principio iustitiae coram Deo: & iustificor sola fide, velut per instrumentum percipiens iustificationem meam in illa iustitia Christi. Iustificor ergo coram Deo, ante fidem, in principio & capite meo Iesu Christo: per fidem vero solam ex illo principio, ex quo incipio habere fidem: siue, mea iustitia est prior fide mea in principio meo; sed simul est in me ex quo incipit esse fides, spiritus fidei. Sequens itaq; membrum dilemmatis nihil ad rem pertinet. Denique fides illa, seu potius iustificatio ex sola fide, non tollit orationem Dominicam. Non n. quia per hanc fidem credimus, nos vere & perfecte iustos esse in Christo, idcirco etiam credimus, nos ab omni peccato prorsus immunes esse. Nam pius vario respectu habet, & non habet peccatum. Habet in se, in carne sua, *Rom. 7. c. 1. Iohann. 1. c. 2.* non habet in Christo, capite, & principio suo, *2. Cor. 5. 17.* in se impurus & sordens, in Christo purus & nitens. Quod additur de Anabaptistis, negamus illos vere credere, quamdiu Anabaptistae sunt, & quatenus tales sunt. *ad 2.* Infantibus illis, qui in prima infantia moriuntur, & saluantur, tribuimus fidem, secundum habitum, viuente in ipsis Christo per Spiritum non secundum actum, viuente in ipsis fide & se exferente per opera bona. Hoc n. posterius in adultis solum requiritur. *ad 3.* Calumnia est, nos Deum constituere authorem peccati; & statueri, omnia euenire absoluta necessitate. De priorum calumnia vide supra *cap. nono. §. nono.* Posteriores ita diluimus. *Thomas Aquinas libro primo contra Gentes. cap. 83. c. 85.* ita docet. Deus non necessario vult, quidquid vult: posito autem hoc, quod aliquid velit, est necessarium, quia voluntas Dei est immutabilis; & tamen haec aeterna voluntas, quae est immutabilis, non tollit a rebus volitis contingentiam; quia multa contingentia dicuntur propter causarum proximarum contingentiam, etiamsi causa remota fuerit absoluta. Haec doctrina est consentanea S. literis, & a nostris defenditur: imo & ab ipsis Papistis. Ita enim ait *Suarez lib. 2. variarum opusc. cap. 2. num. 5.* Quod dicunt Protestantes, Deum nobis sua omnipotenti voluntate necessitatem imponere, in hoc non reprehenduntur a Catholicis, eo quod, quasi aliquid asserant, quod vel re ipsa contradictionem, aut repugnantiam, inuoluet, aut Dei omnipotentiam superet. Propriam causam peccati fateantur aduersarii esse voluntatem humanam. Quae sententia Suarezii nos absoluit ab vtraque criminatione Bellarmini.

VII. Probemus iam, sed paucis doctrinam nostram esse sanctam. Id patet in genere, & in specie. In genere nostra doctrina est illa ipsa, quae in scriptis Prophetarum & Apostolorum continetur. Ergo est sancta. In specie nostra doctrina consentit cum articulis fidei in symbolo, cum praecipuis decalogi, cum oratione Dominica, & Institutione S. baptismi & S. coenae. Credimus enim in solum Deum creatorem & redemptorem, & ipsi in solidum tribuimus principium, medium, & finem salutis nostrae. Hunc solum colimus, quo nobis praescripsit modo. Illum solum inuocamus, eiq; gratias agimus. In nomen Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizamur, eo ritu, quem Apostoli adhibuerunt. Denique S. coenam ea simplicitate administramus qua Christus Dominus instituit & ipse celebrauit. Merito itaque sanctitatem doctrinae huius Propheticae & Apostolicae opponimus fictitiae sanctitati doctrinae aduersariorum.

CAPVT XII.

Nota nona Ecclesiae apud Bellarminum: Efficacia doctrina.

NONA nota est efficacia doctrinae. Sola enim vera ecclesia habet doctrinam, non solum immaculatam, sed etiam conuertentem animas, *Psalm.* 18. & sermonem viuum penetrantem vsque ad diuisionem animae, ac Spiritus, *Hebr.* 4. Hæc est thesis Bellarmini, cuius anatomen siue analysin oportet instituire. I. Efficacia doctrinae, per se, hoc est, generatim & seorsim considerata, qua breui tempore multos ad se trahit, non est genuina nota ecclesiae: cum falsa etiam doctrina saepe admodum hoc modo sit efficax, id est, breui tempore multorum animos occupet. Sic enim 2. *Thess.* 2. dicitur, Antichristum venturum cum efficacia deceptionis. Et *Apoc.* 13. dicitur bestia totum pene terrarum orbem seductura. Id quod etiam *Matth.* 24. de pseudopropheta asseritur. Et 2. *Petr.* 2. scriptum est, multos è populis adhæsurus pseudopropheta. Et denique 2. *Timoth.* 3. ver. 13. dicuntur hæretici semper in peius proficere; & alios, veluti præstigiatores quidam seducere. Id quod exempla quoque omnium ætatum ostendunt. Nam & Ariani iam olim, sub Constantio Imperatore, suam doctrinam latissime, atque subito, propagarunt; idque non tam vi armorum, quam efficacia ipsius doctrinae: teste *Sozomeno lib. 6. cap. 37.* & *Socrate lib. 4. cap. 27.* & *Theodoro l. 4. cap. vlt.* adeo vt auctores isti referant, episcopum quendam nomine Vphilam, docendo tantum & persuadendo, vniuersam Gothorum gentem à fide Catholica ad Arianismum traduxisse. Et satis constat, in ignem illum orientis pseudopropheta, Mahometem, intra paucos annos, maximam orientis & meridici partem in suam sententiam pertraxisse. Vt iam nihil dicamus de efficacibus ethnicorum philosophorum erroribus: nihil etiam de Ver. T. est. pseudopropheta, deque aliis id genus exemplis, hoc loco adferamus. Pauca quædam solum ex Patribus delibabimus hanc in sententiam *Iustinus Martyr lib. de monarchia Dei* ait: Cum principio natura humana coniunctionem sapientiae & salutis ad cognitionem veritatis atque vnus eiusdemque omnium Domini cultum accepisset, inuidia obiter subingressa, ad simulacra fingenda excellentem hominum amplitudinem auertit; & longinquo tempore proluxa durans consuetudo, errorem multis, tanquam vernaculum quiddam & verum, per manus tradidit. *Tertullianus lib. de præscript. cap. 1.* Vane ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, quantum sint. Et *cap. 2.* Quia scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet, vt malum suas vires habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valeant, qui in fide non valeant. *Hieronymus dialog. aduersus Luciferianos:* Ingemuit rotus orbis, & Arianum se esse miratus est. Et in *Psalm.* 133. Ante viginti annos, omnes ecclesias has hæretici possidebant. *Chrysostomus opere imperf. in Matth. homil. 19.* Vides quia de hæreticis Christianis loquatur Christus fugiendis, qui foris in schemate Christiani videntur, ab intus autem confessionis efficacitate gentiles. 2. Interea tamen fatemur, Prophetica & Apostolica doctrinam, vere efficacem esse, hoc est, diuinam & caelestem efficaciam habere; videlicet, homines ab erroribus ad veritatem, à peccatis ad iustitiam & sanctitatem, à diabolo ad Christum conuertendi, eisdemque Deo reconciliandi. De qua efficacia, plane diuina, legere est *Psalm.* 19. ver. 8. & *d. Psalm.* 119. pene toto. 1. *Corinth.* 1. & 2. totis. 1. *Thess.* 1. & 2. totis. *Hebr.* 4. v. 12. & *d.* Hanc igitur efficacem doctrinam omnino veram ecclesiam notam esse concedimus, imo contendimus: & proinde, ex hac qualitate doctrinae, de ecclesia iudicium ferendum esse concludimus. Id quod à Pontificis alias, importune quidem, sed inconstanter & temere negatur: prout hoc loco patet.

II. A thesi ad hypothesein descendens Bellarminus, initium facit ab ecclesia Apostolica, quæ olim breuissimo tempore per homines contentibiles externa specie, sine armis, & sine pompa verborum totum traxit mundum. Deinde à tempore B. Gregorii vsque ad nostra tempora conuersi sunt Francones, Saxones, Wandali &c. conuersi, inquam, sunt per Monachos, adeoque per Pontificem Romanum. Denique hoc nostro seculo in nouo orbe multa millia Gentilium conuerterunt Catholici. Iudæorum quoque & Turcarum aliqui ab illis conuertuntur. Lutherani vero vix vnum aut alterum conuerterunt, cum tamen comparent se cum Apostolis & Euangelistis, & habeant in Germania Iudæos plurimos, & in Polonia, & Hungaria vicinissimos Turcas. Rectissime igitur B. *Augustinus lib. 13. contra Faustum c. 12.* comparat hæreticos cum perdicibus, quæ congregant pullos, quos non pepererunt: cum è contrario ecclesia columba sit fecundissima, quæ quotidie parit novos pullos.

III. Quatuor in his verbis Bellarmini sunt distinguenda. Primum est de ecclesia Apostolica: de qua certum est, efficaciam doctrinae caelestis per ministerium Apostolorum eximio & singulari modo se exeruisse; idque propterea, quia illi à Christo mandatum erat, vt passim in toto orbe prædicarent: & simul promissum fuit, vt doctrinam suam miraculis confirmarent. Acceperant insuper donum prophetiae, & donum linguarum. Huiusmodi vero mandatum, promissionem, & dona non habuerunt ipsorum successores, præsertim ceterioris & sequioris æui, qui vel suis ecclesiis alligati fuerunt, vel in tempora ecclesiae corrupta vel incurrupta, magis vel minus, incidunt. Itaque hic non procedit argumentatio a tempore ad tempus. Deinde in conuersionibus populorum, quæ factæ sunt post seculum sextum, tria sunt distinguenda. Quidam enim conuersi sunt vi armorum, quidam vi doctrinae aliquanto purioris, quidam vi doctrinae aliquanto corruptioris. Nam Deus solet variis modis colligere ecclesias. Tertio quod adferretur de Indorum conuersione, illa ipsa est etiam distinguenda. Etsi enim Papistæ plurimos ibi trucidarunt, & rursus licet paucos illos, quos conuertunt, ad fidem valde corruptam traduxerint, idque non tam doctrina & argumentis, quam tyrannide & ferramentis: tamen hæc qualiscunque Euangelii propagatio censeri debet prodromus prædicationis incorruptæ, quæ suo tempore subsequetur. Neque vero hac ratione violentam illam conuersionem probamus: sed palam asserimus, Deum adhibere mala interdum media, modo & sine optimo. Quarto, quod ad doctrinam ecclesiae nostræ attinet, eam nos diuinitus efficacem esse nouimus; quippe eandem profus cum

Apostolica: prout ex ipsa vtriusque collatione perspicuum fieri potest. Oportet autem istam efficaciam distinguere in ordinariam, & extraordinariam. Illa est perpetua, & cernitur in viua consolatione seu gaudio cordis inuincibili, & vitæ spiritualis instauratione. Hæc est certi temporis: vt i. g. fuit tempore Lutheri, de quo poeta:

*Vir sine vi ferri, vi verbi, & inermibus armis,
Vir sine re, sine spe, contudit orbis opes.*

Quod autem non multi barbari, alijque increduli, hæcenus per eam conuersi sunt (quanquam, Dei beneficio, nonnulli saltem istorum per eam conuersi sunt) id non doctrinae, sed ipsis personis, male adhuc dispositis, alijque similibus causis (qualis est, quod periodus Antichristi nondum sit elapsa) imputandum est. Etsi enim eadem est doctrina nostra, quæ fuit olim Apostolorum; non sunt tamen nunc iidem ministri, hoc est, iidem donis instructi, neque eadem nunc sunt tempora, & mores incredulorum, prout olim erant. Speramus autem breui fore illud tempus, quo Deus per singularia quædam organa promouebit miraculosam Iudæorum & incredularum gentium conuersionem, quam toties in verbo suo prædixit & promisit. Confer supra cum §. vltim. cap. 7.

CAPVT XIII.

Nota decima Ecclesiae apud Bellarminum: Sanctitas vitæ aucthorum veræ religionis.

I. **D**ECIMA nota (inquit Bellarminus cap. 13.) est sanctitas vitæ aucthorum, siue primorum Patrum nostræ religionis. Ecclesia enim vera non solum habet doctrinam sanctam, & efficacem, sed etiam doctores sanctos, & signorum ac miraculorum gloria clarissimos. Nunc de probitate. Iam ergo si quis consideret magistros Ecclesie catholice, primum Patriarchas & Prophetas, deinde Apostolos, tum Doctores, qui contra singulas hæreses dimicauerunt, denique institutores ordinum religiosorum, inueniet omnes sanctos, castos, pios, sobrios fuisse. At ethnicorum doctores fuerunt vel poetae leues, vel Philosophi superbi: vtrique autem impurissimi. De hæresiaribus plurima dici possent, sed vnum est vitium omnibus commune, superbia. Eodem modo *seclus huius temporis* exortas esse ex ambitione, superbia, inuidia, odio, aduersarij certe negare non possunt. Nam initium primum omnium hæresium huius temporis constat fuisse inuidiam, & ambitionem Lutheri, ægreferentis munus promulgandarum indulgentiarum à sui ordinis Monachis, ad Monachos ordinis Prædicatorum translaturum fuisse. Idem in libro contra regem Angliæ tanta superbia iactat se, & sua, vt dicat reges, principes, pontifices &c. non esse dignos, qui soluant corrigiam suorum calcamentorum. Similes sunt Lutheri discipuli omnes, quorum libri scatent iactationibus, mendaciis, scommatis, maledictis, conuitiis. Quod vero attinet ad populum, sunt quidem in ecclesia Catholica plurimi mali: sed ex hæreticis nullus est bonus.

II. Hæc sunt, quæ Bellarminus toto isto capite disputat, an perorat: sed in compendium contracta, retentis tamen ipsius verbis. Quorum analysi distinguit thesin ab hypothese; & in hac obseruat sex membra. 1. de ecclesia Prophetica & Apostolica. 2. de ecclesia proxima post Apostolos. 3. de ecclesia Romana, quantum ad antistites, & populum. 4. de ethnicorum doctoribus. 5. de hæresiaribus. 6. de sectariis huius temporis, id est, nostra ecclesia, quantum ad antistites & populum. Expendamus omnia.

III. Principio, sanctitas vitæ non est nota ecclesiae, sed personarum solum per hoc seculum transeuntium, dum ecclesia permanet: quem admodum ait Christus *Matth.* 7. A fructibus eorum cognoscetis eos. Non, inquam, hæc est nota ecclesiae. Aut enim intelligitur sanctitas interna, aut externa. Illa non est nota ecclesiae; quia soli Deo est cognita, *Rom.* 2. ver. 28. 29. Hæc similiter non est nota ecclesiae; quia non est propria, non perpetua, non conspicua, non infallibilis. Non propria: quia virtus vitæ quæ sanctitas etiam simulari ab hypocritis potest; adeoque Satanas ipse in angelum lucis se transformat, 2. *Cor.* 11. 14. Vnde *Augustinus epist.* 137. Ecclesiam non ex vita, seu moribus doctorum, sed ex eorundem doctrina, æstimandam esse prolixè docet: citans inter alia illud Christi *Matth.* 23. Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, ne facite. Et *Hieronymus in cap. 7. Matth.* ait: Specialiter de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, ieiunio, quasi quadam pietatis veste se circumdare: intrinsecus vero habentes animi venentium, simpliciorum fratrum corda decipiunt. Et post nonnulla: Supra dixerat, eos qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam. Exemplo nobis sint Donatistæ, Cathari, Anabaptistæ. Non etiam est perpetua hæc nota; quia multitudine scandalorum, vel furore persecutionum potest ita obnubilari externa illa sanctitas ecclesiae, vt non sit conspicua. Id quod accidit tempore Eliæ, & prædictum est *Matth.* 24. & alibi, de ecclesia N. T. Non est conspicua; quia etsi opera externa incurrunt in oculos, tamen quia sunt bonis & malis communia, inde non potest cognosci doctrina, vel ecclesia. Quod ipse Bellarminus fatetur *lib. 5. de lib. arb. c. 10.* Denique non est infallibilis; vt patet ex dictis.

IV. Deinde quod Bellarminus coniungit, vel potius confundit, ecclesiam Prophetica & Apostolica, illiusque magistros, cum Doctoribus Ecclesie N. T. & cum institutoribus ordinum religiosorum: in eo magnam illi iniuriam facit. Fuerunt enim illi immediate a Deo vocati, vera sanctitate conspicui, & extra errandi periculum constituti: quod neque de illis Dd. neque de institutoribus ordinum dici potest. Rursus antiquiores ecclesie Dd. qui proximis aliquot seculis Apostolos consecuti sunt, immerito cum illis institutoribus vatriarum religionum coniunguntur. Quæ confusio tolerari non debet. Tum & illud peccauit Bellarminus, quod Prophetas & Apostolos, tanquam suæ ecclesie patronos, citauit: quippe quos longè meliorem iure nostrarum partium esse contendimus; sicut ex ipso doctrina, quam vtrique pars profitetur, examine probamus. Est itaque petitio principii, & inepta, imo puerilis, iactatio.

V. Tertio antiquiores ecclesie Patres, qui proximis aliquot seculis Apostolos consecuti sunt, non ad ecclesiam Romanam, sed ad nostram pertinere,

tinere, eodem iure, quo prophetas & Apostolos nostrarum partium esse modo diximus, vnicuique contendimus: ne quidem exclusis iis, qui illo tempore vitam monasticam sectati sunt. Primi enim illi monachi nihil habent commune cum Francisco, Dominico, & eorum similibus. De posterioribus Ecclesie Patribus, quanto longius ab ætate Apostolorum abfuerunt, tanto minus auctoritatis possumus ipsis tribuere. Si quis enim instituat collationem inter ipsos & antiquiores, necesse habebit exclamare; *καὶ οὕτως*

VI. Quarto Ecclesie Romanæ antistites sunt Pontifex, Cardinales, Episcopi & reliqui clerici, institutores ordinum religiosorum, denique monachi. Quam sancti omnes fuerint, & sint hodie, inspicimus. De vitis Pontificum Romanorum, omnium scelerum genere referissimis, legantur Platina, Nauclerus, Balæus, & alii. Inuenimus ibi, alios fuisse infames magis, vt Syluestrum II. Benedictum IX. Iohannem XX. & XXI. Gregorium VII. ita vt Platina & Nauclerus testentur, omnes Papas a Syluestro II. vsque ad Gregorium VII. inclusiue fuisse magos: alios seditiones aduersus Imperatorem, vt Gregorium VII. & Alexandrum III. quorum ille insidiarius est vitæ Henrici III. Imp. & quidem in loco sacro, hic pedem posuit in collo Frederici Barbarossæ prostrati: alios scortationibus, adulteriis, incestibus deditos, vt Sergium III. adulterum, Iohannem XIII. qui in adulterio deprehensus & confessus est, Iohannem XXIII. incestuosum, Sixtum IV. Sodomitam, Alexandrum VI. qui cum filia Lucretia incestum commisit: alios cædibus & bellis addictos, vt Gregorium VII. Iulium II. alios auaros & Simoniacos, vt Iohannem XXII. qui in ætario reliquit ducentas quinqueaginta tonnas auri, Clementem V. Alexandrum VI. alios pomposos & fastuosos, vt Paulum II. Clementem V. omnes denique inde a Phocæ, ambitiosos, hypocritas, impostores. Cardinales, vt pote fratres Pontificis, ipsi fere sunt similes, superbia, luxuria, auaritia. Qua de re extant passim querelæ veterum. Vide Nicolaum de Clemangis, librum inscriptum Onus Ecclesie &c. *Episcoporum, sacerdotum, & reliquorum clericorum* sanctitas graphice describitur a Bernhardo, serm. 33. in Canticum, his verbis: Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, cui tamen honorem non deferunt. Inde existit meretricius iste nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis, & calcaribus. Inde splendida mensæ, inde comestiones & ebrietates: inde cithara, & tibia, & lyra in conuiujs. Hinc sunt Ecclesiarum præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Hæc de sui temporis præsulibus conquestus est Bernhards. Legatus Ducis Bavarie in Concilio Tridentino conqueritur, Clerum, cum iam terræ esse deberet, iam tum fuisse infatuatum, ob socordiam & motum turpitudinem, galam, libidines &c. *Institutores ordinum religiosorum* forte ipsa fuerunt sanctitas. Id enim ex crebris illorum ieiunijs, precibus externis, chameunijs siue humicubationibus, & cæteris id genus vitis, videtur colligi posse. Verum res aliter habet. Nam potius superstitio illorum, itemque hypocrisis, & multiplex idololatria inde firmanifesta: quia in rebus istis externis quantam, vt ita dicam, religionis essentiam constituerunt, suaque merita, & opera supererogationis inde deriuarunt: cum etiam hæretici & hypocritæ ista omnia præstare soleant, *Esai. 1. & 57. Matth. 6. & 23. fere totis*; & nulla possint esse nostra merita coram Deo, quia serui inutiles sumus &c. *Luc. 17.* Sed recitemus vnum & alterum sanctitatis exemplum. Sanctus Franciscus ad edomandam carnis tentationem se durissime verberauit, & similiter magni algoris tempore in foueam glacie & niue plenam se plerumque immergit, vt domesticum hostem, scilicet carnem, perfecte subiiceret, vt est in *Conformitatum lib. 2. p. 244.* Idem cum in quadam infirmitate de pitantia comedisset, tempore magni algoris nudum & quartanarium de Ecclesia S. Rufini Adisii se sine iniectio, collo trahi fecit per focium vsque ad locum malefactorum in platea ciuitatis, vbi populo congregato, facta prædicatione, in fine dixit eis, quod non erat vt sanctus ab eis honorandus, sed vt gluto, quia in illa infirmitate carnes comederat, ab omnibus reputandus & contemnendus, *d. l. p. 227.* Hæc & similia sunt documenta sanctitatis, ob quæ B. Franciscus dicitur fuisse exemplar omnis perfectionis, Christo iam similibus in gloria & deificatus, ideoque in quacunque necessitate inuocandus, vt sunt verba *lib. 1. Conformitatum B. Francisci.* Pergamus ad monachos & moniales. Num forte illi habent sanctitatem, quam præ se ferunt? *Brigitte in reuelat.* fratres istos vocat gentem pomposam, vanam, superbam. *Gerson in tract. de clarat. defect. Ecclesie.* ait, claustra Monialium esse proflibula meretricum. *Petrus de Aliaco lib. de reform. Ecclesie.* scribit: Monachi suis immunditijs Ecclesiam commaculant. Sed fere præterieram *Iesuitas*: quorum sanctitas in eo vertitur, vt alios præ se contemnant, suam eruditionem admirentur, opes corradant, periuiria & parricidia defendant. Quid igitur superest, quam vt cum Adriano VI. dicamus, a planta pedis ad verticem vsque capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis Ecclesiastici. Hæc enim verba inseruit in structio legati sui ad Conuentum Noribergensem an. 1525. referente *Sleiano lib. 4. com.* Ad extremum *populus in Ecclesia Romana*, cum a Scripturæ lectione arceatur, & in concionibus, quæ plerique in locis rarissimæ habentur, fere audiat fabulas, traditiones, & superstitiones, non potest sanctitatem ab illis suis doctoribus, vel potius seductoribus, haurire. Hinc *Machianellus lib. 1. com. cap. 17.* ait: Quamquam Italia omnium Christiani nominis prouinciarum, Ecclesie Romanæ proxima sit, nulla tamen est, quæ minus religionis habeat.

VII. Quæ loco Quarto de doctoribus ethnicorum, & Quinto de hæreticis dicuntur à Bellarmino, illa nos non tangunt. Sexto itaque videamus, quales fuerint primi reformatores Ecclesie apud nos, quales sint illorum discipuli, & denique auditores. Fatemur autem ingenuè, Lutherum, Zvinglium, & alios *Ecclesie reformatores*, suos etiam nauos habuisse: quos ipsi quoque agnouerunt. Negamus vero probari posse, illos impuram & flagitiosam vitam vixisse. Quin potius exempla veræ pietatis, sobrietatis, castitatis, diligentie, pii zeli, & aliarum id genus virtutum, in illis passim conspicta fuerunt; ipsis etiam aduersarijs sæpe fatentibus. Vide hæc de re in Epistolis apud *Erasmum lib. 11. Epist. 1. & lib. 12. in Epistola ad Cardinalem Moguntinum*: vbi inter alia de Lutheri scribit: Vitam eius magno omnium contentu probatam fuisse; nec hostes eius in ipso repetire potuisse, quod iure calumniarentur. Et certe qui vitas istorum virorum absque sinistro affectu perlegerit, itemque labores ab illis exhaustos, illorumque scripta ab ipsis edita, perpenderit; continuo animaduertet, calumnias Bellarmini & sociorum hæc in re vanas esse. Idem dico de calumnia, quæ Cardinalis ille noster

ait, in libris *discipulorum Lutheri* nihil fere præter iactationes, mendaciæ, scemmata, & maledicta occurrere. Penes cordatum lectorem esto iudicium. Denique quod idem dicit, *ex hæreticus*, id est, ex populo nostro (de illo enim ipsum loqui docet antithesis) nullum esse bonum, est Pontificia hyperbole: quam ille pueriliter probat ex concionibus nostrorum, qui conqueantur, homines magis esse auaros, magis immodestos, magis vindictæ cupidos, multoque deteriores, quam fuerint in Papatu. Puerilis, inquam, hæc est probatio. Nam inique sermones demegorici, homiliaeque paræneticæ, quæ communiter in Ecclesia fuerunt vsurpatæ, ad criminationem vniuersæ Ecclesie traducuntur: quæ res nec veritatem, nec charitatem sapit. Si ita agitur, quis ex concionibus Chrysostomi præcam Ecclesiam damnare non possit: ex concionibus Menotti, Picardi, Pareletæ, Panigarolæ, Pontificiam? At non nobis insanire lubet, quod poeta dicit. Neque vero est, quod aliquis existimet, criminationem illam Ecclesie Romanæ, quam §. 6. institutum, eo spectare, vt omnes & singulos, nullo profus excepto (quod hic facit Bellarminus, istis vitis conspurcatis fuisse & esse doceamus. Minime vero. Indefinite locuti sumus, & *ἐπι το πᾶσι*, non vero vniuersaliter: imitati Bernhards, qui *lib. de consideratione ad Papam Eugenium*, ita curiam Romanam describit, vt totam eius vitam & conuersationem, varijs peccatis infectam, imo sceleratam & turpem, esse demonstrat. Vnde non licet colligere, ne vnum quidem bonum tum temporis fuisse in curia Romana. Sic licet *Petrarcha Epist. 20.* aulam Pontificiam vocet meretricem Babylonicam, matrem omnis idololatriæ, asylum errorum, hospitium scortationis, impudicitie &c. non tamen inde efficitur, *ὅτι οὐκ ἔστι*, ibi fuisse. Sed examinemus notam vndecimam.

CAP. XIV.

Nota Ecclesie vndecima apud Bellarminum. Gloria miraculorum.

I. **BELLARMINVS** caput suum 14. partitur in quatuor membra. In primo collocat fundamenta suæ sententiæ: in secundo demonstrat, neque ethnicos, neque Iudæos, neque Turcas, neque hæreticos, vlla vera miracula vnquam edidisse; tametsi interdum aliquid tale conati sunt: in tertio, multa narrat de miraculis Ecclesie Pontificie: in quarto, respondet ad nostrorum exceptiones. His itaque lineis, ab ipso ductis, insistamus.

II. *Vndecima* (inquit) nota est gloria miraculorum: sunt autem duo fundamenta præmittenda. Vnum, quod miracula sint necessaria ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam. Alterum, quod sint efficacia & sufficientia. Nam ex priore deducemus, non esse apud aduersarios veram Ecclesiam; ex posteriore deducemus, eam esse apud nos. *Respondet 1.* Hæc non Ecclesie, sed doctrinæ nota est; eaque accidentaria, non essentialis; particularis, ac non vniuersalis per se. Quapropter Ecclesia fuit, & est semper: miracula diuina fuerunt, non sunt semper. Sunt enim signa doctrinæ perpetuæ & ordinariæ, ambulatoria & temporaria, extra ordinem & suo tempore, non autem quolibet, ad eam accidentia. 2. Miracula sola, quantum ad externam speciem seu formam spectata, siue seorsim in se considerata, non sunt genuina nota doctrinæ cælestis, ideoque nec Ecclesie; quippe quæ interdum etiam ad fallam doctrinam confirmandam adhiberi soleant: teste Christo, *Matth. 24. versic. 24.* & Apostolo Paulo 2. *Thess. 2. 9.* itemque Mose, *Deut. 13. v. 1. & d.* quibus locis aperte dicitur, etiam pseudoprophetas & Antichristos, interdum magna signa, imo miracula, cedere, & multos hac ratione seducere. Et licet hæc veris ac diuinis miraculis conferenda non sint: non tamen cuiusuis est, accuratum discrimen inter vtraque statuere. Atque hinc est, quod ethnici sua quoque miracula iam olim iactarunt: de quibus vide apud *Liuium in historia secundi belli Punici*; item apud *Valerium Maximum lib. 1. c. 8. & l. 8. cap. 1.* item apud *Ciceronem lib. 1. de diuinat.* Vide etiam *Augustinum Epist. 5.* vbi multa miracula ab Apuleio quodam, & Apollonio Thyaxo, edita fuisse commemorat. Itaque idem *Augustinus tract. 13. super Evangelium Iohannis*, argumentum hoc à miraculis sumtum, si per se & seorsim spectetur, in hac causa prorsus inualidum esse docet, eosque *Mirabilarios* appellat, qui miracula sua subinde iactarent. *Idem lib. de vnit. Ecclesie, cap. 16.* eleganter ait: Quæcunque talia (miracula) in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipse Dominus Iesus cum resurrexisset à mortuis, & discipulis oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pari arbitrentur, magis eos testimonijs legis & prophetarum & psalmorum confirmandos esse iudicauit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tanto ante prædicta. *Et mox:* Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. *Tertullianus de præscript. e. 44.* Adiciet præterea multa de authoritate cuiusque doctoris hæretici: illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, vt merito Apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam munendam corruptæ prædicationis. *Chrysostom. homil. 23. in Iohan.* Quare & nunc signa non fiunt: si fidelis es, vt oportet; si Christum diligis, vt diligendus est, non indiges signis. Signa enim incredulis dantur. *Et homil. 34. in Iohan.* Suederque (Christus) non signa nobis, sed doctrinam ipsius attendendam. Signa enim infidelibus & rudioribus exhibenda. Idem docent alij Patres quorum testimonio proluxe collegit *Polanus symphon. Cathol. cap. 18. thes. 71. 3.* *Noua fides* duobus modis ita dicitur: vel quod sit vere, *τὸ εἶναι* noua, vel apparenter duntaxat, *τὸ φεῖσθαι*. Sæpenumero enim aliquid nouū dicitur, quando renouatur, vel postliminio restituitur, cum sit vere antiquum. 3. *Missio extraordinaria* itidem duplici ratione dicitur: vel respectu ordinis tunc in Ecclesia recepti, vel respectu ordinis à Deo instituti. Illa spectat ad corruptelas vulgo receptas abolendas, hæc ad cultum, quem Deus instituit, mutandum. 4. *Miracula* etiam dicuntur duplici ratione; vel quæ sensus externos immediate feriunt, vt extirpare mortuos, sanare claudos: vel quæ interiore Dei virtute peraguntur, vt doctorem aliquem diuinitus excitari, & doctrinam cælestem admirabili ratione, felici cum successu, propagare. 5. Ad fidem sensu

priore nouam, & ad missionem extraordinariam posteriore sensu, requiruntur miracula priore sensu. Sed nostra fides, quam profitemur non est noua sensu priore, sed per omnia conformis doctrinae Apostolicae. Et missio Lutheri, Zvinglii, & aliorum non fuit extraordinaria sensu posteriore, sed ordinaria. Itaque non est quod Bellarminus a nobis requirat miracula priore sensu. Habemus autem miracula posteriore sensu. 5. Ad fidem posteriore sensu nouam, & ad missionem priore sensu extraordinariam non requiruntur necessario miracula priore sensu. Quoties enim pii reges & prophetae in Ecclesia V. T. corruptelas doctrinae remouerunt, qui tamen nulla fecerunt miracula? Quoties Episcopi N. T. Ecclesiam ab Arianismo & aliis haeresibus expurgarunt, qui tamen dono miraculorum non fuerunt instructi? Pertinet quoque huc exemplum Iohannis Baptistae, cuius missio fuit extraordinaria, neque tamen miraculis roborata, *Iohan. 10. 14. 6.* Si miracula ad nouam fidem, & extraordinariam missionem duntaxat sunt necessaria, tum ne ipsi quidem Pontificii vera & necessaria habent miracula. Neque enim nouam fidem, vel extraordinariam missionem praeseferunt, sed de antiquitate suae fidei, & missionis Apostolicae autoritate perpetuo gloriantur. 7. Summa huc redit. Miracula non sunt nota Ecclesiae; quia neque propria sunt, neque perpetua: quippe quae sunt communia bonis & malis, & adhibentur ferme ad fidem plane nouam, missionemque plane extraordinariam persuadendam.

III. Sed tentemus, quam solidum sit *primum* Bellarmini fundamentum. Confirmat illud primo dictis & exemplis Scripturae, tum rationibus, & testimoniis Patrum. *Exempla* sunt tum Moyses, *Exod. 4.* fere per totum: ubi inter alia Deus ipse inquit, se Moysen idcirco miraculis instruere, ut fidem apud suos populares inueniat: tum Christi, subinde ad opera sua prouocantis, *Iohan. 15. 24.* tum denique Apostolorum, qui una cum mandato Euangelii praedicandi, potestatem edendi miracula acceperunt, *Matth. 10. 7. Marc. 16. Ratio* vero haec est; quod quicumque mittitur a superiore, necesse habeat illius literas & sigillum ostendere. Quare qui a solo Deo extra ordinem mittuntur, necesse habent sigillum Dei, hoc est, miraculum aliquod ostendere. Postremo *testimonium Augustini* adfertur ex *lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8.* ubi ait. miracula fuisse necessaria, ut mundus Euangelio crederet. *Respondeo 1.* Moyses uocatio erat immediata & penitus extraordinaria: erat quoque plane mirandum & extraordinarium opus, liberatio ex Aegypto: & denique Israelitarum temporis non habebant scriptum Dei uerbum, ex quo Dei uoluntatem de hoc beneficio discere, vel Moyses uocationem examinare potuissent. Itaque ipsi fuit necessarium miraculis uocationem & praedicationem suam demonstrare. 2. Christus debuit facere miracula; quia hoc praedictum erat de ipso. 3. Christus *Iohan. 5.* loquitur in sensu comparato: uidel. Iudaeos non quidem nullum, sed non tantum habituros peccatum, si Christus tot & tantis miraculis doctrinam suam non confirmasset. Hinc itaque non potest colligi, fidem non esse habendam doctoribus, qui non clarent miraculis: qualis e.g. fuit Iohannes Baptista. 4. Apostolis erant necessaria miracula, quia nouam fidem annuntiabant, & mittebantur extraordinarie. Intellige fidem nouam priore sensu, & missionem extraordinariam posteriore: ut paulo ante explicauimus. 5. Augustinus utrumque docet: Miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet: & Qui nunc quaerit miracula, magnum esse prodigium. Distinguit ergo inter fidem propagandam & propagatam, statum Ecclesiae plantandae & plantatae.

IV. *Secundum* Bellarmini fundamentum est eiusmodi. Quod miraculum sit testimonium sufficiens, & ubi est uerum miraculum, ibi sit uera fides, facile probari potest: siquidem uera miracula non possunt fieri, nisi uirtute Dei: dicitur enim miraculum, quod superat vires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis est mirabile, & propterea etiam in Scripturis dicuntur testimonia Dei: quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur: Deus autem non potest esse testis mendacii: igitur quod miraculo confirmatur, uerum esse necesse est. Neque repugnat, quod uera miracula non semper fiunt ad confirmandam fidem, sed interdum ad illustrandam sanctorum vitam: nam cum miracula fiunt ad gloriam alicuius sancti demonstrandam, illa miracula ostendunt, eum hominem uere esse sanctum. Cum autem nemo sit uere sanctus sine uera fide, Quia iustus ex fide uiuit, *Hebr. 10.* eadem miracula ostendunt, & confirmant ueram fidem. *Respond. 1.* Falsum est, ubi uerum est miraculum, ibi quoque ueram esse fidem. Nam Deus, etiam nunquam perhibet testimonium mendacii, tamen interdum ad suos probandos, & uerbi contemtores puniendos, miracula uera falsis doctoribus abutenda permittit, *Deut. 13. vers. 1. & d. ita ut recte scribat Hieronymus com. in Gal. l. 3.* obseruandum etiam, quod operari uirtutes dicantur, in his, qui non tenent Euangelii ueritatem, sicut in illis, qui Dominum non sequentes, in nomine eius signa faciebant, *Matth. 9.* Et quis nescit fidem miraculorum etiam in hypocritas cadere. 2. Certum est, uera miracula non posse fieri, nisi uirtute Dei. At Deus donum miraculorum, & similia, quae in Scholis dicuntur gratiae gratis datae, indifferenter piis & impiis tribuit: ut ipse Bellarminus fatetur *lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 10.* Non itaque potest ex miraculo colligi necessario, illum esse sanctum, qui illud edit. 3. Miracula non eduntur ad testandum de sanctitate hominis, sed ad Dei gloriam, Ecclesiae salutem, doctrinae caelestis oblationem, hostium confusionem, impiorum excoriationem atque obdurationem. 4. Itaque miracula fiunt semper a Deo, vel per sanctos, vel per non sanctos, ob aliquod bonum, publicum in primis. Vnde recte statuit *Glossa in uerbo Miracula c. audiuimus. extr. de reliq. & uenerat. sanct.* non continuo eum, qui miracula facit, nos uenerari debere pro sancto: cum secundum *c. Teneamus 1. qu. 1.* fiant miracula quandoque per malos. 5. Sic itaque corruunt duo fundamenta, quae Bellarminus iecit hoc loco. Nam miracula neque simpliciter sunt necessaria ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam; neque sola & per se sunt sufficientia fidei testimonia. Nihil enim probant, si non habeant doctrinae ueritatem coniunctam. Ideo Christus prouocauit ad doctrinam & miracula sua simul.

V. In *secundo membro* Bellarminus asserit apud Ethnicos, Turcas, Iudaeos, Haereticos, non esse uera miracula. Sed hoc ambiguum est, ideoque non uerum simpliciter. Nam ut *Pererius comm. in Dan. lib. 4.* docte obseruat, duo sunt miraculorum (uerorum) genera: quaedam huiusmodi, ut non nisi per omnipotentiam Dei fiant: alia, quae fieri possunt potentia causarum naturalium, operante daemone, hominibus ignota, quae modo inuisibili adhibebuntur, & quasi miracula existimabuntur: haec signa uera sunt, sicut illa

Magorum uera fuisse arbitratur Augustinus, nihilominus mendacia, quia qui faciet, se ea facere miraculose uirtute diuina falso profitebitur. His consentanea tradit *Iansenius comment. Concord. Euang.* Quod Antichristi signa & miracula dicuntur mendacia, non sic accipiendum est, quasi omnia illa signa sint efficienda per sensum & phantasmatis ludificationem, ut quod non sit, esse tamen videatur: quaedam enim uere efficiet per coniunctionem occultam causarum naturalium, quomodo ignem potest uere e caelo deducere, & alia multa facere mirabilia: quae tamen dicuntur signa mendacia, siue quia ad mendacium pertrahunt, dum creduntur fieri uirtute diuina, siue quia quamuis sint uera res, non tamen sunt uera signa & miracula, quia id eum uere & proprie miraculum est, quod fit supra naturam & uirtute supernaturali, quae soli Deo competit. Ego plenius rem istam sic edissero. Miracula uera & mendacia dicuntur uel simpliciter, uel secundum quid. Uera simpliciter sunt, quae sola uirtute Dei eduntur: uera secundum quid; quae uirtute daemone uel artificis reuera fiunt. Miracula mendacia, siue falsa, simpliciter, sunt talia ratione materiae, uel formae: quae non sunt id, quod esse uidentur: falsa secundum quid, sunt talia ratione efficientis, uel finis. Ex his iam patet, quo sensu Gentiles, Pseudoprophetae, Antichristus, Haeretici, possint edere uera miracula. Nimirum Deus interdum per illos edit uera miracula, priore sensu; quae ratione abusus fiunt mendacia. Et rursus illi, opere daemone uel artis, faciunt interdum uera miracula posteriore sensu; quae ipsa fiunt mendacia: quia etsi daemolus non semper est fallax: tamen semper est mendax. Sed quia iam constat de ambiguitate & falsitate assertionis Bellarmini: omittis illis, quae nos non attingunt, uideamus, quid de nostris adferat. Dicit, nulla apud nos esse uera miracula, & tamen primos reformatores nostros nouam doctrinam praedicasse, & non esse missos ab ordinariis praelatis: denique conatos esse edere miracula. *Respondeo 1.* Apud nos sunt uera miracula, nempe Apostolorum. Et hoc nobis sufficit. Neque enim primi illi nostri reformatores opus habuerunt miraculis, ad stabilendam uel edicendam suam doctrinam, quasi nouam & inauditam. Non enim nouam ipsi fidem praedicarunt: sed uere antiquam illam, a Christo & Apostolis praedicatam, plurimisque signis olim confirmatam, pristino suo nitore restituerunt, & quasi iure postliminii in usum reuocarunt. Vocatio uero, & uero missio ipsorum, etsi aliquid extraordinarium habuit (si quidem uiciosum illum ordinem, uulgo tunc uisatum; non autem primarium illum, a Deo institutum, spectemus) uere tamen ordinaria, simul & legitima fuit; quia iuxta canones uere Apostolicos, ab iis, qui potestatem hanc habuerunt, uocati, examinati, & confirmati fuerunt. Quemadmodum igitur antiqui illi prophetae, licet extra ordinem alioqui mitterentur, non tamen omnes miracula ediderunt; sed ipsam legem Moyses, seu uerbum Dei, pro fundamento habuerunt suae reformationis: sic etiam primi illi reformatores hac in parte se se gerere potuerunt, imo debuerunt. Quare nisi Bellarminus probauerit, fidem nostram esse nouam, & uerbo Dei contrariam, miracula nullo iure a nobis exigere poterit: quippe qui omnia V. & N. T. miracula uere nostra esse dicimus, utpote edita ad confirmationem illius doctrinae, quam nos usque hodie profitemur. 2. Impudens mendacium est, nostros illos reformatores ueram externa miracula edere conatos fuisse. Cur enim conarentur, qui diserte praeseferbant, non opus esse miraculis: Tertes, quos Bellarminus adducit, nempe Staphylus & Cochlaeus, mendaciorum catenas necunt. 3. Miraculis non caremus, hoc sensu. Mirabilis propagatio & conseruatio doctrinae nostrae, uerum censeretur debet miraculum: ut nihil dicam de miraculosis operibus, quae in Martyrologiis nostris consignata extant: quorum aliquot recitat *V. Villerus de notis Ecclesiae, nota 5.*

VI. *Tertium membrum* Bellarminus ita enuntiat. Nostram Ecclesiam esse ueram Dei Ecclesiam demonstratus ex miraculis, quae singulis aetatibus habuit plurima, ac testatissima. Ac primum de uidecim primis seculis planum est, ex uidecim tomis hist. Ecclesiasticae Magdeburgensium. In singulis enim uidecim illis, cap. 13. annotant ex autoribus illorum temporum omnia miracula. Deinde post illa uidecim secula semper aliqui claruerunt miraculis in Ecclesia nostra, & nominatim nostro seculo Franciscus Xaverius in Indiis.

Respondeo 1. Haec argumentatio plura confundit simul. Nos ita distinguimus. Istorum miraculorum narrationes aliae uerae sunt, aliae falsa & conficta: tum etiam miraculorum in se ipsis alia uera, & alia falsa sunt; prout se transfiguratur Satan in angelum lucis, *2. Cor. 11. 14.* Quae uera sunt, & narrantur uere, ea ueram doctrinam Dei in Ecclesia notant, quam & nos in ea profiteamur beneficio Dei: uera autem doctrina ueram Ecclesiam notat. At non sequitur, si haec ueram Ecclesiam notat, & hanc miracula; in ueram autem Ecclesiam uenit Pontifex, adeoque Antichristus; haec ergo notare ueram Ecclesiam esse Pontificiam, siue Ecclesiam Antichristi. Uera quidem Ecclesia illa est, in quam uenit Pontifex: at non propterea sequitur, ueram Ecclesiam esse Pontificiam, aut contra: quemadmodum ex eo, quod defector ciuitatem, aut fur domum ingressus obtinet, & hanc caulam; non sequitur ueram ciuitatem, domum, caulam, esse defectoris, aut furis, aut lupi; aut eos qui defectori, furi, lupo applauserint ministrauerintque ueram ciuitatem, domum, uel caulam constituere. Quaecumque ergo uera signa sunt, & narrantur uere, ea sunt a nobis: quae falsa, aut falso dicta, ea permittimus suis autoribus. 2. Antiqua miracula Apostolorum & ipsorum discipulorum nihil iuuant Ecclesiam Pontificiam. Neque enim uerum est, quod Bellarminus ait, eam esse ueram Ecclesiam, quae antiquae similis est, id est, in qua durat hoc donum. Nam ea non est uera Ecclesia, quae est simia antiquae Ecclesiae, sed quae eadem est cum ipsa propter consanguinitatem doctrinae. Deinde miraculorum donum fuit temporarium subolescentis primum Euangelii. Ordinaria itaque iam nulla sunt: extraordinaria rarissima: non durant igitur, quod asserit Bellarminus. 3. Miracula primi seculi, hoc est, Christi & Apostolorum, non sunt confundenda cum miraculis sequentium seculorum; & rursus miracula secundi, tertii, quarti, & quinti seculi, non sunt miscenda cum miraculis sequentium seculorum. Tres enim constituere oportet classes miraculorum. In prima classe sunt miracula uera, & ipsorum narrationes uerae: ut in miraculis primi seculi. In secunda classe sunt miracula partim uera, partim falsa, & similes quoque narrationes: ut in miraculis quatuor sequentium seculorum, usque ad sextum. In tertia classe sunt miracula partim falsa partim uera sed Antichristiana, partim fabulosa. Omnia enim inde a seculo sexto ad hoc usque tempus, uel fabulosa & ficticia sunt, quod nullo idoneo teste uerantur; uel si quid forte mirandum aut insolitum in iis occur-

rit, id ope Dæmonis, vel artis effectum est, vt olim à similibus pseudoprophetis multa sunt edita, virtute eiusdem spiritus: vel denique iusto Dei iudicio subministrata sunt Antichristo & ministris eius. 4. Sed ne hæc per calumniam à nobis dici videantur, age inspicimus paulo penitus illa tertie classis miracula. Sunt autem alia fallacia, alia magica, alia absurda & pudenda, alia ludicra & puerilia, alia denique fomenta idololatriæ & superstitionis. Primo quædam sunt fallacia: vt simulachra B. Virginis & aliorum sanctorum, quæ quasi automata arte fuerunt mota, vt viderentur aut auerfari petentes; aut annuere; veletiam flere. Sic Dominicani, vt fidem facerent suo dogmati de conceptione Mariæ in peccato originali, ad subsidia præstigiæ decurrerunt, abdendo se in statuam B. Virginis, indeque respondendo, gemendo, lamentando. *Lauacrum de spectris p. 1. cap. 7.* De Franciscanis similem ludum commemorat *Sleidanus lib. 9. hist. ad an. 1. 34.* Deinde quædam sunt magica. Id enim incantationes, exorcisationes, & alii ritus probant; & historia testantur; & ipsi Pontifici fatentur. Nam ita ait *Gerjon contra impugnac. ord. Carthuf.* Multa miracula non Christianæ fidei, sed magicæ artis ostentamenta sunt, quæ à simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur. Idem scribit *Franciscus de Victor. relect. 12. de arte magica.* Tertio quædam sunt absurda & pudenda, indigna illis, quibus tribuuntur: vt, quod B. Virgo sit aliquando ingressa cellam monachi Alani, concinnaueritque illi ex suis capillis annulum, & istum monachum sibi desponderit, osculata fuerit, dederit contrectandas & sugendas mamillas, ac denique illi fuerit tam familiaris, vt sponsa solet esse sponso. Item, quod eadem B. Virgo per quindecim annos cuiusdam monialis Beatricis dictæ, vices in monasterio sustinerit, ipsa interim in publico lupanari scortationibus indulgente. Quarto quædam sunt ludicra & puerilia: vt, quod Dunstanus ita diabolum exceperit verberibus, vt virgam in ipsius dorso fregerit: quod Bonifacius vulpem coegerit, vt redderet gallinas deuoratas &c. Quinto pleraque Papistarum miracula confirmant superstitiones & errores ipsorum: puta purgatorium, cultum imaginum, & similia: vt videre est in dialogis Gregorii, & Speculo historiali Vincentii. Quid vero de miraculis in nouo orbe patris dicam, vel potius quid non dicam: Negriorum Indicorum testis oculatus, fideque dignissimus, *Iosephus Acofta*, nobis hic ferat suppetias. Ita autem ille *lib. 6. de salut. Ind. cap. 4.* Quæ est prædicatio nostra? quæ fiducia? Signa quidem non edimus. *Et cap. 12.* Nos prodigia, quibus Euangelicas voces confirmemus, nullam producimur. *Et iterum cap. 17.* Neque vero opus est. Bonis operibus ita lucere coram hominibus, vt videntes glorificent Patrem, qui est in cælis, est omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.

VII. Quartum & postremum huius capituli membrum continet exceptiones nostrorum, & responsiones Bellarmini. Exceptiones nostrorum ad miracula Papistarum sunt tres. 1. sæpe res istas non ita contigisse, & falso narrari ab historicis. 2. sæpe fuisse præstigiæ dæmonum: quod vera miracula confirmant Euangelium, ista vero euertant Euangelium, & confirmant idololatriam. 3. ex miraculis non sumi argumentum firmum ad probandam veram fidem; quia etiam Antichristus faceret signa *Apoc. 13.* & August. dicit, non esse credendum Donatistis, etiam si miracula faciant, *tract. 13. in Ioh. & idem l. de unit. Eccl.* ait, Ecclesiam Catholicam non manifestari miraculis, quod illa sint ideo approbanda, quia fiunt in Catholica: & olim ad sepulchrum Ieremiæ fiebant miracula, opera dæmonum, quia fiebant in vilitate eorum, qui Ieremiæ pro Deo colebant, & denique ex Suetonio constat, Vespasianum Imperatorem cæco lumen, & claudum gressum aliquando reddidisse, & ex Socrate, Paulum Episcopum Nouatianum fecisse miraculum, ita vt aqua baptismi iussu euanuerit, cum Iudæus quidam veterator, iam ante sæpius baptizatus, iterum ab ipso baptismum peteret.

VIII. Respondet Bellarminus. ad. 1. Impudentissime negant miracula, quæ à tot scriptoribus referuntur. Similes itaque sunt pagani negantibus historias miraculorum, de quibus *Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei cap. 18.* Et si liceat absque vlla ratione negare facta olim miracula, peribit fides omnium librorum, & tolleretur omnis religio. ad. 2. Hæc est vetus calumnia. Sic enim Scribæ & Pharisei loquebantur de miraculis Christi, *Matth. 12.* & pagani de miraculis martyrum, & Ariani, alique hæretici de miraculis Catholicorum. Deinde nullam habet probabilitatem, quod S. Martinus, Franciscus, & alii quidam, qui simplicissimi erant, arte magica vterentur. Neque vero ista miracula euertunt Euangelium Christi, sed Caluini. ad. 3. Miracula Antichristi sunt mendacia, id est, non vera, & solida, sed apparentia. Deinde, Augustinus contemnit miracula Donatistarum, hoc est, occultas ipsorum visiones; quibus simile est somnium Zvinglii passim notum; & quoddam Lutheri. Tertio, Augustinus contrario modo loquitur in libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. & 5. vbi dicit, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis, imo Scripturas demonstrari ex Ecclesia. Ne igitur secum pugnet, dicendum est, in vtroque loco ipsum loqui ex hypothese, quia enim Manichæi admittent miracula, & negabant Scripturas; Augustinus in illa Epistola, ex miraculis demonstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat Scripturam: Sed quia Donatistæ credebant Scripturam, & iactabant suas visiones, contemnentes miracula Ecclesie; ideo Augustinus contra ipsos alia via procedit, & ex Scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam vult iudicari de miraculis. Est autem obseruandum, recte demonstrari ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesia miracula, sed diuerso demonstrationis genere: quemadmodum ex effectu demonstratur causa, & ex causa effectus: nam ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quoad euidenciam, vel certitudinem rei, sed quoad euidenciam, & certitudinem credibilitatis, Cuius ratio est, quia ante approbationem Ecclesie, non est euidens, aut certum, certitudine fidei, de vilo miraculo, quod sit verum miraculum: tamen est tale, vt euidenter faciat rem credibilem. Quarto, mendacium est Caluini, quod populi coluerint Ieremiam sacrificis, diuinisque honoribus. Quinto, nec cæcus vere, nec vere claudus fuit à Vespasiano curatus: quia vt ex *Tacito libro 4. hist.* videre est, duo illi morbi fuerunt curabiles. Sexto, miraculum Nouatiani Episcopi factum est, non in confirmationem fidei Nouatiani, sed Catholici baptismi.

IX. Replicamus ad ista Bellarmini sophismata, hoc modo. 1. Nostri non simpliciter omnia negant, cum etiam ab Antichristo miracula fieri affirmant: sed aiunt pleraque per disunctionem, alia falso narrari, fictas narrationes esse; alia præstigiæ esse siue illusiones, actiones fictas. 2. Pharisei ca-

lumniati sunt miracula, quæ erant oculis omnium exposita, & confirmabant doctrinam cælestem. Nos, non calumniamur, sed negamus esse diuina miracula, quæ confirmant errores. 3. Præstigiæ semper a dæmone sunt, siue ille ex composito, magorum & præstigiatorum condita & conventionali opera, siue imprudentiorum & imperitiorum hominum simplicitate abutatur. Etenim isti homines quo simpliciores sunt, eo faciliores sunt & magis expositi Satanæ deceptionibus, vt Eua fuit. Quod si fuerunt simplicissimi, vt affirmat Bellarminus, proinde & machinationes Satanæ minus animaduertent, & magis fraudibus illius per imprudentiam & inscientiam suam fuerunt expositi. 4. Caluinus non tradidit aliquod suum Euangelium, sed ex Scripturis annuntiauit Euangelium Christi. 5. Miracula Antichristi alia sunt vera, alia falsa: vt supra diximus. Est enim semper sunt falsa ratione finis, tamen possunt esse vera materialiter & formaliter: quantum multa ex his hoc quoque modo sunt falsa. 6. Distinguit Bellarminus inter miracula Antichristi, & sanctorum. Recte vtrique. Sed quomodo à falsis vera distinguas miracula? Cedo Bellarmino. Certe aut distingues authore & causa: at hoc soli sapientes possunt, aut virtute: at hanc quotusquisque videt: aut euentu, & doctrinæ veritate, quos duos modos exposuit Moyses *Deut. 13.* & 17. Euentum autem in prædicationibus solum licet obseruare, *Ierem. 28.* Sola ergo doctrinæ comparatio necessarium est indicium miraculi, & ineluctabile, vt miracula sunt doctrinæ signa. 7. Falsum est, miracula Donatistarum, quæ Augustinus contemnit, fuisse tantum occultas quasdam visiones. Nam Augustinus vtroque loco & miraculi, & visionis meminit. Neque est, quod Bellarminus probet, Augustinum maxime facere vera miracula. Hoc potius probare debebat, quomodo vera & falsa miracula discerni queant ex specie: cum vtrorumque sit eadem species, siue apparentia. 8. Commemoratur somnium Zvinglii. At ille figurate & modeste de se locutus est, ne quas forte reuelationes superbe arrogare sibi diceretur. Nam illa, *aut an albus sit, & quæ pueri sunt*, quibus per humane Zvinglii demonstrabat, nolle se gloriari de reuelationibus Spiritus. 9. Lutheri somnium fuit festiuum. 10. Operosus est Bellarminus in re præfacili. Non dicit contrarium, qui de eadem re loquitur varie, simpliciter & secundum quid. Simpliciter docet Augustinus, Ecclesiam non declarari & demonstrari miraculis, *tract. 13. in Iohann.* respectu vero hæreticorum Scripturas negantium, Ecclesiam præscam quæ habuit Scripturas olim miraculis demonstratam esse. 11. Falsum est, ante approbationem Ecclesie non esse euidens aut certum certitudine fidei de vilo miraculo, quod sit verum miraculum. Quid enim? Abeli, Abrahamo, Moysi, & aliis, annon fuit certum miraculum ante approbationem Ecclesie? at qui ita penderet certitudo operum Dei ab Ecclesie approbatione. Secundo vt oracula, sic etiam miracula diuina sunt omni exceptione maiora, omni humano testimonio. Certa igitur miracula facit Dei maiestas atque autoritas; Ecclesia non facit, sed percipit, & tradit eadem fide, qua accepit à Domino per autoritatem ipsius. 12. Caluinus probat ab vsu Ægyptiorum idololatriæ, miracula ista à dæmone esse facta, iudicio Dei. Sic enim legere est in præfat. *Ierem. in Bibliis Benedicti*, qui eam ex veteribus Bibliis cum glossa ordinaria curauit excubendam: *Quoriam postulatione sua defugatur ab eodem loco serpentibus Ægyptios talem aspersionem facit esse securos, magna eum religione Ægyptii venerantur.* 13. Fuerint sane isti morbi curabiles. Hoc tamen miraculi loco non potest non haberi, quod extra ordinem cæcus & claudus iste à Vespasiano restituti fuerunt, proculdubio dæmonis ope.

CAP. XV.

Duodecima Ecclesie nota apud Bellarminum: Lumen propheticum.

I. **D**uodecima nota est lumen propheticum. Sicut enim Christus *Marc. 16.* promittit Ecclesie donum miraculorum, ita etiam *Ioel. 2.* exponente Petro, *Act. 2.* donum prophetiæ, quod certe maximum est: cum certum sit, neminem cognoscere futura contingentia, excepto Deo, *Esai. 41.* Annuntiate quæ futura sunt in posterum, & sciemus, quia dii estis vos. Et è contrario *Deut. 18.* ponitur tanquam nota falsa doctrinæ, si propheta prædixerit aliquid, & non euenerit. Iam apud ethnicos & hæreticos nulla fuerunt vera vaticinia, sed multa falsa, nisi forte fierent in testimonium fidei nostræ, vt fuerunt vaticinia Sibyllarum & Balaam. Est enim Ethnicis habuerunt oracula plurima Apollinis: tamen illa fuerunt vel ambigua, vel ea prædicebant, quæ aut dæmones facturi erant, aut iam cœperant fieri, aut habebant causas naturales diabolo notas &c. Hæretici quoque, quoties aliquid prædicere voluerunt, decepti sunt. Id quod patet de falsis prophetis V. T. *3. Reg. 22.* & similiter N. T. nominatim de *Luthero*, qui cum propheta Germanicus, & tertius Elias à suis appelleretur, nihil tamen vnquam veri, sed multa falsa prædixit, vt patet apud Cochlaum. At in *Ecclesia Catholica* præter prophetas V. T. & eos, qui fuerunt quingentis annis à Christi aduentu, vt Agabum, de quo *Act. 11.* Gregorium Thaumaturgum, de quo Basilus &c. fuerunt etiam posterioribus seculis, quibus iuxta Lutheranos, Ecclesia apud Romanos perierat, veri prophetae, & quidem monachi, ac Romano Pontifici addicti: puta S. Benedictus, S. Bernhardus, S. Franciscus, qui multa prædixerunt, quorum bona pars hæctenus completa est. Fere etiam nulli in Ecclesia coluntur sancti homines, qui simul cum miraculis, non etiam dono prophetiæ claruerint.

II. Primo examinemus *thesim*, an lumen propheticum, id est, donum futura prædicandi, sit nota Ecclesie: Ille ait: nos negamus. Rationes ipsius tres sunt. 1. quia donum prophetiæ diuinitus est promissum Ecclesie. 2. quia solus Deus prædicat futura contingentia, & hoc dono suos ornat. 3. quia *Deut. 13.* tanquam nota falsa doctrinæ ponitur, si propheta prædixerit aliquid, & non euenerit. *Respondeo* 1. Hæc promissio non est generalis, siue communis, sed plane singularis: & in primis respicit Ecclesiam primitiuam. 2. Deus sæpe reuelat futura, diabolo & pseudoprophetis. 3. Ex eo non sequitur, quod statim sit verus propheta, qui prædicat, quod postea euenerit: vt patet ex loco citato. Rationes nostræ sunt hæc. 1. quia donum prophetiæ non patet ex loco citato. Rationes nostræ sunt hæc. 1. quia donum prophetiæ non est proprium Ecclesie: vt patet *Deut. 13. vers. 1. & d.* itemque in exemplo Bileam,

Bileam, Num. 22. 23. & 24. & Caiphæ, Iohan. 11. 51. 2. quia diabolus & pseudopropheta multa vera prædicunt, 1. Sam. 28. vers. 19. & dicitur ut difficillime cognosci possit, quænam prædictiones fluant ex dono prophetiæ. 3. quia pseudopropheta gloriatur de hoc dono, iactantque reuelationes & somnia: vt 2. Reg. 13. 18. Ier. 23. vers. 25. 32. Matth. 7. 22. 4. quia donum prophetiæ non est perpetuum in Ecclesia, sed fere coniunctum cum primordiis Ecclesiæ. Vnde *Claudius Espensæus Episcopus comment. in Tim. lib. 1. digress. cap. 2.* eleganter ait, inter fidei primordia ad commendanda eius rudimenta fuisse prophetas prophetantes; semper autem in Ecclesia esse prophetas interpretantes Scripturam. 5. Patres idem confirmant. *Iustinus lib. quæst. & respons. ad orthodoxos, quæst. 2.* Eiusdem Dei hæc sunt omnia, tam prædictio verborum, quam euentus rerum: qui & per sacros vates atque Apostolos quæ futura erant, prolocutus est; & per eos itidem, qui à vero cultu sunt alieni, quæ facturus erat, præmonstrauit. *Hieron. in Matth. 7.* Et Saul, & Baalam, & Caiphæ prophetauerunt, nescientes quid dicerent. *Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 1.* Satis ergo apparet inter dona Spiritus sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur, fieri posse, vt quidam etiam indigni vita æterna regnoque cælorum, aspergantur tamen quibusdam Spiritus sancti muneribus. *Athanasius lib. quæst. ad populum Antiochenum, quæst. 110.* ait, quod multi prauè credentes acceperint à Deo prophetiarum donum. *Ius canonicum caus. 1. quæst. 1. capit. 38.* ait, quod prophetia in malis hominibus etiam fieri solet. *Thomas in 2. 2. quæst. 172. art. 6.* ait, prophetas falsos vera prædicere, aliquando ex dæmonum reuelatione, aliquando ex diuina inspiratione. *Ambrósii in super, Chrysostr. & Vincentius Lyrinensis,* reliquas nostras rationes confirmant. Nam ille ait: Erant prophetiæ primordiis Ecclesiæ propria: iste, Iudicium difficillimum est, quo verus propheta à falso dignoscitur: hic, Et si vera prædicunt, non sequitur eorum doctrinam esse amplectendam. Quæ cum ita sint, concludimus, hanc notam, sicubi, si quando est, accidentariam & temporalem esse, non essentialiam atque perpetuam: imo neque conspicuam, quia lumen propheticum ex lumine S. literarum examinari debet, quemadmodum ipsa miracula. Prophetia siquidem est species miraculi. Vati in his itaque nihil magis, vel amplius, imo etiam aliquando minus, quam miraculis, in hac causa tribuendum est.

III. *Hypothesis* Bellarmini, qua nos tangit, friuola est. Tamen enim nostri heroes & reformatores nunquam spiritum propheticum magnopere iactarunt: quidam tamen eorum ex diuina quadam reuelatione, interdum futura contingentia vere prædixerunt, aut alia quædam arcana, non sine Dei instinctu, patefecerunt. De *Husso* enim legimus, illum, cum in ignem coniecitur, hostibus suis inter alia dixisse, futurum, vt centum circiter exactis annis, Deo & sibi respondeant, & negotium cum quodam cygno habeant, quem perinde, vt auferem istum (id enim sonat Bohemice *Huss*) tortere non possint. Id quod euentus tandem verum esse declarauit. *Iohannem Knoxum*, præcipuum Scotiæ reformatorem, spiritu prophetico fuisse præditum, Scoti omnes vnanimiter affirmant. *Lutherus* quoque multa prædixit, vt *Melanchthon* in ipsius vita narrat. De *Melanchthone* quoque, & aliis quibusdam similia commemorantur. Interea tamen ex his qualibuscunque donis, Ecclesiæ extraordinem datis, doctrinæ nostræ veritatem, aut legitimam doctorum missionem, concludere minime solemus: vt pote qui nouimus, prædictiones ex verbo Dei examinandas esse, non contra.

IV. *Hypothesis* Bellarmini, qua Pontificios tangit, similiter est friuola. Nam 1. Prophetæ & Apostoli non possunt annumerari Ecclesiæ Romanæ hodiernæ, cum ab illorum doctrina multis modis defecerit. 2. *Gregorius Thaumaturgus* fuit Episcopus Cæsariæ, & Antonius fuit monachus Ægypti. Itaque Ecclesiæ Græcæ & Ægyptiæ potius, quam Romanæ, istam gloriam sibi vindicare possent. 3. Falso asseritur, iuxta Lutheranos periisse Ecclesiam posterioribus seculis. Aliud est periisse, aliud deformatam in dies fuisse paulatim inualecente errore: hoc, non illud dicimus. 4. Habuit Ecclesia interdum sua miracula & reuelationes in membris suis extra ordinem, vt Ecclesia est. De horum veritate nihil contendimus: etenim si qua sunt, Deo gratias agimus: si non sunt, nec desideramus. Iudæi & infideles desiderant per nos licet. 5. Habuit Ecclesia, etiam vt deformatam fuit, suas reuelationes. Sed quid hoc ad rem. 6. Quædam prædictiones circumferuntur, in quibus occurrunt contradictiones, quibus vel seipsas euertunt, vel verbo Dei contradicunt.

CAP. XVI.

Decima tertia Ecclesiæ nota apud Bellarminum. Confessio aduersariorum.

I. *Decima tertia nota* est Confessio aduersariorum. Tanta enim vis est veritatis, vt etiam aduersarios cogat interdum sibi testimonium dare, iuxta illud *Deut. 32.* Et inimici nostri sunt iudices. Tam nusquam inueniuntur *Catholici* laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam vllorum ethnicorum, aut hæreticorum. Scimus enim, vnam tantum esse veram fidem, & sine ea nullam esse veram iustitiam. Itaque nos constanter asserimus, errare omnes, qui doctrinam nostram non sequuntur. At non sic de nobis, loquuntur Pagani, Iudæi, Turcæ, Hæretici. Nam ex *Paganis* *Plinius Secundus* valde commendat Christianos, lib. 10. *Epist. ad Traianum Imp.* Et *Tertullianus in Apologético cap. 5. & 6.* affirmat, eos Imperatores, qui habiti sunt optimis, fuisse Christianos, vt *M. Aurelium*, *Vespasianum*, *Antoninum Pium*; eos autem persecuciones mouisse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis Gentilibus, vt *Neronem*, & *Domitianum*. Extat etiam *Epistola Marci Aurelii Imp.* in qua insignem victoriam in Germania Christianis acceptam refert. Denique *S. Antonius*, *S. Hilario*, & *S. Martinus* fuerunt in honori & reuerentia paganis, vt *Athanasius*, *Hieronimus*, & *Sulpitius* in ipsorum vitis narrat. Ex *Iudæis* habemus *Iosephum*, qui lib. 18. *antiq. cap. 6.* affirmat, Christum plus quam hominem fuisse, & vere Messiam esse: & *Philonem*, qui scripsit librum insignem de laudibus Christianorum, qui sub *Marco Evangelista* in Ægypto viuebat. *Mahometus* in Alcorano scribit, Christianos saluari, & Chri-

stum esse maximum prophetam. *Sultanus* quoque Ægypti in summo honore habuit *S. Franciscum*. Ex hæreticis *Totilas* rex Arianus *Benedictum* summo affecit honore, vt verum Dei seruum & prophetam. Et *Lutherus*, iam hæreticus existens, sic scribit in lib. contra *Anabaptistas*, qui in odium Papæ reiciunt baptismum paruulorum: Nos, inquit, fatemur, sub Papatu plurimum boni esse Christiani, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras clauas ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt *Oratio Dominica*, *Decem præcepta*, *Articuli fidei*. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse. Ita *Lutherus*. Vbi dum nobis tribuit nucleum, certe nihil sibi seruat, nisi corticem, vel putamina. *Caluinus* præterea in *Instit.* *Bernhardum* vocat pium scriptorem. At certe *Papista* fuit *Bernhardus*: & nemo est pius sine vera fide. *Philippus in Apolog. artic. 5. & 27.* *Confess. Augustan.* vocat sanctos, *Bernhardum*, *Dominicum*, & *Franciscum*: quod idem facit *Lutherus lib. de abroganda Missa*.

II. *Thesis* *Bellarmini* nobis non probatur. Tamen enim confessio hominum, licet etiam contra seiplos restantium, magni iudicetur esse ponderis: per se tamen non arguit veram Christi Ecclesiam, quia fieri potest, & solet, vt ista confessio interdum non adfit; vel ex aliqua animi commotione, aut sinistro aliquo affectu proficiatur; vel saltem non absolute & generatim, sed tantummodo respectu, & certo quodam respectu, proferatur. Itaque hic solius Dei iudicio standum est; iuxta illud *Apostoli 2. Cor. 10. 18.* Is demum probatus est, quem Dominus commendat. Hinc efficitur, confessionem aduersariorum, neque propriam, neque essentialiam notam esse Ecclesiæ, ac ne notam quidem, sed commune accidens: quod ipsa narratio docet, & hæ rationes confirmant. 1. *Non est nota propria.* Vt enim in quibusdam Catholicis ab ethnicis & hæreticis laudantur: ita vicissim Christiani de ethnicis & hæreticis multa præclara fatentur, eos multa S. literis contentanea docere, multisque & magnis sæpe virtutibus præditos fuisse, qui tamen propterea non sunt Ecclesia Dei, aut veritatem saluificam habent. Sic *Lactantius lib. 7. Institut. diu. cap. 7.* de philosophis ethnicis ait: Particularim veritas ab his tota comprehensa est. *Ibid.* Immortales esse animas *Pherecydes* & *Plato* disputarunt. Hæc vero propria est in nostra religione doctrina. Tandem concludit: Totam igitur veritatem, & omne diuinæ religionis arcana philosophi attingerunt. *Augustinus de doctrina Christi. lib. 2. cap. 40.* fatetur, philosophos aliqua vera, & fidei nostræ accommoda dixisse, maxime *Platonicos*: quæ non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustus possessoribus in vsum nostrum vindicanda. *Chrysostr. opere imperf. in Matth. homil. 49.* Ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conuersatio Christianorum; aut omnium, aut multorum erat sancta, quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti sunt Christiani, quales sunt hæretici, aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur, quamuis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui igitur vult cognoscere, quæ sit vera Christi Ecclesia, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas. His verbis *Chrysostr.* confitetur, conuersationem gentilium & hæreticorum laudabilem esse quam Christianorum sui temporis. Num propterea hæretici & gentiles sunt vera Ecclesia: aut saltem num vera pietas & virtus est apud gentiles & hæreticos? 2. *Non est perpetua hæc nota.* Interdum enim accidit, vt illi, qui laudant Ecclesiam, eandem criminentur. Et interdum quidem contingit, veritati ab ipsis hostibus dari testimonium: sed hoc non est vniuersale. Vbi enim venit, vt aduersarij adeo sint obstinati, vt manifestæ veritati contradicant. 3. *Non est notior.* Quomodo enim illius testimonium potest esse manifestius veritate, qui veritatem non nouit: vel si nouit, eam non cupit amplecti. 4. *Non est essentialis:* quia si Ecclesia vel maxime destituitur confessione aduersariorum, nihilominus tamen est & manet vera Ecclesia. Neque vero est quod morem rationem *Bellarmini*: quia non est vniuersalis. Nam veritas non semper cogit aduersarios, vt veritati testimonium perhibeant: id quod ipse fatetur.

III. Examinemus primam hypothesein *Bellarmini*, vbi ait, Catholicos nusquam laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam vllorum ethnicorum, aut hæreticorum. *Respondet 1.* De ethnicis falsum est. Nam *Apostolus lib. 6. de procuranda Indorum salute cap. 14.* ait: Dissimulari profecto non potest, quam nobis erubescendum sit, quod à Satanæ ministris Indis superemur: cum nos ad salutare confessiones persuadendas pigriores sumus, quam Ethnici ad sæuas & carnificinas suas. Lubenter interdum a sacerdotibus suis, expandi adulterii, aut alterius sceleris causa durissimo saxo ad scapulas eundi fortiter, interdum à iuuenibus diu virgis cædi &c. sustinent. *Pimenta in Epist. de India orientali p. 110.* Nulla inter Indos istos furta aut latrocinia: & idcirco cum foras procedunt, officia non occludunt. 2. Falsum etiam est de hæreticis. Nam ita scribit *Maldonatus in Matth. 8.* Non citaremus autorem imperfecti operis, quod *Chrysostr.* falso tribuitur, cum sit hæretici Ariani, nisi & autoritas, & eruditio, & subtilitas interpretandi, illi autoritate tribuisset. Quo consilio *Tertullianum*, & alios, quos hæreticos esse scimus, sæpe citamus. *Stapletonus Antidor. in Euang. præfat. ad lect.* ait: *Caluinus* ita quoad literam interpres diligens est, ita moralis, ita elegans, ita suauis, vt etiam ab ipsis orthodoxis (*Pontificios intelligit*) auide interdum legatur: quos aliquando exoptare audiui, vt relectis suis, quæ contra Ecclesiam & fidem nostram disputantur, castratus prodeat: sic enim commentarios eius perutiles fore. *Censore Pontificii Indice Expurgat. p. 216.* *Immanuelis Tremellii* opus, Latine editum in N. T. vtile esse videtur, paucis expunctis. *Alphonsus de Castro lib. aduers. hæres. tit. Adoratio:* *Oecolampadius* vir erat omni genere bonarum literarum apprime doctus. In historia Comitiorum Augustianorum sequentia leguntur: *Carolus Imp.* finita prælectione Augustanæ Confessionis dixisse, Optare se, vt per totum orbem ita doceretur: & Cardinales quosdam affirmasse, Causam Protestantium iustam, & doctrinam eorum rectam esse: verum huiusmodi mutationem doctrinæ & rituum, non tam paucorum arbitrio, sed plurimum consilio & adiumento fuisse suscipiendam: denique, *Wilhelmum Bauariæ* ducem a lectione Confessionis reuersum in diuersorium, his verbis Eccliam compellasse: Longe alia & magis horrenda de doctrina *Lutheri* mihi narrata sunt hæcenus, quam ipse hodie audiui. Et tu quidem præclaram spem mihi fecisti, posse illam doctrinam facile refutari: ad quæ cum *Eccius* responderet, Patrum quidem scriptis Protestantium

stantium doctrinam refutari posse, minime vero ex Scriptura sacra; subicit Dux: Ergo, quantum audio, Lutherani sedem & fundamenta doctrinae suae habent in Scripturis, nos vero Pontificii extra eas, atque auersa ab illo facie exiit. 3. De Protestantium vita extant similia eologia. *Maldonatus Epist. nunc. in 4. Euang.* Nihil in eorum (Protestantium) factis apparet, nisi eleemosyna, temperantia, modestia. *Costerus Enchirid. cap. 2. de Eccles.* Eduit illi quidem nonnunquam bona moralia, largiuntur eleemosynas, Xenodochia erigunt &c. *P. Iovius de vita Pomponii Columella:* Caroli Caesaris exercitus constabat ex Hispanis, & Italis Catholicis, atque ex Germanis Protestantibus. Roma capta, Germani moderatius se gerebant. 4. Nimis itaque superbus est noster Bellarminus, vna cum recentioribus Papistis, sui similibus; qui nostros homines, aut nunquam, aut rarissime laudare solent. Sed quid hoc est mirum? Odio & inuidia, & superbia ipsorum, & quorundam ignorantia id est tribuendum. Cum enim infensissime nos oderint, facere aliter non possunt, quin libenter nobis detrahant, & maledicant. Itaque nihil omnino rerum bonarum nobis relinquunt, ne scientiam quidem, aut doctrinam, aut artes; sed pro indoctis, stupidis, infans denique, & amentibus nos habent. Nos vero, qui non personas, sed errores tantum, & vitia ipsarum odimus, honorifice de ipsis saepe & sentimus, & loquimur. Nam & multiplicem scientiam, & variam lectionem, & artes, & linguas, & quibusdam etiam probitatem, ac iustitiam quandam non vulgarem, & quidquid similia est Dei donorum, imo quibusdam veram fidem in Christum, vltro ipsis concedimus: tamen si veritatem Evangelicam in genere ipsis concedere non possumus.

IV. Alteram hypotheseos partem percurramus, ubi fere encomia varia conferruntur, & alienis plurimis se ornat. Nam i. Plinii, Iosephi, & Mahometis testimonia nihil ad Pontificios attinent: cum de antiquis illis Christianis, qui tempore istorum scriptorum vivebant, enuntiata sint; nec ad praesentes controuersias, de quibus illi nihil audierant, vilo modo applicari possunt. 2. Philonis scriptum non persequitur laudes Christianorum, sed agit de Essenorum secta: vt innumeris & inuictis ex antiquitate argumentis probari potest, & testimoniis. 3. Lutheri confessio de doctrina Papatus, omnino non accipienda est. Non enim Lutherus nucleum tribuit Papatu, sed sub Papatu verum nucleum Christianitatis esse dicit. Neque hoc affirmat vniuersaliter, sed ratione illius sui seculi, quo lux Evangelii nondum tam longe lateque irradiauerat. Praeterea non dicit esse apud eos solum. Nam quod bonum est, id nobis cum iis qui sub Papatu sunt, commune est: a malo fugimus, quod in eis, a bono nunquam discessimus. Fatemur quidem illa capita omnia in Papatu etiam aunc superesse; sed valde corrupta, & contaminata. Habent enim Pontificii Scripturam, sed fere ita, vt olim Philistaei arcam Domini habebant: vtque Iudaei vetus testamentum, imo ipsum Christum habuerunt: denique vt mundus semper habuit Ecclesiam. 4. Ex nuda sanctorum appellatione, quae vel per concessionem, vel alio vulgari more, sapissime vsurpatur, nihil in hac causa, vel contra nos, vel pro aduersariis, concludi potest. 5. Tempore Bernhardi nondum fuit Papalis seruitus piorum ceruicibus imposita, nec vsque adeo peruersa doctrina: vt ex ipsis scriptis constat. 6. Aliud est *συζητησις* & *ὑποθέσις*, supposito vsu & opinione vulgi, dicere, ne in sermone instituta aliae quaestiones intempestiue moueantur, aliud *ὑποθέσις* ex sensu mentis nostrae. Ita ergo Dominicus & Franciscus dicuntur a nostris sancti, sensu alieno. Vterque enim valde fuit superstitiosus: alter etiam sanguinarius; & alter plane *ἄλογος*, rudisque idiotafuit: ambo sola specie sanctitatis in seculo infelicissimo insignes. Quod ipsum de illorum similibus pronuntiamus. Quare, si Bellarminus nostrae Confessioni aliquid tribuere vult, nos veram religionem, proinde & veram Ecclesiam, in Papatu esse negamus; saltem eo modo, quo illi intelligere solent: idque non modo propter impuram & turpem clericorum, & monachorum vitam, verum in primis propter falsam, & vere Antichristianam ipsorum doctrinam: cuius vtriusque causa etiam hodierni Iudaei, Turcae, & Pagani, a religione Christiana, quam in Papatu praecipue residere putant, prorsus abhorrent, vt notum est, & ipsi quoque Papistae fatentur. Sic enim inquit *Cardinales delecti in consilio de Eccles. emend. Paulo III. dato:* Credat Sanctitas vestra scientibus, quod infideles hanc praecipue ob causam Christianam religionem derident, adeo vt per nos, inquam, nomen Christi blasphemetur. Nota est & illa historia de viro quodam magnae autoritatis apud Indos: qui cum ad baptismum duceretur, & ex Christiano quaereret, quo peruenerint Hispani post mortem: responderet autem Christianus, bonos in caelo victuros esse, malos in inferno: porro subiiceret ille, ubi maxima pars victura esset; diceretque Christianus, in caelo proculdubio: Tum ego, inquebat Indus, nolo in illud caelum recipi, sed viam loco ab eis disiunctissimam: scio enim cum illis male actum iri.

CAP. XVII.

Decimaquarta Ecclesiae nota apud Bellarminum: Infelix exitus eorum, qui Ecclesiam oppugnant.

I. DECIMAQUARTA nota est infelix exitus, seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant. Etsi enim Deus punit suos, & flagellat: tamen tandem proiicit virgam in ignem. *Deut. 32.* Sanguinem suorum vlciscetur. Hinc de misero sine Pharaonis, *Exod. 14.* Iesabelis, *4. Reg. 9.* Antiochi Epiphaniis, *2. Maccab. 9.* Herodis Agrippae; *Act. 14.* Herodis Magni, apud *Ioseph. lib. 17. antiq. cap. 9.* Neronis, Domitiani, & aliorum persecutorum, horrendo legere est. Idem de haeresiarchis & schismaticis, Simone Mago, Ario, Iuliano apostata, Nestorio &c. memoriae proditum est. Nec alia fuit fors haereticorum nostri temporis. Nam Lutherus repentina morte sublatus est, similiter Oecolampadius; Zvinglius in bello contra Catholicos trucidatus fuit; Carolostadius a demone interfectus, Calvinus a vermibus consumtus expirauit.

II. In hac disputatione, varia, caque puerilis, *ἀνομοστα* committitur; praesertim in eo, quod temere docetur, ex quorundam, huius, vel illius reli-

gionis, professorum exitu, de religione ipsa iudicandum esse. Etsi enim iusto Dei iudicio impii tandem puniuntur: non tamen in hac vita semper id ipsum, praesertim conspicuaratione, contingit; sed maxima ex parte ad extremum iudicium ista punitio differtur, *2. Thess. 1. 6.* Et certe ex historiis constat, aliquos etiam immanissimos tyrannos, aut perditissimos haereticos, tandem placide ac pacate mortuos fuisse. Quare etiam si omnia Bellarmini exempla maxime appositae essent; imo etsi vel centum id genus alia exempla hic accumularentur: nihil tamen ea causam nostram attingerent; cum alia, non pauciora, pro nostra antithesi adferri possent. *Deinde* non tam ex aspectu externo, quam ex antegressa vita exitus vitae felix & infelix aestimari debet. Tertio multorum, qui in Ecclesia Pontificia viuunt, exitus est tragicus. Ergo illi non sunt in vera Ecclesia, ex hypothese Bellarmini. Ex his efficitur; hanc notam non esse germanam, sed accidens, idque promiscuum, *ἀνομοστα*.

III. Assumptionem, siue inductionem exemplorum, ponderemus: illa sunt heterogoea. Nam alia sunt extra controuersiam, alia secus. Prioris generis sunt exempla tyrannorum & haereticorum, qui Ecclesiam Christi oppugnarunt. Quae quidem exempla omnia ab hac quaestione sunt aliena. Fauent enim illa nostrae Ecclesiae, non vero Pontificiae. Nullus siquidem eorum, qui recitati sunt, Papam Romanum, aut propriam eius religionem: sed contra omnes illi, Christum ipsum in suis membris, eiusque fidem & doctrinam, eiusque professores, oppugnasse leguntur. Itaque illi ipsi nostram, id est, Christi Ecclesiam, oppugnarunt. Posterioris generis exempla quod attinet: vno verbo dicimus, quae de Lutero, Zvinglio, & aliis nostrae Ecclesiae Dd. a Bellarmino hic citantur, ea (excepta narratione de Zvinglii morte) putida mendacia esse: vt ex historicis fide dignis breuiter demonstrabo. Principio itaque Lutherus pie & placide, sine omni cruciatu, aut tragica perturbatione, in patria sua (quo, ad componendas Mansfeldensium comitum lites, euocatus fuerat) in Domino obdormiuit: vt *Sleidanus lib. 16. in fine.* & *Melanchthon in vita eius,* testantur. *Deinde Zvinglius,* etsi in bello occubuit, non tamen, vt miles, sed vt fidus Ecclesiae pastor, qui, pro gentis illius consuetudine, castra ciuitum sequi tenebatur, pro patria simul, & religione, gloriose mortuus est. Cui Deus ipse hoc quoque innocentiae testimonium dedit; quod, cum hostes corpus ipsius, in quatuor partes dissectum, ignibus cremassent, cor tamen eiusdem in cineribus illa sum remansit: vt auctor est *Oswaldus Miconius in vita ipsius.* De pia quoque & placida *Oecolampadii* obdormitione, videri potest *Simon Grynaeus, itemque Wolfgangus Capito in eius vita.* Quod attinet ad *Carolostadium,* de ipsius morte plane eadem narrat, qui *Basilicae* morienti adfuerunt, vitamque & mortem eius fideliter enarrant. Denique pium & placidum *Caluini* exitum fidelissime descripsit *Beza:* Sed iam haec valere iubeamus, quippe quae causam ipsam per se non attingunt.

IV. Verum quia Bellarminus vidit, hanc notam popularem esse noluit illam omittere. Itaque, ne simus *ἀνομοστοι*, illam lepidam notam in aduersarios retorquere libet. Atque vt a *Pontificibus Romanis* incipiamus, Anastasius II. intestina eiecit; Sozimus I. & Nicolaus II. subito mortui sunt; Paulus II. media nocte, nemine praesente, extinctus fuit; Iohannes X. ceruicali in os iniecto, in carcere suffocatus est, Syluester II. a diabolo extinctus est; Alexander VI. ex veneno, quod aliis parauerat, periit; Iohannes XIII. in adulterio deprehensus & confusus impuram exhalauit animam; Bonifacius VII. subitanea morte periit; Bonifacius VIII. intravit vt vulpes, regnavit vt leo, mortuus est vt canis; denique plurimi Papae, a suis corruialibus, siue Antipapis, misere sunt extincti. Plura huiusmodi exempla de Latomo, Oliuario, Sadoleto, Crescentio Cardinali, & aliis, adferre nobis liceret: contraque his opponere exempla nostrorum hominum, qui, fatentibus etiam aduersariis, placide & pacate mortui sunt, cuiusmodi inter alios infinitos fuerunt, Melanchthon, Pellicanus, Bullingerus, Farellus, Viretus, Bucerus, Fagius, Musculus, Petrus Martyr, Hieron. Zanchius, Beza, & alii quam plurimi. Sed de hac futili nota, quae ad meritum causae *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ἰστέ* pertinet, iam plus satis dictum est.

CAP. XVIII.

Decimaquinta Ecclesiae nota apud Bellarminum: Felicitas temporalis patronorum Ecclesiae.

I. VLTIMA nota est felicitas temporalis, diuinitus iis collata, qui Ecclesiam defenderunt: nunquam enim Catholici principes ex animo Deo adhaeserunt, quin facillime de hostibus triumpharent. Nota sunt in primis victoriae in V. T. Abrahae, Moysi, Iosuae, Gideonis, Samuelis, Davidis, Ezechiae, Iosuae, Maccabaeorum: & in N. T. Constantini M. Theodosii Senioris, Honorii, Theodosii iunioris &c. Porro Imperatores orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab Ecclesia Romana separarunt, semper in dies deterius habuisse, donec tandem Imperium penitus amiserunt. In occidentem vero ex Latinorum historiis manifeste colligitur, semper Imperatores magis, vel minus floruisse, vt magis, vel minus Romanae Ecclesiae addicti fuerunt. Denique nostro seculo semper fere Catholici haereticis fuerunt superiores, quando iusto praelio dimicatum est: vt in Heluetia tempore Zvinglii, in Germania tempore belli Smalcaldici, tum in Gallia & Belgio.

II. Hoc nimirum est argumentum & numero, & pondere vltimum; quod adeo est imperinens ac friuolum, vt neque pro Ecclesia, neque contra illam vsurpari possit, aut debeat. Etsi enim vera pietas, vt Apostolus docet, *1. Tim. 4.* etiam in hac vita solet a Deo praemiis ornari: ea tamen praemia neque semper conferuntur; neque cum conferuntur, semper conspicua sunt (vt quae in animo, seu conscientia, potissimum resideant) neque si externa & conspicua sint, a temporali impiorum felicitate facile discerni possunt. Itaque hoc est *primum nostrum argumentum* contra hanc notam vere notham: quod non sit notior, neque perpetua, & propria Ecclesiae. Nam temporalis felicitas communiter piis & impiis, & impiis saepius atque incredulis, quam piis & credentibus obtingit: contraque vera Dei Ecclesia, praesertim sub N. T. ante casum Antichristi, cruci & persecutioni fere perpetuo subiecta sit.

fit. Hinc enim est, quod sancti homines de prospero impiorum, in hac vita, successu, non raro conqueruntur. *Psalm. 37. & 73. Jer. 12. vers. 1. & d.* Hinc est, quod Christus praedixit Ecclesiae suae crucem, *Iohan. 15. 20. cap. 16. 20. 2. Tim. 3. 12.* Hinc est illa querela Ecclesiae *Psalm. 129. vers. 1. 2.* Saepe affligerunt me a iuventute mea &c. Denique exempla huius rei in V. & N. T. plurima passim occurrunt. Vide *Heb. 11.* per totum. Et sane vetus Israelitarum Ecclesia, licet a Christiana non parum hac in re discreparet, id ipsum tamen saepius est experita. Nam quamdiu in Aegypto fuit, miseram seruiuit seruitutem. Deinde vero in terra Canaan, modo a Philistaeis, modo ab Ammonitis, modo a Madiianitis, tandem a Babylonis, Persis & Graecis exagitata, multisque modis oppressa fuit. Ecclesia vero Christiana, primis fere trecentis annis, sub assidua persecutione gemuit, & immanium tyrannorum crudelitatem ubique locorum sensit: cum tamen optima tunc & purissima Ecclesia esset. Quae vero consecuta est Patrum Ecclesia, partim a Gothis, Hunnis, Vandalis, & aliis incredulis, ac barbaris, aut saltem haereticis, partim a Saracenis, Turcis, & aliis miserabiliter passim afflicta fuit. Itaque plus quam ineptum est, ex eiusmodi euentis, quae utriusque parti communia sunt, & alteri parti, videlicet piis, non tam frequenter contingunt, de vera Christi Ecclesia iudicare velle. *Secundum argumentum* hoc est. Saepenumero accidit, ut inter eiusdem fidei professores inimicitiae & bella gerantur, in quibus alteros tantum victores esse oportet. Etenim superioribus saeculis non semel depugnarunt. v. g. Itali cum aliis, Hispani cum Gallis, Galli cum Anglis, Angli cum Scotis, Germani fere cum omnibus: cum tamen ex omni parte Catholici dicerentur; & alii quidem victores, alii victi abirent. *Tertium argumentum* sumitur ab illis, qui dicuntur patroni Ecclesiae. Nam illi, quamvis inter dum victores, aut alio quopiam nomine felices, in hac vita fuerint: ut plurimum tamen, & domi, & foris infortunati fuerunt, praesertim si cum aliis incredulis comparentur. Sic terga vertit Israel in pugna contra Philistaeos, adeo ut arca caperetur. Iosias occisus est in pugna contra Pharaonem. Tanta fuit Alexandri M. felicitas, ut nullo unquam cum hoste congressus sit, quin deiceret, nullam civitatem obsederit, quin expugnarit; nullam gentem adierit, quin eam calcaverit, ut auctor est Iustinus. Huiusmodi felicitas in nullo patrono Ecclesiae monstrari potest. Porro quidam patroni Ecclesiae perierunt miserabili morte. *Iouianus*, seu Iouinianus, Imperator vere Catholicus, qui Christianam religionem prope collapsam inlauravit, & Athanasium aliosque Episcopos, antea proscriptos & relegatos, reuocavit atque restituit Ecclesiis, gustatis tantum imperialibus honoribus, suffocatus interiit odore cubiculi, recenti calce illiti, & vapore atque foetore prunarum, quas in graui frigore adoleri iusserat. *Valentinianus I.* orthodoxorum fautor & protector, apoplexia extractus est. *Gratianus*, Imperator orthodoxus & vere Catholicus, qui Episcopos a Valente Imp. Ariano relegatos, ab exilio reuocavit, Maximi tyranni dolis circumuentus apud Lugdunum in Gallia vita priuatus est. *Theodosius iunior*, imperator vere Catholicus & orthodoxorum defensor, equo collapso afflictus, inque Iectica relatus Constantinopolim mortuus est. *Valentinianus III.* orthodoxae Ecclesiae defensor, in campo Martio Romae confusus interiit. *Quarto* sic disputamus. Merito pudere debet aduersarios eius argumenti, quo fere semper idololatrae, & pagani, ad fauorem defensionem vsu sunt. Sic enim *Ierem. 44. vers. 16.* Iudaei idololatrae, a temporali felicitate suorum maiorum, contraque a miseria & calamitate piorum, argumentantur: quorum illos, non istos, hanc ipsam ob causam, imitandos esse concludunt. Eodem plane argumento pagani, defendentes suam idololatriam, contra Christianos vsu sunt. *Symmachus Epist. 30. apud Ambrosium* disputat, & Imperatori Theodosio persuadere conatur, permanendum esse in veteri religione Romanorum, quod illorum resp. amplissima & florentissima fuit, quamdiu Iouem & Apollinem coluerunt; contra vero paulatim magis ac magis decreuerit, ex quo fidem Christianam suscepit. Cui Prudentius d. l. apud Ambrosium, eodem fere modo respondit, quo nos aduersarii respondere solemus. Gentiles etiam Christianis obiciebant, Christum, auctorem religionis Christianae, infelici exitu vitam finisse, & patibulo affixum interiisse: ut est apud *Arnobium lib. 1. aduers. gent.* Similia passim videre licet, tum in Apologiis Tertulliani, Iustini &c. tum in scriptis Hilarii, & aliorum Patrum, quae aduersus sui temporis ethnicos, aut Arianos, temporalem quoque felicitatem suae Ecclesiae iactantes, olim ediderunt. Eadem denique nobis a nostri temporis Mahometanis obici solent, qui semper habent in ore illud sui Mahometis, qui in Alcorano dicit, gladium sibi diuinitus contra Christianos datum. Quare si his apposite aliquid responderint aduersarii, idem sibi a nobis responsum esse existiment. *Ad extremum* Patres vno ore negant a felicitate temporali ad Ecclesiae veritatem duci posse idoneum argumentum. Imo, si ipsorum dicta inspiciantur, dicendum potius fuerit, infelicitatem externam esse notam verae Ecclesiae. *Iustinus Martyr dialog. cum Tryphone* ait: Gladio percuntur & in crucem agimur, & bestis obicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus plectimur, & ex cruciamur. *Et mox:* Non solum ex possessionibus suis, Christianorum quisque exigitur: verum etiam in mundo toto nemini eorum vivere permittitur. *Arnobius lib. 1. aduers. Gent.* Vos, ipsi, cum libido inceserit saeva, exiitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exiitis, & ad extremum nos feris & beluarum laniatibus obicitis. Quare concludamus eum *Augustino lib. 2. de ciuit. Dei cap. 23.* non magni pendendam esse terrenam felicitatem; quippe quae malis etiam plerumque concedatur: nec tamen quasi malam arbitrandam esse, cum multi etiam pii cultores Dei in ea praeuoluerint.

III. Excuriamus iam Bellarmini argumenta, vel potius exempla. 1. Nemo nostrum negat, Deum saepe Catholicis principibus praeclearas largiri viatorias. Sed hoc non est perpetuum. Itaque hinc non potest inferri generalis conclusio. Nam interdum pii illi principes, qui victorias reportarunt, etiam vincuntur, ut Israelitae & Maccabaei. Interdum plane nullis victoriis a Deo donantur, sed plane succumbunt: ut aliquoties nostris contra Turcas accidit. 2. Exempla, quae adferuntur ex historia sacra, ita inque veteri Ecclesiastica, ea nobis quidem nihil nocent, ipsi vero Bellarmino nihil fauent: cum omnes illi sancti patriarchae, duces, reges, & Imp. Christiani, non Papisticae, sed verae Ecclesiae membra fuerint. 3. Quae de Graecis Imp. adferuntur, continent fallaciam non causae. Neque enim ideo labefactatum, & tandem penitus euersum fuit imperium orientis, quod Imp. propter dissidium circa imagines se ab Ecclesia Romana separauerint, sed quia Pontifices Romani

vi & fraude omnia in ipsos & patriarchas Constantinopolitanos secum funesta ambitione certantes commouerint. 4. Similis fallacia est in eo, quod Imp. occidentis magis, vel minus flourerint; ut magis, vel minus Romanae Ecclesiae addicti fuerunt. Neque enim hoc inde est; sed quia Deo placuit, quibusdam praesertim benedicere. Et vero illi, qui additiores fuerunt Pontifici, Romanum imperium in solitudinem redegerunt: adeo quidem, ut vix magni nominis umbra superesse videatur. Vbi non est praetereundum silentio, Henricum IV. Imp. qui summo in odio fuit apud Papam, plurimas reportasse victorias: e contrario Rudolphum Sueuum, quem Pontifex fecit Anticarsarem, missa ad eum corona cum hac inscriptione. *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*, in nullo praesertim fuisse felicem, & tandem ab Henrico victum esse. 5. Quae Bellarminus adferre de bellis recentibus in Heluetia, Gallia, & Belgio gestis, causam ipsius grauant potius, quam iuuant; siquidem ex re ipsa patet, Euangelicos tandem in istis regionibus superiores euassisse: quippe in quibus orthodoxa ipsorum religio passim adhuc libere vigeret. 6. Quoties de religione bellum ab utraque parte gestum est, toties quidem varie pugnatum est, saepius tamen in Gallia & Belgio Pontifici fracti recesserunt: imo in Scotia & Anglia hanc fortunam semper experti sunt. 7. Felicitas nostrae Ecclesiae tum demum apparebit, quando Roma ruet. Quod aliquando futurum esse *Ribera comment. in Apoc. cap. 14. numer. 31. 40. 54. 46. 51. 55.* copiose & docte probat, tandemque ita concludit: Ut omnia confirmantur, subiiciam vaticinia Sibyllarum, quibus manifeste ruina Romae, & incendia praedicta sunt, & septem illi montes nominati:

Δη πότις ἡ γὰρ ἀνὴρ ἀνεστή μετὰ ταῦτα Φαυλίῳ
 Ἀνθρόπῳ ὁ πότις
 Ἐργὸς ἐπὶ τὸ φῶς ἡ γὰρ ἀνὴρ ἀνεστή μετὰ ταῦτα
 Ἐργὸς ἐπὶ τὸ φῶς ἡ γὰρ ἀνὴρ ἀνεστή μετὰ ταῦτα
 Ἐργὸς ἐπὶ τὸ φῶς ἡ γὰρ ἀνὴρ ἀνεστή μετὰ ταῦτα

id est

Tunc sane generatio decima post haec apparebit hominum: quando Romae septicollis magna diuitiae peribunt a flamma Vulcani circa finem mundi.

CAP. XIX.

Vera nota Ecclesiae recitantur & confirmantur.

I. Postquam notas Ecclesiae partim aequiuoce enuntiatas, partim fallas, partim fallibiles, partim alienas & ineptas, a Pontificiis Dd. assignatas, refutauimus, ordo nos vocat ad notas Ecclesiae veras, infallibiles, & homogeneas, quas vulgo solemus appellare *πικρῆς*. Cuiusmodi sunt numerus duae, sincerae videlicet verbi Dei praedicatio, & legitima sacramentorum administratio. Quas alii reuocant ad vnam; alii vero iis addunt tertiam, videlicet disciplinam Ecclesiasticam, alii etiam plures. De qua varietate non nihil monere oportet, antequam vela pandamus. Qui vnam Ecclesiam externam & visibiles notas constituant, illi non vno modo loquuntur. Sunt enim quae dicant, verbum Dei reuelatum & communicatum esse notam, qua in verana Ecclesiae notitiam peruenire possumus. Nam Scriptura sacra est lux, quae nobis ostendit & dominum & domum, id est, Christum & Ecclesiam, sicut stella *Matth. 2.* ostendebat Magis domum, in qua erat Christus. Hinc Scriptura comparatur lucernae, *2. Petr. 1. 19.* Atque hoc est quod Patres docent. Sic enim *Chrysostomus opere imperf. in Matth. homil. 49.* Nulla probatio potest esse verae Christianitatis, nisi Scripturae diuinae. *Et mox:* Nullo modo nunc cognoscitur volentibus cognoscere quae sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Sic quoque *Augustinus Epist. 166.* In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus. quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus? *Idem lib. de vnit. Eccles. cap. 2.* Quae sit certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an illos. (intelligit Donatistas.) Quid ergo facturi sumus, in verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illis potius versus eam quaerere debemus, qui veritas est, & optime nouit corpus suum. *Et cap. 3.* sic concludit: Ergo in Scripturis sanctis canonicis eam requiramus. Ex his patet, verbum Dei esse vnicam notam Ecclesiae, videlicet insitam, inseparabilem, inuariabilem, quae non recipit gradus puritatis aut impuritatis. At cum praedicatio verbi, & administratio sacramentorum dicuntur nota Ecclesiae, intelliguntur notae assumtae, variabiles, & aliquo modo separabiles: quod ita patet. Sunt assumtae; quia praedicatio verbi, & administratio sacramentorum, sunt actiones Ecclesiae, quae ex verbo Dei diiudicari debent, tanquam nota prima, originali, insita. Sunt variabiles; quia recipiunt gradus puritatis & impuritatis. Sunt aliquo modo separabiles; quia incidere potest tempus, ut omittatur praedicatio verbi, eiusque locum occupet lectio, aut meditatio tantum, imo & desiderium merum cum multiplici gemitu coniunctum. Ita administratio sacramentorum & ipsa omittitur interdum: ut cum Ecclesia Israelitica per ann. 40. in deserto omisit circumcisionem. *Rosius sunt*, qui professionem sanae doctrinae constituunt vnicam Ecclesiae notam. Sed illi sub ista professione comprehendunt legitimum sacramentorum usum; & exercitium pie disciplinae, seu vitae Christianae. Deinde qui praedicationi verbi, & administrationi sacramentorum adiiciunt disciplinam Ecclesiasticam, illi non errant. Aut enim per illam disciplinam intelligunt stricte dictam disciplinam Ecclesiae, aut late dictam. Prior illa est pars potestatis clauium, & non est essentialis nota Ecclesiae, quia non pertinet ad ipsius esse, sed duntaxat ad bene esse: posterior, est vita Christiana, seu cultus Dei hominem Christianum decens, & est de essentia Ecclesiae. Utraque comprehenditur sub praedicatione verbi, & administratione sacramentorum: prior, ut pars accidentaliter praedicationis; posterior, ut necessarium connexum. Praedicatio enim verbi eiusque auditio, & administratio sacramentorum illorumque vsus locum habere nequit absque exercitio vitae Christianae.

Deni-

Denique qui
 cessarias die
 tatis. Ita e
 Ecclesiae, p
 admittitrat
 clauium,
 ministrant
 mysterium
 subiungit
 pe praedica
 vendos an
 11. Hi
 tem, illa
 munit
 tus, ubi est
 tur, falli
 fia. Quae
 inueniatu
 re postu
 guemus s
 in secund
 fariorum.
 III. N
 Gen. 17. C
 cit verbo
 Israelita
 extra E
 Israelitic
 houae: na
 lorum, q
 pulus sap
 namentu
 & sapien
 pro popu
 & indice
 pulus sap
 & prude
 affatur
 amouet
 ionibus
 seu vera
 potestis
 versic. 19
 fecit ita
 tem esse
 sacrame
 Fron
 cem
 men, a
 proph
 huiusq
 verbum
 bunt le
 stitissim
 ad Eccl
 qui est
 ad ore
 mur,
 hae fu
 ex N.
 IV. O
 sectis
 rem,
 Respo
 fructu
 dicauit
 sum d
 locus
 agri
 hoc
 Vbi su
 rum,
 eiusq
 vniu
 gite n
 ment
 locus
 Scrip
 Eccl
 audie
 ouile
 42. H
 nican
 bus f
 ex d
 sign
 strat
 sacra
 locu
 com
 Vnu
 sacri

Denique qui plures quam tres notas commemorant, illi vel essentielles & necessarias diducunt in plures, vel non distinguunt ab accidentalibus & honorariis. Ita cum Lutherus lib. de Conciliis & Eccles. parte vlt. septem has notas Ecclesie, puta veram & incorruptam predicationem Euangelii, legitimam administrationem baptismi, legitimum usum Eucharistie, legitimum usum clauium, legitimam electionem ministrorum qui doceant & sacramenta ministrent, orationem publicam & psalmodiam & catechismum, denique mysterium crucis, hoc est, tribulationes intrinsecas & extrinsecas, commemorasset, subiungit: Si nullum aliud signum conspici posset præter hoc vnicum, nempe predicationem Euangelii incorruptam, tamen satis esse hoc ad conuincendos animos, quod ibi sit Catholica Ecclesia.

II. His ita expositis, formemus verum statum quaestionis. Dicimus autem, illam esse veram & puram Dei Ecclesiam, in qua hæc duæ notæ & signa continentur; sincera verbi Dei prædicatio, & legitima sacramentorum administratio. Vbiunque hæc duo sincere, & legitima sacramentorum administratio, ibi est vera & pura Christi Ecclesia. At vbi corrupte & impure traduntur, ibi est Ecclesia corrupta, & impura; atque si fundamentum corruptum, falsa. Denique vbi hæc profus in usu non sunt, ibi nulla est plane Ecclesia. Quæ sententia si accurate teneatur, nulla erit difficultas in eo, panes quos re possunt. Sed probemus hanc sententiam inuictis argumentis. Ea distinguemus suis classibus, numero quatuor: ita vt in prima sint dicta Scripturæ, in secunda rationes, in tertia testimonia Patrum, in quarta confessio aduersariorum. Hanc itaque campum decurramus *Quid sit.*

III. In prima classe sunt loca Scripturæ, numero viginti. Primus locus est Gen. 17. & Exod. 12. vbi Deus sacramentum circumcisionis & paschæ adiecit verbo suo, vt essent veræ Ecclesie externa symbola & testimonia, quibus Israelitæ distinguerentur ab aliis populis, ita vt illi essent in Ecclesia, hi vero extra Ecclesiam. Secundus locus est Deut. 4. 6. vbi Moses totum populum Israeliticum alloquitur his verbis, obseruate ergo & facite omnia statuta Iehouæ: nam hæc est sapientia vestra, & prudentia vestra, ante oculos populorum, qui audientes omnia ista statuta, dicent, Gens ista maxima est, populus sapiens & prudens. Si ergo lex siue doctrina Iehouæ fuit decus & ornamentum Iudæorum, & indicauit populum istum omnibus prudentiorem & sapienterem fuisse, eumque aliis ita commendatum reddidit, vt omnes pro populo Dei ipsos agnoscerent; tum certum est, legem Dei esse testem, & indicem, & notam Ecclesie. Nam Ecclesia Dei est nihil aliud, quam populus sapientior & prudentior aliis. Intellige veram & diuinam sapientiam & prudentiam. Tertius locus est Ios. 24. 14. vbi Iosua his verbis populum affatur: Quare nunc timete Iehouam, & colite eum integre & fideiter, & amouete Deos, quos coluerunt maiores vestri. q. d. Nolite similes esse maioribus vestris, qui quod colerent deos alienos, non erant populus meus, seu vera Ecclesia. Vos estote illis dissimiles, ita vt colatis me. Hæc enim nota potestis ab illis distingui, & esse populum meum. Quartus locus est Psalm. 147. versic. 19. 20. Indicat Deus verba sua Iacobo, statuta & iura sua Israeli. Non fecit ita vlligenti, ideoque iura ista non nouerunt. Hinc patet, illam gentem esse Ecclesiam Dei, cui Deus indicat iura sua, id est, verbum suum, & sacramenta illam non esse Ecclesiam, cui non indicat. Quintus locus est Prouerb. 29. 18. Cum prophetia defecerit, populus dissipatur. Vbi docemur, prophetiam, id est, verbi Dei prædicationem esse vinculum & semen, adeoque & notam, Ecclesie. Sextus locus est Esai. 2. versic. 2. 3. vbi propheta prædicit, maximum fore concursum hominum ad Ecclesiam Dei, huiusque rei causam subiicit his verbis: Quia ex Sione prodit doctrina, & verbum Iehouæ ex Ierusalem q. d. Gentes accedent ad Ecclesiam, quia videbunt legem egredi ex Sione. Itaque verbum Dei est propria, longeq; illustrissima Ecclesie nota, ita vt propter illud hi, qui ab Ecclesia alieni erant, se ad Ecclesiam conferant. Septimus locus est Esai. 59. versic. vlt. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, ait Iehoua, ex hoc tempore vsque in seculum. Vbi docemur, veram verbi Dei prædicationem fore in Ecclesia perpetuam. Atque hæc sunt septem loca Scripturæ ex V. T. sequentia: sequentia tredecim iunt ex N. T.

IV. Octauus Scripturæ locus habetur Matth. 7. 16. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Qui certe locus, & hominem hæreticum, & Catholicum doctorem, ex fructibus agnoscendum esse conuincit. Quinam sunt illi fructus? Respondet Stapletonus (& recte respondet) lib. 10. de doctr. princip. cap. 1. Per fructus, hoc in loco, intelligit dogmata, quibus falsi doctores a veris diiudicantur, vt Patres exponunt. Sicut itaque dogmata indicant verum & falsum doctorem, pari ratione indicabunt veram & falsam Ecclesiam. Nonus locus est Matth. 13. 24. vbi Christus docet, ibi esse regnum cælorum, & agrum Domini, hoc est, veram Ecclesiam, vbi bonum Dei semen spargitur, hoc est, vbi verbum Dei pure prædicatur. Decimus locus est Matth. 18. 20. Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, inquit Christus. Itaque Ecclesia ibi est, vbi Christi nomen inuocatur, eiusque doctrina dominatur. Undecimus locus est Matth. 28. 19. Profecti in vniuersum mundum docete omnes gentes, baptizantes eos &c. q. d. colligite mihi Ecclesiam, per prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum. Ibi ergo Ecclesia est, vbi sunt verbum & sacramenta. Duodecimus locus est Luc. 16. 29. Habent Moysen & prophetas, audiant illos: h. e. habent Scripturas, illas audiant. Ita enim erunt ciues regni cælorum, adeoque vera Ecclesia. Decimus tertius locus est Iohan. 10. 27. Oves meæ vocem meam audiunt. Ergo ibi est Ecclesia, vbi auditur verbum Dei: quia Ecclesia est ouile Christi, seu collectio ouium eius. Decimus quartus locus est Act. 2. 42. Erant perseverantes in doctrina Christi & Apostolorum, & in communicatione, & in fractione panis, & in precibus. Quæ Verba ostendunt, quibus signis agnita olim & demonstrata fuerit Ecclesia Apostolica: nimirum doctrina, mutuis charitatis officiis, fractione panis, & precibus. Quæ ex doctrina, reuocari ad duo, videl. ad prædicationem verbi, & administrationem sacramentorum: quibus semper respondet auditio verbi, & usus sacramentorum, adeoque officia charitatis, & preces, in populo Dei. Hunc locum egregie explicat Iohan. Ferus, Papistarum concionator insignissimus, locum in Act. 2. In his, inquit, describuntur mores primitiue Ecclesie: comment. in Act. 2. In his, inquit, describuntur mores primitiue Ecclesie: Vnum est perseverare in sana doctrina. Et mox: Est euidentis signum pii & sacri cordis, ardentem verbum Dei desiderare. Huic qui non obedit, facile

seducitur. Rursus: Alterum est, quod doctrinæ diuinæ sacramenta sunt annexa. Perseuerant in fractione panis, hoc est, in usu frequenti sacramentorum. Confer iam dicta ad huius seculi mores, & facile perspicies quantum à primitiua Ecclesia statu declinauerimus. Ita Ferus. Decimus quintus locus est Act. 16. 5. Ecclesia vero in fide corroborabatur, & augebatur numero quotidie: quando scilicet audiebant sanam doctrinam Apostolorum, tanquam neruum & firmamentum Ecclesie. Decimus sextus locus est Rom. 10. 14. Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt: quomodo autem credent ei, de quo non audierunt: quomodo autem audient absque prædicante? Itaque vbi est prædicatio verbi, ibi sunt qui illam audiunt, hoc est, qui ad Ecclesiam externam pertinent: Et inter illos qui audiunt, fere sunt aliqui credentes, qui pertinent ad Ecclesiam internam. Decimus septimus locus est 1. Cor. 14. 17. Et si decem millia pædagogorum habeatis in Christo; at non multos patres habeatis. In Christo enim Iesu per Euangelium ego genui vos. Quare si Euangelium facit; vt homines gignantur in Christo, hoc est, vt vbi Ecclesia prius non fuit, ibi iam Ecclesia sit: certe est index & nota Ecclesie necessario. Decimus octauus locus est Gal. 1. 18: vbi Paulus anathema denunciat omnibus, qui aliud Euangelium prædicant, quam quod ipse tradiderat, & Galatæ ante acceperant, atque ita facti erant Ecclesia. Postquam vero ab illo Euangelio discesserunt, Ecclesia esse desierunt, vt Apostolus innuit versic. 6. Itaque Galatarum Ecclesia fuit Ecclesia Dei, quam diu Euangelium retinuit. Decimus nonus locus est Ephes. 2. 20: vbi Apostolus scribit Ecclesiam fundatam esse super fundamentum prophetarum & Apostolorum. Intelligit autem doctrinam ipsorum, qua sola nititur ecclesia, tanquam fundamento domus. Si ergo ecclesia hoc fundamento nititur, quis non videt hanc quoque esse ipsius notam? Viginti locus est 1. Tim. 3. 15. vbi Apostolus Ecclesiam vocat columnam & stabilimentum veritatis: quia nempe veritas cælestis in Ecclesia perpetuo remanere & residere solet; nec ab ea separari potest. Atque hæc sunt testimonia Scripturæ, non sane omnia, sed ex infinitis aliqua, quæ ostendunt, Ecclesiam ex sana doctrina æstimandam esse.

V. Nunc ad secundum genus argumentorum nostrorum accedo, quod in certis quibusdam, usque necessariis, rationibus positum est. Primario arceatur à natura notæ propriæ & essentialis, concluditurque hoc syllogismo. Quidquid veram Ecclesiam certo ostendit, eique soli & semper conuenit, atque eam distinguit à quibuslibet aliis cœtibus, & ei adæquatur, & ab illa separari non potest: illud est Ecclesie nota vera, propria, certa, & essentialis. Atqui sincera verbi Dei prædicatio, & legitimum sacramentorum usum, veram Ecclesiam certo ostendit, eique soli & semper conuenit, atque eam distinguit à quibuslibet aliis cœtibus, & ei adæquatur, & ab illa separari non potest. Ergo. Minorem probō per partes, quæ sunt numero quinque: Nam quod ad maiorem propositionem attinet, eius veritas firmissima est ex definitione & affectionibus notæ propriæ & essentialis. Primum itaque, sinceram verbi Dei prædicationem, & legitimum sacramentorum usum, veram ecclesiam certo ostendere, sic patet. Omnis effectus proprius certo & infallibiliter ostendit suam causam: seu, omne officium proprium certo & infallibiliter ostendit suum subiectum. Prædicare verbum Dei, & administrare sacramenta est effectus proprius, siue officium proprium Ecclesie, ita vt sub eius latitudine cõprehendatur omne id, quod ad officium Ecclesie visibilis & externæ pertinet. Ergo prædicatio verbi Dei, & administratio sacramentorum certo ostendit ecclesiam. Deinde soli Ecclesie, & semper, hæc duo conueniunt: quia sunt bona Ecclesie propria, & extra Ecclesiam non reperiuntur. Recte itaque Gregorius de Valentia & Stapletonus scribunt, ista duo esse de essentia Ecclesie. Tertio hæc duo distinguunt Ecclesiam à quibuslibet cœtibus: quia quicumque cœtus docet Euangelium Christi & sacramenta eius legitime administrat, est Ecclesia; qui secus, non est Ecclesia. Quarto hæc duo adæquantur Ecclesie, seu, æque late patent Ecclesia, & prædicatio verbi Dei coniuncta cum administratione sacramentorum: quia neutra est altera latior, vel angustior, vt patet ex dictis. Denique hæc duo non possunt separari ab Ecclesia: sicut effectum proprium non potest separari à sua causa, neque proprium officium à suo subiecto proprio. Hinc Deus Ecclesiam ad Scripturam alligauit, Esai. 8. 20. in Ecclesia sola est notus. Psalm. 76. 2. denique illam hoc modo semper regit, Ephes. 4.

Secunda ratio ducitur ab ipsa externa Ecclesie definitione, quod videlicet sit multitudo hominum, salutarem doctrinam profitentium: iuxta illud Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem: & 1. Ioh. 4. & 5. Qui confitetur Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Hinc patet, veram quidem fidem præcise ipsius Ecclesie internæ, seu inuisibilis, essentiali ingredi; veræ autem fidei professionem, esse propriam Ecclesie externæ, seu visibilis, formam. Porro formæ officium est, non modo rem constituere, sed ab aliis etiam discernere; eoque nobis eam notam & manifestam reddere. Quoties enim de solida & perfecta rei cognitione quaritur, eadem solent esse causæ cognoscendi, quæ essendi. Quare si professio illa facit, vt hic vel ille cœtus sit vera Christi Ecclesia (prout certe facit) omnino consequitur, eandem professionem esse propriam, perpetuam, & essentialem Ecclesie notam, quatenus scilicet ipsa externis sensibus est exposita. Hic excipiunt Gregorius de Valentia & Stapletonus, notæ officio non posse fungi id, quod ingreditur rei essentiali. Sed tenendum est, diuersum respectum & considerandi modum hic esse attendendum: quatenus videl. prædicatio verbi Dei & administratio sacramentorum consideratur vel vt causa instrumentalis, per quam Deus colligit Ecclesiam, vel vt causa formalis, per quam Ecclesia externa est id quod est, dum discit à Deo; vel vt effectum, quatenus Ecclesia iam constituta, alios docet & informat. Deinde nihil noui est, formam rei esse fundamentum & causam notæ proximam.

VI. Tertia ratio sumitur à contrario, nempe à nota falsæ Ecclesie, quæ est abnegatio seu reiectio doctrinæ veræ, & professio doctrinæ falsæ. Sic enim passim in verbo Dei, synagoga Satanæ, seu Antichristi atque hæreticorum, describitur; quod doctrinam falsam, & verbo Dei contrariam amplectatur, neque sanis Euangelii sermonibus acquiescat, sed in reprobis doctrinis seclatur. 1. Tim. 1. 19. cap. 4. 1. 6. 3. Gal. 1. 6. Hinc Apoc. 2. & 3. Ecclesie, Pergamensis, Thyathirensis, &c. reprehenduntur, quod Nicolaitas, aliosq; nonnullos in sinu suo fouerent, qui doctrinam minus sanam amplecterentur. Quare cum falsæ Ecclesie veræ contraria sit, necesse est, huius etiã formam illius

formae contrariam esse; & porro alteram ab altera contrariis etiam notis distingui, hoc est, aut verae, aut falsae doctrinae confessione, & caeteris id genus rebus, quae hinc necessario dependent.

VIII. Quarta ratio ducitur a praxi omnium piorum, principum simul & sacerdotum, siue Episcoporum, qui ecclesias Christi olim vel de nouo constituerunt, vel corruptas & deprauatas repurgarunt. Hi enim semper ad normam verbi Dei, tanquam ad propriam & certissimam Ecclesiae notam, vniuersim respexisse leguntur. Ios. 22. 23. & 24. Esr. 7. Neh. 8. 2. Reg. 23. in historia regis Iosias, & passim alibi in historiis similium aliorum regum, praesertim Iosaphati, Ezechiae, & Ase. Quo ipso testatum fecerunt, illum demum populum pro Dei populo habendum esse, qui purum Dei cultum amplecteretur, siue doctrinam sanam profiteretur. Vide etiam exemplum Constantini M. & Episcoporum in Concilio Niceno, quod Theodoretus lib. 1. cap. 7. historia Ecclesiastica ita prolixè narrat, ut inde non obscure constet, primum illum principem & Episcopos ipsius omnino statuisse, Ecclesiam Christi ex doctrina sana, non contra hanc ex illa, cognoscendam ac diiudicandam esse. Itaque omnes illi, quae veteris, quae noui testamenti principes & Episcopi, sanam doctrinam professionem, atque adeo ipsius appendicem perpetuam pro vera & genuina Ecclesiae nota habuisse.

IX. Quinta ratio nititur inductione historica, qua planum fit, omnes aetates sacros inde ab initio mundi, hac nota fuisse insignitos, & a caeteris profanis distinctos. Quod quidem adeo verum est, ut Ecclesia ante lapsum habuerit quoque verbum & sacramenta. Ita cum Deus Ecclesiam post lapsum instauraret, adhibuit concionem dulcissimam de semine mulieris, Gen. 3. eamque sacrificiis obsignauit, Gen. 4. Tempore Abrahami accessit circumcisio, Gen. 17. tempore Moysi Pascha, Exod. 12. Inde usque ad Christum Ecclesia V. T. inde fuit cognita, quod doctrinam legis Moisaicae, & sacramenta foederis diuini amplecteretur. Denique Christus Ecclesiam N. T. verbo & sacramentis instruxit, Matth. 28. Ergo hodierna Ecclesia ex similibus notis similiter cognoscenda est.

X. Sexta ratio sumitur a natura notae primariae. Quae nota aliae omnes necessario diiudicandae sunt, ea est propriissima Ecclesiae nota, & primaria. At ex doctrina vera reliquae notae Ecclesiae diiudicandae sunt necessario. E. Minor ita probatur. Notae Ecclesiae secundariae, communes, & contingentes possunt esse variae e.g. disciplina Ecclesiastica, preces publicae ad Deum per Christum &c. At haec omnes examinantur ex verbo Dei. Sumamus etiam praecipuas Bellarmini notas; & illas reuocemus ad hanc regulam & mensuram. 1. Catholica. At Ecclesia non est, quae non proficitur fidem Catholicam, ut ipse Bellarminus fatetur. 2. Antiquitas. At sanctarum Scripturarum summa est antiquitas: ex his sumunt Dd. quidquid est verius, ut ait Gregorius de Valentia. 3. Multitudo credentium. At si vel vna prouincia tenet veram doctrinam, vere & proprie dicitur Catholica; ut sunt verba Bellarmini. 4. Successio. At successio non est vera, quam haeresis interrumpit, ut ait idem ille: & ut sunt verba Nazianzeni, Successio sedis est nominetenus successio, nisi fidei habeat veritatem. 5. Conspiratio cum doctrina antiqua. Quae vero illa est doctrina? Respondeat Bellarminus. Vera est, inquit, quae doctrinam Apostolicam retinet. 6. Vnitus cum summo Pontifice. Quis vero ille? Solus Christus. Nam audire Christi vocem est nota eorum, qui sunt cum pastore, ait Toletus 7. Sanctitas doctrinae. At illa demum doctrina est sancta, cuius fons sacratissimus est Scriptura. 8. Efficacia doctrinae: puta doctrinae legis & Evangelii. 9. Sanctitas vitae primorum doctorum. At certum est, non posse doctrinam discerni ex opere: sed ex doctrina veri pastores noscendi sunt, ut Christus docet. Quae sunt verba Bellarmini. 10. Gloria miraculorum. At miraculis non est credendum, quando repugnant doctrinae sanae. Hinc Theodoritus ait: doctoribus, cum talia edunt, credendum non est, si aliquid docent, quod pietati repugnat. II. Lumen propheticum. At si quis vera praedixit, non tamen sequitur eius doctrinam esse amplectendam, si aliquid docuerit, quod expresso Dei verbo repugnat, ut sunt verba Vincentii Lyrinensis. Ex his efficitur, doctrinae verae praedicationem & susceptionem, esse summam, solam, propriam, perpetuam, & infallibilem Ecclesiae notam.

XI. Septima ratio ducitur a comparatione Scripturae & Ecclesiae. Si Scriptura est notior quam Ecclesia, tum in se, tum nobis, utique Scriptura certius & illustrius demonstrat Ecclesiam, quam Ecclesia Scripturam; & per consequens Scripturarum doctrina maxime obtinere & valere debet ad definiendam & distinguendam Ecclesiam. Sed antecedens est verum. E. & vtrumque consequens. Probatur antecedens per partes. 1. Scriptura est nota a Deo immediate; quia est a Deo immediate; Ecclesia autem est a Deo mediante per Scripturam. Itaque Scriptura tanquam causa est notior sua natura. 2. Scriptura est nota a nobis immediate; quia videlicet Ecclesiam nouimus per Scripturam. Atque hoc est quod ipsi aduersarii docent. Bellarminus lib. 4. de Eccles. milit. cap. 3. Ex hypothese Scriptura est notior, quam Ecclesia: quando scilicet Scriptura est recepta, & clare loquitur de ipsa Ecclesia. Similiter docet Armandus Iesuita Epist. ad Cham. pag. 29. Non nego quin aliquando contingere possit, ut ex Scriptura Ecclesia probetur, sitque illa ex hypothese notior, quam haec: quando nimirum est Scriptura recepta, & clare loquitur, & quaestio est de ecclesia. Eteleganter Melchior Canus loc. theol. lib. 2. cap. 8. Nostrae fidei ascensio humanis causis, & incitamentis non nititur, quae scilicet fides acquisita est. Ne igitur mens nostra vacillet, alius petenda est, quam ab hominis vel ratione, vel autoritate, sacrae Scripturae autoritas: ut si mihi omnes, qui ante me docuerunt, imo adeo angeli caelorum, iuxta Pauli praescriptum, mihi astruerent oppositum eius, quod fide teneo, non ex eo fides mea labefactaretur; quia Apostoli & prophetae resoluabant fidem suam vltimo non in humanam, sed in diuinam autoritatem; & eadem erit ratio fidei nostrae formalis. Confirmatur Exod. 14. Crediderunt Domino, & seruo eius Moysi: non dixit, Crediderunt Moysi & Domino. Et Apostolus 1. Thess. 1. Accepistis verbum fidei, non ut verbum hominis, sed sicut est reuera verbum Dei. Et Iohan. 5. Si testimonium hominis accepimus, testimonium Dei maius. Sic Stapletonus de princip. doctrin. contr. 4. lib. 8. cap. 20. Quamuis non nisi per ecclesiam, reuelantem Deum teneamus, tamen non cum Durando in Ecclesiae voce acquiescimus, ita ut in Ecclesiae vocem, ut supremam autoritatem, fides nostra desinat, sicut Scholastici quidam incautius, & imperitius tenuerunt. Denique Gregorius Valentia lib. 1. de Analyfi fidei cap. 20. admodum empha-

tice ait, supernaturalem diuinam reuelationem fortius persuadere ad firmiter credendum, quam vlla argumenta, quae haecenus fecimus, utpote numerum martyrum, efficaciam doctrinae, miracula, aduersariorum confessionem, infelicem hostium exitum, antiquitatem, quae quacumque ratione similiter excogitari possint.

XII. Octaua, & vltima, ratio sumitur a simili. Verbum Dei est lucerna, siue fax, in tenebris mundi Ecclesiae data, quam lychnuchus ille in domo Dei figurabat, Exod. 25. Deinde verbum praedicatum est vexillum Dei, ecclesiam suam colligentis ad se. Vnde Ecclesia in his terris degens vulgo appellatur militans. Quemadmodum vero milites certis & praecognitis, ut ita dicam signis & vexillis, se inuicem internoscunt, & ab hoste discernunt: ita verbi diuini praedicatione sincera, & sacramentorum administratione legitima milites Christi internoscuntur & distinguuntur. Vbiunque enim haec duo vigent, ibi sunt milites Christi, & non diaboli. Quare vbi haec duo cernuntur, ibi est vera Christi ecclesia, ad quam tanquam certis & crectis vexillis a Domino vocamur. Et haec quoque de rationibus: quibus multo plures addi possunt, ut illa a conuenientia capitis & membrorum, & ista a conuenientia totius & membrorum. Prior sic habet. Quomodo Christus cognoscitur, eodem modo cognoscitur illius Ecclesia. Sed Christus ex Scripturis tantum cognoscitur; ut ipse fatetur Iohan. 5. Scrutamini Scripturas: illae enim testificantur de me. Posterior est eiusmodi. Quae est nota omnium & singulorum Christianorum, illam etiam esse notam totius Ecclesiae oportet: quia nimirum Ecclesia Christiana nihil est aliud, quam collectio siue multitudo Christianorum 1. Cor. 1. 2. Iam vero nota Christiani est, audire vocem Christi, Iohan. 10. Oues meae vocem meam audiunt. E. & haec est nota Ecclesiae Christianae.

XIII. Sequuntur testimonia Patrum: quae tertia est classis argumentorum. Docent autem Patres quae vera sit, veram Christi Ecclesiam tantum ex Scripturis, adeoque ex professione sanae doctrinae, agnoscendam atque aestimandam esse. Vide quae attulimus §. 1. huius cap. Quibus nunc addimus ista. Ireneus lib. 1. cap. 11. ait: Columna & firmamentum Ecclesiae est Euangelium & spiritus vitae. Tertullianus de praescript. cap. 32. Ipsa doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuinitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque Apostolici. Cyprinus lib. de lapsis. sect. 14. Nec Ecclesia iungitur, qui ab Euangelio separatur. Chrysostomus in psalm. 96. Multae orthodoxorum Ecclesiae sunt. Quae autem expertes rectae fidei sunt, haereticorum sunt Ecclesiae. Et in Matth. homil. 6: Vbi est fides, illic est ecclesia: vbi non est fides, ibi non est Ecclesia. Et in Actor. homil. 33. Cum Scripturas accipimus, & illae sint simplices & verae, facile tibi fuerit iudicare. Si quis illis consentit, Christianus est: si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone. Nazianz. orat. ad Arianos: Vbi sunt isti, qui Ecclesiam multitudinem definiunt? Hi habent vulgus, nos fidem: illi aurum & argentum, nos repurgatam fidei doctrinam. Isidorus Pelusiota Epist. 242. Quod sanctorum coetus ex recta fide atque optima viuendi ratione collectus Ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustant. Tertullianus de praescript. ait aliquoties, illas esse veras Christi Ecclesias, quae tenent doctrinam ab Apostolis traditam. Epiphanius haeresi 48. Quicumque discors est a diuinis Scripturis, idem alienus est a sancta Catholica Ecclesia. Ambrosius lib. 6. in Luc. cap. 9. Si qua est Ecclesia, quae fidem respuat, nec Apostolicae praedicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiam possit adspicere, deserenda est. Hieronymus in psalm. 133. Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Idem in Ierem. 7. Illud templum Domini est, in quo habitat vera fides, sancta conuersatio, omniumque virtutum chorus. Augustinus in psalm. 57. Vbi enim latet Ecclesia Christi? Vbi latet veritas Christi. Eucherius com. in Reg. Dilatata per orbem Ecclesia, in vna eademque fide & veritatis Catholicae societate consistit.

XIV. Ad extremum sequitur Confessio aduersariorum, & ea quidem luculenta. Concilium Colonense ann. 1549. in Enchiridio Christianis institutionibus ait: Notae & signa habemus longe certissima, quae nos de Ecclesia, vbi nam sit, dubitare non sinant. Principio nemo negat, in Ecclesia sinceram doctrinam Euangelicam & Apostolicam esse oportere, & hanc praecipuam esse Ecclesiae notam: iuxta illud, Oues meae vocem meam audiunt; & quod est apud Paulum, Si quis praedicauerit aliud euangelium, anathema sit. Canisius cap. 1. Catechis. ita definit Christianum, qui baptismatis sacramento initiatus, Iesu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam, in eius Ecclesia proficitur. Iohan. Driedo theologia Louanensis lib. 4. de dogmatibus variis cap. 4. Ecclesiam quae nunc est, ex Scripturis cognoscimus apud eos esse, vbi est doctrina quatuor Euangeliorum. Gregorius de Valentia tom. 3. disput. 1. quaest. 1. punct. 7. Nos fatemur, neque veritate doctrinae, neque legitimo sacramentorum vsu Ecclesiam Christi carere posse, & apud quos haec sint omnino salua, ex iis constare veram Ecclesiam. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 2. definit Ecclesiam, quod sit coetus hominum eiusdem Christianae fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatus. Stapletonus lib. 1. de princip. fid. cap. 22. Euangelii praedicationem dicit esse propriam & valde illustrem notam Ecclesiae Catholicae. Idem relect. princip. fid. controu. 1. quaest. 4. art. 5. ait: Quemadmodum discernunt hominem a bruto, paruuli quidem per externa lineamenta corporis & figuram hominis, quia iudicium eorum non excedit sensum; adulti vero & rationis vsu habentes, indocti tamen & rudes, per operationes vitae & functiones proprie humanas, ut loqui more humano, ambulare, & similia; sapientes autem & prudentes, quorum iudicium altius penetrat, per animi prudentiam, aliasque dotes homini adhuc magis excellenter proprias: Sic Ecclesia Christi a sapientibus quidem & spiritualibus ipsis, quales sunt Ecclesiae magistri & pastores, cognoscitur per sanam doctrinam & rectum sacramentorum vsu; ab imperitis autem fidelibus & paruulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis, & mediis, considerata, iudicare non possunt, ab ipsis quoque infidelibus, qui paruuli aut nihil de Ecclesia norunt, per externam faciem & multitudinem populorum credentium atque pastorum. Ex qua comparatione Stapletoni omnino illud sequitur, Ecclesiam Christi a sapientibus & spiritualibus cognosci per sanam doctrinam & vltimum sacramentorum, tanquam per animam, per ipsorum vero notas tanquam per externa quadam lineamenta. Quae ipsorum nota sunt incerta, dubia, & pueris acco-

Lutheranorum esse veram Ecclesiam: nam Lutherus & Caluinus fatentur, suas Ecclesias non carere aëuis, si secundum, iam erit nota communis multis factis, imo conueniet omnibus opinione sua. Quæ enim sceta vnquam fuit, quæ non diceret se habere sinceram prædicationem veritatis? Certe Augustinus lib. contra Epistolam fundamenti cap. 4. dicit, Catholicam quidem Ecclesiam multis notis facile cognosci, sed hæreticos nihil habere nisi veritatis pollicitationem, id est, quod apud se sit vera, & sincera prædicatione.

Respondeo 1. Rerum aliarum est opinio, aliarum scientia, aliarum denique fides. Res in natura cadunt sub scientiam, res supra naturam fide comprehenduntur. Reliquas vero, quæ neque ratione, neque fide comprehenduntur, opinio obtinet. Ista igitur opinio, aliorum scientia, & fidei non officit, neque vt res ipsa variant, aut non sint, efficit. Deinde, si hoc argumentum valet, multas recte, vt antiquitatem, successionem. 2. Vt fides non est omnium, ita nec omnium est oculus videndis & vtendis hisce notis. 2. *Theff. 3. Ephes. 3.* Apud eos itaque omnes & solos notæ sunt, qui sunt *theodidactes*, & quibus Deus oculos aperuit, superioris illius scientiæ lumine gratiose communicato. 3. In prædicatione verbi Dei tria ista sunt accurate distinguenda: verbum Dei, eius prædicatione, & prædicationis sinceritas. Verbum Dei absolute, est nota Ecclesiæ certissima, à Deo ipsi impressa. Prædicatione verbi huius est affectus hominum, index illius notæ, non nota primaria. Prædicationis conditio & modus est sinceritas. Quemadmodum ergo sponsaliorum nuptiarumque iustarum nota est publicum sponsalium contractus instrumentum: ita est verbum Dei in Ecclesia eius. Accedit professio, accedit sinceritas, bene est: sed etiam sine professione, vt in dormientibus aut aliud agentibus, contractus manet; & publica instrumenti nota, quasi titulus publicus & saluaguardia, vt vocat, omnipotentis Dei. Sinceritas denique professionis Christianæ est conditio debita; sed non Ecclesiæ nota simpliciter, quia secundum plus & minus membris Ecclesiæ accedit; à Deo vero est tota & perfecta sinceritas Ecclesiæ, veritatem suam in hominum infirmitatibus conseruante. Hoc est, quod Lutherus & Caluinus docuerunt, verbum Dei esse notam, licet alias magis, alias minus pure prædicetur. Itaque dilemma Bellarmini ad rem nihil facit. 4. Augustinus veritatis pollicitationem, id est, ventosam gloriationem & ostentationem sine veritate ab hæreticis haberi dicit: quam Scholastici voluntariam æquiuocationem vocant. A voluntaria autem homonymia, siue ab opinione, ad rem argumentatio est inconsequens.

VII. *Secundo* hæc nota non est notior ea re, cuius esse nota dicitur. Nam aduersarii non volunt solum externam prædicationem verbi esse notam Ecclesiæ, sed prædicationem & receptionem simul. Ibi enim dicunt esse veram Ecclesiam, vbi prædicatur, auditur, & creditur verbum. At quis nosse potest, vbi credatur vere verbum? præterea etiam de externa prædicatione sine dubio notius est, quæ sit vera Ecclesia, quam quæ sit vera prædicatione verbi: nam id ab Ecclesia discimus, vt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, & omnes veteres docent. Idem ratio ostenditur: nam vera prædicatione, est prædicatione & interpretio veræ Scripturæ diuinæ: quæ sit autem vera Scriptura, & quis eius verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ, vt Augustinus, & ipsi hæretici docent, quando Ecclesiæ tribuunt ius testificandi de Scriptura, & ipsam interpretandi; & quoties Ecclesiam vocant custodem verbi Dei. At prius debet esse notus custos thesauri, quam thesaurus; & doctor, quam doctrina, cum à doctore petatur doctrina, non contra. Ergo potius Ecclesia est nota veræ prædicationis, quam vera prædicatione sit nota veræ Ecclesiæ.

Respondeo 1. Prædicatione verbi est vocabulum relatiuum, cuius correlatum est receptio ipsius, scilicet externa. Itaque facile possumus videre, vbi hæc duo locum habeant. 2. Verbum Dei est nota Ecclesiæ, professione Dei & nostra. Deus enim hic agit quasi professorem, in schola gratiæ nos instituendo. Itaque verbum Dei est nota Ecclesiæ, professione Dei tradentis verbum scripture, prædicatione, sacramentis. Idem est nota Ecclesiæ, professione nostra, profitentium nos recipere Scripturam, prædicationem, sacramentaque ipsius. Quæ Deus profitetur, iam Ecclesia est: quæ homines, iam Deum Ecclesiamque profitentur, & se Ecclesiæ membra. Tota hæc professio est nota Ecclesiæ: sed prima illa Ecclesiam constituit, & est nota ipsius essentialis in se; hæc notam Ecclesiæ in membris eius etiam particularibus ostendit. Verbum itaque Dei simpliciter & absolute est nota Ecclesiæ: cuius notæ adiuncta & consequentia sunt professio & receptio verbi. Illa nota est primaria: hæc, secundaria. Sunt hæc subordinata, quæ non pugnant: etsi non omnia sunt eiusdem ordinis, aut potentia, aut effectiois. 3. Res notiores dicuntur duobus modis, natura sua, & nobis. Nota Ecclesiæ est verbum Dei, siue Scripturæ sacra: estque hæc nota notior natura per afflatum & lucem Spiritus. Prædicatione est nota Scripturæ, vt index à Deo ordinata in Ecclesia: atque hæc nota nobis est notior, quam Scriptura, quæ prædicationis canon est & iudex. Vtraque autem est nota Ecclesiæ: illa constituens, hæc declarans, secundum illam. Nam verbum scriptum, est diuina nota: prædicatione externa eius, humanus actus. Quod si prædicatione verbi innotescit Ecclesia: igitur prædicatione est Ecclesiæ nota. Quod si nota notior debet esse ea re, cuius est nota; & verbum nota est Ecclesiæ natura notior, ac prædicatione nota Ecclesiæ notior nobis: profecto est axioma *magis nota est*, de externa prædicatione notius esse quæ sit vera Ecclesia, quam quæ sit vera prædicatione verbi, id est, nota magis innotescere rem quam nota ipsa sit cognita. 4. Ab Ecclesia discimus, quæ sit quam notificat, quam nota ipsa sit cognita. 4. Ab Ecclesia discimus, quæ sit vera prædicatione verbi: sed secundario, & per accidens: à Spiritu autem Dei & verbo veritatis in Scriptura sacra discimus primo & per se. Ab Ecclesia ergo discimus, nec sola, nec per se, sed secundum Scripturam. Et hoc sibi voluerunt Patres, quando ad ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, recurrendum esse dixerunt, & ab eis sumere, siue discere, iusserunt, quid Apostoli prædicauerint, quid illis Christus reuelauerit &c. 5. Quæ sit vera Scriptura, & quis eius verus sensus, scimus ex ipsa Scriptura, & ex testimonio Spiritus qui est in nobis, principaliter; ex testimonio ecclesiæ, instrumentaliter & occasionaliter, vt in scholis loquimur. Falsum itaque est, vtrumque pendere à testimonio ecclesiæ tantum. Hic vsuuenit, quod

Iohan. 6. legimus: vbi mulier Samaritana, quæ Christum audierat, ciues suos monet vt veniant & videant Christum. Ciues hoc testimonio permoti, veniunt ad Christum; quem vbi audierunt, dicunt, Non iam propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiimus, & scimus, quia hic est vere saluator mundi. 6. Ecclesia habet ius testificandi, sed non solum, neque primario, vt patet ex dictis. 7. Non est necessarium, sed contingens, vt prius noscatur custos thesauri quam thesaurus, & doctor quam doctrina. Deinde vt hoc demus, custos & doctor est Deus, *Iohan. 6. & 10.* Ecclesia administrata, qua Deus vtitur. Denique quo iure interpret notior est lege pro rostris palam exposita: Est autem Ecclesia interpret, Scriptura lex fidei, palam à Deo proposita, & singulis commendata, vt sit in ore tuo, & in corde tuo. *Rom. 10.*

VIII. *Tertio* veræ notæ sunt inseparabiles à vera Ecclesia. Sed Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum, ad quas scribebat Paulus, veræ Ecclesiæ erant, & tamen ibi non erat aliquando sincera prædicatione verbi, vt ex Apostolo cognosci potest, qui dicit se scribere Ecclesiis Dei, quæ sunt Corinthi, vel in Galatia, *1. Cor. 1. & Gal. 1.* & tamen *1. Cor. 11.* arguuntur Corinthii, quod docerent non esse futuram resurrectionem, & Galatæ per totam fere Epistolam reprehenduntur, quod docerent, seruandam esse legem Moysi cum Euangelio.

Respondeo. Ista Ecclesiæ fuerunt veræ, tum quia necdum à capite fundamentoque plane desierant, tum quia Deus non renuntiauerat eis testificatione publica, auferendo ipsis verbum veritatis. Adde, quod non omnes ita senserunt: & qui ita senserunt, seducti fuerunt, seque dociles præbuerunt. Itaque non desierunt esse in Ecclesia.

IX. Iam Bellarminus soluit quædam argumenta nostrorum pro hac nota, quorum alia sumta sunt ex Scripturis, alia ex Patribus, hoc ordine. *Iohan. 10.* Oves meæ vocem meam audiunt. Ibi est Ecclesia, vbi auditur verbum Dei. *Ephes. 5.* Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. E. vbi cunque est verbum mundans, ibi est Ecclesia. *Matth. 18.* vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Iohan. 10.* Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est. *Et cap. 15.* Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. *Rom. 1.* Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. *Chrys. hom. 49. in Matth.* Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscet, nisi tantummodo per Scripturas? *Aug. epist. 166.* In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam &c. Bellarminus ita respondet. *Primus locus* non docet, vbi sit Ecclesia, sed docet, qui sint electi, nimirum qui corde perseueranter audiunt & retinent verbum, vt exponit Augustinus. Itaque hoc loco non proponitur visibilis nota Ecclesiæ. *Secundus locus* etiam nihil probat: quia mundatio illa est inuisibilis. nec Paulus ibi vult docere, quæ sit, vel vbi sit Ecclesia, sed quid boni Deus contulerit Ecclesiæ. *Tertius*, non demonstrat, vbi sit Ecclesia, sed vbi sit Christus. Et vero congregari in nomine Christi, est congregari ab illis, qui funguntur autoritate Christi, quales sunt Episcopi nostri. Atque ita hæc fuerit nota Ecclesiæ. *Quartus locus* nihil probat: quia ioli principes ibi dicuntur dii. Et vero verbum Dei non facit deos, si tantum prædicetur, sed si recipiatur & credatur. at hoc est inuisibile. *Quintus locus* est similis secundo. *Sextus* nihil probat: quia effectus Euangelii est inuisibilis. *Loca Patrum* nihil etiam probant: quia ex Scriptura probatur, vbi sit Ecclesia, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia Scriptura docet, quæ sunt notæ, dum docet, qualis illa sit, vbi cœperit, quomodo creuerit.

X. Hæc sunt argumenta nostrorum, sed neque omnia, neque præcipua, vt patet ex *preced. cap.* ad quæ Bellarminus respondendum sibi duxit. Nos opponimus istas responsiones. *ad 1.* Illis verbis docetur, non, vbi sit Ecclesia, sed qui sint de Ecclesia, seu quorum sit Ecclesia, nempe ouium Christi, seu illorum qui audiunt vocem eius. Hic auditus verbi efficit hominem Christi ouem, & proinde etiam monstrat gregem seu ouile Christi, hoc est, Ecclesiam. *ad 2.* Ecclesia vti que demonstratur à bono, quod Deus in eam confert, hoc est, à beneficiis, inter quæ sunt verbum & sacramenta. *ad 3.* Atqui hæc relata sunt, ac potius adunata. Vbi ergo Christus in medio hominum est, ibi Ecclesia: & vbi homines illi, ibidem Christus. Deinde congregantur homines in nomine Christi, aut à Christo ipso immediate per Spiritum eius, aut mediate à seruis ipsius ordinariis vel extraordinariis, publicis aut priuatis. Falsum itaque est tantum congregari ab Episcopis, & quidem Romanis. *ad 4.* Principes aut politici sunt, aut Ecclesiastici, vt *1. Cor. 12. & 14.* dicti, de quibus *Deus Exod. 22.* ait: Deos ne exsecrator; & principi in populo tuo ne maledicito: cuius loci est certissimus interpret Paulus *Act. 23.* Et quid verat, amabo, quo minus eadem esse dicatur Davidis in Psalmo sententia? Deinde verbum Dei omnes facit deos, id est, diuinæ naturæ consortes, vocatione communi, quamuis non singulos, vocatione singulari: & interna. nam hæc vocatione est vitæ, illa vitæ: sed in via subsidunt plurimi. *ad 5.* Etsi mundatio cordis videri non potest: tamen sermo Dei, qui hanc mundationem efficit, videtur. *ad 6.* Paulus ibi loquitur de Euangelio prædicato, seu de prædicatione in Ecclesia visibili, eiusque fructificatione inuisibili simul. *Ad loca Patrum* quod attinet, negatur primo distinctio. Diserte enim dicunt, Ecclesiam innotescere ex Scriptura. Deinde esto, quod dicit Bellarminus. At hoc ipso conficitur euentissime, Scripturam igitur notarum omnium matrem esse, notamque principem. Nam si notificat notas, nota earum est. At notificat, quia docet, quæ sunt notæ Ecclesiæ, dum docet, qualis illa sit, vbi cœperit, quomodo creuerit: ad quæ capita referuntur notæ, quas Bellarminus supra tradidit.

XI. Antequam videamus, quid Bellarminus ad secundam notam excipiat, duo ipsius argumenta contra nostram sententiam refutanda sunt. 1. Potest esse pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia: vt schismatici puri, quales erant Luciferiani & Donatistæ. 2. Ecclesia simpliciter est prior, & notior quam Scriptura: nam Ecclesia fuit ante Scripturam, & ipsi data est Scriptura à Deo, & ipsa eam aliis tradit & explicat. Aliquando tamen, ex hypothesi, Scriptura est notior, quando videlicet Scriptura est recepta, & clare loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia: sicut interdum è contrario Ecclesia est recepta, & nota, & quæstio oritur de Scriptura: & sic vnum probatur ex altero. *Respondeo ad 1.* Id vero negatur: neque autoritate, aut ratione, aut ex iplo confirmari potest. Deinde schismatici puri non sunt plane extra Ecclesiam, sed extra Ecclesiæ partem, à qua scilicet sunt propria

voluntate
vir Ecclesie
nici non est
prius & n
Notius est
posterior
Ecclesia.
hæc duo
aliud est
etiam hoc
quam hoc
cundum
sunt aff
X
nam pri
timus & n
legitimus
tem pen
vera Ecc
re tracta
erat fru
cere tra
sibi ven
uiterina
potest d
secundu
sincera
dum or
quam a
tamen a
que dic
XII
uocatio
inuoca
baptist
interma
conium
liff. D
XI
tiones
Et pusi
gnas ar
Luthe
propr
notro
quand
segg
X
inte
confe
ment
dicun
fidei,
lem. E
nobis
stant
Re
que i
Non
fuit e
runt
causa
idolo
I
gue
qui
No
cur
rum
mn
Ca
Ap
20
faci
ex
in
de
bet
Ec
Vn
Po
Po
ec

voluntate sua, dum hæret adhuc capiti Christi & spiritui vitæ, ex quo vivit Ecclesia; quamvis scilicet: ut libro præced. probauimus. Tales vero schismatici non erant Luciferiani & Donatistæ. ad 2. Verbum Dei simpliciter est prius & notius Ecclesia. Prius est: nam colligit, facit, constituit Ecclesiam. Notius est, nam lux est illustrans Ecclesiam. Scriptura vero, qua scripta, est posterior quidem, sed non ignota. Nam res Scripturæ & prior & notior est Ecclesia. Itaque Scriptura est vna eademque notitia cum verbo Dei: nam hæc duo vnum sunt secundum substantiam, licet modo differant. Deinde aliud est de rebus absolute comparandis agere, aliud vero secundum respectum horum aut illorum. Scriptura simpliciter & absolute est prior & notior quam Ecclesia: sed hæc potest esse prior & notior secundum quid, nempe secundum rationem hominum quibuscumque agitur, prout hoc aut illo modo sunt affecti.

XII. *Secunda nota*, inquit Bellarminus, iisdem argumentis refutatur. nam primo eam vendicant sibi omnes, Catholici & hæretici. Secundo, legitimus sacramentorum usus minus est notus quam sit Ecclesia. Nam ille est rem pendens ab Ecclesia, non contra. Tertio, Ecclesia Corinthiorum erat vera Ecclesia, & tamen 1. Cor. 11. reprehenduntur Corinthii, quod non sincere tractarent præcipuum sacramentum; & similiter Africanæ Ecclesiæ, quæ erant sub Cypriano, & sub illis 86. Episcopis, quorum ille meminit, non sincere tractabant sacramentum baptismi. Respond. 1. Non refert, quam multi sibi vendicent hanc notam: quia vera Ecclesia veram notam habet, falsa aduiterinã & imitaticiam, vt in ratione monetæ veræ & adulterinæ siue *monetæ* videtur. 2. Scripturæ non pendens ab Ecclesia: quia causa non potest dependere à suo effecto. 3. Sincerum dicitur aut ad perfectionem, aut secundum quendam modum. Non fuit quidem Corinthiis ad perfectionem sincera ex omni parte administratio S. cœnæ; sed tamen fuit sincera secundum omnes partes essentielles suas quod enim reprehendit in eis Apostolus, quam accidentia? Deinde, etsi commuue Ecclesiæ reprehenditur, persistabat tamen adhuc apud multos pios sacræ illius actionis sinceritas. Quod vtrumque dicimus quoque de Ecclesiis Africanis sub Cypriano.

XIII. *Tertia nota*, oratio & psalmodia, refellitur: quia si loquatur de inuocatione, quæ ex corde procedit, inuisibilis nota est: si de externa tantum inuocatione & psalmodia, est nota communissima, competens Arianis, Anabaptistis &c. Respond. Disunctio non est immediata: nam dicendum fuit, aut interna, aut externa, aut vtraque simul. nam hæc duo semper in Ecclesia pii coniunxerunt, vnicuique inuocationis actus; & iubet Paulus 1. Cor. 14. Eph. 5. Coloss. 3. Deinde hæc nota reducit ad primam nostram.

XIV. *Quarta nota* est interna castitas, pusillanimitas, externæ persecutiones, vocari hæreticum. At interna castitas non est nota, quia inuisibilis. Et pusillanimitas est vitium. Porro Ecclesia in principio & sine passis est magnas angustias: at in medio fuit florentissima, & omnia prædicta sunt. Resp. Lutherus hoc vult, crucem esse notam Ecclesiæ; puta communem, non propriam. Tum etiam Lutherus dixit hoc *notum*, respiciens conditionem nostrorum temporum. Denique, Ecclesia erit tum demum florentissima, quando cadet magna Babylon, id est, Romana Ecclesia. *Apocalyp. 18. & seqq.*

XV. *Quinta nota* est Centuriatorum, quod ea sit vera Ecclesia, in qua inueniuntur qui perseuerant in confessione fidei vsque ad mortem. Sed hæc confessio non est magis nota Ecclesiæ, quam prædicatio verbi & usus sacramentorum. Deinde hoc modo falsa fuerit Ecclesia Lutherianorum, quia illi dicunt per multa secula ante Lutheri aduentum cessasse confessionem veræ fidei, & Ecclesiam conseruatam fuisse in latebris, protulque fuisse inuisibilem. E. Ecclesia Lutherianorum est noua, & proinde falsa. Denique hæc nota nobis fauet: quia habemus innumerabiles martyres, qui perseuerarunt constantissime in confessione fidei.

Respondeo 1. Confessio constans fidei est nota membrorum Ecclesiæ, eamque includit professio doctrinæ, quam esse legitimum notam cuiusvis. 2. Non cessauit confessio veræ fidei vniuersè in Papatu, sed in communi solum. Fuit enim Ecclesia conseruata in latebris. Et subinde aliqui heroes prodierunt ex latebris, qui palam confessi sunt fidem Christi. 3. Non passio, sed causa facit martyrem. Itaque veri martyres non sunt, qui superstitionem & idololatriam sanguine suo obfignant.

CAP. XXI.

Ecclesiam Romanam hodiernam non esse Catholicam: nostram esse.

I. Titulus indicat duo futura esse huius capituli capita, vtrumque magni momenti. Et, vt à primo incipiamus, Ecclesia Romana dicitur ambigue. Aut enim proprie sonat cœterum qui est Romæ, aut *notum* quidquid ecclesiarum est in orbe terrarum quod Ecclesiæ Romanæ adhaeret. Nos hoc loco vtramque significationem respicimus, & tria huius Ecclesiæ curricula distinguimus. Primum est tempore Apostolorum, & discipulorum, ducentis fere annis. Quo toto tempore Ecclesia, quæ fuit Romæ, omnesque Ecclesiæ, quæ cum illa communionem coluerunt, fuerunt vera, & Catholice fidei, atque hoc sensu Catholica, Christi Ecclesia, quam Rom. 1. 8. Apostolus graphice depingit. Secundum curriculum est ab anno Christi 200. vsque ad 606. à Victore, Episcopo Romano, inclusiuè, vsque ad Bonifacium III. exclusiuè. Ecclesia Romana, quæ hoc tempore fuit, licet aliqua ex parte corrupta fuerit, siue doctrinam, siue ritus, siue disciplinam & vitam inspicias; quia tamen fundamentum fidei in Christum, & penitentiam erga Deum, saluum retinuit, omnino & ipsa pro vera Christi Ecclesia haberi debet. Tertium curriculum est inde ab an. 606. vsque ad hunc præsentem 1628. Ecclesia Romana huius temporis est Papistica, hoc est, à Papa denominatur. Vnde *Becanus in manuali lib. 1. cap. 3. conclus. 5.* recte dicit, Ecclesiam appellari Pontificiam, quia Pontifici subiecta est; Romanam; à nobiliori sui parte Pontificia, inquam, siue Papistica denominatur à Papa, capite & pastore suo ecumenico. In qua distinguimus ista quatuor. 1. Ecclesia distinguenda est à

Tom. V.

Papatu, siue Papalitate. Nam in Ecclesia est Christianitas; in Papatu, virus & vires Antichristi. 2. Ecclesia Romana Pontificia, siue Papalis, duob. modis intelligi potest. Primo, vt hierarchica, seu representatiua, quæ ipsi hoc nomine appellare solent: quæ videl. ex Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & reliquo clero, cõponitur; totumque Ecclesiæ corpus, præsertim in Conciliis generalibus, representare dicitur. Secundo, vt Ecclesia popularis, seu Ecclesia laicorum, hoc est, vt multitudo illa promiscua, doctrinam vulgo receptam credentium. 3. Personæ in Ecclesia hierarchica sunt seducetes, vel seducti: dogmatizantes, vel non: persequentes hostiliter membra Christi, vel non: errantes ex ignorantia, vel ex malitiã. In Ecclesia representatiua itidem alii sunt seducetes, alii seducti: alii persecutores, alii non item: alii implicite, alii explicite profitentes fidem Romanam: alii errantes ex ignorantia, alii ex malitiã. Ecclesia Papistica dicitur vniuersè, vel indefinite & in communi. Illa omnes & singulos comprehendit: hæc plerisque. His ita præsuppositis, nostram sententiam certis thesibus complectemur.

II. *Prima thesis* hæc esto. Ecclesia Papistica, in communi sumpta, qualis fuit olim inde a Bonifacio III. & etiamnum hodie est, non est vera & Catholica Christi Ecclesia, sed Antichristiana. Quod ita demonstramus. 1. Quale est caput, tale etiam corpus esse necesse est. At caput huius Ecclesiæ, Pontifex Romanus, est Antichristus: vt fufe probauit *Chamierus tom. 2. E. Ecclesiæ*, sub hoc capite merens, est Ecclesia Antichristi. 2. Qualia sunt membra, tale est corpus. Atqui pleraque membra huius Ecclesiæ, sunt mortua: quia tum prælati Ecclesiastici per omnia fere similes esse deprehenduntur suo capiti, tum laici sequuntur ductum suorum pastorum. E. corpus quoque ipsum est mortuum. 3. Si est Catholica ista Ecclesia Pontificia, aut est distulata toto orbe, aut hoc nomen metetur propter fidem Catholicam. Non illud; quia est Ecclesia particularis, cui semper contradixerunt Græci ob arrogatam istam eminentiam, cuique nostri hæctenus fortiter contradicunt. Non hoc; quia Pontificii non amplectuntur fidem Catholicam, quæ omni tempore in Ecclesia V. & N. T. viguit; quod paucis ita ostendo. Papista labefactant & euertunt fundamentum sanæ fidei, & sanctæ vitæ: quibus duabus partibus continetur perfectio Christianæ religionis. Fundamentum sanæ fidei tribus potissimum modis tollunt, quando docent, Christi iustitiam & meritum non esse nostram iustitiam & meritum, qua sola iusti censeamur à Deo; non solum Deum esse adorandum, sed etiam sanctos; illorumque imagines, reliquias &c. denique Christum quotidie offerri in Missa, ita vt sacrificium ipsius in cruce peractum nullius sit valoris absque sacrificio Missæ. Fundamentum sanctæ vitæ tribus itidem modis potissimum labefactant, quando docent, nos posse & debere legem implere, adeoque vitam æternam mereri, opus operatum in sacramentis, auscultatione Missæ, & similibus, placere Deo per se; vitas sanctorum suorum esse regulas vitæ perfectæ. 4. Si Ecclesia Papistica est vera Ecclesia Christi, aut est visibilis, aut inuisibilis, aut visibilis & inuisibilis simul. Non est Ecclesia vera visibilis; quia destituitur veris notis, puta prædicatione verbi Dei, & legitima sacramentorum administratione. Non est Ecclesia vera inuisibilis; quia destituitur illius notis, vt sunt fides, spes, caritas, vt patet ex numero præced. 5. Ecclesia, quæ in Apocalypsi appellatur magna meretrix, ebria sanctorum sanguine &c. est Ecclesia Antichristi. At Romana Papistica est illa ipsa meretrix, ebria sanctorum sanguine. Cum ipsa enim scortati sunt reges terræ, & ipsa persequitur Ecclesiam reformatam. Ergo. 6. Ecclesia Romana commenta sua ex Iudaismo, Paganismo, & Christianismo consuit. E. non est vera Christi Ecclesia. 7. Nulla ex quindecim notis Bellarmihi competit Ecclesiæ Papisticæ. E. ex hypothesi non est vera Ecclesia. Antecedens probatum est supra aliquoties. Atque hæc esto prima thesis de ecclesiâ Papistica in communi, seu indefinite, considerata.

III. *Secunda thesis*. ecclesia Papistica vniuersè, non est ecclesia Antichristi, sed aliquid compositum ex ecclesia Christi, & Antichristi. Quod ita demonstrato. 1. Ecclesia Christi est, quæ salutem suam vnice in Christo quaerit, iuxta quinque capita catechetica, vt sunt symbolum Apostolicum, decalogus, oratio Dominica, baptismus, & S. cœna. Atqui plurimi in Papatu, inde a Bonifacio III. hoc fecerunt, & hodie quoque id faciunt. Ergo illi fuerunt & sunt ecclesia Christi. 2. Ecclesia Antichristi est, quæ salutem partim in Christo, partim extra Christum in suis operibus, meritis, & similibus nugis quaerit. Atqui homines in Papatu maximam partem hoc fecerunt, & faciunt. E. Hinc itaque efficitur, vt corpus tabidum vel hydropticum ex duobus constat, substantia nempe corporis, & vitio ipsius; & aceruus ex tritico & palea, itemque aurum subaratum ex auro & ære: ita ecclesiam Papisticam compositam esse ex ecclesia Christi, & Antichristi, seu ex Christianitate, & Papalitate.

IV. *Tertia thesis*. Seductores, authores dogmatum & Ordinum, persecutores, errantes ex malitiã, credentes explicite doctrinam Papæ, hi, inquam, omnes, pertinent in Romana ecclesia ad Papalitem; quamdiu in isto statu perseuerarunt. Ratio est; quia seducere homines à Christo; eudete dogmata verbo Dei contraria; persequi ecclesiam Christi, adeoque Christum in ecclesia; errare ex malitiã; instituere Ordines siue religiones, in quibus sita sit magna perfectio; consentire in dogmata verbo Dei contraria; denique in his omnibus perseuerare: id, inquam, non potest proficisci ab eo, qui audit vocem Christi, atque ira est ipsius ouis, pertinet ad eius ouile, quod est ecclesia.

V. *Quarta thesis*. Qui in Papatu fuerunt seducti, ita vt errauerint ex mera ignorantia; neque fecerunt aut probarunt persecutiones membrorum Christi; & implicite atque obiter doctrinam Papisticam professi sunt; de illis bene speramus. Ratio est; quia historia & experientia docent, huiusmodi homines sæpe præditos esse verâ fidem, quæ in vno Christo eiusque morte recumbit. Hæc autem fides est vere Catholica, omnium sanctorum propria & communis, inde ab Adamo vsque ad finem seculi.

VI. *Quinta thesis*. Ecclesia Romana Papistica, vniuersè sumpta, non potest absolute dici ecclesia Christi. Ratio est; quia qualibet vniuersitas denominatur à sua forma. Iam vero ecclesiæ Papisticæ forma est introducta à Pontifice Romano, vt patet ex inductione historica, & definitione ecclesiæ apud Bellarmianum & reliquos Papistas. Desinunt enim illi

K 3

excl.

Ecclesiam Catholicam, eorum hominum, eiusdem Christianae fidei professione, & eorumdem sacramentorum communionem colligatur, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue unius Christi in terris vicarii Pontificis Romani. Sed obiici solent ista duo. 1. A potiori sit denominatio. Ergo quia Ecclesia illa proficitur fidem Christianam, merito dicitur Ecclesia Christi. 2. Sicut corpus tabidum aut hydropicum retinet nomen, quod sit corpus hominis: ita in Ecclesia Papistica res se habet.

Respondeo ad 1. Propositio copulata, ut Logici recte obseruant, efficitur falsa, saltem ob vnam partem falsam. Itaque quia Papista adulterant doctrinam suae fidei Christianam, hoc est, vero falsum miscet, religio ipsorum Christiana dici non potest. *ad 2.* Corpus tabidum aut hydropicum retinet substantiam corporis humani: at Ecclesia Papistica, qua Papistica, substantiam, id est, fundamentum doctrinae Christi euerit.

VII. *Sexta thesis.* Ecclesia Pontificia est Ecclesia Christi corrupta, & deformata. Nam nondum aperte haecenus Christo repudium misit, neque omnino vitam spiritualem amisit, neque vniuersum vinculum, quod inter Christum & Ecclesiam intercedit, penitus abruptum. Ratio primi est; quia non defecit a fidei Christianae professione, ut Mahomet defecit. Ratio secundi est; quia aliquid Christi, & fidei in ipsum, reperitur in quibusdam membris huius Ecclesiae. Ratio terti est; quia vinculum istud est foedus gratiae, quod in Papatu pertinet ad infantes electos, qui moriuntur in ista sua aetate, itemque ad testes veritatis suae confessores verae fidei, denique ad omnes veros Christianos occultos, quorum alii magis, alii minus, prout fides & obedientia eorum dissimiliter se habet, sibi applicant foedus illud gratiae. Vbi cumque igitur aliquid verae fidei & obedientiae reliquum est, ibi aliquam Ecclesiae portionem, quantumuis laceram, & deformem, superesse credendum est. *Summa* itaque illorum, quae haecenus diximus, huc redit. Quia charitas omnia credit, omnia sperat, omniaque in optimam partem interpretatur, committendum non est, vt illis, qui sub Papatu errores praecipuos neque approbant, neque intelligunt, sed fundamentalia religionis Christianae capita, quae Catechetica dicuntur, retinent, suamque fidem innocentiam vitam quoque exornant, vt inquam, his talibus Ecclesiae titulum detrahamus.

VIII. *Septima thesis.* Ecclesiae Romanae societas deferenda est, contraque Ecclesiae reformatae communio externa colenda est, si fieri possit. Sin, sufficit si ex animo aliquis colat communionem internam cum omnibus sanctis inde ab initio mundi. Ratio prioris assertionis est; quia Ecclesia reformata, per Dei gratiam ab omni idololatria, aliisque id genus capitalibus erroribus, repurgata est: tamen fortassis suos etiam nauos, alibi plures & grauios, alibi pauciores & leuios, ipsa quoque habere deprehenditur; prout in hac vita nihil ex omni parte perfectum haberi potest. E contra ratio Romana idololatria est de dedita, vnde imminet magnum seductionis periculum, & innumeros fouet atque instillat errores, qui etiam recte sentientibus per sophisticam persuaderi possunt. Ratio posterioris assertionis est; quia saepe numero vsu venit, vt non possimus vlla ratione discedere ex illo loco, vbi degimus, & vbi viget idololatria Ecclesiae Pontificiae. In hoc itaque casu satis est, si ex animo colamus communionem internam cum Ecclesia catholica, & quoad eius fieri potest, vitemus communionem externam cum Ecclesia Romano-Papistica. Imitemur hic pios liberos, qui matri adulterae cohabitantes abhorrent ab ipsius peccato.

IX. *Secundum huius capituli membrum* est, an Ecclesiae reformatae, quae dicuntur, sint haereticae, schismaticae, & apostolicae Ecclesiae? Papista aiunt: nos constanter negamus. Vtriusque partis argumenta adferamus, & primo quidem loco nostra, quibus conficimus, Ecclesias nostras neque haeticas, neque schismaticas, neque apostolicas esse; sed contra vere Christianas, vereque orthodoxas & Euangelicas, adeoque ipsissimam Christi Ecclesiam Catholicam, id est, catholicam fidei addictam. Vnde patet quatuor genera argumentorum nobis esse in medium adferenda. Et primo quidem *Ecclesiae nostrae non sunt haeticae.* Nam haeresis est opus carnis, quo homo in fide errat deliberata voluntate, in hae isto errore perseverat, etiam si conuictus sit idoneis argumentis. 1. *Corinth. 11. Galat. 5.* Et haeticus est homo animo peruersus, suoque ipsius iudicio damnatus, *Tit. 3.* quippe secure & pertinaciter in errore suo perseverans, religionemque Christianam malitiose adulterans. Vnde patet, eos pro haeticis haberi non posse, qui ex solo Dei verbo sapere, fidemque & vitam suam ad illius praescriptum exigere solent, parati insuper sunt errores, si quorum conuinci queant, abicere; eoque pacem & concordiam fraternam cum omnibus Christum pure inuocantibus (vt dicitur *2. Timot. 2.*) colere parati sunt. Hoc autem pro virili sua parte faciunt Ecclesiae nostrae, & quotidie magis ac magis facere cupiunt. Ergo nullo modo sunt haeticae.

X. Deinde *nostras Ecclesias non esse schismaticas* similiter patet ex definitione schismatis & schismatici; quae colligitur ex *1. Corinth. 1. & 3. & 11.* aliisque locis parallelis, hunc in modum. Schisma est opus carnis, quo homo ex carnali zelo, inuidia, vel ambitione, vnitatem verae Ecclesiae scindit, & factiones in ea instituit & alit. Vnde, quid sit schismaticus, facile colligitur. Et si ergo minor in schismatico, quam in haeretico malitia inest: ille tamen, seruata proportione, ab hoc parum discrepat. Quia vterque malum adfert Ecclesiae, & quidem ex proaeresi. Hinc efficitur, eos, qui ex carnali zelo, inuidia, vel ambitione, vnitatem Ecclesiae non scindunt, aut factiones in ea instituunt, fouent, alunt; licet alioqui ex Babylone exeant, & ab idololatriis, aliisque id genus peccatoribus manifestis, discedant (quippe quod omnes pii facere iubentur, *1. Cor. 10. 2. Cor. 6. Apoc. 18.*) pro schismaticis haberi nullo modo posse. At Ecclesiae nostrae prorsus ita se gerunt, vt iam dictum est. Ergo schismaticae non sunt, licet a Romano-Papistica Ecclesia secesserint. Non est bona illa consequentia: Si quis ab hac aut illa Ecclesia discedit, ergo ab Ecclesia plane illum discedere. Nugatur, qui sic ex particulari concludit vniuersale.

XI. Tercio *Ecclesias nostras non esse apostolicas* itidem probatur ex definitione apostatae, & apostatae. Apostata est opus carnis, quo quis a vera fide, seu puro Dei cultu, ad fabulas & inanes hominum traditiones,

sive ad idololatriam & Antichristianismum deficit. Quique hoc facit, inde apostata dicitur. *2. Thess. 2. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. 2. Petr. 2.* Vnde efficitur, eos, qui a vera fide, & Christiana pietate nequaquam desciscunt; sed ad ea potius, quam proxime fieri potest, accedunt; licet alioqui a conceptis abusibus, & erroribus, non parum recedant; pro apostatis haberi non posse. At Ecclesiae nostrae ita se gerunt, vt diximus. Non igitur sunt apostolicae.

XII. Ad extremum *Ecclesias nostras esse vere Christianas, Catholicas, & orthodoxas*, adeoque pertinere ad Catholicam Christi Ecclesiam, tribus potissimum modis demonstratur. 1. Ex hypothese Bellarmini. Ecclesia Catholica est, cui competunt quindecim ipsius Bellarmini notae supra recitatae. Atqui nostrae Ecclesiae competunt: quia illa est Catholica, propter doctrinam Catholicam; est antiquissima, itidem propter doctrinam; habet suae confessionem realem; habet gloriam miraculorum, & lumen propheticum, videlicet veterum prophetarum & Apostolorum; multorum aduersariorum confessione, est vera Ecclesia; satis felicitatis temporalis habet inter varias pressuras; conspirat cum Apostolorum doctrina &c. Ergo est Ecclesia Catholica, cuius nempe membra dispersa sunt hinc inde per mundum, & cuius doctrina est catholicissima. 2. Ecclesiae nostrae competunt duae notae, quas genuinas & infallibiles esse demonstrauimus. Vnde sic concludimus. Quaeunque Ecclesia sincere docet verbum Dei, & legitime administrat sacramenta; seu quae omne illud & solum amplectitur, credit, & docet, quod propheticae & Apostolicae Scripturae amplectendum, credendum, & docendum proponunt, illa est vera Ecclesia. At nostra Ecclesia sincere docet verbum Dei; & legitime administrat sacramenta; seu illud omne & solum amplectitur, credit, & docet, quod propheticae & Apostolicae Scripturae amplectendum, credendum, & docendum proponunt. E. nostra Ecclesia est vera. 3. Ecclesia, quam Antichristus inde ab an. 606. persequitur, est vera Ecclesia. At qui nostra est illa ipsa, cuius membra Antichristus Romanus toto illo curriculo persequitur. E. est vera Christi Ecclesia.

XIII. Huic nostrae affirmatiuae opponunt Papista negatiuam suam, quam *Becanus lib. 1. manualis cap. 3. conclus. 6.* sic enuntiat, & probat. Ecclesia Lutheranorum & Calvinistarum, quam ipsi Reformatam vocant, non est vera Christi Ecclesia. Probat primo, quia vna tantum est Christi Ecclesia. Si ergo Romana, seu Pontificia, in qua nos sumus, est vera Christi Ecclesia, certe reformata, in qua aduersarij sunt, vera Christi Ecclesia esse non potest. Alioqui, cum haec ab illa dissideat, essent duae Christi Ecclesiae inter se diuersae ac discrepantes: quod est absurdum.

Respondeo. Negatur antecedens, ex causis paulo ante dictis. De probatione ipsius videbimus cap. seq. *Secundo*, vera Ecclesia est sponsa Christi. At reformata Ecclesia non est sponsa Christi. E. Minor probatur ex principiis aduersariorum; quae sunt numero tria. 1. Romanam Ecclesiam primis quingentis annis, aut circiter, fuisse veram & legitimam sponsam. 2. Eandem post illud tempus cepisse paulatim prostriti & corrumpi; ac eo tandem deuenisse, vt tempore Lutheri, publica meretrix & adultera deprehensa sit, ideoque a Christo repudiata. 3. In eius locum successisse Ecclesiam reformatam, in qua Lutherani & Calvinistae sunt. At hinc sequuntur multa absurda. Primo, omnia esse falsa, quae de perpetua & indissolubili coniunctione Christi cum Ecclesia a prophetis & Apostolis praedicta sunt. Secundo, nullum ex hac parte discrimen esse inter Ecclesiam Christi, & synagogam Iudaeorum. Vtramque enim propter adulterium fuisse repudiatam. Tertio, Christum aliquot saeculis non habuisse sponsam, sed adulteram. Quarto, ex hac adultera natos esse Lutherum & Calvinum. Itaque spurios esse, non legitimos filios Ecclesiae. Quinto, Ecclesiam reformatam esse aliorum noueram, non matrem. Videant ipsi, an haec vera sint. Nos certe aliter sentimus de nostra matre: non duas, sed vnam agnoscimus; non adulteram, sed castam, non repudiatam, sed sponso suo vnice charam, & perpetuo illi adhaerentem. Nobiscum sentiunt, quotquot veri & genuini Ecclesiae filij sunt. Ac in primis *D. Augustinus serm. 12. de tempore*, vbi de Christo & eius sponsa sic habet. Hic est speciosus forma praefiliis hominum, sanctae filius Mariae, sanctae sponsus Ecclesiae, quam sua genitrici similem reddidit. Nam & eam nobis matrem fecit, & virginem sibi custodiuit. *Et mox:* Est ergo Ecclesia, sicut Mariae, perpetua virginitas, & incorrupta fecunditas. *Et serm. 50. de verbis Domini:* Christus Ecclesiae concessit in spiritu, quod mater eius habet in corpore, vt & mater & virgo sit. *Et rursum serm. 119. de tempore:* Virgo est Ecclesia. Dicitur es mihi forte: Si virgo est, quomodo parit filios? *Respondeo:* & virgo est, & parit. Mariam imitatur, quae Dominum peperit. Numquid non virgo S. Mariae & peperit, & virgo permansit? Sic & Ecclesia, & parit, & virgo est. Hinc sumo duplex argumentum. 1. Sicut olim habitus sunt haeretici, qui dicebant B. Mariam non semper permansisse virginem: ita nunc habendi haeretici, qui dicunt Ecclesiam non semper mansisse virginem. Est enim eadem vtriusque ratio, secundum Augustinum. 2. Ideo Ecclesia dicitur mater, quia nos gignit in spiritu: ideo virgo, quia seruat incorruptam fidem. At semper manet virgo, secundum Augustinum. Ergo semper seruat incorruptam fidem. Faciant igitur, qui illam meretricem, adulteram, idololatricam, contumeliose appellant.

Respondeo vno verbo, est ignoratio elench. Nos enim discrete fatemur, Ecclesiam Catholicam esse & manere sponsam, matremque inde ab initio mundi vsque ad finem. Sed de particulari Ecclesia, id est Romana, pronuntiamus cum Apocalypsi S. Iohannis, & antiquis Patribus, illam factam esse meretricem, ex quo cepit dependere a Pontifice, tanquam nouo sponsa. Nugatur itaque Becanus, dum aberrat a quaestione, illiusque statum peruertit. Hinc patet, indissolubilem vniorem inter Christum & Ecclesiam, quae est toties praedicta, non periclitari: quia ab Ecclesia Papistica ad Catholicam non valet argumentatio. Hinc patet, Ecclesiam, non Catholicam, sed Papisticam, esse corruptam, neque tamen haecenus omnino repudiatam, vt in superioribus diximus. Hinc denique patet, nostros reformatores non esse natos ex adultera, sed ab illa secessionem fecisse. Porro quod dicitur, haeresim esse, si quis neget Mariam fuisse *uero virginem*, id probari non potest. Error est, non haeresis.

XIV. Tercio, inquit Becanus, in vera Christi Ecclesia viget donum miraculorum.

miraculorum
Maior parte
corpore. N
ueria offic
ueria dona
interpretatio
mano corp
(nam ocul
adscit ab
ecliae con
therans a
in ditribu
cum la
ecclesiam
mandam
saltem mu
est, donum
pra pluri
re illud d
reculis, q
Reforma
Testame
mus.
XV
columna
E. Maior
te. Aiu
olum fuit
que iplo
rum ei
tunt. Si
unt, mag
magis in
principi
sed sent
se. Alte
nec locu
runt. Ta
notam &
Pontific
aduersari
aduertes
ficere. i
ueterit
Manent
non pos
argume
etiam c
later
etiam
plis nor
bus? I
quatur
cidet ha
non po
singulo
bum D
luma
serimur
tem de
infalli
se. Si
bilen
signen
unt. S
fia sun
sibilem
prae
etiam
stina
Ergo
Aut, si
destin
Et rat
mnes
sibilem
fia vis
uit, o
Nulla
non e
2. V
in fide
mod
Repe
eccle
tio el
singul
tam
erran
tis, &
prob
lito,
non
non
pen

miraculorum. At in ecclesia reformata non viget donum miraculorum. E. Maior patet ex Apostolo, 1. Corinth. 12. ubi confert Ecclesiam Christi cum corpore. Nam sicut in humano corpore sunt multa membra, quae habent diversa officia & functiones: ita in ecclesia sunt multi fideles, qui habent differentia dona à Deo concessa. Nam alius habet donum miraculorum, alius interpretationis Scripturae, alius aliud. Rursum, sicut membra abscissa ab humano corpore, non possunt exercere ullam functionem humani corporis (nam oculus erutus non potest videre; nec auris abscissa, audire) ita homines abscissi ab Ecclesia, non possunt habere donum miraculorum, quod soli ecclesiae conuenit. Minor probatur, quia nullum unquam miraculum à Lutheranis aut Calvinistis patratum est: ut verissime de illis scripsit Erasmus dum sanare potuerit. Et tamen si verum esset, quod ipsi clamant, nostram ecclesiam haecenus errasse, ac se à Deo specialiter vocatos esse ad eam reformandam; maxime fuisset necessarium, hanc ipsorum vocationem vel vno est, donum miraculorum esse vel proprium, vel perpetuum in ecclesia: ut si plures demonstratum est. 2. Falsum est, ecclesiam Papisticam habere istud donum: ut & ibi probauimus. 3. Nostra doctrina non indiget miraculis, quia est vetus illa doctrina, quae infinitis miraculis est confirmata. 4. Testamen. demonstrant. Sed, ut dixi, haec suo loco copiose persecuti sumus.

XV. Quarto vera Christi Ecclesia non potest errare in fide, cum sit columna & firmamentum veritatis. Ecclesia reformata potest errare in fide. E. Maior fuisse probata est superius. Minorem cogunt aduersarii concedere. Aiunt enim, totam Christi ecclesiam errare posse: & Pontificiam, quae olim fuit vera Christi ecclesia, de facto errasse. Ex quo sequitur, totam quae ipsorum ecclesiam errare posse, ideoque neminem apud eos securum aut rurum esse de sua fide. Vel enim sequuntur Ecclesiam suam, vel ab ea dissentiunt. Si illam sequuntur, nihil certi habent, si errare potest. Si ab ea dissentiunt, magis perplexi sunt; quia si tota ipsorum ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum errare possunt. Quod magis confirmo ex duobus principiis, quae ipsi statuunt. Vnum est, ecclesiam Pontificiam non subito, sed sensim defecisse à fide, ac tandem omni fide abiecta adulteram factam esse. Alteram, defectionem illam initio fuisse latentem & occultam, adeo, ut nec locus, nec tempus, nec alia circumstantia illius certo designari potuerint. Tandem tamen post aliquot secula Lutheri & Caluino publice fuisse notam & deprehensam. Ex utroque sic concludo. Quod contigit ecclesiae Pontificiae, potest etiam contingere ecclesiae reformatae. At Pontificia, ut aduersarii dicunt, sensim, latenter, & occulte defecit à fide, nobis non aduertentibus. Ergo etiam reformata potest sensim, latenter, & occulte defecere, ipsis non aduertentibus. Quid si ergo iam defecerit, & ipsi non aduertent? Imo quomodo possunt aduertere, si defectio latens & occulta est? Manent ergo incerti de sua fide. Neque valet quod ipsi dicunt, ecclesiam non posse errare vel defecere à fide, quod diu sequitur verbum Dei. Nam, ut repetam argumentum modo propositum: Quod contigit ecclesiae Pontificiae, potest etiam contingere ecclesiae reformatae. At Pontificia, ut ipsi volunt, sensim, latenter, & occulte deseruit verbum Dei, nobis non aduertentibus. Ergo etiam reformata potest sensim, latenter, & occulte deserere verbum Dei, ipsis non aduertentibus. Quid si ergo iam deseruerit, ipsis non aduertentibus? Deinde, vnde constabit aduersariis, an nostra vel ipsorum ecclesia sequatur verbum Dei, nec ne? Nos nostram defendimus, illi suam. Quis deciderit hanc litem? Designent ipsi infallibilem iudicem, qui sententiam ferat, non possunt. Vel enim designabunt ipsum Dei verbum, vel ecclesiam, vel singulos qui sunt in ecclesia, vel aliquos ex illis. Ac primo, si designent verbum Dei, nos vicimus. Nam verbum Dei expresse asserit, ecclesiam esse columnam veritatis, quam nulla inferorum vires euertere possunt. Idem nos asserimus. Si ergo, hoc iudice, causa definienda est, victoria nostra est. Si autem designent ecclesiam, contra se faciunt. Vel enim sententia ecclesiae est infallibilis, vel falli potest. Si infallibilis est, errant ipsi, qui dicunt errare posse. Si falli potest, iterum errant, quia cum debeant assignare iudicem infallibilem, designant ecclesiam, quam aiunt falli & errare posse. Denique, si designent vel singulos, vel aliquos eorum, qui in ecclesia sunt; magis desipiunt. Si enim tota ecclesia errare potest, quanto magis singuli, qui in ecclesia sunt, errare possunt? Forte dicturi sunt, duplicem esse ecclesiam; vnam visibilem, in qua boni & mali permixti sunt; alteram inuisibilem, in qua soli praedestinati. Totam visibilem errare posse; non item inuisibilem. Sed hoc etiam frustra. Imo, qui hoc dicunt, secum ipsi pugnant. Nam omnes praedestinati, quos aiunt esse in ecclesia inuisibili, sunt etiam in ecclesia visibili. Ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiam praedestinati errare possunt. Aut, si hi non possunt, nec tota ecclesia visibilis potest. Quod autem praedestinati omnes sint in ecclesia visibili, ne aduersarii quidem negare possunt. Et ratio manifesta est, quia nullus saluatur extra ecclesiam visibilem. At omnes praedestinati saluantur. E. nullus praedestinitus est extra ecclesiam visibilem. Ex dictis colligo duplex dilemma in aduersarios. 1. Vel tota ecclesia visibilis errauit in fide, ante ortum Lutheri, vel non errauit. Si tota errauit, omnes & singulos Christianos errasse necesse est, etiam praedestinos. Nulla igitur tunc erat fides in terris. Vnde igitur Lutherus eam accepit? Si non errauit, cur aduersarii fingunt errasse? cur eam, ut errantem, deserunt? 2. Vel tota ecclesia reformata, in qua sunt Lutherani & Calvinistae, potest in fide errare, ipsis non aduertentibus, vel non potest. Si non potest, quomodo Pontificia potuit? Si potest, quid si iam errat, & ipsi non aduertent? Reperit, quod supra dixi, semper dubios ac incertos fore, quamdiu sentiunt ecclesiam errare posse.

XVI. Respondeo. 1. In hac quoque disputatione committitur ignorantia elench. Neque enim dicimus, ecclesiam totam ita errare, ut omnes & singuli, etiam electi errent, & ut nemo animaduertat: sed hoc volumus, totam profitentium turbam, qualis fuit tempore Christi, posse atque solere errare, ita ut electi, qui sunt ipsi immixti, non errent in fundamento salutis, & aduertant alios errare. Quam sententiam libro praeced. cap. 14. 15. fuisse probauimus. Et itaque lectorem remittimus. 2. Ecclesia in sensu composito, seu formaliter accepta, est columna & firmamentum veritatis, atque ita non potest errare. At in sensu diuiso, seu materialiter sumpta, potest. Deinde non est columna veritatis diuinae, quod illam fulciat, sed quia illam sibi appensam custodit. 3. Ecclesia reformata tota potest errare, quantum ad ex-

ternos professores fidei attinet: non potest, quantum ad praedestinos, quos in gremio suo fouet. 4. Quando videmus, ecclesiam reformatam errare, debemus sequi Eliam, qui non communicabat cum erroribus ecclesiae Israeliticae. Habemus enim firmum sermonem propheticum & apostolicum, qui nobis lucet in meis etiam tenebris. Hunc itaque sequimur, tanquam normam & iudicem infallibilem. 5. Quicumque sequitur ecclesiam externam, insuper habito canone S. litarum, ille nunquam est certus de sua fide: at qui sequitur Scripturam, etiam si non sequatur ecclesiam externam, semper est certus de fide. 6. Singuli, qui sunt in ecclesia, possunt errare: at nullus electorum potest errare fundamentaliter & finaliter. 7. Ecclesia Pontificia nunquam fuit vera Christi ecclesia: quia Pontificem habet pro sponso. At ecclesia Romana olim fuit vera ecclesia. 8. Ecclesia Romana sensim defecit à fide, aliquibus semper aduertentibus, & in ipsius errores inuehentibus, aut saltem illos non approbantibus. 9. Ecclesia reformata non potest ita defecere, ut Romana defecit. Etenim ecclesiae Romanae defectio est praedicta: at ecclesiae reformatae conseruatio est praedicta. Nam postquam ceciderit Babylon, florentissimus erit status ecclesiae reformatae, & amplius deinceps reformandae. 10. Ecclesia reformata tota potest defecere, hoc vel illo in loco: at in toto mundo non potest defecere, ob causam modo dictam. 11. Quod ecclesia reformata, & non Pontificia, sequatur verbum Dei, id constat ex collatione vtriusque cum verbo Dei. Haec autem collatio à singulis est facienda. Vnde Christus vehementer probat, quod Iudaei scrutabantur Scripturam: & Apostolus laudat Beroenses, quod versabant Scripturas, & cum illis conferebant doctrinam propositam. Itaque Scriptura sola est iudex, qui deciderit hanc litem, quatenam ecclesia sit vera. Singuli autem credentes iudicant secundum Scripturam, beneficio Dei illuminantis mentem ipsorum, ut possint videre lucem Scripturae. 12. Tota ecclesia visibilis errare potest, nempe ratione professionis fidei: sed electi, qui sunt in illa ecclesia visibili, non possunt fundamentaliter errare, quia professionem illam externam non faciunt suam, ut in exemplo Eliae patet. Priori modo Ecclesia visibilis & externa sumitur opposita, siue seorsim; posteriori, composita siue coniunctim, quatenus ecclesia externa & interna sunt simul. 13. Eleganter dici solet in scholis: Totam rem, & totum rei accurate distinguendum esse. Ita dicimus, totam ecclesiam visibilem errare posse, quatenus nempe visibilis ille cœtus totus spectatur: at totum ecclesiae visibilis errare non potest, quia boni malis admixti non evertunt fundamentum fidei. Ita non sequitur: Totus homo moritur. E. & anima. Totus Christus est vbique. E. & humana natura. Simili ratione non sequitur: Tota ecclesia visibilis errat. E. & electi, qui sunt in illa. Hi enim sunt Christiani, quos Deus praefert ab erroribus capitalibus & finalibus. 14. Tota ecclesia visibilis Romana Papistica errauit ante ortum Lutheri: at non tota ecclesia visibilis, quia in oriente semper fuerunt boni Christiani. Deinde tota ecclesia Papistica errauit, verum ita, ut semper in ipsa fuerint, qui non errarunt in fundamento salutis. Denique etiam tota ecclesia Papistica errauit in explicatione verbi Dei: non tamen abiicit verbum Dei, sed illud custodiuit. Et ita Lutherus ab ipsa accepit bonum, quod retinuit; reiecit malum, quod praeter bono inualerat, ut in corpore morbo fieri solet, morbo inualecente quidem, sed cor tamen & alia membra non corrumpent. 15. Tota ecclesia reformata non potest errare in fide, ut nemo aduertat. Imo non potest tota errare in fide, quia Antichristus iam detectus est mundoque reuelatus, & magna ecclesiae caltrophe, diuinitus praedicta, hoc non patitur. 16. Summa huc redit. Ecclesia Romana tota defecit à fide, verum ita ut semper aliqui boni in ipsa manserint, itemque ecclesia Christi alibi quoque habuerit sedem & haecyonia sua, ut in oriente. Ecclesia reformata non potest ita errare, ut Papistica; quia reformatio cepta perficitur à Deo magis ac magis. Denique falsum est, ecclesiam Catholicam aliquo tempore non fuisse in mundo. Atque ita quidem respondimus Becano. Costerus & Bellarminus suas notas Ecclesiis nostris denegant, & hac ratione operose probant, nos non habere veram ecclesiam. Sed haec argumenta vide supra suis locis refutata.

CAPVT XXII.

Argumenta Papistarum, quod Ecclesia ipsorum sit vera & Catholica examinantur.

I. Ecclesiam Papisticam esse veram & Catholicam Christi ecclesiam, ab eaque reliquas *uagantibus*, triplici fere methodo demonstrare solent aduersarii. Primo thesin cum hypothesi coniungunt, id est, notas ecclesiae catholicae singulas explicant, & mox suae ecclesiae applicant: ut Costerus & Bellarminus in superiori tractatione fecerunt. Deinde quidam distincte probant thesin, & hypothesin: ut Pistorius. Denique alij seorsim & peculiariter tractant hypothesin, hoc est, hanc ipsam, quam praeter manu habemus, quaestionem: ut Stapletonus & Becanus. Quoniam itaque Costerus & Bellarmino supra respondimus: hac vice tribus reliquis oportet satisfacere: Quamquam quid dico satisfacere? Ut enim Christus Pharisaus, ita nos Papistas nunquam satisfacimus.

II. Pistorius duodecim suas notas, supra in genere propositas *cap. 2. sic* accommodat ecclesiae Romanae, id est, Papisticae. Romana ecclesia, 1. à tempore Apostolorum mansit vsque ad nos. 2. cepit Hierosolymis. 3. ex seipsa propagata fuit. 4. semper puros ordine sibi succedentes Dd. habuit. 5. habet sanctos auditores, patres, martyres. 6. nunquam, ne minimum quidem errare potuit, & sola per annos 1500. damnauit omnes haereticos. 7. sola debet audiri. 8. experta est calamitatem & honorem. 9. extenditur ab vno mari ad alterum. 10. sola habet gratiam & promissionem Dei sibi alligatam. 11. semper vnam inuariatam fidem cum omnibus Apostolis, Patribus, Martyribus, & aliis Christianis in hunc vsque diem tenuit. 12. semper fuit conspicua. Est itaque vera & Catholica Christi ecclesia, eaque visibilis. Respondeo ad 1. Non mansit ecclesia vetus Romana, quae tempore Pauli & deinceps fuit: quia non mansit in illa doctrina Apostolica, sola & incorrupta, sed multis traditionibus & superstitionibus adulterata fuit. ad 2. Doctrina Apostolica exiit de vrbe Hierosolymorum, & tanquam tradux propagata fuit in varias provincias & vrbes, inter quas etiam fuit Roma. Sed illa non semper retinuit istam doctrinam, quam primitus accepit. ad 3. Negatur, Romanam ecclesiam

fiam Papisticam esse propagatam ex ecclesia Romana veteri. Defecit enim ab illa, non retinendo semen verbi Dei, ex quo solo nascitur ecclesia Christi, 1. *Petr.* 1. 23. Hoc semen ubi retinetur, ibi verum est, ecclesiam ex se ipsa propagari, videlicet per eandem prædicationem verbi, & eandem administrationem sacramentorum. *ad 4.* Successio personarum in ecclesia fundatur in doctrina Apostolica. Hoc fundamentum ubi deest, legitima successio non habet locum. Defecit autem Papa a suis prædecessoribus, constituendo se ipsum caput ecclesiae, adeoque seductor successit in locum doctorum. *ad 5.* Ut triticum a palea, sic ecclesia, quæ sub Papatu mansit, differt ab ipso Papatu. Et hæc ecclesia habuit martyres veros verosque verbi Dei auditores, & veros Patres. Deinde verus ecclesia Romana differt à ceteriore, ut aurum à scoriis. Verus itaque ecclesia Romana habuit sanctos auditores, Patres, martyres. Denique veri Martyres iudicantur ex vera veræ fidei confessione. Unde nullus Papista, qua Papista, potest esse martyr. *ad 6.* Ecclesia Romana, cum cœpit Christo contradicere, utique erravit. Deinde multi Papæ fuerunt hæretici, schismatici, magi. Tertio non solum in fide, sed etiam in moribus erravit Romana ecclesia, illa, inquam, quæ Bernharo, Mantuano, Petrarchæ, Doni, aliis, appellatur errorum schola, templum hæreseos, populus Christo adversarius, sub Christi vexillo rebellans Christo, militans Sathanæ. Denique ecclesia Romana non damnauit omnes hæreses: quia Concilium Nicenum, Ephesinum, & similia plurimis hæresibus nigrum thetasperferunt. *ad 7.* Ecclesia debet audiri, quando & quatenus profert verbum Dei; siue sit Romana, siue reformata. *ad 8.* Non sola Ecclesia Romana, sed multæ aliæ sunt expertæ calamitatem & honorem. Neque etiam hoc est proprium ecclesiae. *ad 9.* Ecclesia Romana extenditur ab vno mari ad alterum. Et hoc potest accedere ecclesiae fallax. Quamquam & nostræ ecclesiae idem possunt gloriari, *ad 10.* Deus se alligauit ecclesiae Catholicae & internæ: non item ecclesiae particulari & Romanæ: idque eo magis, quod minutus sit, se illam deseriturum, & tandem puniturum, *Apocal.* 18. *Et alibi ad 11.* Eam vero ecclesiam tenuisse fidem inuariatam, quæ innumerarum traditionum chaos adiecit Scripturæ: quæ diserte fatetur, Scripturæ sensum subinde variare pro statu ecclesiae: quæ scribit, imperfectiorem fuisse ecclesiam in initio, nunc multa ei accessisse: *ad 12.* Romana ecclesia fuit semper conspicua, tribus modis; quia aliquod ministerium proposuit; quia sibi arrogauit vsum vtriusque gladii. Ex his itaque constat non ecclesiam Romanam, uti hodie est, esse veram Christi ecclesiam. Quid: Ex dictis sine vilo negotio confici potest, ecclesiam reformatam esse veram Christi Ecclesiam. Illa enim semper fuit in mundo, incipiendo Hierosolymis, & progrediendo in totum orbem. Illa ex se ipsa fuit propagata, per ministerium verbi & sacramentorum. Sonuit enim doctrina Apostolica in medio Papatu; sicut Christo in hunc mundum nato, in Ecclesia Iudæorum sonuit Moyses; tamen multum fermenti, hic & illic, fuit adpersum. Porro Ecclesia reformata habet successionem doctrinæ, quam Patres tot scriptis confirmarunt, & martyres sanguine suo obfirmarunt. Et quid multa? In hac ecclesia cernere est eandem doctrinam, quam Apostoli literis consignatam ad nos vsque transmiserunt.

III. *Stapletonus* decem adfert demonstrationes, (in quibus insunt perpetua petitiones principii) hoc ordine. 1. Promissiones de futura ecclesia, in sola Pontificia sunt impletæ: utpote quæ sola creuit per totum orbem, incipiens ab Hierosolymis. 2. Hæc sola nunquam desit, sed perpetuo extitit in personarum & doctrinæ successione. 3. Hæc sola semper visibilis, & toti orbi illustris fuit. Et talis debet esse N. Testam. ecclesia. 4. Hæc sola est vere vna. 5. Sola hæc vocatur Catholica, etiam ab inimicis suis. 6. Hæc sola est verissime Apostolica. 7. Hæc sola est vere Christiana, & hodie communicat. 8. In hac sola fuit Episcoporum & Ecclesiarum successio. 9. Fidei propagatio & conseruatio per hanc solam, & in hac sola fuit. *Respondeo ad 1.* Promissiones illæ factæ sunt ecclesiae Catholicae, quæ creuit & crescit per totum orbem vsque ad finem seculi. Non itaque magis pertinent ad ecclesiam Romanam, quam ad Antiochenam. Deinde ecclesia Romana non creuit, sed decreuit. *ad 2.* In Ecclesia Papistica non potest monstrari successio doctrinæ. Fecit enim secessionem à doctrina Pauli, quæ in veteri Romana ecclesia sonuit: ut patebit legenti epistolam ad Romanos. *ad 3.* Præter Romanam olim fuerunt multæ gloriosissimæ & illustrissimæ ecclesiae: ut Hierosolymitana, Ephesina, Antiochena. Deinde Scriptura testatur eam fore vicissitudinem ecclesiarum in Nou. Testam. ut modo illustris, modo obscura sit. *ad 4.* Ecclesia Papistica non est vna; quia non habet vnum duntaxat caput, sed duo: neque vnam fidem, sed duplicem, puta doctrinam Christi, & Pontificis siue Antichristi. *ad 5.* Non sufficit vocari Catholicum, nisi aliquis reuera sit talis. Deinde nos ecclesiam Pontificiam vocamus Catholicam, vel *si quis vult*, vel *si quis vult*. *ad 6.* Imo Ecclesia Pontificia non est Apostolica, sed Apostatica; quia doctrinam Apostolorum contaminat. *ad 7.* Ista ecclesia non est Catholica, neque loci, neque doctrinæ ratione: ut patet ex dictis. *ad 8.* Ecclesia Papistica non communicat cum veris ecclesiis, e. g. cum nostris. Et hæc communio, quæ est in ritibus, & aliis externis rebus, illa est fallax. Hoc enim modo omnes fere cum Antichristo communicatos esse, tradunt Scripturæ. Deinde verus ecclesia Romana cum multis ecclesiis orthodoxis vere communicauit. Sed quid hoc ad Papisticam? *ad 9.* In aliis quoque ecclesiis fuit successio personarum. Deinde successio in ecclesia Pontificia multis fuit interrupta hæresibus, schismatibus, & perpetua fere officii pastoralis omissione. *ad 10.* Verus ecclesia Romana propagauit fidem ab Apostolis acceptam: Papistica propagauit fidem materialiter, id est, Scripturam sacram, non formaliter, id est, explicationem & applicationem Scripturæ. Nam illius loco propagauit hæresin, & multiplices errores.

IV. *Becanus in manuali lib. 1. cap. 3. conclus. 5.* sic ostendit, ecclesiam Pontificiam esse veram Christi ecclesiam. Visibilis Christi ecclesia non potest deficere aut errare in fide. Ergo à tempore Apostolorum ad nos vsque, semper mansit visibilis Christi ecclesia, sine vlla interruptione, aut errore. At nulla alia visibilis, præter Romanam seu Pontificiam, mansit sine vlla interruptione & errore. Ergo sola Romana seu Pontificia est visibilis Christi ecclesia. Migerem probe inductione. Iudaica abrogata est & repudia-

ta per mortem Christi. Turcica seu Mahumetana non semper fuit. Calviniana & Lutherana, quam reformatam vocant, noua est. Cœpit enim cum ipsa reformatione (à qua nomen habet) quæ à Lutero & Caluino (ut ipsorum assecla dicunt) facta est. Sola Pontificia hucusque perseuerauit. Quid hic respondebunt aduersarii? An putant aliam præter Pontificiam, visibiliter & sine errore semper extitisse? Si putant, dicant, obsecro, quæ illa sit? quo nomine appelletur? quas mundi partes occupauerit, & adhuc occupet? quos Pastores & Episcopos habuerit, & adhuc habeat? qui reges & imperatores illi ad hæserint, & adhuc ad hæreant? qui hæretici ab illa damnati? quæ Academia confirmata? Quæ templa & monasteria erecta? Hic non euadent, fat scio. Non desunt tamen, qui oppressi hoc argumento, fingant ecclesiam quandam, in cuius iacentem ac vagientem, quæ nec fieri possit, nec profiteri fidem. Aiunt enim, ecclesiam Christi, aliquot seculis tam fuisse corruptam ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fideles, nisi infantes baptizati. Et sine dubio intelligunt ecclesiam Romanam seu Pontificiam, quam putant superioribus seculis penitus defecisse, nisi quod soli infantes legitime in ea baptizati, tanquam vera ipsius membra permanserint. Miserum perfugium, & ipsi aduersarii perniciosum. Nam ipsi passim docent, duas esse notas ecclesiae, nempe sinceram prædicationem Euangelii, & legitimam sacramentorum administrationem, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debeat, & sine quibus consistere non possit. At hæc duæ notæ non conueniunt ecclesiae, in qua soli infantes baptizati sunt; quia soli infantes, nec possunt sincere prædicare euangelium, nec legitime administrare sacramenta. Ergo ecclesia, in qua soli infantes sunt, non est vera Christi ecclesia. Alii habent aliud effugium. Aiunt, semper in Ecclesia fuisse vnum aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit; cuiusmodi diuersis temporibus fuerunt, Iohannes Wicleph, Iohannes Huss, Lutherus, Caluinus. Æque inepte. Nam primo dicant mihi, quis fuerit ille virus, vel quæ duo cordati viri, qui ante Wiclephum, per singula superiora secula Papæ contradixerint? Si nesciunt, quare temere affirmant. Si sciunt, edicant nomina eorum, locum habitationis, & ceteras circumstantias. Non poterunt. Secundo, ecclesia Christi non est deterioris conditionis, quam fuerit synagoga Iudæorum: cum ecclesia sit domina, synagoga, ancilla, *Gal.* 4. 22. At synagoga nunquam fuit tam deserta, ut duo tantum viri in ea reperirentur. Imo tempore Eliæ, cum putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta sunt, *Roman.* 9. 4. Cur ergo aduersarii fingunt ecclesiam Christi fuisse aliquando tam desertam, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint? Quod manifeste repugnat Scripturæ, quæ apud Esuam testatur, ecclesiam Christi multo fecundiorum & ampliorum fore, quam fuerit synagoga, *Esa.* 54. v. 1. Tertio, Donatistæ plus tribuebant ecclesie, quam hi faciunt. Nam illi, tamen docerent, Ecclesiam toto orbe peritisse, & in sola Africa remansisse; non tamen ausi sunt asserere, quod hi asserunt, remansisse aliquando in duobus tantum viris, qui Papæ contradixerint. Si ergo illi, qui melius sentiebant de Ecclesia, quam hi nostri aduersarii sentiunt, nihilominus ab Augustino & aliis Patribus damnati sunt, tanquam hæretici, quid de his nostris fieri oportere existimandum est?

V. *Respondeo 1.* Ut in superiori disputatione Becani, quam cap. præced. examinauimus, fuit ignoratio elenchi, ita quoque in hac ipsa committitur eadem fallacia. Nos enim ecclesiam Pontificiam non ponimus extra ecclesiam Christi, sed in ecclesia ista, ut gangranam in corpore, & tonsillas lethales in faucibus. Hinc Antichristus prædicatur sessurus in templo Dei, 2. *Thess.* 2. Itaque fatemur, Ecclesiam non defecisse penitus, sub medio etiam Papatu, illamque definimus multitudinem credentium in nomine Christi, in cuius saluatoris, qui sanguine suo nos lauerit ab omni peccato. Hæc vero multitudo complectitur non solum infantes electos, in prima infantia mortuos, fideque habituali præditos; sed etiam heroes illos, qui contradixerunt Papæ; neque solum hos, sed etiã infinitos alios, tū Dd. tum auditores, qui fuerunt boni Christiani *ἐν τῷ κερταίῳ*. Sic itaque ruunt omnia illa, quæ Becanus ruinoso suo fundamento superstruxit. Sed tamen videamus illa. 2. Visibilis ecclesia potest deficere, ut *lib. præced. cap. 16. 17.* pluribus fuit probatum. 3. Non sequitur: Ecclesia visibilis Romana defecit. E. nulla amplius in orbe Christiano fuit ecclesia. Nam ecclesie orientales remanserunt ad hunc vsque diem. 4. Successio Paparum fuit interrupta multis modis: ut alias, & etiam paulo ante, diximus. 5. Imperatores Græci ad hæserunt ecclesie Græcæ. 6. Reges multi in ecclesia Pontificia, imo & Imperatores, opposuerunt se Pontifici Romano. 7. Sicut Israelitas incredulos nihil iuuabant ad optio, fœdera, cultus, promissiones, & similia priuilegia, quæ Apostolus *Roman.* 9. commemorat: ita ecclesiam externam nihil iuuant episcopi, Reges, Tempia, & similia, quæ recitat Becanus, si non est coniuncta cum ecclesia interna. 8. Non omnia templa sunt erecta à Papistis: ut constat ex historia. 9. Templa, monasteria, scholæ, & similia, quæ fundata sunt à Papistis, vendicentur ab abusu, & restituantur legitimo vsui. 10. Non omnes, qui talia fundarunt, fuerunt Papistæ, etsi fuerint sub Papatu, & cum Papistis. 11. Quæ commemorantur de ecclesia constante ex solis infantibus, falso nobis imponuntur. 12. Testes veritatis, non vnum & alterum, sed infinitos adducimus: ut patet ex libro, qui inscribitur *Catalogus testium veritatis*. Inde itaque Becanus perat nomina, locum, tempus, & alia, quæ à nobis postulat. Compendium si velit, inspiciat *Theaurum Chronologicum nostræ secl.* 30. ubi inueniet non solum viros sanctos, sed etiam Concilia integra se opposuisse Papæ. 13. Ecclesia N. Test. est magis, vel minus illustris, prout ipsius variæ periodi sunt prædictæ, nominatim in Apocalypsi. 14. Sicut tempore Eliæ, cum ministerium ecclesie purum non appareret in populo Israelitico; sed essent altaria destructa, & Propheta Domini gladio occisi, solusque videretur Elias superstes, 1. *Reg.* 19. 10. Dominus diserte testatur v. 18. reliqua sibi esse septem millia, quæ non curauerunt sese Baali: sic Deus sub medio Papatu, non tantum in oriente, sed etiam in occidente, id est, in gremio ecclesie Pontificie, habuit veram suam & sanctam ecclesiam, nimirum infantes electos & in infantia mortuos, homines pios adultos simplici Catechetica doctrina contentos, testes veritatis qui Papæ contradixerunt, & denique varios Dd. in quibus scænum & stipulæ humanarum traditionum igne illo diurno, 1. *Corinth.* 3. exusta sunt. Itaque non est tanta solitudo in ecclesia Pontificia, uti Becanus à nobis statui fingit. Etsi enim est solitudo ratione ecclesie externæ: hinc tamen non recte concluditur solitudo ecclesie internæ: ut patet ex historia Eliæ. 15. Synagoga & ecclesia non comparantur inter se, *Galat.* 4. sed duo fœdera, fœdus operum

operum suel
ueniunt sub
comparatio
ecclesie N. T.
sue Nou. Te
pura locis,
Ecclesia No
regula, & e
vsque ad ex
lib. 3. hif. E
permanit e
ant nufqu
tis & ab
ris, & o
hæ luce d
se immitt
vngent
inque per
defecisse, i
redacta ad
eclesia nunc
in locis sol
solas ostent
lis ecclesia
thanos per
bus minor
valde inq
stancu. r
runt?

VI.

Ecclesia p
ecclesia P
communi



ce, qu
de Cor
ordine
secuti a
thaker
Hofius
II
rest: d
ne, vlt
plus n
lum c
legiti
uenier
Auch
præc
riculu
causis
sunt q
quam
mnia
de fini
lum
conu
etym
etiam

operum siue legis, & gratiæ seu euangelij. Deinde ecclesia V. & N. T. conueniunt substantia, differunt solis circumstantiis. Itaque nimis humilis est comparatio Becani. Sed de hoc alibi diximus. 16. Vtrumque prædictum est, ecclesia N. Testam. amplitudo, & solitudo. 17. Maxima amplitudo ecclesie Nou. Testam. nondum apparuit: vt patet ex Apocalypsi, & infinitis Scripturæ locis, quæ in *Diatribis nostris super Apoc. 20.* citantur & explicantur. 18. Ecclesia Nou. Testam. primitiua, secundum Scripturas, debet esse canon, regula, & exemplar veræ ecclesie. Primitiua autem ecclesia est, quæ fuit usque ad excessum Apostolorum. De hac eleganter *Egesippus apud Eusebium lib. 3. hist. Eccles. cap. 32.* ait: Ad illa usque tempora virgo pura & incorrupta permansit ecclesia, corruptoribus veritatis, & diuini verbi temeratoribus aut nusquam omnino extantibus, aut etiam, si qui forte fuerant, in occultis & absditis terræ hiatribus delitescens. Vt vero & Apostolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce discessit, tum velut in vacuum domum, falsæ doctrinæ impius error se immisit. *Idem apud eundem lib. 4. cap. 22.* Propterea vocabant ecclesiam virginem: nondum enim corrupta erat adulterini verbi subreptione. Hinc itaque patet ecclesiam non profecisse magis atque magis, sed potius sensim defecisse, iusto Dei iudicio. Nihil itaque mirum, quod ecclesia visibilis fuit redacta ad solitudinem illam, de qua *Chrysostomus homil. 36. in 1. Corinth.* Ecclesia nunc similis est mulieri, quæ à veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet symbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem solas ostendit thecas & arculas, diuitiis autem est priuata. Ei nunc est similis ecclesia &c. Sic *Hieronymus in vita Malchi:* ecclesia postquam ad Christianos peruenit principes, potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. 19. Quod Becanus nos deteriores censet Donatistis, valde iniquus est. Quis enim nostrum est, qui scribat, ecclesiam Nou. Testam. remansisse aliquando in duobus tantum vitis, qui Papæ contradixerint?

VI. Tota disputatio hæc erit plana & facilis, si distinguamus ista duo: Ecclesia prisca Nou. Testam. non fuit Romana, multo minus Papistica: item, ecclesia Papistica habet aliquid commune & cum prisca N. Test. Ecclesia communiter, & cum prisca Romana singulariter, quod videlicet tabulas

verbi Dei non abiicit, neque Christo hæcenus aperte repudium misit. Quare sic concludamus. Ecclesia prisca est nostra communis mater; cuius tropæa nostra sunt, & laudes communes. Quidquid ab ea & cum ea habet Romana verus usque ad annum 606. habemus & nos commune cum vtraque, videlicet, verbum Dei, eiusque prædicationem puram & sacramentorum administrationem iuxta institutionem Christi. At ecclesia Papistica cum prisca ecclesia, tum vniuersa, tum Romana, denique cum nostra habet communia verbum Dei, & baptismum: sed non verbi prædicationem puram, neque administrationem baptismi cum prima institutione & administratione consentientem. Habet, inquam, aliquid Christi, sed plus Antichristi. Illi ergo, tanquam sedi Antichristi, possumus dicere, quod olim Lucio Alexandrino dicebat ille Saracenus Moses, de quo *Ruffinus libro vndecimo hist. Eccles. cap. 6.* his verbis: Captus Moses ad sacerdotium suscipiendum, Alexandriam ex more deducitur. Adest Lucius, cui ordinandi ferebatur officium; quo viso, Moses præsentibus ducibus qui perurgebant, & populis ait: Ego quidem me non esse dignum tanto sacerdotio iudico: veruntamen si aliqua in me, licet indigno, diuina dispensatio putatur explenda, Deum nostrum cæli ac terræ Dominum testor, quod Lucius sanctorum sanguine pollutas & cruentas super me non iniiciet manus. Cumque Lucius tam graui nota iniustum se videret in oculis plurimorum. Quare, inquit, ô Moses, tam facile condemnas eum, cuius fidem ignoras: aut si tibi aliquis de me aliter indicauit, audi fidem meam, & tibi ipse magis quam aliis crede. Tunc ille, desine, inquit, ô Luci, dolosis tuis me quoque imaginibus aggredi. Bene mihi nota est fides tua, quam protestantur serui Dei per metalla damnati episcopi, in exilium trahi presbyteri, diaconi extra Christiani nominis habitacula relegati, bestis alij, alij etiam ignibus traditi. Num quid potest verior esse fides quæ auribus capitur, quam quæ oculis peruidetur? Apud me certum est, quod qui Christo recte credunt, ista non faciunt. Hæc Moysi illius verba sunt, quæ nos personatæ illi ecclesie & sanguine piorum ebriæ, non piis in illa, hoc est, non ruderibus ecclesie Christi in Papatu, dicimus. Atque ita iudicium veritatis cum iudicio charitatis coniungimus, quod vti nam facerent omnes, qui hodie turbant, qui que turbantur. Sed tu, Iehoua, nobis omnibus aperi oculos, vt videamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS

DE

CONCILIIS.

Caput Primum.

Definitio, partitio, & necessitas Conciliorum.

I. **D**ISSERVIMVS hæcenus de Ecclesia: nunc de ipsis Conciliis disserendum erit. Quia enim Ecclesia bifariam considerari potest, vt toto orbe diffusa est, & vt in Conciliis congregata cernitur: ordo naturæ postulat, vt de ecclesia prius, quam de Conciliis agatur. Quod etsi fatetur Bellarminus: tamen disputationem de Conciliis præposuit disputationi de ecclesia, quoniam disputatio de Conciliis magis connexa est cum disputatione de summo Pontifice, quæ iam præcessit, quam disputatio de ecclesia: vt sunt ipsius verba *lib. 1. de Conciliis cap. 1.* Verum hic est ordo arbitrarius, cui nos præferimus naturæ ordinem, adeoque de Conciliis posteriori loco disputare institimus. Persecuti autem sunt hoc argumentum, ex nostris, Lutherus, Bullingerus, Witherus, Danæus, Iunius: ex aduersariis, Cochleus, Caietanus, Pighius, Hosius, Bellarminus, & alij.

II. Vniuersa autem de Conciliis disputatio in tres partes diuidi potest: de quibus prima est de Concilii definitione; secunda, de ipsius partitione; vltima, de affectione eiusdem. Et rursus affectio Concilii est posita in integritate, & auctoritate. Integritas est in eo, vt Concilium conuocetur ab eo, qui habet istam potestatem iure diuino; ob causas legitimas; adhibitis personis idoneis; præside legitimo; denique modo conueniente. Auctoritas Concilij spectatur absolute, comparate, & in causa sua. Auctoritas Concilij absolute, est magna: comparate, est minor quam Scripturæ, maior quam Papæ auctoritas: in causa sua spectatur quantum ad peccatum errandi. Si malis, dic hanc disputationem constare præcognitis, & adiunctis Concilij. Præcognita sunt definitio & partitio. Causæ sunt quatuor, efficiens, eaque impellens & procreans: finis: materia, circa quam, & ex qua denique forma. Adiunctum, est auctoritas. Hæc itaque omnia persequamur. III. Atque vt hinc proficiatur disputationi nostræ, definitio Concilij alia est nominis, alia rei. Quantum ad nomen attinet, Concilium Festo dicitur à consulendo, aut cōsentiendo: alijs, à cōcalando, hoc est, conuocando, seu congregando: alijs etiam à conciliando. Qui primam etymologiam tuentur, promiscue scribunt concilium & consilium; quidam etiam potius consilium, quam concilium dicunt & scribunt. Sed multum

interest inter hæc duo. Consilium enim est actus consulentis, siue ille sit vnus, siue plures simul in commune consulant. At concilium est concio, cœtus, conuocatio, multitudo aliqua consulentium. Qui adferunt secundam notationem, hac nituntur ratione, quod illa rei vim naturamque declarat: quia, vt modo diximus, concilium est conuocatio quædam. Tertiam sententiam patroni hoc adferunt, quod conciliare sit à ciliis: ita vt conciliare sit verbum fullonij, iuxta illud *Varronis lib. 5. de causis L. L.* Apud fullonem vestimentum, cum cogitur, conciliari dicitur. Vbi vide Scaligerum. Itaque conciliare per metaphoram significat vnire: ita vt hæc notatio conueniat cum secunda, imo magis naturam rei exprimat. In Concilio enim est artetior quædam vnio. Sunt tamen, qui putant conciliare esse in concilium conuocare. Græcis vocatur *συνεσιον*; quam vocem Latini donarunt ciuitate Romana. Hæc tamen vox non inuenitur in Scripturis, sed istæ duæ, *συνεσιον, συναγωγη*. Verum satis de nomine. Rem ipsam aggrediamur, primoque definiamus. Est autem concilium multitudo hominum conuocata ab aliquo, ad consultandum de rebus communibus. Sic autem natura ipsa docuit, vt, cum occasio aliqua inciderit, quæ pertinet ad multos, quæque communem salutem atque commodum attingit, conueniant homines prudentes, qui prouideant, quantum possunt, ne quid res publica detrimenti capiat. Cum enim homo animal, sit ad societatem & communionem natum, quæ sine consilio contineri non potest; edocti homines à natura, viderunt sibi necessarium esse, vt in communi conuentu deliberarent. Atque hæc est origo Conciliorum.

III. Sunt autem hæc Concilia non vnus generis. Ac primo quidem sunt priuata, vel publica: deinde, generalia, vel particularia: tertio, legitima, vel illegitima: quarto, approbata, vel non: quinto, ordinaria, vel extraordinaria: denique, politica siue ciuilia, ecclesiastica, vel mixta. Concilia politica sunt, quæ de rebus ad statum externum reipublicæ pertinentibus congregantur: vt, quando leges sunt ferendæ, magistratus eligendi, bellum gerendum, aut communis aliqua calamitas depellenda. Et hæc vulgo appellantur Comitæ, itemque Parlamenta. Concilia ecclesiastica sunt, quæ de rebus ad statum Ecclesie siue religionis pertinentibus congregantur: vt quando hæreses turbant Ecclesiam, vel schismata, Pastores sunt vocandi & examinandi, politica Ecclesie est instauranda. Concilia mixta sunt, quæ de rebus ad religionem & regionem, siue ad ecclesiam & rempubl. pertinentibus, coguntur.

Nos

Nos de ecclesiasticis tantum Concilijs dicemus, illorumque partitionem in genere, & in specie adferemus. Illa est dogmatica: hæc historica & critica.

IV. Principio itaque Concilia Ecclesiastica sunt in triplici differentia: videlicet *συνόδος τοπική*, siue *συνόδος ἐκ τοπικῶν*, *συνόδος ἐκ τῶν ἀρχιεπίσκοπων*, *συνόδος οἰκουμένης*. Primam speciem Latini vocant Concilia minora, particularia & localia, quando pauci homines ex vno aliquo loco colliguntur, vt res ecclesiasticas constituant. Hæc subdividuntur in Concilia vrbica, & diocæsana. Concilia vrbica siue singularum ecclesiarum, colliguntur ex vnius vrbis personis ecclesiasticis: cuiusmodi fuit concilium illud Apostolicum Act. 1. vbi conuenerunt Apostoli vna cum alijs quibusdã, qui erant Hierosolymis. Huiusmodi Concilia distinguere oportet à Presbyterijs siue Consistorijs, quæ sunt in aliquo loco: vt patet ex modo allegato cap. 1. Act. Quamquam alij presbyterium & concilium illud vrbicum siue oppidanum pro vno sumunt. Concilia diocæsana sunt, in quibus conueniunt Pastores vnius diocæseos, siue clasfis: vel, vt Bellarminus loquitur, in quibus conueniunt tantum presbyteri vnius episcopatus, & ijs episcopus præest. Hæc vix dici posse Concilia Bellarminus ait lib. 1. cap. 4. Sed absque ratione. Etsi enim in ijs vnus duntaxat sit episcopus, qui præest: tamen Concilij definitio ipsis competit. Et vero si diocæsanicum concilium vix meretur hoc nomen, quid fiet de Concilijs Apostolicis, quæ paulo post commemorabimus? Porro *συνόδος οἰκουμένης* diuiduntur in Concilia Prouincialia, & nationalia. Concilia prouincialia sunt, in quibus conueniunt pastores vnius prouinciæ: seu, vt Bellarminus definit, in quibus conueniunt tantum episcopi vnius prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus, siue Metropolitanus. Gratianus dist. 3. can. Porro, Concilia nationalia vocat prouincialia, quia nempe certis prouincijs continentur. Concilia nationalia sunt, quando vnius gentis, regni, vel nationis, Episcopi & presbyteri congregantur, vt suis ecclesijs consulant: cuiusmodi olim in Africa, Hispania, & alijs orbis partibus permulta sunt habita, de quibus in Tomis Conciliorum legere est. Sequuntur *συνόδος οἰκουμένης*, id est, Concilia generalia: seu vniuersalia, cum ex toto orbe Christiano Episcopos & Presbyteri propter maximas causas publica autoritate congregantur. Hæc concilia vltate appellantur œcumenica; vel quia ex omni parte orbis Christiani ad eas conueniunt, vel quia ab Imperatore congregantur, qui olim totius orbis Christiani imperium habuit. Nam vox ista œcumenicus significat tria nempe id, quod pertinet vel ad orbem terrarum, vel ad orbem Imperio Romano subiectum (vt accipitur Luc. 2.) vox *οἰκουμένης* vel ad orbem Christiano nomini additum. Quæ vltima significatio hic præcipue videtur attendenda. Atque hæc est prima Conciliorum ecclesiasticorum partitio, *τῶν ὁρίων* proposita, vocabulis Græcis. Alii tetrachotomiam malunt, hoc modo: Concilia sunt localia, prouincialia, nationalia, generalia: alij hæc reuocant ad dichotomiam, ita vt dicant, Concilia esse generalia, vel specialia siue particularia; & hæc iterum maiora, eaque nationalia & prouincialia; vel localia & minora, eaque diocæsana, vel oppidana. Rursus quidam partiuntur omnia Concilia in localia, & generalia. Vnde patet ambiguitas in duabus vocibus, *locale* & *particulare*. Sed pergamus in partitionibus. Deinde igitur Concilia sunt *infallibilia*, vel *fallibilia*. Illa sunt posita extra periculum errandi, vt Apostolica: hæc secus, vt omnia Ecclesiastica. Tertio Concilia sunt *legitima*, vel *illegitima*: & *vtraque* Vet. vel N. Test. vbi specialiter Concilia N. T. appellantur Christiana; illegitima, Antichristiana. Quarto Concilia sunt *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Illa statis temporibus fiunt, de quibus canon. apost. 38. vbi iubentur Episcopi quotannis bis conuocare synodos: hæc, requirente aliqua necessitate præter ordinarios conuentus indicuntur, vt omnia œcumenica. Denique Concilia sunt *recepta ab omnibus* vel *aliquibus*. Hic memineris, nationalia quædam dici generalia: vt Mileuitanum & Carthaginense IV. in tomo primo Conciliorum. Similiter Toletanum III. vbi Episcopi Hispaniæ tantum aderant. Quia nempe istiusmodi Concilia in regno vel natione aliqua sunt vniuersalia, non vero absolute: vt ait Bellarm. lib. 1. cap. 3. Vide etiam infra c. 3. §. 12. Atque hæc sunt partitiones dogmaticæ.

V. Ad historiam Conciliorum iam descendimus, vbi primo se offerunt Concilia Vet. Test. quorum ignoratio plurimum nocet theologo. Neque enim oculos ita oportet defigere in Concilia Nou. Testam. vt obliuiscamur illa vetera, quorum diligens consideratio multum facit ad naturam Concilij penitus intelligendam. Ergo Moyses, Iosua, reliqui iudices, reges, sacerdotes, & populus Israeliticus legitur in sacra historia, Conciliorum adminiculo, ex maximis difficultatibus sese extricasse, & in Concilijs statuisse de rebus maximis. Conuocauit non semel Dauid ex regno suo celeberrima Concilia & in his tractauit de rebus etiam ad religionem pertinentibus, non modo de regni incolumitate. Hoc ipsum fecisse legitur Iosias, sincerissimus ille & laudatissimus corruptæ ecclesiæ reformator. Notum quoque est ex 1. Reg. 18. Concilium Carmelitanum, quod in monte Carmelo, sub Achab rege celebrabatur inter hæreticos schismaticosque Baalistas, & orthodoxum atque vere Catholicum Prophetam Eliam, præsentem vniuerso populo. Notum est omnibus & Galaaditicum Concilium, de repetendo bello Ramoth institutum, in quo centuriæ aliquot Prophetarum sub inelytis regib. Iosaphat & Achab, disputarunt contra Micheam, verum veri Dei Prophetam, 1. Reg. 22. Frequentissima item fuerunt concilia procerum & populi Iudaici contra Prophetas Dei fideles, contra ipsum Christum Dominum, & contra sanctos eius Apostolos. Vnde non solum origo, sed etiam vltus, & abusus Conciliorum apparet. Quæ pluribus explicare non ab re fuerit.

VI. Origo itaque Conciliorum est diuina: contra quam Albertus Pighius lib. 6. de cælesti hierarchia cap. 1. contendit, originem videlicet ipsorum esse plane humanam, & naturali ratione excogitatam. Vnde Concilium generale appellat inuentum Constantini Magni, ex naturali ratione excogitatum. Quam sententiam recte confutat Bellarminus lib. 1. cap. 3. Sed non recte primam ipsorum originem arcessit ab illis verbis Christi, Matth. 18. vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum: neque etiam recte scribit ibidem, Apostolos primum Concilium congregasse. Act. 15. Nam origo Conciliorum inde à temporibus Moysi est repetenda, & primum Concilium Apostolicum est celebratum Act. 1. de quo paulo post videbimus. Iam prius illud exequamur. Deus itaq; per Moysen instituit duo Concilia, quorum vnũ pertinebat ad iudicia politica, alterũ ad iudicia sacerdotum. Quæ duo plerumque à legentibus, atque adeo nonnun-

quam ab interpretibus confunduntur. Cuius rei *ἡ ἀπορία* est, quod sæpe in Scripturis indistincte videntur poni, & in historiis quam plurimis etiam leguntur fuisse confusa. Quam difficultatem vt tollamus, tria ista considerabimus: primam institutionem vtriusque illius Concilij, necessariam vtriusque coniunctionem, denique temerariam confusionem ipsorum. Prima institutio est manifesta ex Scripturis: puta Num. 11. collato cum Deut. 17. Priori loco Deus ita Moysen affatur: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israelis: quos nosti esse seniores populi & moderatores eius*. Atque hoc est concilium Politicum, quod appellatum fuit postea Sanhedrin, Consistorium magnum, Senatus magnus, Sanhedrin magnum ad differentiam Sanhedrin parui. Nam in qualibet ciuitate Israelitica erat Synedrium paruum, quod constabat XXIII. sapientibus, eratque collocatum in porta ciuitatis, si quidem ciuitas habebat plures quam CXX. homines. Alias tres tantum iudices constituebantur in ciuitate, quæ istum numerum CXX. hominum non excedebat. Erant autem in collegio magno, quod *Sanhedre gedolah* dicebatur, iudices LXXI. quod Hebræi ex eo colligunt, quod l. d. dicit Deus, *Congrega mihi septuaginta viros*. Moyses autem fuit super eos, igitur fuerunt LXXI. Nã loco Moysi constitutus semper fuit *ἡγεμὸν*, princeps, qui etiã *ἡγεμὸν*, excellens, appellatur. Hoc Synedrium primum in Siloh, deinde Hierosolymis fuit constitutum, & quidem in loco Gazith, hoc est, in Camera polita & dolata: vnde & *Consistorium Gazith* appellatur. Eius erat autoritas, cuius est hodie Camera Imperialis in Germania, & Parlamentum in regno Galliæ. Porro iudices illi LXXI. in synedrio magno, & isti XXIII. in synedrio paruo, fuerunt & numero, & munere alij ab ijs, quos Moyses Exod. 18. ex consilio socii sui Iethro præfecit populo. Omnibus tamen hisce commune erat, cognoscere causas ciuiles, non vero politicas. Itaque distinctum erat Concilium politicum ab ecclesiastico, vt constat ex Deut. 17. v. 9. & 12. vbi Deus ait: *Ad iudicium sacerdotum, Leuitas, & Iudicem*. Item: *Vt non auscultet sacerdoti ministranti Iehona, aut Iudici*. Vbi videmus distincte nominari sacerdotem, & iudicem. Quo pertinent omnia Scripturæ loca, in quibus seniores populi, aut seniores ciuitatis, & seniores loci, a senioribus sacerdotum & Leuitarum distinguuntur. Distinctum itaque fuit Concilium vnum ab altero, distinctum officium, & autoritas diuersa: cum autoritas politica sit imperij, ecclesiastica ministerij. Atque hæc est institutio distincta. Sequitur coniunctio vtriusque, eaque tum ordinaria, tum extraordinaria. Ordinaria coniunctio vtriusque concilij locum habuit in causis siue quæstionibus mixtis, vt vocant, id est, quando res communiter ad ecclesiam & temp. pertinet agebatur: quia in re nec politicos sine ecclesiasticis, neque homines ecclesiasticos sine politicis æquum est consilia inire. Sic vbi de ceremoniali & ciuili prædæ distributione agendum fuit, commune fuit consilium Moysi cum Eleazaro, Num. 31. vbi de tribubus Trans-iordananis, cognoscendum fuit, quæ altare in transitu extruxerant, concilium vtrumque conuenit, 1. 22. Extra ordinem vero, vbi res publica & ecclesiastica instauranda, autoritate Iosaphati, Ezechia, & Iosia, commune siue mixtum quoddam Concilium fuit institutum, hoc est, de vtroque concilio certi quidam homines fuerunt deputati, qui Concilij vtriusque nomine res politicas & ecclesiasticas procurarent. Vnde Iosaphat constituit duos præfides in hoc tali Concilio, vnum ecclesiasticum, alterum politicum, 2. Chron. 19. 11. Non sequitur autem ex particulari. Si quædam causæ interdum accidunt, in quibus necessaria est vtriusque Concilij communicatio, ergo aut semper in rebus omnibus communicationem illam esse oportere, aut Concilium vnicum. Neque sequitur, Extra ordinem huiusmodi exempla extiterunt, ergo ordinarium esse. Hæc sententia confirmatur ex Iosepho, qui sic scribit: Si vero iudices (hinc inde in ciuitatibus constituti) nesciunt, de rebus ad se delatis pronuntiare, integram causam in vrbem sanctam mittent, & conuenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod visum sit, pronuntient. Idem lib. 2. ad Apionem ait: Sacerdotes inspectores omnium, iudices controuersiarum, punitores damnatorum constituti sunt à Mose: videlicet distincte, iuxta tenorem legis Deut. 17. ver. 9. 12. Quare quod Carolus Sigonius lib. 6. de reb. Hebraeorum cap. 7. scribit: Iniuere hoc Concilium Rex cum principibus populi, hoc est, duodecim principibus tribuum qui regi assidebant, ac LXX. Senioribus; & Pontifex cum principibus sacerdotum, & scribis, hoc est, legis doctoribus: id est intelligendum de causis grauioribus, adeoq; de coniunctione ac communicatione, non de confusione, quæ hoc modo est introducta. Post reditum ex captiuitate Babylonica iuxta Synedrium magnum fuit Synagoga magna, in qua fuerunt Esdra & ipsius sodales, qui obliteratam quodammodo legem pristino restituerunt nitore. Synedrium constabat anti quo suo numero, videlicet LXX. Senatoribus, & vno præfide. In synagoga magna erant viri CXX. Prior numerus obseruatus fuit in synagogis. Cum enim illa instituerentur in Israel, vnicuique Synagoga septuaginta Dd. fuerunt præfecti, ad imitationem Synedrij magni: non quod vna esset, illius & synagogarum ratio, sed quia hic numerus procul dubio etiam fuit obseruatus in Concilio ecclesiastico. Atque hæc duo synedria ita fuerunt distincta vsque ad tempora Antiochi Epiphani. Tum enim Matthias, & filij eius Macabæi, diuinitus excitati, vt iudices essent reipub. labantis, vsus gladij secularis & spiritualis coniunctim vsurparunt, sicut olim Eli & Samuel fuerant ad liberationem reip. extra ordinem excitati. Sacerdotes vero, qui Macabæos secuti sunt, potestatem sibi in dies acquisuerunt, arrogantem eam specie quidem successione, & religionis alicuius, sed non vocatione. Ex eo tempore confusa fuit semper apud Iudæos vtraque administratio, donec autoritate Pompeii inter Aristobulum & Hircanum fratres disceptatum esset; sed ambitionis, ac non religionis causa. Tum enim desit in Antigono, Aristobuli filio, vtriusque dignitatis, regia; & pontificia vsurpatio, & rursus distingui cœperunt duo ista Concilia: vt patet ex duabus maxime historijs. Matth. 21. dicuntur sacerdotes & seniores populi simul venisse ad Christum, post die quam propolas è templo eiecerat, vt cognoscerent, quæ autoritate id faceret; nempe quia factum ex parte politicum, atque ex parte ecclesiasticum esse iudicabant. Sic Mat. 26. & 27. vbi de Christo prehendendo & occidendo cõsiliũ habetur, seniores sacerdotũ, & seniores populi nominantur, vt distinctam esse p. illud tempus cognitionem vtramq; doceamur. Hoc etiam inde patet. Philo & Iosephus lib. 14. antiq. Iud. narrant, Synedrium, id est summum illud iudicium politicum, quod familiae Davidis maxime fuerat attributum, per Herodem Ascalonitam fuisse plane extinctum, & ipso permittente alios iudices esse substitutos, qui sub ipso rege essent. Quæ res de synagoga, siue Concilio Ecclesiastico non narratur vsquã sed

sed potius sum... nos & ex q... Ex quo satis a... quod Iudæi t... tionem siue s... veterum hit... lum Syria rem... uemus, vt rur... vnum chaos... temporibus... Nam quod il... quidam ipso... humanum... ria sacra... fuit coact... hannem, &... quatum, co... hæc de Con... VII. C... rus, quales f... item in dom... lionum: sed... giorum de... det enim er... ecclesiastica... distans. P... con... & hoc fuit a... elicitur ex l... Concilia su... partitur in q... probata, &... quædam pa... reprobat. C... ticularibus... et, paucis v... VIII. C... dit, ait Bell... nus, & in... canum, an... sus non sit... e quibus fu... us Antiochi... opolitanu... un. 33. C... error ibi da... sine mag... constitut... donense, f... nicam dunt... concilia, q... vt Gregori... Quod tam... Euangelis... veto defini... aut omitt... ut de ipso... cipua est... re quod G... ximo loco... Oportet h... inquit, iux... na ratio p... quare eor... sciat me il... nter: & Sa... adulter eli... reprobetu... maru p... gere, p... Hoc iacem... duntaxat... Quia vid... congruunt... probantur... pere absq... admittere... cipere C... cilia gene... IX. C... Origene... III. contr... dus T rub... palati, q... sumit qu... stinguit... Vide me... quia non... & sexta... ta. Septim... constaba... sa Photiu... pifcopo... tera lan... papas, &

sed potius summos sacerdotes ab Herode & successoribus, contra legem annuos & ex quouis hominum genere fuisse factos ad arbitrium ipsorum. Ex quo satis apparet aliud esse synedrium politicum, aliud ecclesiasticum, quod Iudæi tum suo sermone appellabant *בית דין*, id est, congregationem siue synagogam magnam. Quapropter cauto est opus in lectione veterum historiarum, ubi nomen *בית דין* & Sanhedrin (quod est vocabulum Syra terminatione ex Græco illo factum) occurrit, ut prudenter observemus, utrum de consensu politico agatur, an ecclesiastico, vel utroque in temporibus, ita nomen illud inde à temporibus Antiochi consulum fuit. Nam quod illi perturbatis rebus extra ordinem instituerant, id successores humanum ordinem in populo Iudæorum, peruerterunt. Cæterum in historia sacra N. T. quinque Synedria siue Concilia commemorantur. Primum fuit coactum contra Christum, *Matth. 26.* secundum, contra Petrum & Iohannem, *Act. 3. & 4.* tertium, contra Apostolos miracula facientes, *Act. 5.* quartum, contra Stephanum, *Act. 6.* quintam in causa Pauli, *Act. 23.* Atque hæc de Concilijs V. T. dicta sufficiant.

VII. *Concilia Nou. Testam.* non vocamus quoslibet piorum contentus, quales fuerunt Mariæ Elisabethæ, Zachariæ, aliorumque piorum *Luc. 1.* item in domo Cornelii *Act. 10.* quibus nonnulli imponunt nomen Conciliorum: sed, ut ab initio dicebamus, conuentus hominum piorum ac religiosorum de rebus ecclesiæ consultantium. Et hæc quidem sunt Concilia *αὐθιμα*; quibus opponuntur illa, quæ dicuntur *ἑσθιμα*. Vtraque oportet enumerare. Distinguiamus autem hæc Concilia in Apostolica, & mere ecclesiastica. *Concilia Apostolica* in Actis obseruata sunt quatuor à viris doctissimis. Primum, in quo eligitur Matthias, *Act. 1.* secundum, in quo diaconi instituntur, *Act. 6.* tertium, in quo Iudaica instituta antiquantur, *e. 15.* & hoc fuit augustissimum, & *ἡσθιμα* dicitur Hierosolymitanum: quartum elicitur ex historia *cap. 21.* de Pauli aduentu Hierosolymam. Atque hæc Concilia fuerunt immunita ab errore. *Concilia mere Ecclesiastica* Bellarminus partitur in quatuor classes. Quædam enim dicit esse ab Apostolica sede approbata, atque ab vniuersa ecclesia recepta; quædam omnino reprobata; quædam partim approbata, partim reprobata; quædam nec approbata, nec reprobata. Quartum membrum obiter explicat, quod illud in concilijs particularibus potissimum locum habeat: reliqua tria membra quomodo explicet, paucis videndum est.

VIII. Concilia generalia approbata numerantur hucusque decem & octo, ait Bellarminus *lib. 1. cap. 5.* Sed nos iustitiam hunc numerum esse negamus, & in sequentibus negationi nostræ fidem faciemus. Primum fuit Nicænum, an. Christi 325. coactum contra Arium, cuius errorem, quod Christus non sit verus Deus, damnarunt episcopi in isto concilio præsentis 318. quibus fuerunt quatuor Patriarchæ, Alexander Alexandrinus, Eustachius Antiochenus, Macarius Hierosolymitanus, & Metrophanes Constantinopolitanus. Secundum est Constantinopolitanum primum, congregatum an. 383. contra Macedonium, impugnantem deitatem Spiritus sancti: quod error ibi damnatus fuit ab episcopis 150. Tertium est Ephesinum primum, siue magnum, contra Nestorium coactum, qui duas in Christo personas constituit: in quo fuerunt episcopi 200. Quartum est Concilium Chalcedonense, in quo fuerunt episcopi 630. qui damnarunt errorem Eutichis, vnicam duntaxat in Christo naturam statuentis. Atque hæc sunt quatuor concilia, quæ summæ semper autoritatis fuerunt in ecclesia, adeo quidem, ut Gregorius M. dixerit se illa recipere ac venerari ut quatuor Euangelia. Quod tamen absque grano falsi dici, vel admitti non debet. Nam quatuor Euangelis, utpote *δωδεκα*, credimus propter semetipsa: Concilio vero definitionibus non credimus, nisi ea, quæ vel credenda, vel facienda aut omittenda proponunt, per Scripturas sacras probare possint. Ita iudicauit de ipso quoque Nicæno concilio, cuius autoritas inter quatuor illa præcipua est, Augustinus, disputans cum Maximo Arianorum episcopo. Quare quod Gregorius dixit, sic emolliendum est, quatuor ista concilia esse proximo loco post quatuor Euangelia & symbolum Apostolicum veneranda. Oportet hic sequi illud Hieronymi *epist. ad Minerium & Alexandrum*: Nec, inquit, iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum legam explanationes, quorum dogmatibus non acquiesco? sciat me illud Apostoli libenter audire, Omnia probate, quod bonum est tenete: & Saluatoris verba, dicentis, Estote probi numularii, ut si quis numus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem clare præfert lumine, in cordis nostri mansupium recondatur. *Ex paulo infra*: Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere quæ sunt bona, & à fide ecclesiæ non recedere. Hoc idem respondemus & nos obiectantibus atque interrogantibus, cur duntaxat ista quatuor concilia, & non reliqua quatuordecim, probemus? Quia videlicet ea duntaxat approbare possumus, quæ cum verbo veritatis congruunt. Itaque ne omnia quidem dicta quatuor istorum conciliorum probamus. Vbi & hoc est obseruandum, nos quatuor illa œcumenica recipere absque vilius inter nos contradictione: sed multos quoque ex nobis admittere Constantinopolitanum II. & III. Concilia; quosdam etiam recipere Constantinopolitanum IV. Hinc illi sex, isti septem agnoscunt concilia generalia. Nunc pergamus recensere concilia reliqua.

IX. Quintum est Constantinopolitanum II. an. Christi 550. contra Origenem, in quo fuerunt episcopi 165. Sextum est Constantinopolitanum III. contra Monotheletas, an. 680. Episcoporum 289. Dicitur alias synodus Trullana, & *ἡσθιμα*, id est, quinifexta. Prior appellatio est à loco sacri palatii, qui dicebatur Trullus: posterior ab euentu, quia hoc concilium assumit quosdam canones concilii œcumenici quinti. Sed Bellarminus distinguit synodum Trullanam seu Quinifextam à Constantinopolitana III. Vide mox num. 12. Dicit etiam à Balsamone vocari cœcilium quinifextum, quia non est hæc synodus quinta, neque sexta, sed canones addidit quintæ, & sextæ synodo. Quæ ratio vera est, si distinguatur Trullana synodus à sextæ. Septimum est Nicænum II. an. 787. contra Iconomachos coactum; quod constabat ex 350. episcopis. Octauum est Constantinopolitanum IV. de causa Photii, an. 870. in quo fuerunt episcopi 383. Nonum est Lateranense I. episcoporum 900. & amplius, an. 1123. contra Saracenos, pro recuperanda terra sancta. Decimum est Lateranense II. episcoporum 1000. contra Antipapas, & pro iure cleri. Undecimum est Lateranense III. episcoporum fere

300. pro reformatione ecclesiæ, & contra Waldenses, an. 1180. Duodecimum est Lateranense IV. episcoporum 472. an. 1215. pro recuperanda terra sancta, & contra varias hæreses. Decimum tertium est Lugdunense I. an. 1245. contra Fridericum Imperatorem, & pro terra sancta. Decimum quartum est Lugdunense II. Episcoporum 500. an. 1274. contra errorem Græcorum. Decimum quintum est Viennense, episcoporum 300. an. 1311. contra varias hæreses. Decimum sextum est Florentinum, Patrum 141. an. 1439. contra errores Græcorum. Decimum septimum est Lateranense V. Patrum 124. contra schismata, & pro variis negotiis, an. 1512. Decimum octauum est Tridentinum, an. 1545. inchoatum, an. 1563. finitum, contra hæreses Lutheranorum: cui interfuerunt Cardinales sex, Legati quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Generales ordinum ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi. Ex his Concilijs nullum est, quod non sit à Pontifice probatum, & à Catholicis recipiatur.

X. De hoc Bellarmini catalogo hæc est nostrorum crisis. 1. Papa Romanus ut Scripturas, ita concilia taxare, hoc est, probare, aut improbare, non potest. Ita enim taxa est partim impia & blasphema, quantum ad S. literas attinet; partim stulta & ridicula, ratione conciliorum. 2. Bellarminus hoc loco sui est oblitus. Omisit enim Concilium Sardicense I. quod an. 347. restituit Athanasium & Marcellum. De hoc enim ita scribit *lib. 2. de Pontifice Roman. cap. 21.* Probatum primo ex Concilio Sardicensi, quod generale fuit, & semper in ecclesia receptum. Nam Sulpitius *lib. 2. sacra historia*, ex toto orbe conuocatum scribit; & Socrates *lib. 2. cap. 16. histor. eccles.* generale concilium appellat. Præterea, ut scribit Athanasius *in initio secunda apologia*, & Hilarius *in lib. de syno. 1.* fuerunt in eo concilio plus quam 300. Episcopi Catholici ex 36. prouincijs totius orbis Christiani. Sic Bellarminus. At hac ratione fuerint XIX. Concilia generalia approbata à Pontifice. Verum fallitur Bellarminus. Non enim istud concilium fuit generale re ipsa & euentu, sed tantum institutum Constantii & Constantis Imp. quia etsi conuenerant Episcopi ex oriente & occidente, tamen re infecta per discessionem tumultuariam plurimi ad ecclesias suas se receperunt. 3. Concilium Nicænum II. fuit impium & sceleratum: utpote quod sancit adorationem imaginum, & intercessionem sanctorum. Sequentia concilia pleraque (nam quædam excipio) vix concilia, nedum generalia concilia dicenda sunt. Nam aut aliud egerunt Patres illi plurimum, & coitiones fuerunt politica; non cœtus ecclesiastici; aut egerunt male, rebus superstitiosis, falsis, impijs, constitutis; aut denique aliquid interspererunt boni, sed infrequentius. Quamobrem illa concilia nō suo loco relinquimus, & valere sinimus. 4. Quod Bellarminus dicit, non extare concilium nonum, nec sequentia multa, quis non miretur? Extant orientalium acta apud nos, qui occidentem incolimus, occidentaliū minime: quæ tamen apud nos magis extare oportebat; in primis autem Lateranense Romæ in Laterano, in Patriarchio, aut in tablino Pontificio asseruari, non extant ergo, ignauia, an dolo? 5. Concilium Constantinopolitanum IV. hoc loco à Bellarmino dicitur respectu Constantinopolitani III. œcumenici. Alias non est numero quartum, sed forte XII. & nostris quibusdam appellatur septimum œcumenicum. Quo tamen nomine alij nuncupant Concilium Constantinopolitanum sub Philippico, vel Copronymo. 6. Concilium Tridentinum est plane Antichristianum; quippe acroterium turris Babylonice, & altare hæresium oppositum altari veritatis cœlestis, ita ut hic locum habeat illud: Altare contra altare. 7. Bellarminus ait, octo priora concilia ideo recipi, quod probentur & veluti authentizentur in iure Canonico, *de ver. dist. 16. can. Sancta octo.* nouem sequentia, quod in eis præfuerit summus Pontifex; vltimum, quia confirmatum est à Pio IV. Egregie profecto omnia! An ius Pontificium potest approbare impium decretum synodi Nicæne II? An potest summus Pontifex in terris (quanquam nemo est summus in terris Pontifex) contradicere summo Pontifici in cœlis? Denique hæc probationes sunt ad partem, ut pragmatico loquatur, id est, ut vulgo dicimus, sunt partiales. Hoc autem iure quis nesciat vincere? Itaque non sequitur: Pontifex approbavit & confirmavit has synodos, aut in ijs præfedit. Ergo hæc synodi probata sunt.

XI. Jam Bellarminus *cap. 6.* Concilia generalia reprobata octo commemorat. Primum est concilium Antiochenum, an. 345. in quo Athanasius est damnatus, & via patefacta ad eversionem Concilii Nicæni I. Secundum est Mediolanense; an. 354. in quo fides catholica ab Episcopis plusquam 300. oblique fuit damnata, & in exilium missi fuerunt Episcopi, qui damnationi Athanasii subscribere noluerunt: ut Hilarius, Osius, Paulinus. Tertium est Ariminense, Episcoporum 600. an. 363. in quo sublatum est de simbolo nomen *ὁμοῦσι*. Quartum est Ephesinum II. an. 449. in quo confirmata est hæresis Eutychniana, & Flavianus Episcopus Constantinopolitanus occisus, omniaque gesta fuere per seditionem & vim: vnde appellatur synodus *λασκαρι* id est, latronum. Quintum est Constantinopolitanum sub Leone Imp. an. 750. contra imagines. Sextum est Constantinopolitanum sub Copronymo, an. 755. item contra imagines. Septimum est Pisanum, an. 1131. congregatum ab Imperatore, & Rege Galliarum, & aliquot Cardinalibus, contra Iulium II. Papam. Octauum est Wirtembergense, quod Lutheranigenere vocant, 300. pastorum, præside Lutero, an. 1536.

XII. In hoc catalogo ista damnamus. 1. Concilium Constantinopolitanum V. sub Leone, adeo non debet accenseri reprobatis, quemadmodum neque VI. sub Copronymo, ut potius priori catalogo utrumque debeant inseri. Recte enim damnarunt cultum imaginum. Atque hinc est, quod Constantinopolitanum IV. sub Philippico, an. 712. à multis vocatur septimum œcumenicum: quanquam alij Concilium sub Copronymo vocant quartum Constantinopolitanum, & septimum œcumenicum, respectu nempe Constantinopolitani III. Quidam etiam illud sub Copronymo, non sextum, sed septimum Constantinopolitanum appellant. 2. Acta duorum istorum conciliorum proculdubio à patronis imaginum & traditionum, qui inde ab illo tempore plurimum obtinuerunt, sublata sunt. Neque enim adeo multa extant de hisce concilijs, præterquam quod in Tomis conciliorum legimus. 3. Concilium Pisanum eo damnauit Iulius II. quod nec authore, nec consentiente ipso habebatur, cum principes Christiani sese à fraudibus & violento ipsius ingenio vindicare velle viderentur. 4. Concilium Wirtembergense, prouinciale fuit, aut forte nationale: generale non fuit. Sed hoc concilium, & alia nostrorum, à tomis conciliorum excluduntur suffragio Antichristi.

XIII. Nunc proxtremo videamus illa concilia generalia, quæ Bellarminus *cap. 7.* partim approbata, partim reprobata esse dicit. Ea vero sex

enumerat. *Primum generale partim confirmatum, partim reprobatum*, est Sardicense concilium Episcoporum 376. ann. 351. ex quibus 300. Episcopi occidentales fidem Catholicam confirmarunt, reliqui 76. Episcopi orientales fidem Arianam susceperunt. *Secundum* est Syrmienense, an. 356. in quo hæresis Phorini damnata fuit, quam damnationem omnes ecclesie probauerunt. In eodem concilio duæ formulæ fidei dissentientes inter se sunt editæ: una Græce, eaque Catholica; altera Latine, plena aperta blasphemie. *Tertium* est concilium Quinisextum, in quo continentur canones Trullani, numero 102. quos dicimus partim reprobatos, quia summus Pontifex non interfuit; partim approbatos, ut est ille de pingendis imaginibus. *Quartum* est Francofordiense, an. 794. quod approbatum est ab Adriano, quantum ad eam partem, qua definitur Christum non esse Filium Dei adoptivum; & reprobatum ab eodem, quantum ad alteram partem, in qua damnatur synodus septima, videlicet Nicæna II. seu adoratio imaginum ibi sancita. *Quintum* est Constantiense, Patrum fere mille, ex quibus Episcopi amplius 300. ann. 1414. Hoc concilium, quantum ad primas sessiones, ubi definit concilium esse supra Papam, reprobatum est; quantum ad ultimas sessiones, confirmatum & receptum. *Sextum* est Basiliense, ann. 1431. Huius concilij nihil est ratum, & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia ecclesiastica.

XIV. Sic itaq; Bellarm. quædam concilia generalia pia, quædam impia, quædam mista statuit. De illis & istis modo diximus, de his brevissime ista addimus. 1. Concilium Quinisextum non recte distinguitur, vel potius separatur a Concilio Constantinopolitano III. sine sexto œcumenico approbato. Nam quia illud nullos ediderat canones, an. 680. sub Constantino IV. Imp. post annos 27. videlicet anno Domini 707. Iustinianus Imperator Patres ad synodum Constantinopolitanam reuocauit. Venerunt plerique omnes, atque etiam Pontifex Romanus suos remisit legatos. Reperita & comprobata sunt acta superiora, sessionibus 18. perfecta. Præterea Patres ad correctionem ecclesie condiderunt, promulgarunt, & subscripserunt canones 102. qui reiecti sunt à Romano Pontifice, quia permittantur sacerdotibus vxores, & ecclesia Romana æquo acerbius perstringatur. Itaque synodus hæc Trullana non est noua, siue distincta à Constantinopolitana III. sed est illa ipsa repetita: & immerito à Bellarmino vocatur synodus erraticæ. Verum transeat hoc. 2. Concilium Francofordiense recte damnauit errorem synodi Nicænae II. Itaque quantum ad primam & secundam partem est approbandum; ideoque in primo catalogo collocandum. 3. Concilium Constantiense & Basiliense recte definiuit, concilium esse supra Papam: vt infra patebit.

XV. Talis itaque est catalogus conciliorum à Bellarmino contextus, & à nobis retectus; cuius fundamentum est illa absurdissima hypothesis, Distinctio conciliorum in approbata, reprobata, mixta, & neutra, pender tota à iudicio & nutu Romani Pontificis. Quam tribus potissimum rationibus euertimus. 1. Iudicium de concilijs, quod fert Papa, aut est iudicium practicum, aut theoreticum, quod dicitur iudicium. Non illud; quia concilia non habent suam essentiam à iudicio vilius hominis. Si hoc; ita quilibet fidelis potest iudicare. Sed videamus de utroque. Veritas & falsitas rei non pender ab intellectu vel iudicio hominis, sed à conuenientia ipsius cum intellectu Dei, tum in natura, tum in gratia & gloria regno. Quare si velimus cognoscere veritatem rerum naturalium, oportet principia nature inspicere: si rerum supernaturalium; principia sacre Scripturæ nobis sunt cognoscenda. Hinc patet, concilia, ipsorumque canones & decreta, esse exigenda ad normam S. literarum. Id vero datum est, omnibus filiis Dei, non solum Pontifici Romano, vt dogmata vera vel falsa ex Scripturis diiudicare possint. 2. Concilia legitima sunt supra Papam. Ergo ab illo non habent esse approbationis, vt loquuntur Scholæ. Antecedens probatur: quia omne legitimum, eo ipso quod est legitimum, superius est alterius iudicio. Deinde Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt, ita nimirum vt vnus se debeat permittere instituendum & regendum pluribus ductum S. literarum sequentibus. Sed hoc argumentum iuse tractatum vide infra c. 10. 3. Papa inde à Bonifacio III. est Antichristus. Ergo non potuit iudicium ferre de concilijs, quæ sint legitima vel illegitima.

XVI. Faceat itaque hoc paradoxum de distinctione conciliorum, & hæc tria axiomata firmiter teneantur. 1. Omnia conciliorum decreta, siue illa generalia, siue particularia, item siue antiqua, siue recentia sint, eatenus tñ, quatenus cum Scriptura consentiunt, à Christianis omnib. recipienda sunt; secus autem reprobanda. 2. Quatuor œcumenica Concilia, Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense, quantum ad præcipua doctrinae capita attinet, omnino recipimus: in reliquis autem omnibus multa optimo iure desideramus; & nominatim de Nicæno II. & plerisque sequentibus libere pronuntiamus, illa esse partim Antichristiana, partim superstitiosa saltem, & erroribus multis obnoxia. III. Nos quoque habemus nostra concilia, quæ proxime accedunt ad simplicitatem conciliorum Apostolicorum, & cum ijs per omnia consentiunt, quantum ad fundamentum. Itaque illa iure merito opponimus pompis Papistarum Concilij.

XVII. Porro ex catalogo Bellarmini hæc duo colligimus, quæ nobis magni argumenti loco esse possunt in sequenti tractatione. 1. Concilia generalia posse errare, & falsas opiniones amplecti. e. g. Antiochenum, Ariminense, & Ephesinum II. vt patet ex catalogo siue classe secunda §. 11. 2. Concilia generalia decreuisse quædam, quæ aperte pugnant cum ecclesie Romanæ doctrina, cumque sedis Apostolicæ autoritate. Ita decreuerunt duo concilia Constantinopolitana, V. & VI. & Francofordiense, contra imagines; Constantiense, & Basileense, oportere Pontificem parere concilio, & ab illo abdicari posse, atque in ordinem cogi: ideoque hæc concilia Papæ displicuerunt, & proinde ab ipso reiecta sunt. Tantum igitur concilia valent, quantum Pontifici placent.

XVIII. *Necessitas Conciliorum* sequitur, adeoque illa quæstio, An concilia quandoque sint cogenda? Tres autem hic se offerunt sententia. Prima, plane non esse necessaria concilia: secunda, huic contraria, esse præcise necessaria: tertia, inter vtramque media, non esse necessaria simpliciter & absolute, sed necessitate expedientie, vt vocant. In prima sententia fuit Nazianzenus epist. 42. ad Procopium, ubi rogatus vt ad concilium veniret, se exsultat, aperteque ait, se se non velle id est, omnem conuentum episcoporum fugere. Cuius rei rationem reddit: quia nullius vnquam synodi

bonum & felicem exitum vidisset. Propterea attexit, non tam libere quam *de hinc* habuisse, hoc est, malorum non tam remedia, quam incrementa ex illis prouenisse. Et tamen ante illum habita nonnulla concilia sunt, Nicænum nempe primum, & Constantinopolitanum primum: in quibus vicit veritas, hæresis explosa est. Mirum ergo videri potest, quod Nazianzenus se alicuius concilij bonum exitum vidisse negat. Sed ignoscendum est Nazianzeno; quia pessimis & turbulentissimis ecclesie temporibus vixit, in quibus propter auersam Valentis Imperatoris à fide Catholica mentem, hæretici plurimum valuerunt, atque adeo post Synodum Nicænam, Arij hæresis magis est aucta & confirmata, & magis ecclesiam perturbauit, quam antea. Cum Nazianzenus tam improba hominum ingenia cerneret, synodos omnes refugit, ne maiorum inde malorum occasio nasceretur. Itaque exemplum Nazianzeni, eiusque ratio, quam adfert, nos nihil mouere debet. Nam Nazianzenus perturbato animo fuit, & ipsius ratio continet fallaciam non causæ vt causæ, itemque accidentis. Opponamus ergo ipsi Augustinum, qui epist. 118. ait, conciliorum in ecclesia Dei saluberrimam esse auctoritatem.

XIX. *Qui concilia simpliciter necessaria esse contendunt*, ratione & auctoritate pugnant. Ratio hæc adfertur. Concilium est ex illis remedijs, quæ adhibentur, cum omnia alia sunt frustra: vt patet ex Act. 15. ex historia ecclesiastica, & quotidiana experientia. Inde enim constat, extremo loco fuisse conuocata concilia, cum alia ratione hæreses & schismata compeisci non possent. Auctoritates Patrum variæ hoc idem videntur confirmare; nominatim illud Isidori in præfatione Conciliorum; ubi scribit, ante Constantini tempora, Christianam ecclesiam in varias hæreses diuisam fuisse, quod propter Imperatorum persecutiones non liceret Episcopis concilia celebrare. Vbi sine dubio intelligit concilia generalia. Constat enim ante Constantini tempora, multa concilia particularia celebrata esse. *Responsio ad 1.* Concilia, in primis generalia, extremo adhibentur loco: quia hoc est secundum naturam, vt à facilioribus remedijs, quæ medici appellant *simpliciter*, incipiamus, & tandem adhibeamus extrema, quæ vocant. Sed hinc non sequitur, ideo concilia esse simpliciter & absolute necessaria, ita nempe vt ecclesia sine illis esse non possit. Nam sicut remedia faciliora, recte adhibita, interdum profunt, & extrema, recte adhibita & ipsa, interdum non profunt, sed potius obsunt: ita quoque vsu venit in ecclesia: vbi hæreses, schismata, & similia mala, interdum tolluntur extra concilia, & interdum per illa exasperantur atque acuntur. Sic ante Constantini tempora multe hæreses fuerunt sublatae absque concilijs generalibus: & post illius tempora in multis hæresibus extirpandis frustra sæpius laborarunt concilia generalia. Itaque hoc tantum sequitur ex illo argumento, concilia ad comprimendas hæreses sæpe vtiliter adhiberi. *ad 2.* Eadem procul dubio est mens Isidori. Nam ante Constantini M. tempora plurimæ hæreses à concilijs particularib. sublatae fuerunt: & post illius tempora plurimæ hæreses à concilijs generalibus extingui non potuerunt. Sed missam faciamus hanc sententiam: vt ipse quam ipse Bellarm. c. 10. recte confutat.

XX. Tertia sententia est concilia non esse quidem simpliciter & absolute necessaria (nam sine his fides & ecclesia incolumis esse potest) sed tamen multum conferre, & valde vtilia esse, siue generalia sint, siue particularia; & proinde necessaria esse necessitate communitatis, seu expedientie, vt diximus: id est, omnino necessaria esse, non ad esse, sed ad bene esse ecclesie, tanquam media, quæ faciunt ad finem melius obtinendum. Et hoc sibi vult Bellarminus cap. 10. cum ait, concilia omnino esse necessaria ad bonam ecclesie gubernationem. Similiter Calvinus in Institutione pronuntiat: Nos libenter concedimus, si qua de dogmate incidat disputatio, nullum esse certius remedium, quam si verorum Episcoporum chorus conueniat, vbi controuersum dogma discutatur. Hactenus igitur inter nos & Papistas conuenit. Et hæc sententia ipsdem fere argumentis vtrinque confirmatur. Ac primo quidem concilia generalia non sunt simpliciter necessaria, quia 1. non sunt præcepta à Christo vel ab Apostolis. 2. quia non faciunt ad internum ecclesie statum. 3. quia fides & ecclesia 300. annis incolumis permansit absque concilio generali. Nam ante Synodum Nicænam nullum fuit concilium œcumenicum. Deinde concilia esse vtilia, & interdum necessaria, sic demonstratur. 1. Christus ipse pronuntiat & promittit *Matth. 18. 20.* Vbi duo aut tres in nomine eius congregantur, ibi se futurum in medio eorum. Quibus verbis significat, piorum ac religiosorum conuentus & concilia propter causas pias suscepta atque instituta, sibi minime displicere. Hinc synodus Chalcedonensis in epist. ad Leonem, locum istum de concilijs intelligit. 2. Si necesse est, vt scandala veniant, *Matth. 18.* & oportet hæreses esse, *1. Corinth. 11.* certe necesse est etiam, vt in ecclesia sint omnis generis media & remedia, quibus & hæreses damnaui, & scandala tolli possint. Inter ista vero media & remedia non postremum locum obtinent concilia, tum generalia, tum particularia. 3. Praxis ecclesie V. & N. T. hoc idem confirmat. Nam Dauid, Ezechias, Iosias, & alij pij principes Israelitarum, neque sacras ceremonias instituerunt, neque religionem repurgarunt, absque synodo seniorum, sacerdotum, Prophetarum, & Leuitarum. Sic Apostoli comitia sua celebrarunt, *Act. 1. 6. 15.* Et in primitiua ecclesia ista consuetudo, post Apostolorum excessum, obtinuit, vt ad res dubias explicandas concilia Episcoporum haberentur. 4. Quemadmodum faces disiectæ (quæ est Chryso-stomi similitudo) nihil aut parum caloris concipiunt; si vero in vnum conferantur, flammam excitant: sic homines pii congregati multum possunt, disgregati vero parum efficiunt. Et quemadmodum in ijs rebus, quæ viribus sunt, & robore administrantur, vis vnita fortior esse solet: sic in ijs rebus, quæ consilio geruntur, si coniunctis studijs omnia agantur, facilius transiguntur. Denique sicut membra corporis non sibi tantum singula consulere, sed communem vtilitatem spectare debent ita in Ecclesia, quæ est vnum corpus, fieri debet. Quo pertinet proverbium: Oculi plus vident, quam oculus. Et istud Innocenti. *quid Gratianum dist. 20. cap.* De quibus: Facilius inuenitur, quod a pluribus senioribus (sapientibus) quæritur. Verus enim repro-missio ait *Matth. 18.* Si duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. 5. Concilia multum conferunt, & valde vtilia sunt, propter octo istas causas: vt nempe, si quæstio difficilis in fide orta fuerit, veritas communi studio quæritur, atque ita facilius inueniatur: vt abusus in ecclesia tollantur, & vitia remoueantur: vt ordo, & legitima disciplina partim constituantur, partim conseruetur: vt paci ecclesie consulatur, & vnitas conseruetur: vt ex ipso congressu & aspectu mutuo consolatio & voluptas percipi-

percipiatur
tunc vt pass
muni oper
iudicio dan
6. Accedi
phorum
bus, cogere
quoque M
uniorum
nuere, vt in
ante Deo
sunt e
conuoc
semela
capit. 12
hæreses
genus
X
quæstione
mus? Ad
Primo eni
terminum
necessaria
Concilium
ecclesia in
fuit. Et
Nam si fin
aure eius fa
tarea hæc
lio genera
Republ.
sitate eccle
num con
constit. Et
est, vt con
necessaria
lia interd
tur Inueni
fr, quæ à
Bellarmini
ria. Et in c
re necessa
Re
sim amb
cilia esse
omnes ne
finit sit, si
obtinere
stenor
re. Ita ec
cilia sunt
ad ipsius
ter, & ab
quam ve
tanquam
necessari
medijs d
quia illis
que erro
buitur,
mus. H
esse, sed
lute.
X
in hac ip
num, ac
ut Ponti
Christi
Bellar
pa pote
valent,
bore, in
rum iud
Sed vt p
bis alio
pistarum
dex om
ueris, v
contro
diuinan
stulat.
sancti,
necessari
ipse iud
mus qu
Etiam si
lia valu
cooper
general
tum est
cilio da
Pontif.

mo & nationalem, infcio magistratu politico. E. potestas indicendi Concilia non est simpliciter deroganda ecclesie & Episcopis. Hactenus itaque concedimus, Papam Romanum habere ius & auctoritatem cogendi aut indicendi concilia in sua nempe provincia. Id enim commune habet cum alijs episcopis. Non itaque solus hoc potest: neque extra suam prouinciam potest.

III. Contra primam hanc thesin nostram sic obiiciunt nonnulli. 1. Causa, cur Christi & Apostolorum tempore, hæc potestas soli Ecclesie erat concessa, non vero magistratui, fuit, quia tum non erant magistratus Christiani. At si tum fuissent, ut iam sunt, utique illis fuisset concessa. 2. Magistratus sunt nutritij ecclesie. E. illi soli debent conuocare synodum. Hoc enim vel imprimis pertinet ad officium nutritij ecclesie. 3. Sub Vet. & Nou. Testam. reges conuocarunt concilia. Itaque aut recte fecerunt, aut non. Si illud: Pastores non debent inuolare in officium magistratus. Si hoc: cur non reprehensi sunt in Vet. Test. a sacerdotibus vel Prophetis.

Respondeo ad primum. Congregare concilia proprie & per se opus est humani ordinis: congregare autem Concilia ecclesiastica, in nomine Christi, opus est humani ordinis in re ecclesiastica. Itaque si magistratus deest, ecclesia iuste congregat citra cognitionem aut operam magistratus: si autem consentiens atque coniunctus est, iniuste & periculose ab ecclesia tentatur & instituitur generalis congregatio sine cognitione & auctoritate eius, qui humano ordini pfectus est. Hinc conuocatio concilia est pura, alia mixta. Pura est iterum vel pure ecclesiastica, ut quando sola ecclesia conuocat: vel pure politica, ut quando solus magistratus conuocat. Mixta est, quando ecclesia consentiente magistratu, seu magistratus per ecclesiam conuocat concilia. Hinc itaque patet, Christum ecclesie sue demandasse curam conuocandi concilium, actu pure ecclesiastico, quando magistratus vel deest, vel suo officio deest. Peccat itaque hoc argumentum primum fallacia non causæ. ad secundum. Est ignoratio elenchi. Neque enim conuocatio Concilij regia & principalis, quæ soli magistratui competit, transcribitur ecclesie. ad tertium. Est eadem fallacia: ut planum euadet ex sequentibus.

IV. Altera nostra thesis confirmanda restat: ubi setmo nobis est de Conciliis generalibus, quæ a solis magistratibus Christianis, non autem ab ecclesia, vlloue Episcopo, siue sit Romanus, siue alius, conuocanda esse, prius quam probemus, illud præmittendum est, quemlibet pium magistratum eodem iure conuocare posse concilia prouincialia & nationalia, quo iure Imperator & Christiani principes coniunctim indicere possunt concilia generalia. Vtrobique enim est par ratio videlicet potestas principalis, regia, & externa, quæ in huiusmodi conuocatione spectatur. Verum quia conuocatio Concilij Prouincialis & nationalis est indifferens, ita ut fieri possit vel à solo magistratu, vel à sola Ecclesia, vel ab utroque coniunctim: at conuocatio Concilij œcumenici siue generalis est actio pure principalis & regia: disputatio solum instituitur inter nos & Papistas de conciliis œcumenicis, à quonam illa sint congreganda? Vbi categorice respondemus proprium & proximum concilij œcumenici indicendi auctorem esse Imperatorem, seu principem œcumenicum, non vero aliquem episcopum.

Etsi enim Imperator fere non congregat Concilium sine consensu Episcoporum: tamen de illo consensu hic non quæritur. Consensus sane totius ordinis ecclesiastici, siue Sacerdotij, ut loquuntur, accedat necesse est. Sed hic quærimus auctoritatem causantem, ut loquuntur: Coniunctam agnoscimus auctoritatem, sed suo ordine: Episcoporum, siue Sacerdotum omnium, ac non solum Pontificis Romani, postulanti-um, vel consulenti-um; Imperatoris, ut decernentis, iubentis: ita ut hic dici possit, Imperator iussisse, Episcopus suasisse satis habet. Quæ obseruatio utilis est, & quidem oppido utilis, ad multa effugia Bellarmini retundenda. Sed confirmemus argumentis, quod diximus. Etsi enim Chamierus hoc idem argumentum tractauit *tomo secundo libro decimo tertio cap. decimo*, tamen hoc ibi factum est non nisi incidenter, ut loquuntur.

V. Primum argumentum est eiusmodi. Concilium œcumenicum non nisi ab œcumenico principe (siue is sit vnus, siue alij cum ipso sint vnus) indici potest: quia ut Logici loquuntur, proprium effectum arguit causam propriam. Sed excipiunt Papistæ Pontificem Romanum esse Episcopum œcumenicum, & proinde ipsi competere ius indicendi synodum œcumenicam.

Respondeo. Solus Imperator Romanus iure est Princeps œcumenicus: ut patet ex *Luc. 2. ubi dicitur* intelligitur de orbe Romani imperij. At nullus in his terris est pastor siue Episcopus œcumenicus: quia soli Christo hic titulus competit. Vnde *Concilium Carthaginense cap. 26.* recte decreuit neminem debere vocari principem sacerdotum seu summum sacerdotem. Deinde quidam excipiunt, Imperatorem hodie non esse Principem œcumenicum, seu vniuersalem omnium dominum; & ideo non posse cogere concilium, ex nostra hypothesi. Respondeo. 1. De iure est semper, licet non sit de facto. 2. Adiungere debet aliorum regum & principum Christianorum calculum.

VI. Secundum argumentum nostrum ita habet. Indictio, siue conuocatio synodi generalis, per se est mere politica, & auctoritatem principalem requirit, quæ politica simul sit & coactiua. Nam de loco, tempore, & modo, seu forma externa, publicorum conuentuum, deque sumptibus huc pertinentibus, & rebus similibus tractare, est res mere politica. Et potestas mandandi in rebus externis, itemque mandata exequendi, tantum ad politicum magistratum pertinet, non autem ad Ecclesie præfules. Atque hæc ipsa quoque in synodo nationali & Prouinciali habere possunt locum. In quo casu conuocatio etiam est penes magistratum. Sed quia synodi nationales, & prouinciales (& quidem hæc facilius quam illæ) possunt indici absque illis rebus, quæ requirunt auctoritatem principalem, nemo non intelligit, Ecclesiam posse illas conuocare absque opera magistratus politici, vel ceteris facere officium, vel persequentis Christianam religionem. Id vero fieri non potest in synodo generali conuocanda. Causam elegan-

ter indicat Caluinus *libro quarto Institutionum, capite septimo. §. octauo.* his verbis: Quantum ad synodos conuocandas, hoc erat Metropolitanæ cuiusque officium, ut Prouincialem synodum statim temporibus cogeret. Illic nihil iuris habuit Episcopus Romanus. Vniuersale autem Concilium indicere solus Imperator poterat. Si quis enim Episcoporum hoc tentasset, non modo vocationi non paruissent, qui extra prouinciam erant, sed tumultus statim exortus fuisset. Ergo Imperator omnibus æquo ut adessent denunciabat. Plura in hanc sententiam vide *cap. sequen. §. quarto.*

VII. Tertio, officium piorum principum ac gubernatorum est, non modo res terrenas, pacemque politicam curare, sed etiam Ecclesie nutritores agere, *Esa. 49. & 60.* & Domino Iesu, in amplificando eius regno, humiliter ac fideliter insequere, *Psal. 2. & 24.* Id vero maxime, conuocandis & moderandis synodis, imprimis generalibus, si vsus ita postulet, efficere possunt. Si vero non faciant, nutritij ecclesie iure appellari non possunt. Is enim demum est nutritius, qui curam alicuius habet, ut viuat. Quemadmodum itaque in rebus humanis nutritij præbent *τὸ βιολογικόν*: sic in diuinis nutritij suppeditare debent *τὸ πνευματικόν*, idque politice, vel ecclesiastice: è quibus illud incumbit Principibus; hoc ministris verbi, qui ipsi quoque sunt nutritores ecclesie, quanquam alia ut patet ratione.

VIII. Quarto sic ratiocinamur. Illorum est concilia generalia congregare, quorum auctoritati omnes Christiani parere debent, & ad quos spectat, quæ ad Ecclesie pacem & tranquillitatem faciunt, & procurare. At hoc principum & regum est officium. Ergo. Proposito maior patet. Nam sine publica auctoritate concilium œcumenicum congregari non potest. Auctoritatem vero illi habent, quibus omnes homines dicto audientes sunt, & quibus incumbit prouidere, ut omnes in pietate & honestate viuant. Propositio minor ex Scripturæ auctoritate probatur, *Romanorum decimo tertio vers. primo* *πᾶσα ψυχὴ ἐξουσιᾶς ὑπακούει τῷ κυρίῳ ὡς τῷ κυρίῳ*. Quo in loco ne quis Apostolum ad laicos tantum sermonem suum accommodare existimet, Chrysostomus disertè ait, hoc præcipi *πᾶσι τῷ ἱερῷ καὶ τῷ μοναχικῷ, ὡς καὶ τοῖς βιολογικῷ μόνον. πᾶσα ψυχὴ* (ad-dit) *καὶ δούλου & ἡς, καὶ ἐναγγελιστῆς, καὶ ἀποστόλου, καὶ ὁσίου, etiamsi Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, siue quisquis tandem fueris.* Ne Petrus quidem ipse eximitur. Ergo nec Papa. Et eodem loco obseruat Chrysostomus, Apostolum non dicere, *πᾶσι δεῖται παραταξέσθαι* subijciatur. Et sic quoque Oecumenius in hunc locum. Idem etiam Chrysostomus *homil. 2. ad populum Antiochenum* vocat Imperatorem summum & caput omnium super terram hominum. Sic Petrus *1. epist. 2. 13.* iubet nos *ὑποταξάναι βασιλεῖς*; *et ver. 17.* *τιμῶν βασιλεία.* Ergo de iure diuino omnes Episcopi parere debent Imperatoris auctoritati, & cum ab illo vocantur, necesse est ut se sistant. At iure diuino vnus Episcopus non habet auctoritatem in alium, ut nec vnus Apostolus in alium habuit. Ex his relinquuntur, non nisi regum esse, auctoritate sua edicere & præcipere, ut Episcopi vndique conueniant.

IX. Quintum nostrum argumentum est huiusmodi. Pij reges & principes in Veteri Testam. semper hoc iure vsi sunt, & quidem ex ipsius Dei mandato. Nam & Moses, summus princeps politicus (non autem Pontifex Aharon) solennes populi conuentus, ex Dei iussu, semper indixit, duabus etiam tubis argenteis in eam rem confectis, *Numerorum decimo.* Et Iosua similiter sese gessit, *Ios. vigesimo tertio & vigesimo quarto.* Porro Dauid concilium congregauit de arca reducenda, *1. Chron. 13. ver. 1. 2.* & aliud concilium, cum iam senex esset, *1. Chron. 23. ver. 1.* Eodem modo Salomon indixit concilium, *1. Regum 8. ver. 1.* item Ezechias, *2. Chronic. 29. ver. quarto,* & Iosias, *2. Regum 23. ver. primo & secundo.* Ergo similiter nunc licet Principibus in Ecclesia Christi concilia congregare. Consequentia firma est. Nam si in ea Ecclesia hoc factum est, quæ vnus regionis fuit, quæque etiam vna cum regibus summum Pontificem habuit; quid nō in nostra Ecclesia idem fiat? Pij illi reges ecclesie curam habuerunt, & religionis fuerunt admodum studiosi. Quando igitur ecclesiam reformare, & religionem purgare voluerunt, concilium congregarunt, non modo laicorum, sed sacerdotum etiam & Leuitarum. At nullus vnquam sacerdos, qui tantum sacerdos fuit, sua auctoritate hoc fecit. Ergo regis, non sacerdotis, fuit, concilia conuocare. Et quod illi reges tunc fecerunt, idem principes Christiani nunc facere possunt, & vero debent, quoties id exigat necessitas.

X. Sextum argumentum sic instituo. Generalia Concilia nulla habita sunt primis trecentis annis, antequam Imperatores Christiani facti sunt. Quare vero hoc? Quia Christiani, hinc inde dispersi in prouincijs Romani Imperij, noluerunt sibi sumere auctoritatem, quam soli Imperatori, utpote principi œcumenico seu generali, competere intellexerunt. Itaque deerat ipsis auctoritas, non vero sola opportunitas. Sed hoc argumentum accipiet lucem à sequenti; quod primo proponemus, deinde ab exceptionibus Bellarmini vindicabimus.

XI. Septimo itaque dicimus, non Romanos Pontifices, sed Cæsares & Imperatores Christianos indixisse prima quatuor generalia Concilia, nec non alia quædam. Ergo horum auctoritas hæc fuit, non illorum. Nam ij certe indixerunt, quorum fuit indicere. Antecedens probatur partim confessione aduersariorum, partim classicorum historicorum testimonijs. Et ut à *Confessione Papistarum* incipiam, *Nicolaus Cusanus Cardinalis libro secundo de concordia Catholica cap. vigesimo quinto* ait: Auctoritas Concilij non ita dependet à congregante, ut nisi à Papa congregetur, non sit Concilium; quia tunc omnia octo vniuersalia Concilia non fuissent firma, quoniam per Imperatores conuocata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum patriarcharum, diuales sacras iussiones, de veniendi aut mittendo ad concilium recepit. *Et ibidem.* Ex illo tempore, quo Imperatores cœperunt Christiani esse, ecclesie negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeo maxima concilia de eorum sententia conuocabantur. *Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis libro contra primatum Pontificis Romani,* olim antiqua concilia ab Imperatore, non à Romano Pontifice congregata fuisse probat.

Finem

hiam, in quibus facile tum primas ex consuetudine antiqua obtinebat, ut ca- mone 6. synodi Nicænz dicitur. 3. Ex testimoniis veterum, supra §. 12. reci- tatis, luce meridiana clarius est, solum Constantinum indixisse hoc con- ciliium. Nulla enim ibi fit mentio Pontificis Romani, nec in indicendo hoc conciliium, nec in consentiendo. Et, si Romanus Pontifex hoc conciliium indixisset, ille procul dubio non Nicænz, tam procul à Roma, præsertim cum senex esset, sed Romæ celebrasset, aut in aliqua parte Italia. Sequitur apud Bellarminum.

XIX. De Constantinopolitano I. Theodoretus refert, Theodosium non tam illud indixisse, quam literas Pontificis Damasi, quibus Conciliium indicebatur, ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt Episcopi congregati in illo concilio ad Damasum Pontificem apud Theodoretum, libro quinto hist. c. 9. Mandato literarum superiore anno à vestra reuerentia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque fa- ciendum nos preparauimus. Licet ergo Theodosius indixerat hoc conciliium, tamen indixit ex mandato literarum Apostolicarum.

Respondet primo. Theodoretus non docet Theodosium misisse literas Damasi ad Episcopos: sed, postulato & rogatu sacerdotum, quorum sententiam communem Damasus ad Theodosium perfererat suadens, concili- um à Theodosio indictum fuisse. 2. Vox illa, mandato, non est apud Theodo- retum. Verba sic habent Græce: εν τω περιειρημιστω των πατρων της υμε- ρας προσηγοριαι. id est, ex literis anno superiore à vestra reuerentia &c. Quæ verba Christoforus male vertit, Ex mandato literarum. Quam inter- pretationem secutus est Bellarminus. 3. Iidem Patres in epistola ad Theo- dosium, quæ habetur in Actis Constantinensi, aiunt, se fuisse ab illo conuo- catos. Euocati literis tuis (inquiunt) Constantinopolim conuocauimus. Et paulo post: Literis, quibus nos conuocasti, Ecclesiam honorasti. 4. Socrates, & Sozomenus nullam faciunt mentionem Pontificis Romani. 5. Si Pontifex Romanus sua autoritate hoc Conciliium indixisset, Romæ procul dubio, non Constantinopoli celebrasset. Pergit Bellarminus, & nos cum eo.

XX. De Ephesino I. Prosper in Chronico indicat synodum Ephesinam factam esse Cyrilli industria, & Celestini autoritate. Constat etiam ex Euagrio, & alijs autoribus, Cyrillum profectum esse ad Concilium tan- quam legatum Apostolicæ sedis: quod est argumentum certum, eam syno- dum non sine consensu Pontificis coactam fuisse. Respondet primo. Pro- spero verba ita sonant: Huic impetrati (Nestorij) præcipua Cyrilli Alexandri- ni Episcopi industria, & Papa Celestini repugnat auctoritas. Hic de indictione Concilij nullum verbum, sed de actione solum. 2. Quis negat, sine con- sensu Pontificis coactam esse? Nam ne sine consensu quidem Episcopi Nu- cerini, aut Alifani coacta est. Consensus fuit totius sacerdotij. 3. Neque hoc sequitur: Cyrillus locum Celestini in Concilio suscepit. E. Concili- um indictum fuit à Celestino. Hoc nihil ad indictionem concilij pertinet, sed ad illius actionem. 4. Cyrillus & locum Celestini sustinuit, & suum, ut Euagrios & Photius narrat. 5. Euagrios libro primo cap. tertio, discrete ait: εν τω περιειρημιστω των πατρων της υμερας προσηγοριαι, natus, sine impe- rio iunioris Theodosij Conciliium Ephesinum primum congregatum fuisse: & scri- psisse Theodosium literas ad Cyrillum, & τωδε τω πατρι η τωδε τω βασιλει εκκλη- σιας εσθης υμεις, ad omnes ubique sanctarum Ecclesiarum præpositos: ergo etiam ad Romanum Episcopum. 6. Cyrillus summus in eo Concilio iam congregato partes habuit, non in congregando. Et partes illas ha- buit non Celestini tantum, sed etiam suo nomine. Pergamus cum Bellar- mino.

X XI. De Chalcedonensi patet ex epistola Martiani Imp. ad Leonem Papam; in qua Imperator indicturus Conciliium, rogat Pontificem, ut ipse veniat, & conciliium faciat, vel si nolit venire, per literas significet, quid a- gi velit: & in fine concludit, se scripturum ad omnes Episcopos, ut ad certum locum conueniant. Extat etiam epistola Episcoporum secundæ Mœsiæ ad Leonem Imperatorem, ubi hæc leguntur verba: In Chalcedonensium ciuitate multi sancti Episcopi conuenerunt per iussuonem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum. Denique Gelasius in epist. ad Episcopos Darda- niæ, dicit, solam Apostolicam sedem, ut synodus Chalcedonensis fieret, sua autoritate decreuisse.

Respondet primo. Mutilata est narratio. Nam scripserant prius de consi- lio suo ad Leonem Papam Valentinianus & Martianus Augusti communes literas. Priuatim vero ad Leonem Martianus scribebat, quia imperium te- nebat orientis. Itaque imperator orientis ita scribit Episcopo Romano, pa- triarchæ occidentalis ecclesiæ. 2. Non postulat Martianus a Leone, ut con- ciliium indicat, sed ut indicto ab Augustis adit. 3. Si Martianus scripsit ad omnes Episcopos, ut ad certum locum conuenirent: ergo hoc ipso indixit synodum. 4. Ipse Leo Papa fatetur multis in locis, se non potuisse conciliium conuocare, sed hoc esse totum Imperatoris. 5. Ipsa synodus Chalcedonensis Acta. testatur, non modo se ab Imperatore indictam fuisse, sed ipsum quo- que Romanum Episcopum eo vocatum esse; qui cum ipse adesse non po- tuit, quatuor legatos misit. 6. Si Pontifex Romanus hoc conciliium indixisset, utique intra Italiam hoc fecisset. Id enim vnice in votis habebat, ut §. 15. diximus. 7. Leo Papa ab Episcopis secundæ Mœsiæ appellatur caput: quod est nomen ordinis, nec aliud sonat, quam primum sedis Episcopum, ex Nicæ- na synodo, & Conciliorum Chartaginensium interpretatione. 8. Bellarmi- nus verba Episcoporum secundæ Mœsiæ eitanit mutilata. Sic enim habent: Per iussuonem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum, & vene- rabilis sacerdotis & patriarchæ Anatoly, concilio celebrato. — Ecce Leo Episco- pus Romanus & Anatolius Constantinopolitanus, ille nomine ecclesiarum occidentalium, hic orientalium, mandatum ab Imperatore utroque, Valenti- niano & Martiano, acceperant, transmiserantque ad omnes. Itaque ipso- rum iussione fuit conciliium celebratum: quia iussu ab Augustis iusserant Episcopos. Homonymia est in voce iussione. Nam etiam præco iubet & nuntius, & mediastinus in nauis. 9. Gelasii verba sunt bullata, id est, falsa & adulatoria: ut ex præcedentibus patet. Sequitur apud Bellarmi- num.

XXII. De Sardicensi Concilio, quod à Julio Papa indictum fuerit, potest intelligi ex Socrate libro secundo cap. decimo nono, ubi ait, Orientales Epi- scopos culpam absentia suæ à Sardicensi concilio in Iulium Episcopum Ro- manum contulisse, eo quod nimis angustum tempus præscriptum esset. Ex quo apparet, non ab Imperatore solo, sed etiam à Julio Pontifice, & ab eo potissimum, conciliium indictum.

Respondet primo. Socrates libro secundo cap. vigesimo, dicit: κηρυττειται αυθις οινουδρινη συνδος εν τω ορει των δυων βασιλειων, Indicitur iterum gene- ralis synodus auctoritate duorum regum, Constantij scilicet & Constantis. Et Theodosius libro secundo cap. quarto, ait, Constantium iussisse in Sardica celebrari conciliium. 2. Socrates d. l. & c. rem ita narrat. Fratres duo Imp. Constantius & Constans synodum haberi decreuerunt. Sed quia Constans Imperator occidentis fratrem suum coegit ferre, synodus vero in occi- dentali vrbe aliqua habenda fuit, ubi & factiones orientis minus obstre- perent, & liberiora suffragia iudiciaque existerent, propterea Iulio man- datum fuit ut decretum Imp. significaret, quod orientalis nullus Episco- pus fuisset ausus, aut magno cum fructu effecisset. Id autem Iulius ori- entalibus serius significauerat: atque haud scio an arte fecerit, ut pauciores ab Oriente accederent. De hac igitur segnitie, an dolo, con- quentur Episcopi orientales. Atque hæc sunt specialia Bellarmini anti- dota.

XXIII. Generale antidotum Bellarmini sequitur, his verbis. Habe- mus ergo prima illa Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pon- tificum sententia, & consensu. Cur autem tunc non solus Ponti- ex indi- xerit, ut postea factum est, causa non erat, quia sine autoritate Impera- toris conciliium coactum, non esset futurum ratum apud Christianos, ut somniant aduersarij, cum aperte dicat Athanasius in epist. ad solitariam vi- tam agentes: Quanto vnquam iudicium ecclesiæ ab Imperatore autho- ritate habuit: Sed propter multas alias iustissimas causas: quatum pri- ma erat, quia tunc vigeat lex imperialis, quæ prohibebat ne frequen- tes conuentus fierent sine Imperatoris autoritate; eo quod metuerent Imperatores, ne seditio aliqua heret.

Secunda, cum Imperatores eo tempore in magna orbis terræ parte im- perarent, non poterat fieri Conciliium nisi in aliqua vrbe imperiali: nulla autem ratio fuit, ut in aliquo loco ex toto orbe conuentus fiat sine licentia domini illius loci: sicut etiam modo, si conciliium fieret non in terris Pon- tificis, sed in Gallia, Hispania, vel Germania, sine dubio peteretur consensus, cuius est illa ciuitas, vel prouincia.

Tertia, quia eo tempore concilia generalia fiebant sumptibus publicis Im- peratorum.

Quarta, quia eo tempore subijciebat se Imperatori in temporalibus, & ideo non poterat inuito Imperatore aliquid agere. Ideo supplicabat Imperatori, ut iuberet conuocari synodum. At post illa tempora omnes istæ causa mutatae sunt. Nam nec lex illa vigeat, nec Imperatores in toto or- be dominantur, nec publicis sumptibus fiunt concilia, nec sunt Gentiles qui impedire possint, & Pontifex iam non est subiectus in temporalibus, cum etiam ipse in suis prouincijs sit princeps supremus temporalis, sicut sunt re- ges & principes alij: id quod diuina prouidentia factum est, ut Pontifex libe- rum munus exequi possit.

XXIV Respondet 1. Aliud est iudicium ecclesiæ, de quo Athana- sius: aliud ordo conuentus ad iudicium & in iudicio necessarius, atque ordi- nis auctoritas, de qua nos agimus, eamque ab Imperatore suspendimus. 2. Idem nunc seditionis metus est. Ergo si tunc valuit ista lex, & nunc etiam valere debet. Sane non est abrogata: quia ipsius ratio est perpetua. 3. Si Im- perator toto illo tempore fuit dominus in magna parte orbis terræ, etiam fuit dominus Italia, ac proinde Romæ. Non itaque illam Pontifex dono habet à Constantino Magno. Deinde hæc fuit vna causa, cur Imperato- res tum temporis indixerint concilia œcumenica, quia nempe erant prin- cipes œcumenici. Sed ad hanc accedunt alia plures: puta, quod sunt prin- cipes Christiani, sine nutritij ecclesiæ: quia hoc fecerunt pii principes in Vet. Test. &c. Denique si hodie Conciliium generale celebraretur in Hi- spania, procul dubio Papa non daret Regi Hispaniæ auctoritatem conuo- candi illud conciliium. Ergo non satis attendit Bellarminus, quid dicat. 4. Non fuit satis iusta causa, ut ipse illi Imperatores Pontifici detraherent su- am auctoritatem, quod sumtus conferrent ad conciliium. 5. Si Pontifex Romanus olim subiectus fuit Imperatori in omnibus causis temporalibus, quo iure ex subdito Imperatoris se fecit ipso superiorem: Deinde dominium temporale, quod sibi Pontifex arrogat, è diametro pugnat cum iure spiri- tualis vocationis ad officium spirituale. Itaque hoc tantum euincit Bellar- minus, utrumque ius a Pontifice Romano violari; spirituale, quod negli- git; & temporale, quod diligit: nam illud deseruit vocatus, hoc non vocatus occupauit. Atque ita etiam corrumpit illud, quod in Recognitione asserit, Papam olim fuisse subiectum Imperatori, non de iure, sed de facto. At ubi hoc ius fundatum est, Bellarminus?

XXV. Oñauum nostrum argumentum sumitur ab inutili & pernicio- so, si solus Pontifex dicatur posse conuocare Conciliium generale. Sic au- tem illud habet apud Aeneam Syluum libro primo de Concilio Basiliensi: Ex hisce auctoritatibus mirum in modum se putant armatos, qui Concilia ne- gant fieri posse sine consensu Papæ. Quorum sententia si, ut ipsi volunt, in- uiolata permisset, ruinam secum ecclesiæ traheret. Quid enim erit remedij, si Papa criminofus Ecclesiam perturbet, si animas perdat, si fidei contra- ria prædicet, & hæreticis dogmatibus imbuat subditos? Huic argumento illud est affine. Pontifex sæpe est altera pars litigantium. E. non potest indi- cere synodum.

XXVI. Nono, Quicumque committit sacrilegium, non est feren- dus. At Papa, dum sibi arrogat auctoritatem conuocandi synodum œcu- menicam, est sacrilegus. E. Probatum assumit. Facultas congregandi con- cilia œcumenica pertinet ad illum, qui est Princeps œcumenicus. Atqui hanc potestatem, siue dignitatem, solus habet Imperator. Sed Bellarminus eam detrahit Imperatori (negat enim Imperatores in toto orbe dominari) & negat Pontificem, qui olim subiectus erat Imperatori in temporalibus, ho- die ipsius esse subditum. Quod utrumque est sacrilegium. Primo enim est Imperator non est hodie princeps œcumenicus simpliciter, respectu totius orbis, aut etiam orbis Christiani: tamen non est œcumenicus, quia Ita- lia ipsi debetur, adeoque Roma, caput imperij œcumenici. Deinde quia non est Imperatoris extra fines imperij sui in hac re, aut vlla alia imperandi auctoritas, debet aliorum regum & principum Christianorum cal- culum adiungere. Denique si Imperator sub initium fuit superior Ponti- fice Romano, aut iure diuino fuit superior, aut non. Si non fuit, cur Pon- tifex se illi subiecit? Si fuit, ergo & nunc erit.

sunt dicta, sed speciatim ad ipsum directa, quia ille speciatim Christum abnegauerat. Non itaque soli Petro competunt, sed communiter cum alijs Apostolis. Christus speciali gratia ius redintegrait ei, qui solus exciderat. Itaque hinc nulla prerogatiua Petri concludi potest. 12. Pascere oues, complectitur totam curam pastorem, hoc est, omne officium Apostolorum, & qui ipse succedunt. Itaque perperam ad conuocationem conciliorum restringitur. 13. Christus non debuit Tiberio dicere, Pasce oues meas: tum quia Tiberius fuit ethnicus, tum quia verbis illis complexus est officium pastorum ecclesiae, quod toto genere differt ab officio magistratus. Etsi enim ille quoque esse debet *ποιμὴν λαοῦ*: tamen hoc nihil pertinet ad praesens negotium. 14. Adhuc sub iudice lis est, an Papa succedat Petro. 15. Sape qui gloriantur, se Petro succedere, non congregant homines in nomine Christi: & saepe qui succedunt Tiberio, congregant homines in nomine Christi. Illud faciunt Pontifices Romani, qui homines abducunt à Christo: hoc faciunt pii principes, seu Imperatores Romani, qui homines ad Christum adducunt, ut Constantinus, Theodosius, alii, qui succedunt Tiberio, non perfidia, sed dominatione. 16. Petrus & reliqui Apostoli fuerunt oecumenici siue generales pastores, quatenus non vni Ecclesiae fuerunt alligati, sed in vniuersum mundum missi. Sed non fuerunt oecumenici simpliciter. Itaque Petrus fuit pastor generalis, ratione numerosae multitudinis, non vero ratione totius vniuersitatis. Ita enim solus Christus est pastor generalis. Quare non recte dicit Bellarminus, Petrum esse Pastorem omnium. 17. Christus indefinite loquitur *Pasce oues meas*; non vniuersaliter; *Pasce omnes & singulas*. 18. Verba Leonis non moramur. Sunt enim verba Pontificum (ut ille dicit apud Aeneam Syluium) simbrias nimium extendentium. Fuit quidem Leo ille pius & doctus Episcopus: sed tamen fuit ambitiosus; quia soli Christo competere vniuersalis illa auctoritas, quam Leo & Petro & sibi arrogat. 19. Imperator congregat Episcopos, non ut ouis, sed ut pastor. Episcopus congregat Imperatorem, non ut pastorem, sed ut ouem. Itaque & imperator est pastor, & episcopus. Ille est pastor politicus; hic, ecclesiasticus. Rursus & imperator est ouis, & episcopus. Ille in ecclesiasticis, hic in politicis. Nimirum ad munus Imperatoris politicum pertinet omnes suos subditos colligere in vnum, etiam episcopos in hoc negotio. Nam etsi res, de quibus in concilio deliberatur & consultatur, sint sacrae & religiosae: tamen hoc ipsum, auctoritate principali congregare Episcopos ad consultandum, est mere politicum. Potest ergo praecipere, ut Episcopi (de Archiepiscopis idem est iudicium) qui nunc segregati sunt, conueniant in vnum locum, propter causas, quas ipse cum alijs necessarias esse duxerit. Et in hac actione iam non ouis, sed pastor est. Mutua hic est, vel, ut Graeci eleganter loquuntur, *ἀντιπροσφύβη* subiectio. 20. Christus promittit, se in medio futurum, ut significet se adimpleturum, quae illi petunt, per gratiae assistentiam, ut recte Iansenius in hunc locum obseruat. At hoc petere possunt, & debent, oēs Christiani, quando conueniunt in nomine Christi, absente, & inconstituto Papa. 21. Quid emolumentum quae redit ad concilium, quod congregatur auctoritate Papae? Errat enim illud fere in fide, ut Ephesinum II. & alia multa. Nimirum Papa non congregat synodum in nomine Christi, sed in nomine suo. 21. In nomine Christi, & in nomine potestatis humanae congregari non pugnat. Nam qui in nomine potestatis humanae aliquid facit, ex auctoritate illius facit, sed non virtute ipsius: qui vero in Christi aut Dei nomine aliquid facit, is non solum eius auctoritate, sed etiam virtute fretus id facit.

III. Secundum Bellarmini argumentum est huiusmodi. Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere, at nullus Imperatorum vnquam totam ecclesiam subiectam habuit etiam quoad actiones ciuiles, ut eam habet Pontifex quoad actiones spirituales. Nam Imperatores latissime dominabantur tempore B. Leonis, & B. Prosperi; & tamen tunc maior erat orbis Christianus subiectus Papae, quam orbis Romanus subiectus Imperatori. Sic enim loquitur S. Leo serm. 1. de S. Petro & Paulo: *Per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta (Roma) latius praesides religionem diuinam quam dominatione terrena.* Et Prosper libro de ingratis ita canit:

*Sedes Roma Petri, qua pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.*

Nunc autem Imperator vix vnus prouinciae Episcopos ad concilium cogere possit: nec enim Itali, Hispani, Galli, Imperatori subiacentur, sed habent suos proprios reges, vel principes temporales. Quid, si nullus esset Imperator, imo etiam nullus princeps Christianus, num ideo concilia fieri non possent?

IV. Respondeo. 1. Concilium aut ab vno indicitur, aut à pluribus, aut ab omnibus, quorum est auctoritas. Ab vno, ut Nicenum primum à Constantino: à pluribus, ut Ephesinum primum à Theodosio & Valentiniano, aliaque similia: ab omnibus denique, id est, ab vniuersitate Pastorum per consensum communem omnium sine humana auctoritate; prout concilia primum (licet non generalia) cum alieni à fide Imperatores essent, fuerunt habita. Pontifici vero auctoritatem vniuersitatis esse negamus; cum neque à principe vniuersitatis Christo, neque ab vniuersitate vnquam habuerit eam: ac proinde omnes cogere non potest. Hoc tribus argumentis demonstramus. Primum est à natura conciliorum generalium. Nam cum in conciliis generalibus ratio coniuncta sit, ordinis politici & ecclesiastici; nec vnquam fieri possit bona fide, ut ecclesiasticus Dei seruus in ordinem politicum, qui alienae est auctoritatis, curandum transeat sine reipublicae Christianae & humanae perturbatione; profecto ubi est sancta magistratum cum sacerdotali munere conspiratio, nec potest, nec debet ecclesia ea quae sunt humani ordinis sine magistratus auctoritate subsidioque procurare in hac causa; immo non nisi per magistratum humani ordinis curatorem ac vindicem: idque per eum magistratum, qui aut vnus sit, re ipsa maximum imperium obtinens, aut plures inter se vnum consensione sint & consiliorum communicatione, ut generalitate ordinis, commodorumque ad eam pertinentium, concilii generalitati consulatur.

Secundum est à vocatione ambarum, legibus, imperij, & sacerdotij. Nam nec imperium fert sacerdotio leges (à Christo habet illas sacerdotium) nec sacerdotium imperio, ne in ijs quidem rebus, ad quas oportet vnusque administrationem concurrere. Publicae congregationes, pra-

sertim tantae, ab imperio sunt, nec legitime sine consensione, auctoritate, & mandato summi magistratus haberi possunt: & ab eadem auctoritate in suo ordine officioque continentur; magistratus ordinis praefectus est. Actiones vero, deliberationes, & definitiones ad substantiam rei ecclesiasticae pertinentes, à sacerdotio sunt, à cœtu seruorum Dei, quibus rei suae administrationem mandauit Deus; & quarum ordinem auctoritatemque procurat magistratus secundum Deum. Qui huius rei exemplum euidenter desiderauerit, legat primas actiones concilii Chalcedonenfis; ubi cum Leonis, Episcopi Romani, legati Dioscorum excludendum clamose contenderent, religiosissimi iudices (prout appellantur) negauerunt ex ordine esse, ut causa incognita extruderetur quisquam, sed de facto Dioscori cognosci curauerunt, & à consensu iure ecclesiastico definiti. Sic iustum ordinem tutati, substantiam rei cognitioni ecclesiasticae permiserunt.

Tertium est ab effectu & executione rei definitae. Nam siue congregationem Concilij haberi placeat, siue in ea consultari & decidi, siue ex eius definitionibus exequi, coactiua, ut vocant, magistratus auctoritate opus est ad ista omnia praestanda atque exequenda, duabus maxime de causis: vna, quod nullo iure ad Ecclesiasticos pertinet coactiua auctoritas, cum eorum non sit imperium, sed ministerium: altera, quod generalia Concilia nunquam ferme nisi de causa Ecclesiasticorum haberi solent legitime, cum veritas fidei, aut consensus, & pax ecclesiae ab eis conturbatur. Quamobrem nisi coactiua illa magistratus auctoritas praesert ordinem (nam reus solus Christus praesert per Spiritum & Scripturam suam) confusio maior ex schismate sacerdotum inter se oriretur, dum alii in alios agerent, & velut rearij cum securatoribus committerentur, infausta & turpi rixa. At haec facit Pontifex, dixerit quispiam. Negatur: nam hoc non est de officio ipsius. Si de officio esset, aut a principe ecclesiae haberet, aut ab vniuersitate ecclesiae, aut à magistratu. Non habet à Christo; quia ille ministerium commisit suis seruus, non imperium. Non habet ab vniuersitate ecclesiae: nam ne ipse quidem hoc affirmare audeat; nec si affirmaret, probare posset. Non denique à magistratu politico; nam si ab eo potestas esset, certe aut donatione, aut delegatione esset. Pontifex vero neutrum docere instrumentis potest. Quod si non inde habet, publici iuris usurpator est, politici & ecclesiastici. Nec refert, quod magistratus finit, ac proinde videtur consentire: nam qui errat, non consentit. Errat autem magistratus, non tam in iure, quam in facto; quia religiose scilicet pro sua pietate Pontifex Romanus affirmat, hanc potestatem sibi ab eo, qui ius habet, collatam esse. Cum itaque solus magistratus (siue vnus sit Imperator, siue plures sint consensione vnum) possit generale Concilium cogere ad congregationem, itemque ordinem congregationis, & executionem rerum quas congregatio sancte definiuit: propositio Bellarmini distinguenda est, ut fecimus: ita nempe. Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere potestate legitime sibi concessa. 2. Assumptio, quae ad propositionem hanc adtexitur, duobus modis falsa est: tum, quia magistratus politico potestatem coactiuam admittit, quae omni iure ad ipsum pertinet, siue vnus ille sit, siue plures sint consensione vnum (quod Bellarminus non attendit) tum, quia Pontifici Romano, quem non agnoscimus, attribuit potestatem, quam negamus vlllo iure ad ipsum pertinere. 3. Antichristianum est, sibi assumere potestatem coactiuam in ecclesia. 4. Primis Imperatoribus totus fere orbis Christianus paruit. At Pontifici Romano nunquam paruit: quia orientales, immo & occidentales, intercesserunt & contradixerunt ipsius *καὶ οὐκ ἔπεισαν αὐτὸν*. 5. Leo, etsi fuit vir pius & doctus tamen ambitione laborauit, ut pote architectus regni Antichristiani. Deinde loquitur ille de *καὶ οὐκ ἔπεισαν αὐτὸν* praesidio doctrinae & exempli, non auctoritatis atque imperij. Non valet igitur consecutio ab eo quod secundum quid dictum est. 6. Idem est iudicium de carmine Prosperi. Hoc enim vult: Romam esse factam primam sedem episcopalem, non auctoritate, potestate, aut iurisdictione, sed ordine, & prerogatiua. Deinde quod Prosper dicit, Romam esse sedem Petri, ex communi illius temporis opinione habet. Sed quid poeta versus moratur? 7. Etsi hodie non est vnus Imperator, ut olim: tamen hoc non impedit, quin possit Imperator Concilium generale indicare, etsi non tam facile, ut olim. Non necesse est, ut vnus obtineat omnia: sed satis illud est, si ij qui omnia habent, vnum sint religiosa conspiratione. Atque hac ratione vnus aliquis possit efficere, ut reliqui suos episcopos mitterent. Hoc autem in primis hodieque potest Imperator facilius quam alij reges & principes. Maior enim est ipsius respectus, ut vocant. 8. Si nullus sit Imperator aut princeps Christianus, possunt quidem concilia cogi, nempe particularia, ut factum est olim sub decem illis immanissimis persecutionibus: sed generalia vix possunt. Deinde non valet argumentum, si de ordinario, ab eo quod extra ordinem sit, conclusuris. Nam & deficiente coniunctione magistratus, potest aliquid ecclesia extra ordinem facere, quod ordinarie non potest; & contra, deficiente ecclesia ab officio suo, potest magistratus extra ordinem procurare ut ecclesia ad officium redeat: hoc est, eo casu extra ordinem contingente, hi & illi extra ordinem aliquid possunt, quod ordinarie non possunt. Id enim iuris communis est, extraordinariis malis remedia etiam extra ordinem adhiberi oportere.

V. Tertio, inquit Bellarminus, concilia prouincialia indicuntur à Metropolitanis, & nationalia à Primatibus, vel Patriarcha, etiam testimonio aduersariorum. Igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed à summo Pontifice indicenda sunt. Nam si Imperator indicare deberet Concilia generalia, deberet rex, aut dux aut alius magistratus ciuilis indicare Concilia prouincialia, vel nationalia. Ut enim se habet Imperator orbis terrarum ad concilium generale: ita se habet rex, aut dux vnus prouinciae, ad concilium illius prouinciae, vel nationis. Quemadmodum igitur fatentur concilia prouincialia non conuocari à principe illius prouinciae politico, sed ab Ecclesiastico, cur non eadem ratione fatentur, Concilia generalia non debere cogi à principe totius orbis terrae politico, sed ab ecclesiastico? Esse autem Papam Romanum totius orbis Christiani principem Ecclesiasticum, paulo ante ex Leone M. audiuius. Adde quod etiam non esset Romanus Pontifex, verus princeps & monarcha Ecclesiasticus, ut nos docemus, sed esset solum primae sedis Episcopus, seu primus inter primarios Patriarchas, ut Nilus existimat; adhuc ad eum pertineret ius indicendi Concilia generalia. Primates enim non imperant proprie alijs Episcopis, &

men quia primum locum inter Episcopos nationis suae tenent, iure suo Concilia nationalia indicere possunt. Nam ideo Metropolitanus indicit synodum provinciam, quia toti provinciae praest. at summus Pontifex toti orbi praest, ut patet ex Leone serm. 3. de anniuersario die assumptionis suae ad Pontificatum. De quo loco vide paulo ante §. 1.

VI. *Respondeo* 1. Tota haec disputatio nititur falsa hypothese, Papam esse principem aut monarcham Ecclesiasticum totius orbis. Id enim soli Christo conuenit. 2. Argumentum non sequitur a Concilijs provincialibus aut nationalibus, ad Concilium generale. Non enim eadem est horum ratio. Nam Concilia provincialia & nationalia sunt ordinaria & statuta, ex legibus Ecclesiasticis, quas Imperatores sanxerunt. Generalia vero Concilia sunt extraordinaria, cum aliqua causa magni momenti extra ordinem contingit. Aliud itaque est, ordinarium Concilium habendi statutum esse in Ecclesia, lege ordinaria, quam magistratus sancit, vel saltem approbat; aliud extra ordinem indicere Ecclesiae causa. Concilia autem generalia, ut diximus, non sunt ordinaria, sed extra ordinem indicuntur: neque ab Ecclesia indicuntur, quia ferme Ecclesiasticorum causa in doctrina, moribus, aut disciplina errantium haberi solent: ergo a magistratu indici necesse est in illo Ecclesiae intus laborantis malo. 3. Antecedens non est necessarium. Etenim indicere Concilia provincialia & nationalia etiam magistratus ciuili potest, si res Ecclesiae desiderare videbitur. 4. Consequentia etiam hoc nomine negatur, quod cogere Concilia sit ordinis humani, esse autem principem totius orbis Ecclesiasticum, sit usurpationis, non ordinis, aut iuris, neque diuini, neque humani. Est autem inconsequens argumentum a iure ad usurpationem, quae in rebus diuinis & Ecclesiasticis locum habere non debet. 5. Saue, ut Imperator se habet ad Concilium generale, ita se habet rex aut dux ad Concilium provinciale vel nationale; nempe extraordinarium, ob causam haereseos & schismatis inter Ecclesiasticos exorti indicendum. nam ordinarium indici debet ab ipsis Ecclesiasticis. Omne autem Concilium generale extra ordinem haberi constat. 6. Non sequitur: Provincialia Concilia conuocantur a principe Ecclesiastico illius provinciae. ergo Concilia generalia debent cogi a principe totius orbis Ecclesiastico. Non, inquam, sequitur ex dispari: nam alia ratio ordinarium est Conciliorum provincialium, ut modo diximus, alia eorum quae extra ordinem ob schisma Ecclesiae indicuntur. Conciliorum autem generalium ratio cum his, non cum illis communis est. Deinde Ecclesiasticum totius orbis principem quemquam praeter Christum negamus esse. 7. Non sequitur: Singuli Patriarchae suos Episcopos congregarunt: ergo Pontifex Romanus omnes Patriarchas conuocare potest. Nam Papa vnus fuit Patriarchis. Potuit ille suae provinciae Episcopos ad Concilium congregare, sed reliquos patriarchas non potuit; quia omnes aequalem auctoritatem habebant; nisi quod cum conuenirent in Concilio generali, indicto ab Imperatore, tunc Episcopus Romanus primo loco sederet. Quam ille auctoritatem habuit, eam non in patriarchas, sed in suos Episcopos habuit. Non magis ergo sequitur: Concilia provincialia a Metropolitano sunt indicta: ergo generalia a Pontifice Romano indici debent: quam, ergo ab Episcopo Alexandrino vel Constantinopolitano debent indici. 8. Qui primus est ordine, auctoritatem quidem habet dicendi primo loco, ut princeps sententiae; sed non eo princeps est conuentibus sua auctoritate indicendis, nisi speciale eius rei mandatum a collegio habuerit. Hoc Pontificia tyrannus postea mutauit. Vbi cumque collegio ordine solum differebant, nemo solus statuebat, sed omnes simul; non ex auctoritate vnus, sed ex consensione omnium. Primus autem fiebat ordinarie, non qui celebriori Ecclesiae praerant, sed qui diutius in sacerdotali functione vixerat; & qui prior erat tempore, & habebatur prior iure, ut loquuntur Canonistae. Hoc quam plurimis actis & subscriptionibus veterum Conciliorum ostendi potest. Postea tamen, ut diximus, ordinis primatus Episcopo Romano tributus est. 9. Mercenarium Leonis testimonium in rem suam, suo loco refutauimus. 10. Metropolitae aut Primates nullam habuerunt auctoritatem cogendi Concilia. Illorum enim fuit indicere tantum locum, & tempus designare, moderari etiam & praesidere reliquis in Concilio. Sed si aliqui immortigeri essent, & conuenire recusarent, nihil illi sua singulari auctoritate facere potuerunt, sine aliorum Episcoporum consensu, aut sine Imperatoris auctoritate, cuius erat Metropolitae facere. Nam facti sunt Metropolitae & Patriarchae ab ipso Imperatore: ut patet ex illis verbis Patrum Concilii Chalcedonensis cap. 12. *ὁ βασιλεὺς τῶν πόλεων διὰ τὸν ἡμετέραν βασιλικὴν τῆς μητροπόλεως ἐπιπέθεσσι ὀνόματι, Quae cumque tunc vrbes literis Imperatorum honorate sunt nomine Metropolis. Et Cyrillus in homil. 17. ad populum Antiochenum ait, Antiochia ademptum fuisse nomen Metropolis a Theodosio, quod statuat Imperatoris euerissent. Rationes vero, quas secuti sunt Imperatores, in constituendis vrbibus Metropolitanis, haec fuerunt: vel quod inde Euangelium propagatum fuit in alias vrbes, ut ab Hierosolymis, Antiochia, Alexandria, Roma, Caesarea; vel propter magnitudinem & amplitudinem istarum vrbium; vel quod in istis vrbibus suas sedes haberent Imperatores aut Proconsules. Sic in Concilio Constantinopolitano I. cap. 3. Constantinopolis aequata fuit Romae, quod sedes Imperatoris ibi esset. Verba Concilii sunt, *διὰ τὸ εἶναι αὐτῆς ἡμετέρας ἡμετέρας*. Imperatores ergo ibi facti sunt, sanctiionibus scilicet Imperatorum & Conciliorum. Ergo iure diuino Papa non est primus Patriarcha. Nam eodem iure Episcopus Romanus fuit primus Patriarcha, quo Alexandrinus fuit secundus primo, postea tertius, Antiochenus quartus. Itaque tunc temporis ille non fuit habitus pro principe aut monarcha, quod vnus ex Patriarchis fuit. Nam alio bitus non ille cum reliquis Patriarcha diceretur, sed illi Patriarchae, hic princeps, ut nullus Dux dicitur Rex, aut Imperator. Sic ergo Pontifex tandem stabilivit suam Monarchiam, quam ille tamen iure diuino vult fundatam esse. Sed ad alia.*

VII. *Quartum* argumentum Bellarminus ait se sumere ex illo antiquissimo canone, quo statuitur praeter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari: hunc enim canonem Apostolicum esse scribit Bellarminus in Epistola ad Episcopos Antiochenae provinciae. Eundem renouauit Concilium Nicenum primum: ut testatur Synodus Alexandrina in epistola ad Felicem, & Iulius in epist. 1. ad Episcopos orientales, cuius meminerunt Socrates, Sozomenus, & Nicephorus. Si ergo sine Pontificis Romani consensu non licet Concilia celebrare, sequitur eius potissimum esse illa conuocare. Caluinus respondet, ex illo canone id solum effici, debuisse vocari ad synodum etiam Romanum Pontificem, quia erat vnus ex

praecipuis Patriarchis. At si ita esset, tunc etiam potuisset fieri canon, ne praeter consensum Episcopi Alexandrini, vel Antiocheni cogere Concilium: nam isti erant praecipui Patriarchae, & Romano Pontifici aequales, vel maiores secundum Caluinum. *Magdeburgenses Centur. 4. cap. 7.* aliam excogitarunt solutionem. Dicunt enim verba Socratis non significare, praeter Romani Pontificis sententiam non debere celebrari Concilia, sed non debere Ecclesias dedicari. Sic enim in Graeco habetur, *μηδὲν παρὰ γνώμην τοῦ πρεσβυτέρου ἡμῶν κληρονομήσει τὰς ἐκκλησίας*. At falluntur Magdeburgenses. nam *κληρονομήσει τὰς ἐκκλησίας*, non potest significare, dedicare templa, sed canonicum eorum conuocare, siue Concilium indicere, quomodo loquuntur Marcellus & Iulius Pontifices, qui Latine videntur scripsisse, & quomodo in Socrate & Sozomeno Latine vertit Cassiodorus in *historia Tripartita lib. 4. cap. 9. & 19.* quomodo etiam intellexit Nicephorus *lib. 9. cap. 5.* Sed clarissime res tota ex Epistola Iulii, quam Socrates adducit, demonstrari potest. si quidem in ea Epistola reprehendit Iulius Orientales, quod sine suo consensu Concilium Antiochia celebrassent: rationem autem reddere volens, cur eos merito reprehenderet, istum canonem in medium adducit. Vel igitur canon de Concilii celebratione intelligi debet, vel stultum sane fuisse Iulium necesse est. vtrum autem sit horum verius, quis non videt? Adde, quod nullus veterum meminit eiusmodi canonis, quo prohibentur Ecclesiae dedicari praeter sententiam Romani Pontificis: imo nec fuit vnquam, nec est nunc vnus in Ecclesia istius canonis.

VIII. *Respondeo* 1. Et si omnia in antecedente posita, vera esse concedantur; argumentum tamen non sequitur. Nam etsi demus, non sine Romani Episcopi consensu Concilia celebrari posse: non tamen hinc sequitur, eius esse Concilia conuocare. Interesse quidem ille debuit, ut vnus ex praecipuis Christiani orbis Episcopis. Itaque statuit ille canon, ut Concilium semper interesset. 2. Negamus istum fuisse canonem Apostolicum, & istam Marcelli Papae epistolam. Nam si canon Apostolicus dicitur pro eo quod est canon Apostolorum siue ab Apostolis per scriptus, non extat in Canonibus qui dicuntur Apostolorum, aut alibi vquam: si pro eo quod est canon sedis Apostolicae, id est, Romanae; iniquum est, imo non potuit Romana sedes eiusmodi canonem statuere in Ecclesiarum omnium praedictum, sine communicatione, cognitione, consensu, auctoritate ipsarum. Marcelli epistolam esse puram putam rhapsodiam, ac proinde supposititiam, res ipsa loquitur. Quod ipsum docti viri adnotant de reliquis decretalibus veterum Pontificum Epistolis. Quid, quod si hoc aut illud fuisse verum, nec legatio Romani Episcopi in synodo Nicæna illud tacuisset, nec Patres illi re comperta in ipsa synodo dissimulassent? At hi non canonem, sed morem; non vniuersalem potestatem Romani Pontificis, sed paralem cum aliis agnoscent in canone sexto: prout etiam repetitum a Gratiano legimus, *dist. 65. cap. mos antiquus*. Hinc iam 4. patet, falso affirmari, quod Concilium Nicenum renouauerit istum canonem. Non enim renouauit, quod ante non fuit: hoc autem non fuerat, ut ex canone 6. illius Concilii constat: quem modo adduximus. Praeterea nihil plane in actis illius Concilii extat eiusmodi. 5. Epistola synodi Alexandrinae, itemque Iulii, vtraque est adulterina. De priori consule *Iunium controuers. 3. Bellarm. lib. 1. cap. 10. de posteriori eundem, controuers. 4. lib. 1. cap. 12.* Vtraque est mendaciorum plena. e.g. quod Iulius iste *τοὺς ὀνόματι* non ea tantum quae a Synodo Sardicensi fuerunt constituta, Nicænae tribuit; sed etiam longe plura & ampliora super omnes Ecclesias totius orbis attributa narrat a Nicænis illis Patribus Romano Episcopo, quorum ne per somnium quidem sanctis illis viris in mentem venit. Imo quod iidem illi Patres morti antiquo tribuerunt, id iste, Nicænis Patribus sapientior scilicet, iuri diuino tribuit, & institutioni Christi. Scripsit quidem Iulius ad orientales, sed illud non scripsit. Scripsit, inquam Graece, quia ad orientales Ecclesias scripsit: non Latine, ut videtur Bellarmino. 6. Neutra interpretatio vera est, neque Centuriatorum Magdeburgensium, quam Bellarminus improbat, neque Cassiodori, quam illo probat. Nam *τὰς ἐκκλησίας κληρονομήσει*, est canones Ecclesiae conuocare. Videamus verba Socratis *lib. 2. cap. 8.* Sed neque Iulius aderat (*Antiochia in synodo*) maximae illius Romae Episcopus, neque in locum suum miserat quenquam, cum tamen canon praecipiat Ecclesiasticus: *μηδὲν παρὰ γνώμην τοῦ πρεσβυτέρου ἡμῶν κληρονομήσει*, id est, non oportere ut Ecclesiae canones ferantur aut praescribantur praeter sententiam Episcopi Romae. Hanc rem negat Socrates, quia totam ecclesiam attingit, ab orientalibus definitur sine occidentalibus Ecclesiis & Romano Episcopo (qui Patriarcha ipsarum erat) legitime potuisse: quam rem enuntiat *συνεδριάζει*, nomine Episcopi Romani Ecclesias occidentales (quarum sententiam ille exquirere, audire, colligere, atque referre tenebatur) comprehendens. 7. Hinc patet, ex illo canone nihil contra nos concludi posse. Non enim sequitur: Praeter *γνώμην* Romani Episcopi Concilia celebrari non possunt: ergo solus Romanus Episcopus potest conuocare Concilia. Recte itaque Caluinus respondit. Nam omnes, praesertim Patriarchae, Concilii generalibus interesse debebant; atque ita nec *παρὰ τὴν γνώμην αὐτῶν* Concilia celebrari potuerunt, aut quidquam in illis sanciri vel potuit, vel debuit: quia certi iuris est, nullum Concilium celebrari posse, id est, indici, haberiue posse praeter sententiam illorum, qui ad illud Concilium pertinent; provinciale, praeter sententiam pastorum qui sunt in illa provincia, nationale nationalium, generale omnium; nisi forte rei sint, de quorum causa cognoscere Concilium oporteat: nam horum cur expectatur sententia? Socrates ergo cum dicit, non oportere *κληρονομήσει τὰς ἐκκλησίας*, hoc vere affirmat, non esse Ecclesiarum officium, ut haec sine illis in tantis fidei dogmatibus ex praedictato statuerent. Nec occidentales sine orientalibus, nec haec sine illis legitime potuerunt. hoc caput est certissimum fidei Ecclesiasticae, non posse partem aliquam Ecclesiae de eo, quod est vniuersalis Ecclesiae totius disponere. Quales quidem erant canones ecclesiastici: quos oportet distinguere ab illis, quae veteres dixerunt *Διὰ τὴν πίστιν* atque *οὐκ ἐπιμνηστικῶν*. Nam Patres illi plurimum haec tria distinxerunt *Κανόνες* vocabant regulas dogmaticas de fide: has cum statuerent, dicebantur *κληρονομήσει*, *Διὰ τὴν πίστιν*, informationes siue formulas appellabant, quae ad rationem Agendarum, quas vocant, siue officiorum pertinebant: *οὐκ ἐπιμνηστικῶν*, definitiones siue determinationes nuncupationum, quae ad disciplinam & ordinem Ecclesiasticum spectabant: cabant, quae ad disciplinam & ordinem Ecclesiasticum spectabant: caputula dixerunt recentiores. Post omnia canonum appellatione aut ab imprudentibus, aut *συνεδριάζει*, donata sunt. Pergit Bellarminus.

IX. *Quinto* probatur, ex Concilio Chalcedonensi *Act. 1.* vbi Dioscorus Alexandr

causae: quae ad duas illas praecipuas reuocari possunt: una est, vt Ecclesia pu-
tam doctrinam verbo Dei comprehensam aduersus haereticos asserat, &
aperte suo testimonio approbet, 1. Reg. 18. 19. 2. Paral. 29. & 30. altera, vt poli-
tica Ecclesiastica canones, pro diuersa temporum, locorum, & personarum
ratione constituat, Act. 15. versic. 6. & d. Verum quia sola causa proxima, vt
Logici movent, satisfacit quaestioni Propter quid, vno verbo indicemus,
quamnam sit illa proxima Concilii causa, qua posita illud ponitur, & qua sub-
lata tollitur. Ordinarii autem Concilii, siue illud sit oppidanum, siue dioe-
cesanum, siue prouinciale, seu denique nationale, causa proxima & continens
est sanctio & consuetudo Ecclesiastica, quae Concilium fieri iubet. Extra-
ordinarium vero Concilium indici debet, quando veritatis diuinae stabili-
tatio, haeresium & schismatum auerruncatio vel extirpatio; corruptae disci-
plinae instauratio, & similia non possunt alio medio & remedio obti-
neri.

III. Hic autem opus est cauto, ne fallacia finis a nobis committatur.
Non enim oportet indicere Concilium hoc nomine, vt nouum aliquod do-
gma condatur, & in Ecclesiam inducatur; aut, vt sententia Concilij per se sit
definitiva & inappellabilis. Nam in Scriptura continentur omnia dogmata
fidei, & ipsius Scripturae sententia est sola inappellabilis. Vt ergo in iudiciis
forensibus, non ex arbitrio iudicis, sed ex iure, iudicium fieri debet: ita
hic non nisi ex publico, & Imperiali, vt ita dicam, iure, id est, ex Scriptura
formandum & firmandum est iudicium. Est enim Concilium quasi publi-
cum consistorium, aut Imperialis camera, aut Parlamentum, in quo iudices,
audita vtraque parte, ferunt sententiam; veruntamen ita, vt sint ministri &
& interpretes legis: interpretes, inquam, mere passivi: Itaque primum, me-
dium, & vltimum, quod in Concilio spectare oportet, est Scriptura, vel po-
tius Deus in Scriptura loquens.

IV. *Materia Concilii circa quam* debet proportione quadam responde-
re, & velut commenturari finibus, quos diximus praecipue esse duos. Itaque
in Concilio agendum est de doctrina & disciplina Christiana, vel coniun-
ctim, vel seorsim, vt res postulat. Merito igitur hic vapulant Papistae, qui
causas etiam politicas, puta consultationes de bellis suscipiendis, & similes
alias, ad sacra Concilia inepte referunt: quippe in quibus tantum Ecclesia-
stica causa disceptanda sunt: sicut tum ex ipsa eorum definitione, cap. 1. pro-
posita; tum ex finibus modo commemoratis: tum denique ex veterum
Conciliorum, quae in S. literis descripta sunt, & in primitiua Ecclesia cele-
brata, perpetua praxi manifestum est. Vide cap. praeced. §. 8. quae diximus de
canonibus, formulis, & capitulis: ad quae veteres reuocabant omnes actiones
synodicas; in quibus omnia sunt mere Ecclesiastica. Itaque hic sacra
profanis miscentur, & fines vtriusque iurisdictionis, puta politicae & Eccle-
sasticae temere confunduntur, dum propria Conciliorum obiecta non satis
accurate a negotiis secularibus distinguuntur, & gradus ipsi negotiorum
non bene expenduntur. Neque valet obiectio, quod in V. T. ad Synedrium de-
uolutae sint causae forenses, & Ecclesiasticae. Nam, vt supra cap. 1. §. 6. opere
se demonstrauimus, falsa est opinio illorum, qui putant ordinarie conten-
tum siue Concilium Ecclesiasticum & politicum fuisse coniunctum. Id
enim duntaxat factum est in rebus grauioribus & quaestionibus mixtis, quas
vocat. In rebus grauioribus, extraordinarie: in quaestionibus mixtis, ordi-
narie. Quare huiusmodi coniunctio etiam hodie locum habere potest in
Conciliis nostris. Sed confusio illa, quae post Maccabaeorum tempora inua-
luit apud Iudaeos, & hodierno die apud Papistas obtinet, minime est pro-
banda. Nam Concilia auctoritate humana vel Pontificia de causis huma-
nis, id est, non suis congregata, pro Conciliis legitimis habere, nobis est re-
ligio.

V. Audiamus *Bellarminum* de vtroque illo, sine, inquam, Concilij, & ob-
iecto eius, seu materia circa quam. Sic itaque ait lib. 1. cap. 1. Causae praecipuae,
ob quas Concilia celebrantur, sex numerari solent. Prima causa est haeresis
noua, id est, nunquam antea iudicata: propter quam causam coacta sunt pri-
ma septem generalia Concilia. Semper enim tanti Ecclesiae fecit periculum
nouarum haeresium, vt non putauerit aliter posse resisti, quam si omnes, aut
certe permulti Principes Ecclesiarum, coniuactis viribus, & quasi agmine
facto irruerent in hostes fidei. Secunda est schisma inter Romanos Pontifices.
haec enim de causa celebratum est Concilium tempore Cornelij, Damasi, Symma-
chi, Innocentij I. Alexandri III. Gregorij XII. & Benedicti XII. nullum
enim est potentius remedium Concilio, vt sapissime probatum est. Tertia
est, resistentia communi hosti totius Ecclesiae: hoc modo coacta sunt Con-
cilia ab Urbano II. Calixto II. Eugenio III. aliisque Pontificibus, pro bello
contra Saracenos. Item ad deponendum Imperatorem celebrata sunt Con-
cilia a Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum; a Gregorio VII.
contra Henricum IV. ab Innocentio IV. contra Federicum II. Quarta causa
est suspicio haeresis in Romano Pontifice, si forte accideret; vel etiam ty-
rannis incorrigibilis. tunc enim deberet congregari generale Concilium, vel
ad deponendum Pontificem, si inueniretur haereticus; vel certe ad admo-
nendum, si in moribus videretur incorrigibilis. nam, vt dicitur in VIII.
Synodo act. vit. can. 21. debent generalia Concilia cognoscere controuersi-
as circa Romanum Pontificem exortas, non tamen audacter in eum sententiam
ferre. Ob istam causam legitur celebratum Concilium Sinuesanum
in causa S. Marcellini, & Romana Concilia in causa Damasi, Sixti III. Sym-
machi, Leonis III. & IV. quorum nullus a Concilio damnatus fuit, sed Mar-
cellinus sibi ipse coram Concilio poenitentiam iniunxit, reliqui se purgave-
runt. Quinta causa est, dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim
Cardinales non possent, aut non vellent Pontificem creare, aut certe omnes
simul perirent, aut aliunde fieret vere dubium, ad quos pertineret eiusmodi
electio, ad Concilium generale spectaret decernere de electione futuri
Pontificis: quanquam non est verisimile, id aliquando euenturum.
Sexta est reformatio generalis abusuum & vitiolorum, quae in Ecclesiam
irepunt. tamen si enim solus Pontifex potest leges toti Ecclesiae praescribere,
tamen longe suauius res agitur, cum approbante Concilio generali summus
Pontifex eiusmodi leges praescribit. Hinc videmus omnia fere generalia
Concilia canones edidisse de reformatione.

VI. *Respondendo ad I.* Haec causa est legitima, si nempe haeresis sit certa &
notoria. Nam si nondum liqueat, non oportet damnare id, de quo nondum
constat, esse damnabile. Si non sit notoria, priuatim sopiatur: vt paulo post
sub finem huius cap. probatur. Legitima itaque est haec causa, si duo ista ob-
seruentur. Quod autem dicitur de septem Conciliis generalibus, & praeci-

pibus Ecclesiarum, non admittimus: quod Concilium septimum, id est, Ni-
caenum II. fuerit erroneum, vt nos supra non semel ostendimus; & nullos
principes Ecclesiasticos iure diuino institutos esse nouerimus. ad 2. Haec
causa nulla est. Neque enim ea est Pontificum Romanorum conditio, vt
per ipsos totum mundum scindi; & propter ipsos totam Ecclesiam commo-
ueri oporteat. ad 3. Haec causa itidem nulla est. Nam resistentia communi
hosti totius Ecclesiae pertinet ad Concilium politicum. Et resistere Pontifi-
cem Imperatori. quid aliud deponere: id vero est Antichristianum. Verum
enimvero Concilia politica, militaria, imo etiam Imperio & toti reip. Chri-
stianae extitalia, modo ex re essent & ambitione Pontificum, celebrata sunt
ab illis hominibus. Haec vja scilicet ad caelum proceres Ecclesiae iuerunt A-
postoli, & viri Apostolici in praesca illa Ecclesia Christi. Hoc ipsa, quae huc a
Bellarmino adferuntur, exempla docent, & alia istiusmodi quamplurima.
ad 4. Huic causae omnino cum prima conuenit; nec aliud discrimen est,
quam quod Pontifex, numc illud plausibile Romanae Ecclesiae, dum est vere
Pontifex, vt Bellarminus loquitur cap. 10. non potest ab vlllo Concilio iudi-
cari, nisi forte tribuat ipse Concilio potestatem examinandi causam suam,
& sententiam discretiuam, non autem coactiuam ferendi. Itane vero Bellar-
mine? Pontifex in suspitione haereseos potest esse vere Pontifex. Itaque non
potest iudicari a Concilio, nisi forte tribuat ipse Concilio potestatem exa-
minandi causam suam. Praeclara omnino ratio: quae huc tandem recidit,
Concilium nihil praestare posse, nisi Pontifex voluerit. Potest ergo Con-
cilium generale congregari, & iudicare de Papa, cum de haeresi suspectus fue-
rit, si modo ipse voluerit. Sed quid si noluerit? Tum certe ratio Bellarmini
perit. Sed redeo ad id, quod modo dixi. Ratio ista non est diuersa a prima.
Accidere enim potest, vt non modo sit suspicio haereseos in Pontifice, ve-
rum etiam certum crimen; vtque sit ipse haereticus, & tyrannus, hoc est,
vulpes & lupus: ergo quid tandem fiet si merito fuerit de haeresi & tyranni-
de suspectus? Potest iudicari a Concilio, si velit. Si nolit, non potest. Haec
itaque cautela est, & non est. ad 5. Neque haec causa a secunda differret pro-
prie, nisi de Pontifice, Briareo scilicet illo Romano, ageretur. Deinde Bel-
larminus ait, non esse verisimile id aliquando euenturum. Quare vero?
Quia, vt Augustinus lib. 4. contra Cresconium Grammaticum ait, non iam,
vt vetus proverbium fertur, quod volumus sanctum est, sed etiam quando volumus,
& quando volumus. Id ipsum eodem placet Romae. Denique de hac quinta ra-
tione ita Bellarminus cap. 10. ait, si de electione Pontificis dubitetur, vt si Cardina-
les non vellent, aut non possent Pontificem creare, vtile esse Concilium, sed
non necessarium, quia potest sine Concilio eligi. Sed a quo tandem? Hoc
ille non docet. Sed tamen ait (quod est notandum) non magis dubium esse,
a quibus eligendus sit Episcopus Romanus, remotis Pontificum Constitutio-
tionibus, quam a quibus eligendi sunt Episcopi aliarum ciuitatum. Sed qui
illi sint, a quibus eligendus est, non exponit. Forsan aut Presbyteros, aut po-
pulum intelligit. ad 6. Haec causa est legitima. Itaque ex omnibus Bellar-
mini causis nulla vim habet, aut alicuius est momenti, praeter primam &
postremam: & quarta sub prima comprehenditur. Porro consideranda no-
bis est hoc loco incogitantia Bellarmini. Dicit enim cap. 9. esse sex praeci-
puae causas, cur Concilia celebrari soleant, & celebrentur. Deinde de
quinta ait, illam nec euenisse vnquam, nec euenturam. quod repetit cap.
10. & ait, propter eiusmodi causam, nullum hactenus generale Con-
cilium fuisse conuocatum. Quod idem de quarta causa dicit. Cur igitur
hanc in causis numerat, si nunquam ob eam Concilium aliquod est
habitu? Quod ad sextam causam, puta reformationem abusuum & viti-
olorum attinet, ait capite 10. vitia & abusus emendari posse per Papam &
Concilia particularia, puta prouincialia: sed suauius id fieri per Con-
cilia generalia, vt loquitur capite 9. Sed non ita est. Nam ea demum ma-
la, quae vniuersitatem occupant, (sue sint in vita, siue in fide) ab vniuer-
sitate curanda & praecauenda sunt. Sed dum adhuc serpunt, necdum peti-
uerunt vniuersitatis iugulum, ea in publicum vniuersitatis diffundi, vel
curationis specie, nec veritas, nec charitas Christiana linat, nec ordo Eccle-
sasticus a Christo imperatus. Hoc si Alexander Alexandrinus in causa Arii
obseruasset, & malum vbi natum erat extingui modeste curauisset (vt Au-
gustinus prudenter monet) non ad omnes orbis terrarum Ecclesias feruidius
perferi iussisset, nunquam Arii virus tam multas animas infecisset. Postremo,
cum Bellarminus capite 10. concludit, Concilia non esse ob vllam ex istis sex
causis simpliciter necessaria, magnopere sui est oblitus. Nam quid si Papa
non modo suspectus sit de haeresi, sed etiam certus & notorius haereticus
sit: quid si homo audax & tyrannus sit, & habeat exercitum? & omnes qui
ei contradicunt damnet? & si Imperator ei faueret, quomodo remouendus
esset: vt si Papa esset Lutheranus, & ei faueret Rex Galliae, & Hispaniae, &
Principes etiam Germaniae, nonne tum Concilium generale absolute ne-
cessarium esset? Ostendat aliud medium, quo posset remoueri, & dabo non
esse: sed nullum potest. Verum hoc nos concedimus, non esse Concilia sim-
pliciter necessaria. De Papa suo ipsi viderint, quomodo eum remoueant,
si sit haereticus, aut tyrannus.

CAP. V.

*Quinam sint ad Concilium conuocandi, ibique possint ferre
suffragium decisiuum, sententia nostra.*

I. **D**ifferuimus hactenus de causa efficiente, & finali Conciliorum, item
de materia circa quam: nunc videbimus de materia ex qua, hoc est,
de his, ex quibus Concilia praecipue constant. Status vero quaestioni primo
loco quaerendus est. Vbi Bellarminus cap. 15. duo adnotanda sibi duxit. Vnum
est, Ecclesiam vniuersam quatuor contineri hominum generibus: sunt enim
aliqui clerici, aliqui laici; & rursum ex clericis, alii praelati, alii non praelati:
item ex laicis alii principes, alii priuati. Alterum est, in Conciliis, multis de
causis aliquos interesse posse, alii enim interfunt vt iudices, qui dicuntur ha-
bere suffragium decisiuum, alii vt disceptando examinent difficultates, qui
dicuntur habere suffragium consultiuum; alii vt ministrent, quales sunt no-
tarii, & custodes: & alii denique, vt defendant Concilium, & dent operam,
vt intus & extra omnia sint pacata. Quaestio igitur est, qui sint ex illis qua-
tuct

uor hominum generibus vocandi ad Concilium, & qua de causa. Aduersarii nostri duo dicunt. Primum, ex omni genere hominum debere interesse eos, qui eruditi sunt, & omnes debere esse iudices, atque habere suffragium decisiuum, quidquid sit de aliis muneribus. Secundo dicunt, Concilium Ecclesie non constare, nisi ex vere piis, & electis.

II. In his Bellarmini verbis examinare oportet duo præcognita, & similiter duo illa, quibus verum & falsum à nobis proponi ait. Primum præcognitum huius quæstionis quod attinet, ita est, vt Bellarminus ait, nos distinctionem illam ex parte recipimus, & ex parte reiicimus. Nā et si ordines illos Papisticos iure diuino non niti asserimus, & commentitium illud sacramentum esse dicimus: tamen debere esse certos homines ministerio verbi & sacramentorum destinatos, non negamus; quos ex reliquo hominum cœtu seligendos esse statuimus: atque inter illos verbi & sacramentorum œconomos certum quoque ordinem obseruamus: ita vt alios alii præponamus. Hi autem olim & nunc dicti sunt, quod certa ratione fortitū essent munus aliquod Ecclesiasticum. In altero præcognito est insufficientis enumeratio. Ad dendum enim: alii, vt partes aut rei, quorum causa agenda est: nam profecto inuocatos, inauditos damnari, inhumanum est: alii denique auditores, studentes adificationi suæ ex rerum sacrarum percepta communicatione. Sic itaque corrigimus hoc præcognitum. Non quatuor (vt vult Bellarminus) sed sex sunt ordines & gradus illorum, qui ad Concilia venire debent. 1. iudices. 2. disputatores. 3. defensores. 4. ministri. 5. rei. 6. auditores. Hactenus itaque consentimus, nullum genus hominum excludendum esse, neque clericos, neque laicos, quo minus ad Concilia veniant. Sed quæstio est, quinam constituant Concilium essentialiter, seu necessitate materiæ, vt loquuntur. Papistarū sententia est, solos prelatos maiores, eosque omnes, id est, Episcopos, in Conciliis generalibus & Prouincialibus habere ius suffragii decisiui ordinariæ, ex priuilegio autē & cōsuetudine, etiā Cardinales, Abbates, & Generales ordinum, licet Episcopi non sint: ex Presbyteris autem, & aliis Clericis minoribus tantum vocari aliquos viros doctos, qui iuuent in disputando, vel aliis ministeriis: principes autem vocari, tum vt Concilium defendant, tum vt testes & conscii decretorum Concilii, postea transgressores, & contumaces pœnis corporalibus puniant: denique ex priuatis laicis tantum vocari aliquos, qui videantur viles, vel necessarii ad aliquod ministerium Conciliorum. Hanc sententiam esse Catholicam, patet tum ex posterioribus, quæ inter fuerunt Concilio Tridentino, tum ex Iohanne de Turcremata, & aliis Catholicis authoribus, vt ait Bellarminus d. l. At nostra sententia est, non solos prelatos, sed etiam homines quosuis idoneos eligi posse, qui ad Concilium mittantur, eosque habere ius definiendi & decidendi ex Scripturis. Idoneos autem dicimus, qui vel dono tantum, vel dono & vocatione simul instructi sunt. Ibi sunt laici; hic, doctores, itemque pastores Ecclesie ordinarii, aut extraordinarii reformatores & doctores, quales olim erant propheta & Apostoli. Mittendi ergo sunt ad Concilia, quos constat & doctrina & vitæ integritate, cæterisque Spiritus sancti donis excellere. Et licet ad ministros Ecclesie hoc maxime referatur: tamen politici siue laici nequaquam à Conciliis excludendi sunt: imo cuius debet patere locus dicendi, modo id rite & ordine fiat. Possunt, inquam, & vero debent ad Concilia mitti homines idonei, non solum prelati, sed etiam laici, omnibusque illis licet ibi libere pronuntiare, ita tamen vt nihil indecore, turbulente, aut tumultuose fiat, sed omnia ordine gerantur; denique omnes æque audiendos esse, & eorum causam potiore esse, qui ex solis Scripturis sua possunt demonstrare. Ex his perspicuum est, non recte nostram sententiam à Bellarmino recitatam esse. Triā enim docemus. 1. Homines rerum diuinarum & Ecclesiasticarum peritos, solertes, doctos, pios, discretos, graues, cordatos, cuiusmodi sunt Doctores & Pastores illis donis præditi mittendos esse ad Concilia, inque iis primum locum in suffragiis ferendis obtinere. Itaque & Episcopi mittendi sunt, modo tales sint, quales esse debent, iis nempe donis instructi, vt diximus modo. Alias doctores, pastores, & Episcopi, qui ad hoc munus arduum, quod in Conciliis sustinere oportet, inepti sunt, domi retinendi sunt. 2. Si qui sint ex aliquo hominum genere docti & periti, eos etiam mittendos esse. 3. Ecclesiasticos & laicos parim debere habere auctoritatem in suffragiis ferendis. Negamus itaque, Concilium debere constare ex vere piis & electis tantum: quod Bellarminus nobis affingit absque vlla ratione. Nunc argumenta nostra proponamus, & postea corroboremus, id est, ab exceptionibus Bellarmini vindicemus.

III. Primum nostrum argumentum nititur auctoritate Scripturarum & praxi Ecclesie Apostolicæ, Act. 15. 6. Conuenerunt Apostoli & presbyteri, vt de hac re dispicerent. Et vers. 22. Tunc visum est Apostolis & presbyteris cum tota Ecclesia. Ex his locis manifestum est, non modo Apostolos, sed etiam presbyteros, imo vniuersam Ecclesiam, adeoque & populum ipsum, in hoc Concilio, quod omnium aliorum norma esse debet, adfuisse, & suffragium definitiuum habuisse. Si ergo in Concilio hoc Apostolico, non solum Apostoli, sed etiam presbyteri & vniuersus populus ibi præsens, de propofita controuerfa sententiam dixisse leguntur, & sic tandem, communi ordinum omnium consensu, decretum synodale factum esse dicitur: hoc idem in Conciliis omnibus obseruare oportet. Sunt enim Concilia ecclesiastica longe inferiora Concilio hoc Apostolico, & ideo ad illud ceteram normam exigi debent, post Scripturam sacram. Hic non possum quin adscribam insignia illa Cardinalis Arelatensis verba apud Aeneam Syluium lib. de gestis Concilii Basiliensis: Visum est nobis, significat vocem decisiuam, & refertur ad illud quod præcellerat, Apostoli & Presbyteri. Ex quo constat, Presbyteros quoque vocem decisiuam habuisse.

IV. Secundo argumentatur ex iis Scripturæ locis, vbi omnes fideles Spiritu sancto præditi esse, & proinde de rebus ad religionem pertinentibus iudicare & posse, & debere, dicuntur: vt 1. Cor. 2. Spiritus uisus homo, id est, vere Christianus, diiudicat omnia. 1. Cor. 10. Tanquam sapientibus loquor: Iudicate vos, quæ dico. 1. Cor. 12. Omnes vno spiritu potati sumus. 1. Iohan. 4. Vos vnctionem habetis, & nostis omnia. Quo etiam pertinet locus ille ceterlebris. 1. Cor. 14. vbi omnibus in Ecclesia Christi congregatis, qui videlicet munere ac dono prophetandi (id est, docendi) præditi sunt, potestas loquendi, reliquis autem omnibus potestas iudicandi conceditur. Ergo sententia omnium ex æquo audiri possunt, imo debent.

V. Tertium argumentum nobis suppeditat ipsa naturalis æquitas: quippe quæ aperte docet, communem totius Ecclesie causam, communibus

omnium votis ac suffragiis definiendam; siue controuerfiam publice notam, & ad omnes pertinentem, publicis omnium ordinum sententiis discipandam esse: nec Spiritum sanctum, eiusque efficaciam, certo alicui hominum generi præcise alligandam esse. Sane quod ad omnes spectat, id suo modo & gradu ab omnibus tractari debet. Atqui causa fidei & morum in Conciliis ad omnes spectat. E.

VI. Quartum argumentum est eiusmodi. Concilium generale vniuersam Ecclesiam repræsentat. Ergo ibi debent esse quidam ex omni genere & ordine hominum. Probatur consequentia: quia in Concilio generali non est leuis & qualicumque repræsentatio Ecclesie, qualis est in presbyterio Ecclesiastico, aut in collegio Septemuirali, vbi Electores repræsentant Romanum Imperium: sed est repræsentatio maxime solennis, qualis cernitur in Comitibus imperij.

VII. Quinto, si Concilia generalia sunt id in Ecclesia, quod Comitibus in regno, teste Bellarmino lib. 1. c. 3. de Concil. & ad regni Comitibus ex omnibus ordinibus aliqui deliguntur, qui interfunt, & sententiam ferant, & eam quidem eiusdem plane generis siue dignitatis: tum hoc idem in Conciliis generalibus fieri debet.

VIII. Sexto, in V. & N. T. sæpe de rebus fidei non tantum priuatim, sed etiam publice coram populo actum fuit, & iudicium populo relictum, vt 1. Reg. 18. vers. 21. 39. Act. 8. 20. Vide etiam Ambrosium epist. 32. vbi ait: Causam fidei in Ecclesia agendam, quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat. Et mox: Ille populus iudicat, in cuius corde lex diuina est, non humana. Itaque idem hodie potest, & debet fieri.

IX. Septimo, Spiritus sanctus non raro sua dona iis largitur, quos alioqui nemo non aspernatur, 1. Cor. 12. 7. cap. 12. 11. Act. 4. 13. Vide quoque Rufinum lib. 1. hist. Eccles. cap. 3. Contra vero præfules ordinarij non raro aduersus veritatem cœlestem conspirant, 1. Cor. 2. 8. 1. Reg. 1. 1. Reg. 22. vers. 22.

X. Octauo, Si Scriptura sola est supremus omnium controuerfiarum iudex in religione, & norma omnis iudicii, illi vero, qui Concilio interfunt, tantum sunt interpretes & indices veræ sententiæ, verbo Dei comprehensæ; tum omnes & singuli interesse possunt, suamque sententiam dicere, siue sint prelati, siue non. Quid? Vnius laici sententia, quæ cum Scripturis consentit, præponenda est sententiæ totius Concilij, quæ Scripturis contradicit. Ita Gratianus quæst. 36. can. ult. author est, Hieronymi auctoritatem Scriptura sacra munitam, toti Concilio generali præiudicasse. Et Panormitanus Abbas comment. in Chronic. scribit, vnus etiam idiotæ sententiam, testimoniis Scripturæ bene munitam, decretis totius Concilij, ac summi Pontificis, si quidem Scripturis consentanea non sint, omnino præferendam esse. Vide eundem Panormitanum in c. Significasti de electione: vbi dicit, vnus priuati sententiam præponendam esse sententiæ Papæ, si ille priuatus moueatur melioribus auctoritatibus V. & N. T. Similiter Gerson part. 1. de examinatione doctrinarum ait, quemcumque hominem doctum posse & debere toti Concilio resistere, si videat illud esse malicia, vel ignorantia errare. Confirmatur hoc argumentum; quia ratio, cur Episcopi præcipue vocentur, est, quia existimantur esse doctores cæteris. Si ergo multi Laici inueniantur doctiores Episcopis, vel æque docti, cur non vocabantur ad Concilium?

XI. Nonum, & postremum, nostrum in hac causa argumentum sequitur; quod in testimoniis, exemplis, & historiis antiquis positum est, atque adeo nititur praxi Ecclesie primitiue, in qua hæc consuetudo per aliquot secula viguit, vt principes, presbyteri, senatores, iudices, alique homines laici, Conciliis sacris, seu Ecclesiasticis, non solum interessent, sed etiam sententias dicerent, definirent, subscriberent: vt apud Eusebium, Sozomenum, Theodoretum & c. videre est. Sed hoc probemus. Ex actis Conciliorum constat, Imperatores non solum interfuisse Conciliis, sed etiam Conciliorum decretis, tanquam illorum membra, subscripsisse. In synodo Nicæna I. non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri sederunt, & iudicauerunt. Laici etiam ibi disputauerunt, teste Socrate lib. 1. cap. 3. vbi à laico philosopho ethnicus victus, & ad fidem conuersus dicitur, in ipso Concilio. Constantinus M. sic ait apud Soz. rem lib. 1. cap. 9. ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἑὴν ἀληθείαν ἐκτετακέντες ἀντιθέμενοι. id est, Et ipse veritatis disquisitionem, seu discipationem, suscepit. Theodosius II. huc Iunior, synodum coegit ex principibus omnium sectarum, & iulit vt quisque opinionem suam scriptis mandaret, sibi que traderet, ac diem illis dixit. Ad quæ cum omnes adessent, & scripta sua exhibuissent, Imperator secessit, & Deum attente precatus est, vt ad veritatem eliciendam sibi præsto esset. Postea dogmata hæretica damnauit disciditque, fidem vero Catholicam comprobauit & confirmauit, Socrates lib. 5. hist. Eccles. cap. 10. Porro in Concilio Chalcedonensi legati Imperatoris, qui Senatores & patricij erant, iudices fuerunt, & Dioscorum atque Iuenaem hæreticos, vna cum Episcopis damnauerunt. Vnde subinde in Actis illius Concilij legitur: Gloriosissimi iudices, & Senatus dixerunt. Similiter Patres in eodem Concilio dixerunt: Videtur nobis iustū, si placuerit diuinissimo & piissimo Domino nostro. Martianus Imperator in sexta actione Concilij Chalcedonensis dixit inter cætera, vt in Iure Canonico dist. 96. cap. Nos ad fidem citatur. Nos ad fidem confirmandā, nō ad potentia ostendendā, ex eplo religiosissimi principis Cōstantini synodo interesse voluimus, vt inuenta veritate, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta discorder. Et paulo post sequente capitulo Vbi iam, Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem Imp. qua incipit, Proposueramus, ait: Vbi nam legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus, interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos? Nicolaus Cusanus Cardinalis lib. 3. cap. 16. de concordantia Catholica ait: In vniuersalibus octo Conciliis, vbi Imperatores interfuerunt, & non Papa, semper inuenio Imperatores & iudices suos cum Senatu primatum habuisse & officium præsentia, per interlocutores, & ex consensu synodi, conclusiones & iudicium fecisse, & non inuenitur instantia in octo Conciliis, præterquam in tertia actione Concilij Chalcedonensis.

XII. Hæc sunt nostra argumenta, è quibus Bellarminus cap. 16. commemorat quinque, videlicet primum, tertium, quartum, octauum, & nonum, ad quæ pluribus voluit excipere. Illas itaque exceptiones retundamus. Ad primum respondet, in isto Concilio Apostolos interfuisse, tanquam iudices, ad definiendum, Presbyteros autem ad consultandum: plebem autem non esse vocatam, sed tamen adfuisse, & consentisse, non quidam defini-

niendo, vel di... esse probatur... Scripturarum... lorum tempo... soli Episcopi... idem omni... enim Ecclesi... rum exem... bari potest... plebs. Dicit... niores locu... tem magna... teri locuti... trus, Pau... loqui co... tiam, mox... quam tacue... Jacobi orat... tuas sente... cum omni E... qui sunt in... XIII. A... rios consuli... fur delata... definire. D... modo, ver... No... sa fuit Apo... de ea, quæ... tio, Act. 1... didisse m... co... byteris, &... gium de c... consulto... decisiuam... stolis, vt... approba... ros & ple... dehitu... monias... Concilio... nus qua... plex em... fuerunt... ministe... garo. Si... titui... ditio... etiam... erant i... ne disc... mnari... extrao... stoli d... singul... itaque... quide... rio ve... vener... dioco... volue... nis. n... veni... quise... stolo... care... alij q... 12. d... Tu... no... los, ... dog... fuit... leon... Epi... cit... do... no... Scri... &... sco... ste... pi... ris... ad... &... g... co... vi... &... q... p... &

niendo, vel disputando, sed tantum audiendo; & non reclamando: quod ita esse probatur dupliciter. Primum ex consuetudine Ecclesie, quae est optima Scripturarum interpret. nam cum in omnibus Conciliis, quae post Apostolorum tempora sunt celebrata, hunc ordinem observatum esse constat, ut soli Episcopi fuerint iudices: licet praesentes fuerint alij, vel clerici, vel laici: idem omnino in Apostolico Concilio servatum esse credere debemus. Nec enim Ecclesia vniuersa, ac praesertim primis illis temporibus, ab Apostolorum exemplo & traditione discessisset. Deinde, hoc idem ex contextu probari potest, hoc modo. 1. Apostoli & presbyteri tantum vocati sunt, & non plebs. Dicit enim Lucas: *Conuenerunt Apostoli & Seniores.* 2. Apostoli & seniores locuti sunt, donec discutiebatur controuersia. Dicitur enim in textu: *Cum magna disquisitio fieret.* 3. post disputationem, in qua Apostoli & presbyteri locuti erant, soli Apostoli sententias definitiuas dixerunt. Solum enim Petrus, Paulus, Barnabas, & Iacobus, introducuntur a Luca loquentes. 4. colloquii continuatio & alternatio hoc idem ostendit. Nam post Petri sententiam, mox subditur, *Tacuit autem omnis multitudo.* Deinde subditur, *Et postquam tacuerunt, nimirum Paulus & Barnabas, respondit Iacobus:* & mox finita Iacobi oratione dicitur *Tunc placuit Apostolis.* Itaque illi soli dixerunt definitiuas sententias. Quod autem sequitur, *Placuit autem Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia,* intelligitur de consensu tacito, qui debet dari ab omnibus qui sunt in Concilio.

XIII. *Respondeo* 1. Negatur distinctio ista, Apostolos iudicasse, presbyteros consultasse, populum consensisse tantum. Nam primo questio ad omnes fuit delata, v. 2. quorsum quae so, si illorum non fuit de causa cognoscere, & definire. Deinde, v. 6. legimus conuenisse ad hoc Concilium non Apostolos modo, verum etiam presbyteros, & quidem similiter omnes, *id est omnes qui uenerunt ut disquirerent, dislicerent, disceptarent hac de re.* Eadem ergo causa fuit Apostolis & presbyteris ad hoc Concilium conueniendi, scilicet ut de ea, quae orta erat, controuersia iudicaret, & aliquid constituerent. Tertio, Act. 16. 4. legimus, Paulum ciuitatibus illis, per quas transibat, tradidisse *in ecclesia* illa, quae decreta erant ab Apostolis & presbyteris, qui erant Hierosolymis. Itaque presbyteri aequae habuerunt suffragium definitiuum atque Apostoli. Quarto, Apostoli non opus fuit huiusmodi consultoribus & disputatoribus. Sed per opus erat collegis & auditoribus, definitiuam sententiam una cum ipsis, ferentibus. Nam quia visum fuit Apostolis, ut haec questio ad totam Ecclesiam deferretur, & omnium suffragiis approbaretur, ut eo modo paci Ecclesiae melius consuleretur: ideo presbyteros & plebem uoluerunt etiam congregari, ut cum totius Ecclesiae consensu definitum esset ex verbo Dei, circumcisionem & reliquas Mosaicis ceremonias abrogatas esse, omnes in ea definitione acquiescerent. In hoc ergo Concilio quibus laicus & presbyter definitiuum suffragium habuit, non minus quam Petrus. Neque uero hoc detrahit auctoritati Apostolorum. Duplex enim est illorum ratio: singularis, qua Apostoli supra Ecclesiam reliqua fuerunt extra ordinem, & communis uel ordinaria, qua cum aliis Dei seruis ministerio functi sunt ordinario, licet non adstricto & ad unum locum alligato. Singulari illa ratione uisum fuit Apostolis, cum aut Ecclesiam primum institui oportuit, aut aliquid in Ecclesia geri, quod ordinariam Ecclesiae conditionem cognitionemque superaret: ut cum Arianam & Sapphiram multauit Petrus, & Paulus Elymam. Ordinaria uero uisum fuit, ubi iam Ecclesiae erant instituta, nisi res eiusmodi esset, quae diuina extra ordinem reuelatione disci deberet, aut motu diuino geri. Ita cum adulterum illum 1. Cor. 5. damnari oporteret, Apostolus uisum fuit communicatione cum Corinthiis: quae in extraordinaria reuelatione locum non habebat. Hoc autem in Concilio Apostoli dicuntur uisum fuit communicatione: Communis ergo ista est Ecclesiae, ac non singularis actio Apostolorum in hoc Concilio Hierosolymitano. Omnes itaque dono & uocatione instructi iudicauerunt in isto Concilio: primum quidem Apostoli, & uiri Apostolici: tum presbyteri dantes operam ministerio uerbi, tum Hierosolymitani, tum Antiocheni, & si qui praeterea aliunde uenerant: dehinc alij presbyteri, illorum *omnesque* in Ecclesiae gubernatione: diaconi item, donis prophetiae instructi: denique ipse populus, nempe qui uoluerunt & potuerunt. Hi, inquam, omnes fuerunt participes consultationis. nam communi nomine Ecclesiae designantur, v. 4. 2. 2. 3. Quinto, plebem uenisse non uocatum absurdum est. Pugnatum enim cum decore & ordine, ut quisquam non uocatus ueniat in Concilium. Pugnatum etiam cum more Apostolorum, qui, ut constat ex Act. 6. 2. solebant *non aliter* conuocare. Sexto, plebem nihil dixisse falsum est. Nam v. 1. dicuntur *his* hoc est, alij quam Apostoli & presbyteri. Et illi leguntur disceptasse v. 7. Praeterea v. 12. dicitur, Tacuit tota multitudo. Ergo antea locuta est. Et uers. 22. dicitur: Tunc uisum est Apostolis, & presbyteris cum tota Ecclesia. Ergo Ecclesia non tacuit, sed suum quoque interposuit iudicium. Et v. 23. legimus, Apostolos, presbyteros, & fratres misisse literas ad Ecclesiam Antiochenam. Ergo dogma hoc fuit omnium sententiis comprobatum. Vnde intelligimus, alias fuisse populi, quam silentii partes. Vidit hoc Aeneas Syluius l. 1. de Concil. Basiliensi, ubi eleganter ait: *Visum est Spiritui sancto & nobis. Vnde apparet alios quam Episcopos in Concilio habuisse uocem decidit.* Sed pergamus in Bellarmino. Dicit ille, consuetudinem esse optimam interpretem Scripturarum. At consuetudo semper habita est pessima interpret Scripturarum a Tertulliano, Cypriano, Augustino, aliis. Deinde mala consuetudo male opponitur claris uerbis Scripturae. At nos modo probauimus ex contextu, Apostolos, presbyteros, & plebem in hoc Concilio easdem partes sustinuisse. Denique non solos Episcopos, iudices fuisse in Conciliis, aut definiendi auctoritatem habuisse. ostendimus §. 11. & iam ostendemus amplius. Constat ex S. literis, primum Episcopos & presbyteros eosdem fuisse: postea ubi Episcopus Compresbyteris fuit praepositus, ad Concilia fuisse Episcopos missos potius quam alios, adiuncto uno aut altero de Compresbyterorum aut Diaconorum numero, & suo ipsius, adiunctorumque suorum, & Ecclesiae aut prouinciae, quae ablegauerat, nomine subscriptis: tum etiam, si non esset integrum Episcopo aut certa de causa uideretur, in Conciliis Presbyteros plenarias Episcoporum uices gessisse, tanquam legatos: quemadmodum in Concilio Niceno I. factum. Sed Presbyteris, aut Diaconis, qui interfuerunt, non fuisse suffragium, qui probetur? In Niceno I. & Constantinopolitano I. uicem functi sunt Episcoporum: in Carthagenensi, cui praefuit Cyprianus, in Antiocheno I. in Romano contra Marcellinum Papam, in Alexandrino contra Arium, in Romano altero sub Syluestro, in Eliberino, in Arelatenensi II. in Aquileiensi, & si-

milibus multis, Presbyteri & Diaconi consultati onis, sententiae dictionis, & subscriptionis fuerunt consortes, etiam cum litera per scriberentur Conciliorum nomine. Sequitur apud Bellarminum analysis huius loci, quae ex n. 5. & 6. huius §. refutatur, & ex hac uera analysi. Quemadmodum in omnibus iudiciis atque confessibus res in consilium primo mittitur, deinde disceptatur, tum in consultatione dicuntur sententiae singulares, denique conclusio certa fit ab eo qui praestitit: ita hic quoque fit. Paulus, & Barnabas (qui non fuit Apostolus, uti tamen uult Bellarminus) primum rem mittunt in consilium, v. 5. deinde oritur disceptatio, v. 7. in qua utique in utramque partem uaria fuerunt allata a uariis: dehinc Petrus illos reuocat a feruore disceptationis & c. Tandem Iacobus percepta consensione omnium, tanquam praesens consensus, & loci (ut tradunt) Episcopus, conclusit de sententia omnium, & ex conclusione ipsius facta est perscriptio, Apostolorum, presbyterorum, & fratrum Hierosolymitanorum nomine, v. 22. 23. Itaque presbyteri & plebs aequae sententiam dixerunt atque Apostoli: non quod Apostoli non sufficerent, sed ut sic melius & Ecclesiae paci consuleretur, & hominum desideriis satisfaceret. Vbi non possum quin illud breuiter addam. Cum Bellarminus quatuor hominum genera ait ad Concilia conuenire; quosdam, ut iudicent; alios, ut disceptent; nonnullos, ut defendant Concilium; & aliquos, ut ministrent; Presbyteri & plebs non propter aliquam ex tribus postremis causis ad hoc Concilium conueniunt: ergo propter primam.

XIV. *Ad quartum* nostrum argumentum excipit, multis modis posse aliquid representari sed optimum modum esse, quo per principes representantur populi. Sicut enim in Comitibus generalibus multorum statuum congregari solent Consules, uel domini ciuitatum: sic in Comitibus Ecclesiae generalibus congregantur omnes Episcopi: nam quilibet Episcopus personam gerit suae Ecclesiae, ut patet ex Cypriano l. 4. epist. 9. ubi dicit, Ecclesiam esse in Episcopo. Quare Eusebius l. 3. de uita Constantini, Concilium Episcoporum 318. uocat conuentum orbis terrarum. Et Augustinus l. 1. de baptismo c. 18. eiusdem Concilij Episcoporum consensum, uocat totius Ecclesiae consensum. Resp. 1. Si singuli Episcopi singulas Ecclesias representant; tum Romanus Episcopus totam Ecclesiam representat; quia se Episcopum Ecclesiae Catholicae uocat. Itaque non opus est, ut multi Episcopi conueniant; sufficit, si ille solus adfuerit. Potest ille solus Concilium generale indicere, habere, celebrare. Atque hic est optimus representandi modus apud Bellarminum, quando per principes representantur populi. 2. Quid si Episcopi fuerint haeretici, ut olim omnes praeter unum aut alterum Ariani fuerunt; num illi totam Ecclesiam in Concilio representabunt? num illorum definitio stabit? Num Episcopi in Concilio Ariminensi congregati totam Ecclesiam representauerunt? tum certe tota Ecclesia Ariana fuit. 3. Nisi Episcopus electus & designatus fuerit ab Ecclesia, ut erat ad Concilium, non potest Ecclesiam representare. Itaque Episcopus uel solus, uel una cum iis, qui ad latus ipsi adiunguntur ex Presbyterio, representat Ecclesiam, a qua mittitur, eo modo, quo mittitur. 4. Quemadmodum in Comitibus ciuilibus non semper magistratus, puta consul, pro ciuitate mittitur, sed aliquando alius aliquis, qui & ipse personam ciuitatis gerit: sic non tantum Episcopi ab Ecclesia eligendi sunt, qui ad Concilia mittantur, sed etiam alij pii, solertes, & docti uiri, qui saepe peritius disputent, & in quaestiones controuersas melius inquirere possunt quam Episcopi. Quisquis uero ab Ecclesia mittitur, is Ecclesiae personam representat. 5. Consensus Episcoporum dicitur in iis locis consensus totius Ecclesiae & orbis, synecdochice & secundum quid.

XV. Argumentum nostrum quartum Bellarmino est secundum: ad nostrum tertium tertio quoque loco respondet, uidel. causam fidei ad omnes pertinere, clericos nempe & laicos, sed diuerso modo: nam ad praelatos pertinet ut doctores, ad ceteros ut discipulos, sicut in bello causa uictoriae ad totum exercitum pertinet, tamen ducum est praecipere & ducere exercitum, ceterorum pugnare. Ad locum illum Nicolai Papae, quem §. 12. attulimus, responderet, Nicolaum ex eo, quod fides communis est omnibus, recte collegisse, Imperatorem debere interesse, non quidem ut iudicet, sed ut eum, cui incumbit defendere communem fidem edictis ac legibus, & si oporteat etiam gladio. Resp. 1. De causa fidei dicere ad eos omnes pertinet, qui sunt prophetae dono & uocatione, siue sint praelati, siue presbyteri, siue diaconi, siue laici. Sic enim Paulus praecipit 1. Cor. 14. 32. Falsum itaque est, ad solos praelatos tanquam doctores spectare causam fidei. Nam neque soli praelati sunt doctores, neque ad solos doctores id spectat. 2. Immo uero non solus Imperator, sed etiam alij politici possunt interesse, ut defensores Concilij. Itaque peculiariter Concilio interfuit magistratus, qua magistratus. At uideam interfuit Concilio etiam communiter, ut Christiani, quorum est fides Catholica, quae in Concilio defendere debent, non gladio, sed armis spiritualibus, aequae atque clerici. Et hoc uult Nicolaus Papa, ut patet consideranti textum ipsius, supra §. 12.

XVI. *Obuium* nostrum argumentum quarto loco soluitur a Bellarmino, his uerbis. 1. Sententia unius priuati potest anteponi sententiae Concilij generalis ante definitionem, dum causa discutitur; in discussione enim eruditio, non auctoritas persona; primas tenet: praeterea etiam post definitionem, quando constat, Concilium fuisse illegitimum: at nullo modo post definitionem Concilij legitimi. 2. Apud Gratianum Hieron. antepositur Concilio particulari, non autem generali. Et uero uerba illa, quae Gratianus Hieronymo tribuit, non inueniuntur in eius operibus. Denique Gratianus eo loco lapsus est. non enim pugnant Hieron. & Concilium, ut Gratianus putauit. Hieron. enim tantum dicit secundum legem veterem licuisse raptori ducere in uxorem mulierem a se raptam, si pater eius consentiat: Concilium autem statuit, ut non obstante illa lege ueteri, quae iudicialis est, & Christianos non obligat, non liceat raptori in uxorem ducere, eam quam rapuit. 3. Panormitanus & Gerson loquuntur conditionaliter, sicut Apostolus, cum ait Gal. 1. Si nos aut angelus de caelo Euangelizet & c. Sicut ergo ex condicionali sententia Apostoli non licet colligere, Ergo Apostoli & angeli poterant Euangelizare aliquid contrarium Euangelio Christi: ita quoque ex eo quod Panormitanus & Gerson dicunt conditionaliter, non licet colligere, Ergo absolute Concilia & Pontifices errare possunt, & ideo priuati homines ad Concilia uocandi sunt. Deinde, illi loquuntur de resistentia, quae potest fieri Concilio uel Papae, tempore discussionis ante decisionem, uel etiam postea, quando Concilium est illegitimum. 4. Episcopi quidem debent eligi quam doctissimi & optimi: tamen ipsi auctoritatem iudicandi habent, non quia doctissimi sunt, sed quia sunt personae publicae, id est, principes habentes non quia doctissimi sunt, sed quia sunt personae publicae, id est, principes habentes iudiciali iurisdictionem: quemadmodum etiam in principibus & iudicibus

dicib. secularibus, requiritur quidē iuris prudentia & p̄bitas, tamen nō propterea licebit priuato homini meliori & doctiori deturbare Principem, aut indicem de sua sede, & eum occupare. *Resp. ad 1.* Negatur ista distinctio. Nam sententia vni priuati, si ex Scriptura est, sententia est principis Ecclesię, id est, Christi, quamuis per os priuati hominis enūtiata; ac proinde per se principalem auctoritatem habet. Deinde, tenet quidem primas auctoritas personę publicę atque Concilij, si cum priuato homine comparaueris: sed cum auctoritate principis & legis principalis, id est, Scripturę sacrę, nō potest vlla ratione comparari: si consentit, secundas tenet ministerio suo; si dissentit, nullas. Denique Concilium legitimum est, aut illegitimum duob. modis, ortu aut progressu siue actu, idq; secundum totum aut partem ipsius maximam, minimam, mediocrem, quis hic legitime vniuersalem de Conciliis faciat affirmationem? nam etiam vniuersum Concilium ortu legitimum, rem actu statuat illegitimum, vt illi Concilio Carthaginensi cui Cyprianus pręerat, & aliis consimilibus. Nullum Concilium pręiudicare potest veritati: Hanc si vel laicus libere non defenderit, proditor est veritatis. *ad 2.* Satis est, quod Hieron. se opposuit Concilio. Nihil refert, quale illud fuerit. Deinde Bellarm. primo negat hoc esse dictum Hieronymi, postea ait esse. Tertio ne sit Hieronymi: at apud Gratianum est, cuius centonem approbavit Pontificum & Conciliorum auctoritas. Quarto distinctio ista est falsa: nam manifesto pugnant, & ita agnoscit Iohannes in glossa. Nec refert, quod hęc lex dicitur esse iudicialis: nam certe magis moralis est, & fundamentum atq; ratio nem habet in iure morali, quę ratio perpetuitatem habet, atque est inuariabilis. *ad 3.* conditio Apostoli est impossibilis: conditio Panormitani & Gersonis est possibilis. Itaque iniqua est hęc comparatio. Concilia enim errare posse & ratione, & testimoniis iuris Canonici, & factis confirmantur, vt infra c. 11. dicturi sumus. Deinde negatur vtraque exceptio. nam illi de re dixerunt vniuersę. *ad 4.* Vtrumque opus est, donum & vocatio. Plane illegitima est in Ecclesia vocatio sine donorum exploratione & conscientia. Deinde Episcopi non sunt principes instituto Dei, sed administri, administri, inquam, & non principes Ecclesię. Denique dispar est ratio potestatis & ministerii. Episcopus est nomen ministerii, princeps, potestatis. Itaque non licet priuato homini meliori aut doctiori sibi vindicare officium principis, aut iudicis. Sed si Episcopus sit a finis ad lyram, priuatus, pius & doctus, ipsi merito pręfertur in Concilio, quantum ad iudicium decisiuum.

XVII. Nonum argumentum nostrum, quod est quintum apud Bellarminum, vtrinque vero vltimum, ita soluitur. i. in Conciliis tributum quidē esse populo iudicium priuatum, non vero publicum. Nam publicum profertur a publico iudice cum auctoritate, ita vt teneatur carteri illi iudicio acquiescere. Priuatum est ea sententia, quam quisq; eligit vt veram, sed neminem obligat. 2. iudicium priuatum aliquando tributum est populo, etiam a piis & sanctis hominibus; sed tunc solum, quando aliter non potuit fieri. Tenentur enim sequi populi iudicium suorum pastorum: tamen quando heretici impune versantur cum Catholicis, & multos seducunt, expedit quandoque publicas disputationes coram populo cum eis inire, & relinquere iudicium populo, vt sequatur quos viderit melioribus rationibus niti, vt fecit Elias 3. *Reg. 18.* Si Baal est Deus, sequimini eum. 3. Concilio Nicæno I. Laici interfuerunt non vocati; nec interfuerunt actis Concilii: sed per se venerunt, vt extra Concilium disputarent cum Episcopis, quos audierant ex toto orbe eo conuenisse *Ruffinus l. 10. c. 3. 4.* Principes, presbyteri, iudices, aliiq; laici interfuerunt quidem multis Conciliis, & subscribere, sed consentiendo, non definiendo: soli vero Episcopi fuerunt iudices, & definiunt: & ob eam causam aliter subscriperunt Episcopi, v. g. Ego Augustinus Episcopus definiens subscripsi: principes vero, presbyteri, & alii sic: Ego N. N. Princeps vel Presbyter consentiens subscripsi. *Resp. ad 1.* Iudicium publicum dicitur ambigue: vel quod est ordinarij & publici iudicis: vel quod est multorum. Et posteriori significato iudicium populi est etiam publicum. Deinde vtriusque iudicij, tum publici, tum priuati, norma est verbum Dei. Si itaque commune iudicium populi ex veritate Scripturę constabit, illud vtiq; magis oportet audire, quam eorum qui vocationis suę auctoritate freti sine scientia decernunt aliquid pręter veritatem. Tertio iudicium priuatum a que obligat, atque publicum, si consentiat cum verbo Dei: & si hoc non consentiat, illud magis obligat; quia tum publicum plane nō obligat. Denique iudicium populi venter censetur publicum, quando consentit cum testimonio publico, legitime facto. Ita §. 13. probauimus, iudicium Apostolorum, seniorum, & fratrum fuisse vnum, hoc est, publicum: adeoque & decisiuum. Ergo hinc quoque respondetur *ad 2.* Nam Apostoli tribuerunt fratribus iudicium, vt eo modo consensum totius Ecclesię obtinerent. Deinde exemplum Elię nihil facit ad rem. Non enim ibi agit de iudicio synodico. Et vero Elias ibi adhibet figuram rhetoricā, quę dicitur permissio. *ad 3.* Imo vero non extra Conciliū, sed in Concilio fuisse laicos, probatur ex *Ruffino*, quem Bellarminus adducit. Nam duo dicit *Ruffinus*: in Concilio fuisse magnum numerum confessorum sacerdotum; & quendam ex confessoribus, simplicissimę naturę virum, qui nihil aliud sciuerit nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, inter ceteros Episcopos auditores adfuisse; qui philosophum Ariantum, omnibus orthodoxis insultantem, paucis interrogationibus fregerit. *ad 4.* Olim hęc duo non distinguebantur, consentire, & definire. Nam ex veterum testimonij patet, Episcopos consentientes, & laicos definiētes subscripsisse. In Concilio Chalcedonenſi *act. 1.* sic legitur: Ego Dorotheus Episcopus consensit & subscripsi. *Marius Victorinus l. 2. cōtra Arianos* ait, Nicenę fidei multa Episcoporum millia consensisse. *Socrates l. 1. c. 5.* de Eusebio Episcopo Cæsariensī, scribit, eum interfuisse Concilio Nicæno, & primo hęsitasse, sed postea vna cum reliquis vniuersis eam approbasse, seu in eam consensisse, & subscripsisse. Sic itaque Episcopi subscriperunt consentientes. Iam ostendimus, laicos subscripsisse definiētes. Constantinus Magnus sic loquitur apud *Eusebium l. 3. de vita Constantini*: Ego vobiscum interfui, tanquam vnus ex vobis. *lib. 2. apud eundem*: Ego suscepi & perfecī res salutaris, persuasus verbo tuo. *apud Socratem l. 1. c. 9.* Et ipse veritatis disquisitionem suscepi. *Sozomenus lib. 4. c. 16.* de eodem scribit, ipsum iussisse, vt Episcopi decem Orientis, & similiter decem Occidentis ad aulam venirent, quos synodus designasset, vt ipse quoq; intelligeret, an secundum Scripturas cōuenissent inuicem, & vt de his rebus, quę agendę erant, quid optimum videretur, determinaret. Ecce, ipse Imperator definiuit, sententiam dixit, decretum Concilij confirmauit. In Concilio Constantinopolitano I. Patres in Epistola ad Theodolum scripta, sic loquuntur: Cupimus abs te, humanissime ac piissime Imperator, diplomate tuo fyn-

odi sententiam confirmari, vt quemadmodum literis, quibus nos conuocasti, Ecclesiam honorasti; ita etiā placita Synodi subscriptione tua munias. *Theodosius Iunior* fidem Catholicam confirmauit, vt diximus. §. 11. vbi etiam vide, quomodo in Concilio Chalcedonenſi legati Imperatoris fuerint iudices. Et *Euagrius* de eodem Concilio *l. 2. c. 4.* ait: Senatores ista decreuerunt, & *Philostorgius*. Iustinianus Imperator, qui sincerissimę pietatis fuit, multas tulit leges, in quibus hęc verba sæpius occurrunt, Definimus, iubemus, imperamus, statuimus: scilicet ex Scripturarum canone sic edocti. Tantum ipse sibi tribuit, quasi iure suo; nec vnquam est propter hoc a quoquam reprehensus. Vnde intelligimus, leges Ecclesię datas esse ab Imperatore, etiam sine Concilio, quanquam non sine verbo Dei. Quod si Imperator extra Concilium tantam auctoritatem habet; nam in Concilio nil nisi consentire potest. In Concilio Constantinopolitano III. *act. 18.* Constantinus Imp. non modo sedet cum Episcopis, sed etiam vna cum eis subscripsit. *Legimus* (inquit) & *consensimus* In Concilio Arausicano II. viri patritij non modo sententiam de religione dixerunt, sed etiam cum Episcopis subscriperunt. *Cusanus de concordantia Catholica lib. 3. c. 16.* ita scribit: In octaua synodo Basilię Imp. Patriarchalium sedium vicariis & Patriarchis in subscriptione se postposuit ex humilitate, tota synodo rogante, vt se pręponeret. Aliud *eiusdem Cusani* dictū, longe illustrissimum vide §. 11. Neque solum Imp. subscriperunt definiendo, sed etiam tota Ecclesia, *act. 15.* in quem locum, vt adnotauimus §. 15. *Aneas Syluius* ita scribit: Apparet, alios quam Episcopos in Concilio habuisse vocem decidētē. Atque, vt hoc colophonis loco addamus, in Concilio Basiliensī Presbyteri, non soli Episcopi, definiunt. Sed hoc Concilium displicet Papę.

C A P. VI.

Argumenta Bellarmini, quod soli prælati maiores in Concilio habeant ius suffragij decisiuū.

I. Solos prælatos maiores in Conciliis generalibus & provincialibus habere ius suffragij decisiuū, *Bellarminus l. 1. c. 15.* probat quatuor argumentis. Primum desumit ex Scriptura sancta. Definire in Conciliis ea, quę sunt credenda, vel agenda, proprium est munus pastorum: id enim proprie est pascere: est enim docere, & docere ita, vt alij teneantur credere. Porro docere, esse pascere, patet *Ierem. 3.* Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascēt vos scientia, & doctrina. Item *Eph. 4.* Alios autem pastores, alios doctores. Vbi notat *Hieron. in hunc locum*, & *Augustinus Epist. 59. ad Paulinum*, coniunctam esse nomen pastoris cum nomine doctoris, quia proprium est pastorum docere. At non sunt pastores laici, nec Ecclesiastici quicumque, sed soli Episcopi, sic enim legitur *act. 20.* Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et *Ioh. ult.* Petro dicitur: Pisce oues meas.

II. In hoc argumento multa peccata insunt. i. Definire ea, quę credenda, vel agenda sunt, siue in Concilio, siue extra Concilium, duobus modis accipi potest: authoritatiue, vt loquuntur, & nuntiatiue; seu, architectonice, & ministerialiter. *Priori modo* definire, est per se statuere, & pręscribere, quid sit a nobis fide suscipiendum, & opere pręstandum, sic vt nulli liceat reclamare, quantumuis ratione freti. Et ita solus Deus habet potestatem definiendi. *Posteriori modo* definire, est declarare, hanc esse fidem Catholicam, hoc esse credendum, hoc esse agendum, quia Scripturę auctoritas ita credendum, & ita agendum esse docet. Pastorum itaque munus est posteriori modo in Conciliis definire ea, quę sunt credenda & agenda. Sed Aduersarij tribuunt Concilio, pręsertim si Pontifex Romanus ipsis adfuerit, vel saltem approbarit ipsa, auctoritatem definiendi ea, quę aperte cum Scripturis pugnant: ita vt nemini liceat reclamare, vel decreta examinare. Quę certe auctoritas est Antichristiana. 2. Definire in Conciliis ea, quę sunt credenda, vel agenda, non est proprium munus pastorum; sed hoc ipsis est commune cum alijs, grege videl. toto. Quod ita demōstro. *Munus pastorum proprium* in quarto modo, vt loquuntur vulgo, est, salutari vitę pabulo, id est, verbo Dei, populum sibi concredidit pascere, & sacramenta recte administrare. At hic non est finis Concilij, siue illud sit generale, siue particulare: sed, si hęc res aliqua orta fuerit, Ecclesiamque turbauerit, eam tollere; aut si abusus aliqui egregius in Ecclesiam irreperit, eundem corrigere; aut si negotia aliqua inciderint, quę totam Ecclesiam attingant, de iisdem deliberare. Atque hoc Bellarminus ipse antea cōfessus est, *c. 4. §. 5.* vbi sex causas assignauit, propter quas Concilia congreganda sunt: quę sunt, noua hęc res, schisma inter Papas, resistentia communi hosti, suspicio hęc res in Papa, dubitatio de electione Romani Pontificis, & reformatio generalis abusuū. At hęc omnia ab ijs, qui non sunt Episcopi, geri possunt. Nam (vt de prima causa, quam illi forsitan dicent ad Episcoporum definitionem pertinere, aliquid dicam) nō soli Episcopi, sed alij etiam Christiani, Scripturarum periti, possunt ex verbo Dei iudicare de hęc res. Reliquę vero quinque causę non requirunt solos Episcopos, vt fatentur Aduersarij. Ita ergo ex ipso Bellarmino constat, Episcopos solos non requiri ad aliquid definiendum in Conciliis. 3. Si proprium Concilij munus est pascere: tum duo simul erunt œcumenici pastores, Pontifex Romanus & Concilium. Et tum etiam ipsi Episcopi erunt sibi ipsis pastores. At vero finis Conciliorum non est pascere; sed lites dirimere, canones pręscribere, abusus corrigere, Ecclesias componere, aliaque facere, quę ad pacatum & tranquillum Ecclesię statum pertinent. Hęc vero omnia ab ijs fieri possunt, qui sunt in ordine laicorum. Itaque *commune pastorum munus* vertitur in disciplina & politia Ecclesiastica. Hoc itaque munus non est reciprocum, vt prius illud, quod diximus esse proprium. 4. Concilia œcumenica extra ordinem coguntur. At officium pastorum est partim ordinarium, partim extraordinarium: & ad hoc pertinet, interesse Conciliis, ibiq; ferre sententiam ex verbo Dei: quod etiam possunt pręstare ipsius auditores, iam ante ab ipso recte instituti. 5. Pascere latius patet quam docere. Cōplectitur enim & amorem tenerrimum, quo pastor Ecclesię debet prosequi suum gregem, & curam fidelem; & regimen blandum atque mite, quod consistit in prohibitione pabuli salutaris, conuocatione dulcissima, & correctione suaui. Itaque pascere aliquo modo est idē quod docere. Aliquo modo dico: patet enim

latius. 6. 71
ab Homero
enim Episcopi
sic, & prę
magistratu
docendo, s
sine sumit
pabulum a
tollere, m
in synodo
Pastores i
Ecclesię
sicut res
suos m
tit, pro
Det, loqu
alligata, c
ribus & a
locis citat
niendi p
storum d
& prę
agunt, vt
sine mpe
& ex v
tius equi
scopi fac
richi, qu
scoporū
stotes ce
illa Episc
institū
vni face
latione
rogatur
tiam, s
commu
fuerunt
consulū
hoc est
vt in pi
rant, qu
infirmi
act. 20
Etors
uitatis
ni. Prę
debet
scere
Pres
Nam
Presb
w
Pasc
solu
pollu
Con
sed et
II
niis. I
Papa
Oo
pro
pisc
intu
Pati
fius
elili
v
stol
iu
pa
eun
non
eun
ru
fol
fin
te
by
2
C
fi
fu
E
c
E
ti
b
q
d
P

latus. 6. *π*ascere nō solum competit Episcopo, sed etiam magistratui, qui ab Homero appellatur *πομπὴ λαός*: itemque doctōri & directori scholae. Vt enim Episcopus est pastor Ecclesiae: ita magistratus est pastor hospitii Ecclesiae, & praeceptor in schola est pastor seminarii Ecclesiae. Quam ob causam magistratus conuocans Concilium, pascere quoque dicitur Ecclesiam, non docendo, sed prospiciendo, ne capiat illa detrimentum. 7. Pascere vel strictissime sumitur, & significat tantum docere praedicando (hoc enim est praebere pabulum animae) vel late atque ita inter alia significat, hereses refutare, abusus tollere, motus corrigere, de publico & generali statu deliberare. Quo sensu in synodo etiam alii praeter pastores verbi, seu Episcopos, pascere possunt. 8. Pastores in synodis pascunt, non tam qua pastores, quam qua delegati à suis Ecclesiis, ut ipsarum nomine & auctoritate prospiciant gregi Christi. Quare sicut resp. sibi dicitur prospicere, ne detrimentum patiatur, quando legatos suos mittit ad Comitia: sic Ecclesia, quando pastores suos ad Concilium mittit, prospicit sibi ipsa. 9. Absoluta de religione iudicandi potestas, est solius Dei, loquentis & iudicantis in verbo suo: limitata, hoc est, ad verbum Dei alligata, tum publice tum priuatim iudicandi facultas, communis est pastoribus & auditoribus, sed cum ordine tamen & modo. Itaque Bellarminus ex locis citatis falso conatur Episcopis attribueri absolutam iudicandi & definiendi potestatem, & limitatam deherere aliis fidelibus. 10. Pastorum & doctorum distincta sunt officia, quia illi docent verbum, administrant sacramenta, & praesunt disciplinae in Ecclesia: hi solum docent verbum Dei, & hoc vnicuique agunt, ut ne illud corruptelis adulteretur. 11. Nō soli Episcopi sunt pastores: si nempe anguste sumatur vox *Episcopus*, ex Pontificiorum vtu. Si vero late, & ex v. Scripturae, Episcopus & pastor sunt termini conuertibiles, vel potius aequipollentes. Quare si soli Episcopi sunt pastores, profecto neque Episcopi faciunt officium, qui non pascunt gregem apud Pontificios: neque Pastores, quos Curatos vocant, faciunt officium, qui munus faciunt quod Episcoporū est, & multis in locis pastores appellantur. Omnes ergo si sunt pastores censendi, qui pascunt gregem Christi, doctrina & sacramentis. Nam illa Episcoporum distinctio a Presbyteris, non est iuris diuini, sed humani instituta, & quā in vnoquoque Presbyterio olim prima fuerunt attributa vni sacerdoti siue presbytero, qui singulariter fuit denotatus Episcopi appellatione: quod institutum postea accedentibus annis magis ac magis fuit prorogatum. Sed nos de iure communi diuinoque hic agimus, & licet pronuntiamus, omnibus Presbyteris, qui dabant operam administrationi verbi, ius commune fuisse, vt Conciliis interessent. Ex horum autem numero selecti fuerunt Episcopi: vt sententiam dicerent; exesse autem in decisionibus & consultationibus audiendis alii tum iubebantur, cum postulabat aedificatio: hoc est: doctrinae tractationi communi poterant adesse, tanquam auditores, vt in pietate proficerent: scandalorum & offensionum cognitioni non poterant, quia cōtra charitatem esset. Nam veritatis cognitio ad omnes pertinet, infirmitatum minime. 12. Solos Episcopos esse pastores, male probatur ex *Act. 20*. Nam Episcopus dicit Apostolus communi significato, id est, inspectores illius Ecclesiae, puta Ephesiae. Erant itaque plures Episcopi vnius ciuitatis: at plures Episcopos vnius ciuitatis esse prohibent Canones Romani. Praeterea idem *vers. 17*. appellantur Presbyteri. Quod si vnus tantum esse debet (vt voluit Pontificius) in vna Ecclesia Episcopus, & eius est solius pascere, cur Paulus per omnia plurali numero vsus est in hoc suo *sermone* ad Presbyteros Ephesiae? 13. Hic locus vel maxime facit contra Bellarminum. Nam si omnes, quorum est pascere, habeant ius definiendi in Conciliis, tum Presbyteri habent; quia *v. 18*. huius capituli Episcopi vocantur, atque etiam *presbyteri*, iubentur. At ille vult, tantum prelatos maiores hoc ius habere. 14. Pascere oues non est proprium officium Petri, sed commune, ad omnes Presbyteros pertinens: vt *1. Petr. 5. 2. & Concilii V. sens. c. 2*. Sed concludamus solutionem huius argumenti ista regula: Ad Concilium omnes illi conuenire possunt & debent, qui sunt apti ad inquirendum de fide, & moribus. Nam in Concilio sit huiusmodi inquisitio. Itaque ad Concilium non solum Pastores, sed etiam auditores mitti possunt ac debent.

III. *Secundum* argumentum Bellarmini positum est in veterum testimoniis. Prima Concilia (inquit) in Ecclesia celebrata fuerunt tempore Victoris Papae, super questione Paschatis. De his sic loquitur *Eusebius lib. 5. hist. ca. 23*. Od quam causam conuentus Episcoporum, & Concilia per singulas quatuorque provincias conuocantur. Hae ille. Qui non quorumuis eruditorum, sed Episcoporum dicit congregata esse Concilia: quod idem docent Cyprianus in initio Epistolae ad Iudaeum, Hilarius lib. de synodis, Ambrosius, alique Patres, qui passim asserunt, Concilia Episcoporum esse. Praeterea Theodosius iunior in epistola ad Ephelinam synodum, quae extat in 1. tomo eius Concilii, c. 32. *Illicium est, inquit, eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus*. Pulcheria quoque Imperatrix in epistola ad Strategum Bithyniae, quae habetur ante Concilium Chalcedonenſe, iussit, vt Clerici, Monachi, & Laici, etiā vi repellentur a Concilio, exceptis paucis illis, quos Episcopi secū duxerant. In Concilio Chalcedonenſi, act. 2. eum ad Martinum Archimandritam mitteretur, vt subscriberet, respondit, non esse suum, sed Episcoporum tantum subscribere. Et in eodem Concilio, cum pro Dioscoro Monachi & Laici ingressi essent, saepius Patres clamauerunt: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est*.

IV. *Resp. 1.* Antiquius Concilium habemus *Act. 15*. cui interfuerunt non solum Apostoli, sed etiam Presbyteri, & tota Ecclesia. 2. Nomen Episcoporum sine dubio apud antiquissimos Patres accipitur iata significatione: ita vt eo tempore dicti sint Episcopi, singuli singularum Ecclesiarum pastores & presbyteri, ex more & consuetudine scripturarum: vt *Philip. 1. 1. & 1. Cor. 12. 28*. Vbi Apostolus multos vnius ecclesiae Episcopos nominat. Ergo per Concilia Episcoporum, intelligit Eusebius Concilia Presbyterorum. 3. Quod Concilia Episcoporum, intelligit Eusebius Concilia Presbyterorum. 3. Quod si haec responsio alicui non probetur, habeat illam. Dicta veterum indefinita sunt, non vero vniuersaliter aut etiam particulariter posita. Neque enim dicit Eusebius, aut quilibet veterum, esse Episcoporum solum. 4. Ex maiori parte communis sit denominatio. 5. Quod Episcopi olim plurimum adessent, nō ideo quod Episcopi essent, sed quod eruditione, & prudentia, & experientia praestaret plerumque; aliis de Presbyterio, vt qui propterea, suffragiis praestant, praefecti essent toti Presbyterorum collegio in ecclesia singuli. Nam qui erant eiusmodi, eos ad Concilia generalia communibus Presbyterii suffragiis mitti, aequius erat & honestius, atque vtilius, quam rudiores homines de cœtu, & minus iudicio, eruditione, peritia, gratia, auctoritate valentes. Hoc vero tanquam perpetui iuris, statum Episcoporum Pontificiorum sibi

assumerent, sicut & omnem auctoritatem Ecclesiae ac Presbyterii. 6. Olim dicta fuerunt Concilia Episcoporum, vt distinguerentur a Conciliis politicis: quia aderant plerique Episcopi, & in illis causis plerumque Episcoporum agebantur, & quia illi maxime idonei erant (vt modo diximus) qui huiusmodi causas tractarent; non quod nulli alii praeter Episcopos definiendi auctoritatem haberent. 7. Theodosius & Valentinianus ita rescripserunt: *ἀδμιττοῦντες τὸν ἐξ ὅτις καὶ λόγου τῶν ὁσίων ἐπισκοπῶν τὴν χάριν τῆς ἐκκλησιαστικῆς συνόδου. ὣς ἐπιμνησθῆναι. Νέστις ἐνὶ μὲν ἐστὶν ἐκτὸς ἀτάλογον ἁγιωτάτων ἐπισκοπῶν ἐστὶν, ἐκκλησιαστικῶν ἐπισημοῦν ἰμμισέρναι. Itaque mens istorum Imperatorum non fuit, vt dicerent Episcopos solum, ac non alios vllōs, in Concilio recipi oportere; sed eos solum audire, cogoscere, & sententiam ferre in Concilio oportere, qui in catalogo inscripti erant eorum qui ab Ecclesiis ad Concilia fuerant ablegati, & ab Episcopis recensiti ex literis publicae auctoritatis (creditiuas & fiduciaras vulgo vocant) quas solebant exhibere. Hi autem cum essent plurimum Episcopali dignitate, ex communi ratione catalogus Episcoporum nominabatur. Itaque his verbis nō excluduntur laici. Nā, vt supra probauimus, Imperatores, & ipsorum legati, interfuerunt, & praesuerunt Conciliis: quae de re plurib. *cc. seqq.* Et sane Theodosius in hoc ipso Concilio Ephesino, de quo agitur, suum habuit legatum, & Ecclesiasticis se immiscuit tractatibus. Pronuntiat enim in Epistola ad Conciliū, omnia, quae haecenus fecerant, esse irrita, quia per contentionem omnia gesta fuissent; & iubet omnia pacifice examinare. 8. Pulcheria iussit repelli clericos, monachos, & laicos; quia in gratiam Eutychis superuenientes Clerici, Monachi, atque Laici, in multis facere tentabant contendentē: vt ibidem scribit Pulcheria. Merito itaque repulsi sunt, ne turbamur nimium esset, quia fauebant Eutychis, itemque Dioscoro. Non sequitur autem, si tum propter istud periculum ita prospectū est, hoc igitur perpetuū & solenne in Conciliis institutū esse: imo vero contrariū ex eo probatur magis, fuisse ordinariū vt & alii adessent, tum vero propter factiones prouisum esse, vt illi ab eo Concilio discederent. Huc accedit, quod illa verba, *exceptis paucis illis, quos Episcopi secum duxerant*, satis docent, & alios praeter Episcopos in isto Concilio adfuisse: illos, inquam, qui aderant cum literis & auctoritate publica functi partes suas, quique permissu & approbatione suorum Episcoporum aderam audituri. 9. Martinus Archimandrita recte dixit, non esse suum, sed Episcoporum tantum subscribere; quia non aderat cum auctoritate vllius Ecclesiae. Qui autem sine auctoritate Ecclesiae adfuit, eorum alii solum audire possunt, vt laici; alii etiam consultationibus adhiberi possunt, vt docti, praesertim Ecclesiastici: sed dicere sententiam definitiuam non possunt. Ad eos autē solum subscriptio pertinet, quorum & sententia dictio est. Sic in Concilio Nicæno, Vitus seu Victor & Vincentius vrbis Romae Presbyteri pro Episcopo Romano, & multi Chorepiscopi, id est, Presbyteri Episcoporum vicarii, subscripserunt: sic Alexander Constantinopolos Presbyter. Carterum quod dixi de laicis, illos esse auditores in Concilio, & nō definitores: id accipiendum est de illis, qui non sunt missi ab Ecclesiis. Nam vt aliquis sit membrum Concilii, siue sit Ecclesiasticus, siue laicus, necesse est vt adit cum auctoritate Ecclesiae suae: quia omnia oportet ordine geri in Concilio. 10. Monachi illi & laici: qui pro Dioscoro ingressi erant in Concilium, iubentur exesse, quia venerant turbaturi pro Dioscoro isto Alexandrino. Deinde Monachi illi non erant in vllō ordine Ecclesiastico. Adhuc monachi de iure non possunt interesse Concilio; nisi fuerint electi. Denique illo tempore iam inualuerat mos, vt nulli praeter Episcopos interessent Conciliis, quia illi soli idonei videbantur, qui interessent, quique res Ecclesiasticas tractarent. At non sic ab initio fuit.*

V. *Tertium* Bellarmini argumentum sursum ex Conciliis hactenus celebratis. Nam omnium Conciliorum decreta ab Episcopis solis facta esse, patet ex subscriptionibus: vbi que enim inueniuntur soli Episcopi subscripsisse, exceptis paucis generalibus, quibus Imperator etiam subscripsit, sed alia forma, quam Episcopi: Episcopi enim definiendo vt Iudices, Imperatores consentiendo subscripserunt & quibusdam etiam patetissimis, vt Florentino, Lateranensi, & Tridentino, quibus subscripserunt Abbates, & Generales ordinū: ceteri quamuis opumi & doctissimi essent, nunquam sunt admissi nisi ad consultandum, excepto Concilio Basileensi, vbi Presbyteri admissi sunt ad suffragium decisiuum, sed perperam, & contra morem omnis antiquitatis, nec illud Concilium fuit legitimum.

VI. *Respond. 1.* Fallum est, solos Episcopos subscripsisse definiendo. Nam vt *§. 4. n. 9.* diximus, Concilio Nicæno I. subscripserunt etiam Presbyteri. Similiter Constantinopolitano I. vt Alpius Presbyter pro Philomuso Alexandrino Cappadociae, Paulus Presbyter pro Montano Claudiopolitano Isauriae, Simplicius Presbyter pro Longiano Sozopolitano & c. sic alibi. 2. Non est mirum, si Episcopi generalibus Conciliis interfuerunt plurimum, cum ex tota provincia pauculi ablegarentur, in singulis autem Presbyteriis cuiusque provinciae communibus suffragiis Episcopi eligerentur ij, qui pietate, doctrina, iudicio, peritia, gratia praestarent, vt ante dicebamus *§. 4. n. 5.* Adfuerunt autem vt Presbyteri suarum Ecclesiarum singuli, communis Synodorum particularium calculo ad actionem illam deputati, cum Ecclesiae suae, tum totius provinciae nomine. 3. Imperatores, Presbyteros, Abbates, alios, subscripsisse aequo definiendo, atque Episcopos demonstrauimus cap. praeced. *§. 17. n. 4.* vbi vide. Res huc redit. Olim subscribere idem erat, quod consentire & definire; & qui consenserunt, ii etiam definiuerunt, & contra: nullum discrimen fuit. Postea inuentus est nodus in serpo, vt definiendi auctoritas solis Episcopis tribueretur. 4. Fallum est, Presbyteros in Concilio Basileensi subscripsisse definiendo, cōtra morem omnis antiquitatis. Nam primi instituti sunt, non moris solum & consuetudinis, vt non solum Presbyteri ministrantes verbum, sed & tota Ecclesia loci, id est, Presbyteri & Diaconi, siue totus clerus Ecclesiae seruiens, reliquique fratres, Concilio interessent, ibique disceptarent, & definiere, *Act. 15. v. 2. 4. 6. 2. 23.* Cum ergo tale institutum ab Apostolis fuerit, & in cœtu ipsorum, quid morem est adduci opus? Atque ita diu in Ecclesia fuisse obseruatum, demonstrat exemplum Romanae Synodi, quae contra Nouatum fuit habita à LXX. Episcopis, Presbyterisq; & Diaconis pluribus, qui sententiam definiuerunt omnes contra Nouatum, & Apostolici illius Concilii exemplo, vt refert *Eusebius hist. Eccles. lib. 6. c. 43.* & *Ruffinus c. 23.* item Alexandrinae Synodi contra Arium, apud Gelasium Cyzicenum.

VII. *Quartum* Bellarmini argumentū positum est in quinque rationibus. Negoria Ecclesiastica & publica, a personis Ecclesiasticis & publicis tractanda sunt. Tales autem soli sunt Episcopi. 2. Si omnes homines docti admitti

Nicephorus l. 17. c. 20. Constat etiam ex Actis Concilij, Vigilium Episcopum Romanum, cum adfuisse Constantinopoli, cum cogere Concilium, & rogatum à Patribus Concilij vt vellet coram interesse atque communem deliberationem de capitibus ab Imperatore propositis adiutare. Sed recusavit adesse coram Vigilio, quod nollet propter Eutychium sedere, vt auctor est Nicephorus. Sed vna cum Constantinopolitano Episcopo præsuerunt synodo Apollinarius Alexandrinus, Dominus Antiochenus, & Didymus atque Euagrius Eustochii Hierosolymitani Episcopi vicem gerentes: vt docet Photius Episc. d. Ad extremum Concilij sexti œcumenici, quod fuit Constantinopolitanum III. præsides fuit Constantinus Imp. Sic enim habet Actorum initium in 2. tomo Conciliorum pag. 901. 902. In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, imperantibus a Deo coronatis &c. presidente eodem piissimo & Christo dilecto magno Imperatore Constantino in secretario sancti palatii, quod appellatur Trullus. Idem repetitur in aliis actibus, in quibus etiam hæc frequenter iterantur, Constantinus piissimus Imperator dixit: ipse enim moderabatur actionem. Adiunxit autem sibi Imperator Senatores tanquam consiliarios, de quibus repetas in iisdem Actis hæc verba: *Gloriosissimi Iudices & Senatus amplissimus dixerunt.* Ecclesiastici vero præsides fuerunt Georgius Constantinopolitanus Episcopus, Theodorus & Georgius Presbyteri vna cum Iohanne Diacono, legati Agathonis Romani Episcopi, Petrus Monachus loco Alexandrini, & Georgius Monachus idemque Presbyter loco Hierosolymitani Episcopi: vt auctor est Photius.

VI. In summa, primorum Conciliorum œcumenicorum præsides non fuit Papa Romanus: vt Nicolaus Cusanus Cardinalis l. 3. c. 16. de concordantia Catholica etc. scribat: In vniuersalibus octo Conciliis, vbi Imperatores interfuerunt, & non Papa, semper inuenio Imperatores & Iudices suos cum Senatu primatum habuisse & officium præsidentia, per interlocutiones, & ex consensu Synodi, conclusiones & iudicium fecisse. Hinc itaque efficitur, si Romanus Episcopus primorum Conciliorum œcumenicorum præsides non fuit, vel saltem solus, & cum summa potestate atque autoritate non fuit, cum ipse reus non esset, multo minus nunc præsides esse debere, cum à maxima Christianitatis parte, variarum hæresium & multorum criminum reus agatur, imo & peragatur. Sed audiamus, quid Bellarminus excipiat ad nostram hanc inductionem historicam.

VII. Ad exempla V. T. à nobis allata, respondet ista duo. 1. Moyses non solus principem, sed etiam summum sacerdotem fuisse: vnde Psalm. 98. appellatur sacerdos: Iosiam vero, Dauidem, Salomonem, & aliquos alios non solum reges, sed etiam prophetas fuisse, quibus Deus quædam extraordinarie committebat, quæ alioquin ad sacerdotes ex officio spectabant. 2. reliquos reges se nunquam miscuisse in negotiis spiritualibus; & si quando se miscuerunt, punitos esse, vt patet 2. Paral. 26. Et ideo Iosaphat voluit esse distincta munera politica & Ecclesiastica, 2. Paral. 19. Quod autem dicitur, reges esse custodes diuinæ Legis, id concedi sed hinc non effici, eosdem esse interpretes Legis. Respond. 1. Moyses non fuit sacerdos. Neque hoc probari potest ex Psalm. 98. Dauid enim hos non dicit hoc in loco fuisse sacerdotes; sed hos in sacerdotibus, id est inter sacerdotes, vel sacerdotibus iunctos, inelamauisse Iehouam, & exauditos esse. 2. Vt in omni officio, ita quoque in sacerdotio sunt quædam communia & singularia. Quæ ad sacerdotes ex officio spectant proprie ac singulariter, ea nunquam aliis commissa fuerunt, ex quo ordo fuit à Deo institutus: quæ vero communia, cur non æque rex aut propheta, vt sacerdos fecerit? Iosua, Salomō, Ezechias, Iosias, nō fuerunt propheta. 4. Pii principes etiam sunt interpretes legis diuinæ, licet non Ecclesiastica interpretatione, tamen vt Christiani communitate, & iudices singulariter. 5. Ignoratio elenchi: quia præsidentiam politicam concedimus Principi in synodo, Ecclesiasticam non item.

VIII. Ad exempla historia Ecclesiastica, à nobis allata, respondet partim negando, Imperatores præfuisse; partim affirmando, Pontificem præfuisse per legatos; partim concedendo, præfuisse quidem nonnunquam Imperatorem, sed non vt iudicem controuersiarum fidei, verum vt vindicem. Sed hæc sigillatim persequemur cap. seq. Vide quoque Chamierum tom. 2. l. 13. c. 12. vbi hoc argumentum tractatur obiter.

CAP. VIII.

Cuius sit præsidere in Concilio generali; sententia Papi-
starum.

I. AD summum Pontificem iure pertinere præsidentiam in Conciliis generalibus, Bellarminus l. 1. c. 19. probat tribus argumentis: & primo quidem ratione ex Scripturis petita. Summus Pontifex est pater & pastor vniuersæ Ecclesiæ, adeo vt etiam Episcopi & Principes omnes, respectu summi Pontificis, oues & filii dicantur, vt notum est ex illo Iohannis vltimo, *Pasce oues meas.* Et confirmatur ex eo, quod Concilia vocantur Pontificis patris, & ipse vocat Episcopos in Conciliis congregatos, aliquando filios. At quis quæso ambigere potest, vtum patres filii, & pastores ouibus præsidere debeant, an filii patribus, & oues pastoribus? Respond. 1. Cura pascendi non soli Petro, an filii patribus, & oues pastoribus? Respond. 1. Cura pascendi non soli Petro, sed reliquis etiam Apostolis à Christo fuit demandata: vt patet ex collatione Ioh. 21. cum Matth. 28. v. 19. 20. & in primis cum 1. Petr. 5. 2. vbi omnes Episcopi iubentur pascere gregem Domini. Ergo si hæc ratio firma sit, alii omnes Apostoli Conciliis præsidere debent, perinde ac Petrus. 2. Pontifex Romanus non est pastor amplius, sed impostor. 3. Papa aliquando à Conciliis & aliis Episcopis appellatur Pater, quia vir primarius erat, & quia eius cura, amor, ac sollicitudo erga Ecclesiam longelateq; patebat. Sed ex eo non sequitur, ipsum fuisse omnium Episcoporum præsidentem ordinariū in Conciliis. Nam & alii Episcopi (vt Athanasius) & patres & Papæ olim appellati sunt: videl. respectu ordinis, officij, vel etiam ætatis. 4. Patriarchæ appellabantur illi quidem Patres Patrum: sed hinc non efficitur, illos fuisse pastores œcumenicos. Ita enim vocantur respectu aliorum Patrum, id est, Episcoporum. Nihil potest concludi ex figurato, partim humili, partim honorifico loquendi modo. Nā inde partim abiectio animi in principib. & aliis Episcopis, partim dignitas officij, partim deniq; ambitio Episcopi Romani colligitur. Nimirum

mirum regi & principi, etiā summo, potest esse animus humillimus, integritate & autoritate officij; & dignitas muneris Ecclesiastici potest extolli in homine Spartam istam recte ornanti; & ambitio Romani Episcopi potest colligi ex eo, quod alios honorifice ipsum appellantes, non patitur, vt debuit, allocutus est, sed inferioribus nominibus compellauit. 6. Recte dicit Bellarminus, Papam Romanum aliquando Episcopos appellasse filios. Nam Papæ antiqui hoc non fecerunt. Damasus hoc fecit in literis ad Concilium Constantinopolitanum. Vocat enim Patres illius Concilij, *ὄντες πατέρες, filios honoratissimos.* Sane satis ambitiose. Nam Patres illius Concilij in literis ad Damasum missis, non vocant illū *πατέρα, patrem*, sed *ἀδελφόν, & συλλειτουργόν, fratrem & in ministerio collegam.*

II. Secundo Bellarminus probat suam thesin ex Concilio Apostolico, Act. 15. in quo Petrum præfuisse affirmat. Hieronymus Episc. ad Augustinum; & idē ex eo colligit, quod Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quæstionem definit, & omnes, vt Hieron. dixit, eius sententiam sequuntur. Resp. 1. Crimen falsi committitur in loco Act. 15. & ipsius etiam Hieronymi. Nam Act. 15. nulla Petri, sed aliqua potius Iacobi *ἡρωπία* indicantur. Nam et si Petrus substantiam sententiæ enuntiauit: tamen tota illius oratio per modum communicationis & monitionis Christianæ apud disceptantes est habitaculus virtute illi contradicentes ita fuerunt victi vt omnes contulerint, & Barnabam Paulumque audierint. Cum itaque iam in re ipsa summus omnium consensus esset: Iacobus, præsides confessus, ex re præsentē sumens argumentum, id vnum in consilium misit, quæ ratio cum absentibus fratrib. in hac causa incedenda esset; quam vbi explicuisset, omnes in eius sententiā iuerunt pedibus, licet non corrogatis ex ordine singulorum sententiis. Sic finita eius oratione subiungit Lucas: *Tunc placuit Apostolo & presbyteris cum tota Ecclesia.* &c. 2. Etiam si demus, Petrum præfuisse illi Concilio, quid hoc ad Papam? Nam si præfuit, ex consensu reliquorum præfuit. Quo itaque iure Pontifex est perpetuus præsides? Verba Hieronymi ita sonant: *In sententiā eius (Petri) Iacobus Apostolus, & omnes simul presbyteri transferunt:* id est, Petrus non præsides fuit (nam præsides non dicit primus sententiā) sed princeps sententiæ, vt Latini vocant. Et si hanc suam sententiā Petrus non dixerat sententia liter (vt loquuntur) sed per monitionis & disceptationis modum cū dissentientibus communicans. Alioquin illi non Petrum, sed verbum Dei secuti sunt: nam etiam olitorem secuti essent (vt in proverbio dicitur) si primus inter eos sententiā veritatis extulisset. 4. Lyranus in hunc locum ait, hoc tributum esse Iacobo, vt determinationem profert, quod illius Ecclesiæ Episcopus esset. Itaque etiam Apostolorum, in illa Ecclesia pro tempore degentium, fuit Episcopus. 5. Dionysius Carthusianus in Act. 15. diserte scribit; Iacobum huic Concilio præfuisse. 6. Patres Concilij Basiliensis arguebant, Papæ legatos non oportere præsides esse, quod nusquam legatur, Petrum in Concilio præfuisse. 7. Iohannes de Turrecremata, et si Papæ autoritatem accerrime defendit: tamen fatetur, nusquam expresse & formaliter legi, quod B. Petrus præfuderit in Conciliis celebratis per Apostolos, libro 3. capite 24. 8. Vt in Apostolorum collegio primæ fere datæ fuerunt Petro propter ætatem, vt ait Hieronymus, item propter zelum & alia dona: tamen in hoc Concilio *ἡρωπία* fuit Iacobi, quod esset Hierosolymæ Episcopus.

III. Tertio sententiā suam confirmat Bellarminus ex Actis octo Conciliorum generalium: nam quod in aliis Romanus Pontifex præfuerit, etiam aduersari fatentur. Respond. 1. Quod si demus hoc Bellarmino; non tamen sequetur, hoc illius perpetuum ius fuisse: quia voluntati horum Conciliorum id potius tribui potest, quam vlli necessitati. Si voluerunt Episcopi in illis Conciliis congregati eum præficere, vel vt primum patriarcham, vel quod donis quibuidam reliquos antecelleret; num ex eo sequetur, iure diuino & perpetuo (hæc enim est nostra quæstio) hoc ad illum pertinere. Nequaquam. Nam ex facto non recte concluditur ius. 2. Negamus, Papam in octo generalibus Conciliis præfuisse. Sed videamus, quomodo affirmatiuam suam probet Bellarminus.

IV. De præfide Concilij Nicæni quatuor sunt opiniones. Aliqui volunt præfuisse Imperatorem, vt Brentius: alii Eustachium Antiochenum, vt Magdeburgenses: alii Athanasium, vt Caluinus: alii denique Hosium Episcopum, Vicum ac Vincentium Presbyteros, legatos Romani Pontificis. Prima opinio est falsissima. Nam in primis Constantinus post omnes Episcopos subscripsit. at præfides primo loco subscripsit. Deinde, Constantinus non ausus est sedere, nisi in sede humiliori, quam essent Episcoporum, & annuentibus Episcopis. Præterea, Constantinus in ipso Concilio professus est, se debere ab Episcopis iudicari, eisque subiectum esse, non præpositum &c. Quod Eustachius non fuerit præfides, probatur primo, quia in subscriptione Eustachius non inuenitur primus, nec secundus, nec tertius, sed inter alios inferius positus. Secundo quia cum esset in Concilio Alexander Alexandrinus Episcopus, Antiocheno maior & dignior, nulla ratio sinebat, vt ipse præcederet. Quod vero Athanasius non fuerit præfides, vix eget probatione: solus enim Caluinus, & sine vlla ratione id asserit: & præterea constat, Athanasium tunc fuisse diaconum, & iussisse ad Concilium cum Episcopo suo Alexandro, & nec fuisse, nec subscripsisse. Quod ergo præfides fuerint legati Romani Pontificis, Episcopus Hosius, Vitus, & Vincentius Presbyteri, probatur primo ex subscriptionibus. Hi enim tres primi omnium subscripserunt. Secundo ex Cedreno & Photio, qui dicunt Syluestrum per suos legatos Concilio Nicæno autoritatem contulisse. Tertio ex Athanasio in epist. ad solitariam vitam agentes, vbi dicit, Hosium principem fuisse in eo Concilio, & composuisse symbolum, quod dicitur Nicænum. Cum autem Hosius fuerit simplex Episcopus, & proinde inferior omnibus Patriarchis, sine dubio nunquam habuisset primum locum, nisi vicem gessisset Romani Pontificis. Ita Bellarminus.

V. Respondeo 1. Constantinus ordini humano præfuit, licet causæ non præfuerit, neque iudicium in consensu tulerit; vbi Christus solus est iudex per Scripturam suam in Spiritu, homines sunt administri. Quapropter oportet distinguere præsidium siue præfidentiam, quod sit aut ordinis humani, aut actionis Ecclesiasticæ in Conciliis generalibus. Ordinis humani præfidentia ad summum magistratum pertinet, non ad quemquam Ecclesiasticum, nisi forte magistratus illi sibi substituat. Actiones vero Ecclesiasticæ in illis Conciliis præfidentiam duplicem desiderant: vniuersalē, totius Concilij, & particularem; regionū ad illud Concilium conuenientium Vniuersalis præfidentia, quia extra ordinem est, electione in legitimis Conciliis fuit olim

attributa, quemadmodum Hosius Cordubensis e.g. electus est, qui praesertim Concilio Nicæno primo. Particularis vero fuit ordinaria. Itaque Romanus Patriarcha in Conciliis œcumenicis praerat occidentalibus Ecclesiis, suffragia earum colligebat, & in commune conferebat, & sub eo item suo ordine Metropolitanis, meridianis, Alexandrinis; orientalibus; Antiochenis; septentrionalibus, Ponticis, &c. Constantinopolitanus; Hierosolymitanus primum fuit honorarius; sed post aliorum exemplo potestatem suam dilatauit.

2. Plures interdum praesides Ecclesiastici in Conciliis œcumenicis fuerunt electi. Nam vt cap. superiori probauimus, in sex Conciliis œcumenicis plures semper electi fuerunt. Nimirum illi è multis fuerunt electi, qui prudentia & doctrina reliquis praerent, totamque synodum vel per vices, vel communi opera regebant. Inter plures tamen illos praesides vnus excelluit, qui absolute fuit praes. Neque enim synodo potuerunt vniuersi plures praesesse. 3. Non sequitur: Constantinus post omnes Episcopos subscripsit: ergo non praesedit. Nam etiam praesides interdum exacta subscriptione singulorum, non sine graui causa, postremus solet subscribere. Sed tamen non pugnant ista. Nam aliud est praes actionis, aliud ordinis. Praes actionis, Hosius Cordubensis, primus subscripsit: Constantinus vero, vt praes ordinis, & vindex executionis, vltimus subscriptione sua auctoritatem suam obseruatione actorum spondere voluit, & velut obsequare. Hæc res in priscis illis Conciliis, etiam nationalibus Galliae & Hispaniae, maxime obseruari potest. Quamquam alij putant, hoc modestiae causa factum esse. 4. Fuit quidem sedes Constantino humilis, certo consilio curata, ne insidere tribunali vt iudex videretur: sed non humilior, quam Episcoporum. Et annuentibus Episcopis sedit, vt tamen omnibus ad vnum stantibus, donec Imperator subsedit. Hinc Eusebius ait: *Non prius, quam Episcopi annuissent, sedit: idemque fecerunt omnes post Imperatorem.* 5. Constantinus professus est, se Episcopis non praesesse in rebus fidei atque iudicis: at hinc non sequitur, ergo nullo modo praesuit. In causa quidem fidei nec praesuit, nec praesesse voluit: hic enim solus praesest Dominus. In ordine vero praesuit, & causis *antiquis*, adeo vt rixas multiplices quæ inter Episcopos primum sunt excitatae, sua auctoritate sedauerit: vt referunt Eusebius, Gelasius, Rufinus, alij. Atque hæc fuit sententia Ambrosij, & Athanasij, quos citat Bellarminus. Solent hanc rem illustrare simili è triuici petito. Si in corpore siue collegio factorum aut futorum grauis controuersia nascitur, propter quam extra ordinem alia collegia aliunde ad rem iudicio certo dirimendam opus sit adhiberi; tum magistratus summus ac publicus ordini praesest, corpus artificum de rebus iudicium facit vsu iudicio ordinis publici. Itidē in Ecclesia accidit. Concilium generale conuentus est extraordinarius in sacris: cuius ordinem summus magistratus politicus ex officio curare debet; rem vero Deus summus iudex definit per Scripturas, seruorum suorum ministerio: ordinis curam magistratus praestare debet, rerum sacrarum definitionem corpus seruorum Dei secundum Scripturas. Neuter bona fide cum fructu inuoluptate potest in alienas partes, neuter suas negligere. 6. Eustathium praesuisse, probauimus cap. praeced. ex Niceta & alijs. Nec sequitur: in subscriptione non inuenitur primus: ergo non praesuit: quia secundum prouinciarum ordinem leguntur subscripsisse. Neque hoc sequitur: in Concilio erat praesens Alexander Alexandrinus Episcopus, Antiocheno maior & dignior: ergo nulla ratio sinebat, vt hic praecederet. Nam improbens fuisset atque importunum factum, si Alexander Alexandrinus praesuisset; tum quia grauis & diuturna ipsi cum Ario fuerat contentio, de quo institui cognitionem oportebat, tum quia Libyes & alij studentes Ario vocabant in dubium ipsius auctoritatem, vt ex canone 6. ipsius Concilij constat. Præterea nec illud sequitur, si Alexandrinus fuit prior confessus ordine, ergo Eustathius Antiocheno maiorem & digniorem extitisse. Nam etiam plurimum in Conciliis attribuebatur Episcopis sedes pro ratione temporis, quo erant functi ministerio, vt in Ecclesiis Canonicis solet obseruari. 7. Alia fuit confessus ratio, cum Imperator aduenit primum, nondum electo & constituto praeside: alia postquam praes fuit institutus. Primo Imperatoris aduentu, qui ad summam mentem confedit loco dignissimo, affidebant mensæ patriarchali in mesaulio hi à dextris, illi à sinistris. Ac legatio quidem Romani Pontificis cum Alexandrino à sinistra Imperatoris affedit mensæ, Eustathius vero Antiochenus & Macarius Hierosolymitanus ad dextram. Postquam vero Hosius fuit praes actioni dictus, hic tum demum ad summam mensam affedit Imperatori proximus ad dextram ipsius. Eustathius itaque non fuit princeps aut praes Concilij simpliciter, vt Hosius: sed sub Hosio fuit praes, id est, condirector. Fuit quoque Princeps habendæ orationis apud Imp. communi Concilij nomine. 8. Quod occurrit apud Caluianum, praesidisse Athanasium, est *οφθαλμικὴ* siue *μνημονική* auctoritas, siue *γροφικὴ* typographi. Quam facile enim scribi potuit Athanasius, pro, Hosius? 9. Constantinus praesuit ordini publico: Hosius, actioni synodali, non delegatione Romani Pontificis, de qua nihil apud priscos illos authores extat, sed libera electione totius Concilij, ex Constantini voluntate: Vitus vero seu Victor, atque Vincentius, legati fuerunt Romani Episcopi Syluestri, & Iulij Chorepiscopi: neque actionibus synodi praesuerunt, vt Hosius, sed tantum parti suburbicanae, vt Rufinus vertit, hoc est, Patriarchatus Romani Ecclesiis. Atque hoc est quod Theodoretus lib. 1. hist. cap. 7. dicit: Romæ vero Episcopus propter senectutem proejectam abfuit: sed amandauit duos presbyteros, cum dedisset mandata vt assentirentur iis quæ fierent. Hosius, Vitus & Vincentius primo loco subscriperunt: sed ratione differente. Nam Hosius subscripsit tanquam praes actionum synodicarum; Vitus vero & Vincentius, tanquam ablegati à Romano, tanquam primæ sedis Episcopo. 11. Photius & Cedrenus testantur, legatos Romani Pontificis, Syluestri & Iulij, Vitum atque Vincentium, non solos, & toti actioni synodicae praesuisse, sed coniuncte cum alijs Episcopis Patriarchalibus; ac proinde non toti actioni omnium, sed patriarchatus sui Ecclesiarum actioni praesuisse. Hosius toti conuentui simpliciter praesuit; patriarchæ, aut legati ipsorum, praesuerunt toti conuentui, post Hosium, communiter; & seorsim suo quisque conuentui. 12. Primus locus aut est ordinarius, aut extra ordinem in Concilio datus. Ordinarius est Romani Pontificis locus inter Patriarchas, ex quo etiam primæ sedis Episcopus appellatur, *dist. 99. cap. prima sedis*. Atque hic suo tantum patriarcho praerat ordinarie. Locus vero primus extra ordinem per electionem liberam totius conuentus ad eum pertinebat, qui praesesse actioni Concilij totius iubebatur, eamque moderari; neque durabat extra

actionem illam. In hunc modum Concilio Nicæno praesuit Hosius: qui si vicem gessisset Romani Pontificis, Patriarcho solum illius praesuisset: non praesuit autem Patriarcho, sed Concilio toti extra ordinem, ad praesentem actionem illius. 13. Hosius praesedit isti Concilio; quia etsi simplex esset Episcopus, puta Hispanus: tamen fuit vir celeberrimus, doctissimus, grauissimus, sanctissimus; & eam ob causam isto honore affectus. 14. Hosius non subscripsit, vt legatus, sed vt Episcopus suo nomine. 15. Omnes Patres, & imprimis Patriarchæ; Concilio isti auctoritatem tribuerunt, non solus Episcopus Romanus.

VI. Pergit Bellarminus, & ait in secundo Concilio generali, videlicet Constantinopolitano I. non praesidisse Imperatorem, sed tantum misisse ad Episcopos literas Romani Pontificis, quibus ad Concilium conuocabantur. Praesedit autem Nestorius, Episcopus Constantinopolitanus: cuius rei causa est, quia Pontifex Romanus non interfuit, nec per se, nec per legatos. Pontifex enim Damasus conuocauerat quidem Episcopos orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, vbi ipse coegerat synodum Episcoporum occidentalium, vt Romæ fieret plenissimum Concilium. Cæterum orientales excusauerunt se iustas ob causas, & coniunxerunt se animis & sententiis cum occidentalibus, non autem praesentia corporali. Quod autem, si Damasus adfuisset, sine dubio praesidisset, patet ex Epistolis vtriusque scriptis, vbi illi Damasum, vt caput suum agnoscent, & ipse filios eos vocat.

Respondeo. 1. Falsum est, non praesidisse Imperatorem. Scribit enim Theodoretus lib. 5. cap. 7. Theodosium interfuisse, & cum omnes Episcopos humanissime salutasset, rogauisse, vt deliberarent de rebus propositis. Consule etiam Nicephorum hac super re. 2. Theodosius misit quidem literas Damasum Rom. Pontificis, sed non solius: erant enim communes literæ Damasum ipsius, & Aquileiensis synodi, quibus Concilium Constantinopolim haberi petierant, vt etiam fuit habitum. Ac postulauit quidem Damasus cum Aquileiensis synodo: sed Theodosius Imp. primo quoque tempore synodum Episcoporum in locum vnum conuenire iussit, vt sunt verba Nicephori lib. 12. cap. 10. Postea vero mutato consilio, siue Gratiani auctoritate, siue Romani Episcopi & aliorum arte, cum iam conuenissent Constantinopolim Episcopi, Romæ Concilium indictum est, quod ex antegressu vtriusque partis consensu & occidentalium ipsorum postulato Constantinopolim haberi oportuerat. Tum vero vt fratres à fratribus, non autem à Damaso Romano solum, rogata, ac non mandato vocabantur. 3. Falsum est, quod Damasum agnouerint caput suum. Quod autem Damasus filios vocat, id alij ambitioni eius tribuunt, alij ætati.

VII. De Concilio Ephesino primo vehementer iactat Bellarminus, non praesidisse Imperatorem, sed Romanum Pontificem per suos legatos. Quod non Imperator, aut aliquis eius nomine praesederit, dicit patere ex Epistola Theodosij Iunioris ad synodum Ephesinam; vbi dicit, se misisse Candidianum Comitem ad Concilium, non vt misceret se quæstionibus Ecclesiasticis, sed ad Synodi defensionem. Quod Romanus Pontifex Celestinus praesederit per legatum suum S. Cyrillum, testantur omnes historici apud Bellarminum.

Respondeo. 1. Satis est, quod Bellarminus fatetur, Candidianum ab Imperatore missum esse, ad synodi defensionem. Praesedit itaque Imperator humano ordini per suum legatum. Id patet ex literis Theodosij & Valentianiani, vbi inter alia hæc occurrunt: *Quoniam vero etiam curari ex officio decentem & in tranquillitatem contemplationi vel discussioni sanctissima vestra Synodi oportebat, ne hoc quidem praetermissimus, vt ipsi ex omni parte vacuitas à turbis existeret &c.* 2. Cyrillus per se praesuit actioni synodicae de communi synodi sententia atque Imperatoris commendatione, delegato per totum confessum officio: non quod legatus esset Episcopi Romani, sed quia merebatur. Neque solus praesuit, sed collegam habuit. Sic enim Photius: *Concilium tertium, inquit, celebratum est ducentorum Episcoporum. Ex quibus erant praesides, Cyrillus illo celeberrimus inter Patres, qui propter virtutem sapientiaque diuitias, magna ciuitatis Alexandria sedem obtinebat, & Celestini Romani Pontificis implebat sedem, atque personam gerebat; & Memmo, cui Ecclesia Ephesorum commissa erat gubernacula.* 3. Non sequitur: Cyrillus Alexandrinus impleuit partes Celestini Romani: ergo quantum ad praesidentiam generalem impleuit. Nam Cyrillus impleuit partes Celestini, quantum ad praesidentiam singularem Patriarchatus Romani; & partes officij sui ordinarij, quantum ad praesidentiam singularem Patriarchatus sui. Itaque praesuit Concilio, praesidentia generali & extraordinaria, de uoluntate Concilij: praesuit Patriarcho suo, praesidentia singulari, ex officio suo ordinario: denique praesuit Patriarcho Celestini, delegatione extraordinaria ipsius Celestini, velut Coepiscopi, ex officio fraterno: vt videre est apud Euagrium. Non sequitur autem, si Celestinus Romanus Episcopus Cyrillo Alexandrino mandauit partes suas, Cyrillum ergo partibus suis abstinuisse, solaque Celestini partes obiuisset; aut si praesuit toti synodo in actionibus synodicis, ergo nomine Episcopi Romani, non suo, praesuisse; & auctoritate illius, non vero electione & ordinatione synodi. Sustinuit ergo triplicem personam Cyrillus: puta praesidis sui Patriarchatus, & praesidis Patriarchatus Romani. 4. *Leo Papa in Epist. 47.* non suum praedecefforem Celestinum, sed Cyrillum, huic Concilio praesuisse scribit. Quod ipsum etiam in Codice lib. 1. tit. 8. cap. 8. scribitur his verbis: *Ephesina Synodus, cui beata memoria Cyrillus praesuit.*

VIII. Pergit Bellarminus, & ait, in Concilio quarto generali, quod est Chalcedonense, in prima actione praesuisse Imp. Martianum, & deinceps nomine Imperatoris in alijs actionibus, iudices seculares; non tamen praesidisse, vt iudices controuersiarum fidei, sed vt defensores: praesuisse autem reuera, vt iudices Ecclesiasticos, Leonis Papæ legatos. Ipsi enim in omnibus actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt, ipsi sententiam definitiuam in Dioscorum proferunt, nomine Papæ, & totius Concilij.

Respondeo. 1. Prius membrum theses verum est, praesidisse Imperatorem, humano ordine: posterius, de praesidentia Romani Pontificis, est falsum. 2. Vbi quis praesides vniuersalis est totius Concilij, primus quidem sedet, primus subscribit in actione synodica: at non primus loquitur & sen-

Concilium Apostolorum *Act. 15*. Primum fuit, à quo formam acceperunt alia Concilia, ut sunt verba *Bellarmini lib. 2. de Concilio. c. 2.* At Petrus illi Concilio interfuit, & ibi primo locutus est. Papa vero vult interesse Concilio per alium, & illo finito, pro libidine sua, illud approbat vel abrogat. Denique Papa non solum in Conciliis Romæ habitis, & aliis quibusdam in Italia celebratis interfuit, sed etiam in locis longe ab Italia remotis. Nam Concilio Lugdunensi Innocentius IV. interfuit: Concilio Viennensi Clemens V. aliisque alii. Quare aut hoc est conueniens, aut aliquid inconueniens & absurdum hi Papa admiserunt. Et sic, cum Pontifex Romanus caput sit, cui omnia membra se debent adiungere; debent omnia Concilia Romæ, aut in Italia saltem celebrari; ut eo modo membra sequantur caput. *ad 2.* Illi Imperatores fuerunt Christianissimi, & penes se habuerunt Patriarchas, & alios orthodoxos Dei ministros, qui proculdubio hoc ius concessissent Pontifici Romano, si persuasi fuissent, proprium eius munus esse præsidere Conciliis œcumenicis. Deinde si hoc Papa ius sit; non ipse modo Pontifex in Conciliis primum tenere locum debuit, sed & ipsius legati. Quem cum Imperatores, & ipsorum legati, illis negarent, nec ij quidem ab illo mittendi erant. Quare aut ficta sunt hæc omnia, aut intolerandam vicarii Christi ambitionem declarant. Debebat ille audire suum *Stellam in Luc. 9.* Inter vos spirituales nõ debet esse contentio de primo loco, sed de postremo. Denique hic interrogare libet, Cur Papa non interfuerit Concilio Tridentino? Habuit illud legatos trium Papatum, Pauli III. Iulij III. & Pij IV. Sed cur non ipsos Pontifices, vel saltem vnum ex iis: Audiamus rationes, quas assignat Cardinalis *Turrecremata l. 3. de Eccl. c. 11.* Conciliis orientalibus Pontifex non interfuit: causa prima, ne violentia illi inferretur: secunda, ut libera sua autoritate vteretur: tertia propter necessitates incumbentes Ecclesiæ Romanæ, & ciuitati, quibus præsentia Pontificis Romani maxime præsidio fuit. Hanc rationem assignat Leo Papa. Sic *Turrecremata.* Sed rationes illius non multum probantur *Bellarmino.* Itaque nulla potest adferri ratio, cur Papa ipse non interfuerit sancto illi Concilio Tridentino.

CAPVT IX.

Modus agendi in Conciliis qualis esse debeat?

I. Sequitur de modo agendi, quisnam sit commodissimus in Concilio? Quæ quidem controuersia tractatur vel in thesi, vel in hypothesi. In thesi hæc est præcipua quæstio inter nos & Papistas, An Concilium sit verum iudicium, & Episcopi veri iudices, ita ut standum sit eorum sententiæ, quia ipsi sic statuerunt, quomodo statuerent prætoris in causis politicis: an vero tantum sit inquisitio quædam, & tantum valeat decretum Concilij, quantum valet eius ratio? Sic enim statum quæstionis proponit *Bellarminus lib. 1. cap. 18.*

II. Nostra sententia est: Conciliorum esse & inquisitionem veri, iusti, sancti & religiosæ communicatione, & dictionem sententiæ ministratoriam; solius vero Christi per Spiritum & Scripturam suam iudicium esse decisiuum, quod Patres Concilij in Scripturis inuestigant, & ex Scripturis pronuntiant, velut tabulis mandati sui, extra quas nec ipsis pronuntiare fas, nec fas Christianos obsequi extra tabulas mandati & limitatum ipsorum ministerium pronuntiantibus. Itaque sententia Concilij per se ipsa suasionis est, non coactionis; iudicium ministratoriale, non autoritatem per se necessitatemque ad ferens; adeoque suffragium decisiuum non per se, sed quatenus ex Scriptura depromitur.

III. Rationes pro hac thesi adferuntur plurimæ: in quibus hæc sufficiant hoc tempore. 1. Solus Christus & verbum eius scriptum habet suffragium decisiuum in negotio salutis. Nam Christus est doctor supremus; & verbum eius est doctrina suprema, prorsusque infallibilis. 2. Solus Christus in verbo suo loquens est iudex inappellabilis. Ergo Concilium est iudex appellabilis. 3. Potestas seruorum Dei in Ecclesia non est prætorialis, sed ministratoria. 4. Quod legatus principis non potest, multo minus possunt legati Dei. At legatus principis non potest excedere suam instructionem, si velit esse legatus bonus. E. 5. Iudicium domini & serui in aliqua domo debet esse distinctum. E. & in Ecclesia, vbi omnes sumus serui sub vno domino. 6. Si iudicia Conciliorum definiantur opinione hominum, & non veritate Dei in Scripturis exposita, Deus statuetur sibi contrarius. Nam si in Scriptura aliter definiat, & in Concilio aliter, non sibi constabit. 7. Praxis omnium legitimorum Conciliorum hæc sententiam confirmat. Et primo quidem praxis Concilij Apostolici, *Act. 15. v. 15.* Huic (dicto Petri) concordant verba prophetarum, sicut scriptum est. Vnde *Caietanus in h. l.* eleganter ait: Petrus probat sententiam suam ex diuino testimonio: eandem Iacobus ex prophetis dictis confirmat ex variis locis Scripturæ. Et rursum: Propter quod, inquit Iacobus, Ego iudico, id est, quia video hæc dicta consonare cum prophetarum scriptis. Eadem fere habet *Lyranus*. Similiter *Camus locis theol. l. 5. c. ult.* scribit: Viri fratres, inquit Iacobus, Simon & c. Iacobus sententiam Petri confirmabat, additis Scripturæ testimoniis, Et *Ferus in d. l.* ait: Nihil equidem dubitauerim, Iacobum legis peritissimum, rem ipsam plurimis prophetarum testimoniis comprobasse: ex quibus Lucas noster hic vnicum tantum, quod clarissimum, videbatur, in historia sacra monumentum retulit: sic enim verba historiae sonant, Et huic concordant verba prophetarum *Arius* quoque *Montanus in h. l.* recte scribit: Prius quam Petrus loquebatur, magna erat disputatio ex variis Scripturæ locis deducta. Talis itaque fuit praxis Concilij Apostolici. Talis etiam est praxis aliorum laudatorum & probatorum Conciliorum. Sic enim *Athanasius in Epistola ad Episcopum Episcopum Corinthiorum* ait: Fidem à Patribus in Nicæno Concilio secundum Scripturas traditam. Et in *Epistola de synodo Arimini & Seleucia.* Nicææ congregati Episcopi, collectis in vnum quæ ex S. literis ad sententiam suam tuendam satisfacerent, liquidius rem exponentes, Filium consubstantialem esse asseuerarunt. *Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum Augustinum cap. 8.* Deus igitur ex Deo, lumen de lumine, verus Deus de Deo, ex Patre natus, non factus, vnus substantiæ cum Patre. Sic nempe nostri secundum Scripturas dixerunt Patres. Concilium *Mileuitanum* non aliunde quam ex Scripturis factis controuersias à Pelagio motas decidit: qua de re videatur tomus

primus Conciliorum. Idem fecerunt alia laudata & probata Concilia.

IV. Sententiam Papistarum *Bellarminus* sic enuntiat, & probat. Nos dicimus, confessum Episcoporum in Conciliis legitimis esse verum iudicium confessum, & eorum decreta, & leges necessario sequendas. Probatur primo tribus Scripturis. Prima est *Dent. 17.* vbi iubentur, qui dubia habent, recurrere ad sacerdotum Concilia: & *Qui non obediuerit eorum sententiæ, morte condemnentur.* Secunda, *Matth. 18.* Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. Tertia, *Act. 15. & 16.* vbi Paulus pertransiens ciuitates varias, præcipiebat eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano. De quo Concilio tria notanda sunt. 1. non ex Scripturis, sed ad suffragia Apostolorum definitam esse quæstionem. 2. Apostolorum sententiam non esse permissam examini discipulorum, sed simpliciter imperatum esse, ut obedirent. 3. Concilij Apostolici definitionem, veram fuisse legem in conscientia obligantem. Secundo probatur ex ipsis Conciliis. Nam Concilia omnia anathema dicunt non obtemperantibus; vocant sua decreta canones, siue leges Ecclesiasticas: cum subscribunt Episcopi, dicunt, *Ego N. N. definiens subscripsi.* Præterea in Concilio Chalcedonensi, *Act. 4.* cum decem Episcopi Ægyptij nolent acquiescere iudicio maioris partis, pro hæreticis habebantur. quæ omnia sunt apertissima argumenta, quod Concilia sint vera iudicia. Probatur tertio. nam si non esset in Conciliis agendum suffragiis, sed disputationibus tantum, perperam fieret, ut soli Episcopi sententiam ferrent, cum munus disputandi sit hominum eruditorum, siue sint Episcopi, siue non. Frustra etiam vocarentur Episcopi aliquid rudes & simplices, quales aliquos fuisse in Concilio Nicæno, scribit *Ruffinus.* Adde, quod Protestantes aperte secum pugnant. Docent enim, in Concilio laicos cum Episcopis habere suffragium decisiuum; & nihilominus dicunt, non debere aliquid in Conciliis definiri ex multitudine suffragiorum, sed tantum ex testimoniis Scripturarum.

V. Examinemus omnia minutatim. 1. Concilium legitimum est verum confessus iudicium secundarium, qui sequitur iudicem primarium, id est, Scripturam sacram. 2. Iudices illi secundarii possunt esse Episcopi, vel non-Episcopi. 3. Horum iudicium decreta ex Scripturis sumta, habent vim legis: videl. materialiter. 4. Non sequitur ex dispari: Deo iussit recurrere ad sacerdotes. E. & nobis recurrendum est, quoties dubium incidit, ad Concilium. Nam in rebus obscuris edebantur reuelationes, per signa, & responsa Dei. Præterea conceditur seruata clausula, quam ibi posuit Moyses, *Ex præstituto legis, quam docuerunt te.* Christus vult, ut sententiæ legitimi Concilij obediamus: veruntamen adiuncta illa quoque salutari clausula, quam apponit Christus, *Vbi sunt duo vel tres coacti in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Vbi autem nõ est veritas, charitas, humilitas, ibi non est Christus. Detur iustum Concilium eiusmodi, certe iudicium eius secundum Christum agnosceremus. 6. Non sequitur ex particulari & dissimili: Si custodienda fuerunt decreta Concilij Apostolici, ergo & omnium seruari oportere. Nam multa Concilia sunt illegitima: & rursum quæ sunt legitima, non habuerunt priuilegium non errandi, quale datu fuit Apostolis. 7. Falsum est, aliquid in eo Concilio extra vel præter Scripturas esse constitutum. Nam primu cõmunis fuit omnium tũ Apostoloru, tũ seniorum, Ecclesiæq; sententia per Spiritum veritatis docentem omnes, ut sentirent *in vno eodem.* Deinde ratio dispar est Apostoloru, & aliorum omnium. Nam Apostolorum singularis fuit, quod in sua vocatione diuinam veritatem *θεωρεῖσθαι, & ἀναμαρτυρεῖσθαι,* expresse runt: quamobrem non examinantur illi; sed ab illorum iudicio pependerunt Ecclesiæ, & examinantur illæ, & pii singuli, ex Scriptura, quam Apostoli (qui in hac legatione supra Ecclesiam erant) tradiderunt. 8. Decreta & dogmata Conciliorum ita dicuntur, non quod prætoria, sed ministratoria autoritate sint promulgata iuxta canonem Scripturæ. 9. Episcoporum subscribentium formula: *Ego N. definiens subscripsi:* est probatio facti, non iuris: exempli, non ætiologiæ, ut loquuntur. Idem vero factum contingit bonum aut malum esse pro conditionibus ipsius secundum speciem, finem, aut circumstantias. Non sequitur: Semper fecerunt, ergo semper fecerunt & faciunt bene. Bene fecerunt, quando definiuerunt aliquid ex Scripturis. Male, quando secus definiuerunt. 9. Concilia vtique sunt vera iudicia, qua Dei sunt, ex tabulis veritatis & mandatorum eius. Per se non iudicia sunt, sed iudicia, præconia, vel pronuntiationes ministratoriæ veritatis & iudiciorum Dei. 10. *Bellarminus* assignat nobis alienam sententiam. Nos enim vtrumque desideramus in Concilio: nempe discussionem siue disputationem, & suffragia. At si quando suffragia veritate absunt, negamus eis opprimi posse aut circumduci veritatem. 11. Ad Concilium adhibedi sunt, qui vocatione & donis instructi sunt: donis, qui pij, probi, docti, vocatione, qui aut ordinari ad docendum instruiti, aut extra ordinem iusta autoritate arcessiti & producti. 12. Rudes simplicesque homines, de quibus *Ruffinus*, poruerunt, & possunt in Conciliis proficere. 13. Laici cū Episcopis habent suffragium decisiuum; si nempe laici habeant sua dona, & vocati sint ad Concilium. Decisiuum autem suffragium tum demum habet, & illi & isti, si Scripturam sibi proponant normam. Secus non habent. Nulla igitur est apud nostros contradiçtio. Vide plura paulo post §. 17.

VI. Veniamus ad hypothesin huius disputationis. In hac enim hypothesi cardo huius controuersiæ vertitur: Quale videlicet esse debeat Concilium? Vbi nos requirimus conditiones triplices; quaru alia præcedunt, alia se comitantur, alia sequuntur Concilium: & omnes ita sunt cõparatæ, ut integræ formam Concilij. *Conditiones præcedentes* sunt, 1. Ut locus tutus, hoc est, ad quem omnes tuto conuenire possint, eligatur. 2. Ut saluus cõductus omnibus præstetur, non solum quantum ad personas, sed etiam quantum ad causam principalem. 3. Ne Pontifex Romanus, qui iam est pars rea, sibi vendicat supremam autoritatem conuocandi Concilia, 4. Ut Episcopi & theologici omnes à iuramento Pontificis absoluantur; vtque libere, secundum conscientiam suam, ex solo Dei verbo iudicent. 5. Ut Pontifex ipse in altera litigantium parte constitutatur; ne idem & iudex, & reus, & actor esse videatur. Itaque in Concilio ne præsideat. 6. Vt non soli Episcopi, sed etiam quibus pastores, theologici, & laici apti admittantur, habeantque voces decisiuas, secundum Scripturas. 7. Ut non tam pluralitas votorum, quam autoritas verbi Dei, & recta ratio in Conciliis domineatur. 8. Ne Patres Concilij, ante sententiæ confirmationem, vlla Pontificis instructione, à libertate iudicandi abripi se patiantur. 9. Ne Papa summus Scripturarum expositor constitutatur. 10. Ne vllum teneat in Concilio locum, qui Concilio negat omne obsequium. 11. Ne in absentia

feratur

feratur sententia; si possint citari. *Conditiones comitantes* sunt, 1. ut status controuersia comprehendatur thesibus paucis & perspicuis, extra quas non liceat euagari. 2. ut collocutores certi utrinque deligantur, qui perpetuo agant syllogistice. 3. ut utrinque dicta à delectis notarijs excipiantur. 4. ut omnia in timore Dei accurate expendantur. 5. ut primo omnium sententiarum eorum rogentur, qui ad munus docendi & gubernandi ecclesiam vocati sunt; deinde alij quoque, licet priuatis, copia fiat, dicendi sententiam. 6. ut suffragia non numerentur, sed ponderentur iuxta normam uerbi Dei. 7. ut tandem communi consensu, ex uerbo Dei fideliter hausto, decreta nomine totius concilij proferantur. *Conditiones consequentes* sunt, 1. ut magistratus summus executionem Concilij peragat sine tyrannide. 2. ut pastores utantur Spiritu mansuetudinis erga eos, qui decreta concilij non statim possunt amplecti rita conscientia. 3. ut omnes & singuli studeant istis rebus, quae decretis synodicis, uerbo Dei consentaneis, auctoritatem adferre soleant.

VII. Hæc omnia nituntur partim naturali æquitate, partim praxi omnium legitimum Conciliorum, & quidem adeo aperte, ut mirum sit, Papistas posse illis contradicere. Verum quia facile illi à se impetrant, ut neget solem meridianum lucere, uideamus, quid desiderent. Iniqua est conditio, ait *Bellarminus lib. 1. cap. 21.* ut Pontifex Romanus non indicat concilium, nec ei præsit, sed sit altera pars litigantium: quia Romanus Pontifex non potest priuari iure suo indicendi Concilia, & eis præsidendi, in cuius possessione iam fuit per 1500. annos, nisi prius in legitimo iudicio conuincatur, non esse summus Pontifex. Quod uero dicunt, non debere eundem esse iudicem & partem; dico habere locum in priuatis hominibus, non in principe supremo.

Respondeo. Negamus Pontificem aut ius, aut possessionem istam obtinere. Non ius; quia non accepit à Deo, qui solus in ecclesiam suam ius dare potest. Non possessionem præscriptione illius; quia ecclesia est domus & hæreditas Dei, in cuius ueritatem & res sacras nulla unquam accedit præscriptio; quia ista est male fidei possessio, quam nullum præscriptio beneficium tutari potest. Quod autem conditio nostra sit æqua, sic patet. 1. Est antiquissima; quippe in octo concilijs primis generalibus seruata. 2. Est utilis & necessaria hoc tempore; quia Papa à concilijs generalibus abhorreere plerumque solet. 3. Est naturali æquitate consentanea; quia iudex in sua, suarumque causa nemo esse debet. 4. Præses iure esse non potest, qui in concilio præfens esse non uult. Cæterum quia Pontifex non est summus Princeps, merito ab ipso postulamus, ut, quia est reus, non pergat esse iudex.

VIII. Pergit *Bellarminus*, & ait, istam quoque conditionem iniquam esse, ut ex sola Scriptura sententia ferantur, non ex traditionibus, uel canonibus: quia non debent semel definita in dubium reuocari, iuxta legem Martiani Imperatoris, *l. nemo, Cod. de summa Trinit. & fide Cathol.* Constat autem in VII. synodo generali, itemque in Concilio Tridentino definitum esse, traditiones non scriptas æque atque Scripturas pro uerbo Dei esse recipiendas.

Respondeo. Conceditur illa lex, si res bene, & ex Scriptura fuerint definita: si male, negatur, nam res diuina solo Dei uerbo sunt in Ecclesia definita; cuius præcones, ac non iudices, sunt Episcopi. Cæterum quod conditio illa sit æquissima, inde liquet. Iudex arbitrium suum reformare debet iuxta regulas iuris. Est autem sacra Scriptura fidei & morum regula exactissima. Ergo Concilium debet arbitrium suum reformare & informare iuxta istam regulam.

IX. Hæc quoque conditio, ut decisio non fiat iuxta uotorum pluralitatem, sed ut iuxta normam uerbi Dei pronuntietur; non sapit *Bellarmino*, quod penitus tollat formam Conciliorum; & propterea non potest fieri, ut aliquando ad finem controuersiarum deueniatur, nisi detur locus maiori parti suffragiorum: cum enim utraque pars proferat Scripturarum testimoniæ, quomodo potest sciri, quæ sit concilij sententia, nisi colligantur suffragia, & plurimum sententia ualeat? *Respondeo.* Negamus hac condicione formam Conciliorum tolli. Formam dico internam; quæ consistit in ordine uirtutis synodice, hoc est, in conformitate actionum synodicarum cum uerbo Dei. Atque hæc forma interna est principalis, ac proinde mensura formæ externæ.

X. Porro ista conditio, ut Romanus Pontifex absoluat omnes prælatos à iuramento fidelitatis, quo illi obstricti sunt; *Bellarmino* est iniqua, & impertinens. Iniqua; quia non debent inferiores liberari ab obedientia superioris, nisi prius ille legitime deponatur, uel declaretur non esse superior quemadmodum iniquum esset, ut quotiescunque sunt Comitatus Imperialia, Imperator deberet liberare à iuramento fidelitatis omnes principes sibi subiectos. Impertinens; quia istud iuramentum non tollit Episcoporum libertatem, quæ in concilijs est necessaria. Iurant enim se fore obedientes summo Pontifici, quod intelligitur, donec Pontifex est, & dum iubet ea, quæ secundum Deum, & sacros canones iubere potest. *Respondeo.* 1. Pontifex non est superior alijs Episcopis, iure diuino. 2. Ue demus, superiorem esse, non habet eiuſdem modi superioritatem, qualem habet princeps, aut Imperator. 3. Id ex iure legitimum est, ut inferiores soluantur à iuramento fidelitatis in hac causa particulari solum, si causa superioris definienda est per sententiam ipsorum: & ita se adhuc Imperialis processus in Germania habet. 4. Protestatio est contraria facta. Nam Episcopi fere cœcæ obedientiam iurant & præstant Pontifici Romano: ut res ipsa loquitur.

XI. Conditio de saluo conductu personarum *Bellarmino* placet. Sed ratione causæ, displicet: ut nempe conductus ille saluus non solum detur personis; sed ipsi etiam causæ principali, ne scilicet illa periclitetur ob multitudinem uotorum. Hanc itaque conditionem pro prima parte, ut æquam admittit; pro secunda parte, ut prorsus ineptam & ridiculam rejicit. Est enim ac si (Protestantes) aperte dixissent, uolumus vexari Episcopos totius orbis, & sumtus facere, ac labores maximos pati, ut ad Concilium ueniant, & tamen cum uenerint, nolumus quidquam statui, neque lites unquam fieri. *Respondeo.* *Bellarminus* non recte interpretatur uerba Protestantium. Quod enim illi dicunt de saluo conductu ratione causæ principalis hunc habet sensum: ante omnia requiri, ut caueatur hac de re, ne multitudo suffragiorum fraudi sit causæ principali, sed ut Papistæ ad tempus suspendant & sustineant iudicia sua, ad publicam ædificationem, & documentum lenitatis atque charitatis Christianæ. Itaque, ubi legitimum est concilium, sententiam & iudicium eius accipimus: ubi illegitimum, respuimus. Quis e-

nim clauē (ut loquuntur) errante iudicio teneatur accipere? Accipimus, inquam, Concilium suo ordine, secundum auctoritatem uerbi Dei. Sed Pontificij haud stulte sapiunt, qui in causis diuinis, ubi res ipsorum agitur, se iudices dicunt, & stari iudicio suo præcise uolunt.

XII. Illam quoque conditionem de mansuetudine & lenitate omnium Christianorum erga eos, qui in concilio damnati sunt, Papistæ non admittunt. Hoc enim unice agunt, ut politica pœna afficiantur, qui non assentiri uolunt Concilio. Sed res ipsa, & historia ecclesiastica docent, non esse Concilij, uide ut personæ puniantur. Nam sanguinaria chirurgia non decet ecclesiam, sed diæta rigidior & adstrictior. Sic Arius uictus & euictus, Macedonius, Nestorius, Eutyches, à laudatis illis Concilijs non sunt puniti ciuilitate, sed ecclesiastice; hoc est, silentium ipsis est impositum, functio mota: nihil amplius. Si cum impijs hominibus euictis ea lenitate & humanitate actum est: merito maiorem lenitatem & humanitatem nos adhibere oportet, quando nobis negotium est cum hominibus ex simplicitate errantibus. Quid? cum hominibus de errore quidem accusatis, sed nondum euictis.

XIII. Conditiones eas nunc examinemus, quas Papistæ in suis concilijs requirunt. 1. Concilium sine auctoritate Romani Pontificis congregatum, est Concilij nomine indignum: sed potius Conciliabulum: quia non est nomine Christi congregatum. Nam in nomine Christi congregari, *Matthæi 18.* est congregari auctoritate Christi, hoc est, ab eo, qui à Christo habet congregandi potestatem. 2. Solus Pontifex est legitimus præses Concilij. Ut enim solus habet potestatem congregandi, sic quoque præsidendi. 3. Soli Episcopi habent ius suffragij decisiui; quia sunt principes, habentes iurisdictionem Ecclesiasticam. 4. Non sola Scriptura, sed Scriptura & traditiones Apostolicæ sunt norma iudicij. 5. Iudex supremus in Concilijs est Episcopus Romanus. Eius enim interpretatio est sensus Spiritus sancti. 6. Siue Pontifex in definiendo studium adhibeat, siue non adhibeat, modo tamen controuersiam definiat, infallibiliter certe definit, atque ideo uertur auctoritate sibi à Christo concessa; quod ex promissis Christi colligitur. 7. Quamuis Papa in præmissis errauerit, tamen cum ad concludendum peruenit, errare non potest. 8. Ius confirmandi aut infirmandi Concilia tam œcumenica quam particularia, est penes Pontificem Romanum. Præter hæc conditiones *Bellarminus lib. 1. c. 17.* recenset quatuor alias de numero Episcoporum, quod sint mittendi ad concilium generale. 1. Ut uocatio sit generalis, ita ut innotescat omnibus maioribus prouincijs Christianis. 2. Ut ex Episcopis nullus excludatur, undecunque ueniat, modo constet eum Episcopum esse, & non excommunicatum. 3. Ut adsint perse, uel per alios, quatuor præcipui Patriarchæ, præter summum Pontificem, uidelicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; quia illis suberant omnes alij episcopi. 4. Ut saltem ex maiori parte orbis Christiani aliqui adueniant &c.

XIV. Has conditiones examinabimus in genere, & in specie. In genere dicimus, omnes illas niti falsa hypothese, quod Pontifex Romanus sit caput & Princeps ecclesiæ totius, cuius iudicium de religione sit prorsus infallibile, si modo ex cathedra doceat, hoc est, non ut simplex doctor, sed ut Pontifex & Iudex, cum auctoritate sententiam dicat, & in questione iuris, non autem facti ueretur: ut disputat *Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 12. & l. 4. c. 2.* Atque, ut idem ait *lib. 1. de Concilio cap. 18.* Pontificis est confirmare, & dirigere fratres suos; quia ad hoc habet assentiam Spiritus sancti, ne erret, iuxta illud *Luc. 22.* Rogauit pro te, &c. Hæc nimirum est hypothesis illa, qua nituntur bellæ istæ conditiones. Sed quia ruinosum, uel potius nullum, est fundamentum, ruinosum quoque, immo nulla, cenferi debet domus, quam aduersarij superstruere aggressi sunt. Nullitas illa sic ostenditur, Solus Christus est caput & princeps ecclesiæ Catholicæ. Hoc enim pertinet ad iura maiestatis, siue regalia Christi; quæ sunt indiuidua, & proinde incommuniabilia. Deinde nullus est ordinarius ecclesiæ doctor, cuius iudicium de religione sit prorsus infallibile. Hinc Apostoli, extraordinarijs & heroicis donis instructi, illud priuilegium habuerunt sibi, non uero successoribus suis. Quid? In Apostolatu nullum habent successorem. Sed neque in primatu. Nam Apostolatus, ut dixi, fuit personalis: primatus, nullus. Ergo Pontifex Romanus non est successor Petri, quantum ad ista duo. Imo neque succedit ipsi ratione doctrinæ; quippe quod dicitur *2. ad Cor. 13.* distat à doctrina Petri, ut alibi diximus. Hinc efficitur, Episcopum Romanum falso sibi arrogare cathedram Petri. Itaque ex illa cathedra docere non potest; & proinde multis modis ipsum errare contingit. Neque uero illud Christi ad Petrum, *Rogauit pro te &c.* ad Pontificem Romanum pertinet: quia speciatim agit de graui lapsu Petri, deque speciali intercessione Christi & gratia Spiritus S. qua lapsus ille fuit superatus à Petro.

XV. Iam in specie soluamus nodos, non sane uindice, sed tantum indice dignos. *Prima conditio* occurrit apud *Gratianum dist. 17. cap. synodum & deinceps;* ubi *Marcellus* Papa scribit, Absque Romani Pontificis auctoritate synodum aliquibus congregare non licet. *Iulius* Papa ibidem: Sine Pontificis auctoritate Concilium congregatum, ratum non est. *Papa Pelagius d. 1.* Neque Concilium, sed conciliabulum. Sed quid mirum est, Papas sibi hanc luauem cantilenam canere? Audiamus alios hac de re. *Cusanus in concord. Cathol. l. 2. cap. 25.* *Marsilius part. 2. defens. c. 21.* *Iacobatus Card. l. 3. de concilio art. 1. colum. 10. 11.* *Molinus de Trident. Concilio cap. 6.* & alij recte obseruant, octo prima Concilia generalia non esse cōgregata p Pontif. Roman. sed per Imperatores; indeque colligunt, uniuersalium conciliorum auctoritatem non ita dependere à congregante, ut nisi per Papam congregentur, non sint Concilia. Et *Iohannes Turcremata lib. 2. cap. 106.* auctor est, si Papa sit ecclesiæ turbator, primo regem regum, in quo cor regum, esse oratione sollicitandum: secundo, exprobandum ei esse uitium in faciem: tertio, congregandum esse Concilium ad deponendum Papam. Similiter *Victoria tract. de Pontif. Relect. 2. prop. 24.* ait: Audi quid Iohannes de Turcremata Cardinalis tenet, assertor uehementissimus Pontificiæ dignitatis, *lib. 3. cap. 10.* ubi loquens de utilitate Conciliorum, celebratio, inquit, Conciliorum utilis est; ad refræmandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum aut extra Patrum regulas, pro uoluntate sua exercent, aut Simoniaca prauitate dehonestant, aut uita scandalosa confundunt. Hac de causa legitur congregatum fuisse Concilium Italiæ, Romæ, per Imperatorem, contra Iohannem XII. Papam, qui uenator lubricus, & incorrigibilis erate quod factum laudat *Turcremata. Idem Victoria d. 1.* Propter iniustas dispensationes, & mandata insolentia possunt conuocari Concilia generalia

contra voluntatem Papæ: hoc quoque tenet Syluefter, & Turcrementa. *Rursus idem Victorius*: Hormisda Papa in epistola ad Episcopos per Hispaniam constitutos. Difficile est, ait, vt cuiusque cor sic prauis cogitationibus induretur, vt se patiatur culpandum fieri, cum nouit se iudicium Concilij subeundum esse. *Canus loco theol. lib. 5. cap. 2. eis finem*. Concilium Constantiense, & Concilium Mileuitanum, quamuis nullius Episcopi Romani auctoritate congregatum: tamen illud Martinus quintus, hoc Innocentius & Celestinus approbavit. Hæc testimonia Dd. Pontificiorum egregie docent, Pontificem Romanum non conferre concilio œcumenico suam *ἐπιπέχου*. Sed quid ad rationem §. 13. pro hac conditione allatam, respondebimus? iam ante respondimus *cap. 3. §. 2*. Summa est: In nomine Christi congregari, non solum est ipsius auctoritate, sed etiam in spiritu & causa Christi congregari. Et, vt demum interpretationem illam esse legitimam, est hic petitio principij: quia negamus Pontificem Romanum a Christo habere auctoritatem congregandi concilia. Denique contendunt illi promissionem istam Christi conciliis auctoritate Papæ congregatis alligari. Sed hoc refutat *Canus loco theol. lib. 5. cap. 4*. his verbis: Concilium generale, etiam Romani Pontificis auctoritate congregatum errare in fide, demonstratur aperte exemplo concilij Ephesini. Sed plura de hac conditione vide supra *cap. secundo vers. tertio*.

XVI. *Secunda conditio* est, neminem in generali concilio recte præsidere, nisi summum Pontificem, aut alium eius nomine. Sic quidem videtur *Bellarmino lib. 1. cap. 4*. Idem tamen *d. l. cap. 5*. ait de Concilio Constanti-nopolitano I. quod fuit secundum œcumenicum, in ipso neminem ex occidentalibus fuisse, siquidem Damasus Papa Romæ cœgerat aliud concilium in eundem finem. Quid igitur, Bellarmine? An hoc Concilium non fuit legitimum? Ais, duas illas synodos, Constantinopolitanam & Romanam propter animorum & sententiarum coniunctionem censeri vnâ. Quid audio? Concilium est cœtus in vnum locum congregatus: neque distractis partibus efficitur, vt tu ipse fateris. Quomodo itaque duæ illæ synodi, vna in qua præsedit Theodosius Imperator, altera, in qua præsedit Damasus, possunt censeri vna numero synodus? Porro tu idem, Roberte Bellarmine, *lib. 1. cap. 19*. ais de Concilio Nicæno; Potuit quidem Eustathio ob eius sanctitatem & auctoritatem primus concedi locus. Quis vero iste locus? Non præfessionis, vt tute vis, sed præsidentiæ, vt supra probauimus ex *Nicæna libro quinto thesauri capite sexto*. Sed de hac conditione vide supra *cap. septimo & octauo*.

XVII. *Tertia conditio* est, solos Episcopos habere vocem decisiuam in conciliis; viros doctos, siue sint seculares, siue regulares, consultiuam duntaxat, vt sunt verba *Iohannis de Turcremata lib. 3. cap. 4*. Atqui omnes Presbyteri sunt Episcopi, siue pastores. Sic enim *Alphonsus de Castro lib. 1. aduersus hæres. cap. 6*. ait: Sacerdotes omnes Pastores sunt. Similiter *Salmeron in Eph. 4. disput. 10*. Per Pastores (inquit) in his verbis Pauli ego intelligo Episcopos & Presbyteros vni ciuitati pascendæ affixos, & curam animarum habentes, quibus est annexum officium docendi, quo oues suas pascant. Si quid autem in his vocibus discriminis est, Pastor dicitur respectu rudium & simplicium, Doctor vero respectu eruditorum. Sed videamus rationem *Bellarmini lib. 1. de Concil. cap. 16*. Episcopi vocantur ad concilia, non quia docti sunt, sed quia sunt Principes, habentes Ecclesiasticam iurisdictionem. Quid vero de hac ratione iudicent alij Papistæ, audiamus. *Arelatensis Cardinalis, vt refert Aeneas Syluius in gestis Concilij Basil. ait*: Visum est nobis, & Spiritui sancto (inquit *Iacobus in Concilio Hierosolymitano*) vox nobis refertur ad illud, quod præcessit, vbi nominantur Apostoli & seniores. Et verbum visum est, non consultationem illius, sed decisionem significat. Quid prohibet exemplum Apostolicum imitari? In Concilio Nicæno primo Athanasius presbyter fere solus argumentationes Arianorum disturbabat. Constantiensis synodi recens est memoria, vbi ego, qui nondum Cardinalis vel Episcopus, sed tantum doctor eram, interfui, vidi que sine difficultate inferiores cum Episcopis ad decisionem admitti rerum arduarum. Quin etiam in Pisano concilio, & amplissimo Lateranensi iudicasse Presbyteros vna cum Episcopis non est ambiguum. Præterea si Abbates, vt in omnibus conciliis obseruatum vidimus, vocem habent decisiuam, qui tñ ordines à Christo instituti non fuerunt; cur non Presbyteri, quorum ordinem Christus per discipulos instituit, si soli Episcopi, vt Panormitanus vult, vocem decisiuam haberent, vbi nunc fides Catholica, cum præsertim Episcopi delicijs indulgent, soli fere Presbyteri, pro vnitatis Christi persecutiones sustineant? Episcopi videtis quam pauci nobiscum sint, & hæc vota intelligitis, quod omnes voluntati Regis dixerunt se parere velle, nullus Dei. *Stella in Luc. 6. ita scribit*: Qui fieri possit, vt aduersus hæreses disputet, qui non est theologus? Quod si responderis, quod hi Episcopi secum ducunt doctos theologos, qui eos illuminent & doceant, quid dicturi sunt, vt in nostro Concilio Tridentino nostris temporibus contigit, in hac quidem re non possum mihi à risu temperare: melius sane Episcopi facerent, si Episcopatus suos theologis renuntiarent. De his vera est Domini sententia. Si cæcus cæcum ducit, & c. His itaque verbis paradoxum Bellarmini refutatur. Quid enim? An rationi est consentaneum, vt in fidei negotio, docti causam discerant, indocti iudicent? vt acute cernentes colorem cernant, cæci discernant? Recte itaque *Acofia lib. 4. de Indorum salute cap. 10*. Qui non potens est exhortari in sana doctrina, & contradicentes arguere, temere doctoris in ecclesia vsurpat locum. Porro *Ecclesiæ in Enchirid. tract. de Conciliis* dicitur scribit hoc pacto: Etiam laici possunt interesse concilijs, vt consiliarij. Sed redeamus ad *Cardinalem Arelatensem*. Ille d. l. apud *Aeneam Syluium* ait: Si soli Episcopi vocem decisiuam haberent, id demum factum iri putes, quod nationi Italicæ placet, quæ omnes alias nationes sola numero Episcoporum aut superat, aut æquat. Huic succinit *Essenæus Episcopus comment. in 2. Timoth. cap. 4*. Factum est in hisce posterioribus seculis, vt, quod merito in Concilio Basileensi Cardinalis Arelatensis quærebatur, in Concilijs id demum fiat, quod nationi placet Italicæ: vt quæ sola Episcoporum (quia ipsi soli vocem decisiuam illis habent) numero alias æquet & superet; sicut scripsit Pius secundus (*Aeneas Syluius*) in eius Synodi gestis. Hæc illa est Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit. Ex his patet, nullum maius præiudicij argumentum esse posse, quam liberis doctorum hominum suffragijs exclusis, Episcoporum numero magis quam iudicio, id est, nominum furo, non rerum pondere, superare. Quod est ecclesiam omni libertate priuare, non modo infallibiliter, sed vel probabiliter iudicandi. Hoc addo ex *Bellarmino lib. 1. de Rom.*

Pontif. cap. 27. Sanctus Hieronymus, & Sanctus Thomas Aquinas, simplices Presbyteri fuerunt, & tamen multis sanctis Episcopis, & summis etiam Pontificibus præponuntur. Cur itaque Bellarmine, omnes presbyteros postponis episcopis, & quidem indoctis, inferendo suffragio decisiuo? Quamquam quid dico? Non postponis, sed plane excludis ab hoc munere. Sed exemplo illustremus, quid possint episcopi illiterati. Ex sexcentis episcopis, qui ad concilium Ariminense conuenerant, nemo fuit, qui sciret, quid sibi *ὁ μὲν* & *ὁ μὲν* veller. Hinc cum Ariani synodo proponerent, vtrum vellent Christum colere, an *ὁ μὲν* & *ὁ μὲν* omnes clamabant, se nolle *ὁ μὲν* & *ὁ μὲν*, sed Christum. Vide apud ipsum *Bellarmino lib. 2. de verbo Dei c. 10*.

XVIII. *Quarta conditio* in spiciamus: Non sola Scriptura, sed Scriptura & traditiones non scriptæ, sunt norma iudicij in concilio. Contra Patres, Scripturam habent pro vnica regula fidei & vitæ nostræ. *Chrysof. Exactissima est sacrarum literarum regula. August. Statera diuina. Anselm. Lucerna in rebus iudicandis. Epiphani. Ex harum consequentia vniuscuiusque quæstionis mentio discenda est. Hilar. His hæretici sunt corrigendi. Athanas. Et lapidandi. August. Ad has recurrendum. Chrysof. Ad has iolas. Origen. Extra sanctas Scripturas sensus nullus sanctus. Basil. Omnis operatio abominanda. Chrysof. Omnis cogitatio claudicat. Hieron. Nihil recipiendum. Cyrill. Nihil credendum. Hilar. Nihil defendendum. Damas. Nihil perquirendum. Ambros. Nihil loquendum. Bernhard. Nihil audiendum. Loca vide apud *Mortonum apolog. cath. part. 2*. vbi & illa Papistarum allegat. 1. Quæ necessaria sunt ad salutem, ea perscripta sunt omnia. 2. Omnis legum morumque ratio. 3. Omnis doctrina necessaria viatori in Scriptura continetur. 4. In hac armatura Catholicorum. 5. Ex hac qui vere loqui desiderat, sumere debet, quod loquatur. 6. Nec existimatur dogma veritatis necessarium, quod non probatur ex Scriptura. Vide loca authorum apud *Mortonum nostrum*. Dicamus itaque cum Constantino Imp. præfide Concilij Nicæni: Ex verbis diuinitus inspiratis, libris Apostolicis, sumamus quæstionum explicationes. Et cogitemus illud *Bernhardi epist. 91*. Ad illud Concilium toto desiderio feror, in quo traditiones non oblitinatus defenduntur, nec superstitiosus obseruantur. Sed quid multa? Quam normam concilium Hierosolymitanum *Act. 15*. sibi proposuit, illa cuiuslibet concilio debet esse proposita. Atqui concilium Hierosolymitanum proposuit sibi Scripturam: quia videl. est mensura fidei adæquata. E.*

XIX. *Quinta conditio* est, vt Pontifex Romanus pro summo iudice habeatur in concilio. Sic enim *Salmeron comment. in epist. Pauli in genere, disp. 10*. Cum (inquit) Scriptura obscura sit & difficilis, nec per eam solam lites obortæ terminari queant; superest vt certum aliquem iudicem nobis designatum adeamus. At hic alius non est habitus, quam is, qui semper fuit Romanus Episcopus. Rationem adfert Bellarmine: Quia eius interpretatio est sensus Spiritus sancti. Sed hic blasphemia certat cum falsitate. Nam blasphemum est, Scripturam esse iudicem inferiorem, Pontificem Romanum superiorem, & eius interpretationem esse sensum Spiritus sancti. Nam Scriptura sacra est ipsum Dei verbum, & sancta ipsius voluntas, siue, vt Gregorius eleganter loquitur, epistola Dei omnipotentis ad creaturam suam; in qua verba Dei sonant, & cor Dei discitur. Quomodo itaque Pontifex potest esse iudex & dux certior, quam hæc epistola, quæ ad ipsum æque pertinet, atque ad alios. Deinde Pontifex Romanus sæpenumero labitur & errat, etiam qua Pontifex: vt in Concilio Tridentino, vbi contradixit Scripturis vel millies. Quis amabo dicat interpretationem illam, quæ pugnat cum verbo Dei, esse sensum Spiritus sancti? Falsum porro est, quod Episcopus Romanus semper sit habitus pro iudice infallibili controuersiarum fidei. Nam veteres Pontifices Romani sequebantur ductum S. literarum, & illas venerabantur.

XX. *Sexta conditio* totidem verbis occurrit apud *Gregorium de Valentia l. 8. Analys. dei c. 3*. Putat nempe bonus ille Hispanus, Pontificem infallibiliter definire, siue in definiendo adhibeat diligentiam, siue non adhibeat. Contra *Bellarmino lib. 1. de Concil. cap. 11*. Non debet Pontifex expectare diuinam reuelationem, sed ordinarium medium adhibere. Et ita *Canus in locis theol. lib. 5. cap. 5*. ait: Duplex discrimin inter sacros authores, & summum Pontificem Patresque Concilij reperitur: vnum est, quod sacri Scriptores ex proxima Dei reuelatione & inspiratione scribunt Catholica dogmata; at oportet Pontifices humana via ingredi, & rationes pensitare, diligentiamque adhibere. Rationem addit. Nam & Apostoli & Seniores congregati in Concilio Hierosolymitano, magna facta conquestione, tum ex rebus antea actis, tum etiam ex Scripturis Prophetarum de re proposita, & in quæstionem vocata sententiam tulerunt. Quid vero *Stapletonus* ad hæc? Debet (quamuis non necessario) Pontifex adhibere diligentiam ad rimandam veritatem: huius tamen doctrina est discursiua in medijs, & Prophetica in conclusione: *lib. 8. de doct. prin. cap. 14*. Quæ verba nobis viam sternunt ad *septimam conditionem*; quam *Gregorius de Valent. d. l.* sic enuntiat: In disputationibus, quæ circa quæstiones fidei publicas versantur, vel alioqui in controuersiam vocantur, consulta Ecclesia, concludendo quidem & asserendo nunquam errat, in medijs autem ipsis & argumentis hallucinari & aberrare potest, salua promissa Ecclesie infallibilitate in conclusione. Quis vero hic non exclamet: *τίον μετὰ ἀνθρώπων αἰετῆς*? Nimirum Papa argumentari potest sine argumento, siue concludere sine medio. Et facile adducimur, vt hoc credamus. Saucit enim sua decreta sine præmissis, ex suo cerebro.

Sic volo, sic inbeo: stat pro ratione voluntas.

Vtinam Pontifex illud sui *Feri*, minime profecto feri, in *Act. 15*. sibi ob oculos poneret: Cum magna inquisitio esset. Vide quam prudenter agunt: non præcipitant sententiam, sed singula expendunt. In rebus fidei non satis est dicere, Volumus & mandamus. Quid mirum, si in hoc Concilio fuerit Spiritus sanctus? Nos autem aliter conuenimus, nosque ipsos quærimus, itaque nobis pollicemur quiduis nobis licere de plenitudine potestatis. Et quomodo Spiritus sanctus huiusmodi conuentus probare possit?

XXI. Ad extremum quid videtur de *ultima conditio*? Mira hic scribunt aduersarij. Sic enim *Stapletonus de princip. doct. controu. 3. quæst. 7*. Ius confirmandi aut infirmandi concilia tam œcumenica quam particularia est penes Pontificem Romanum. *Bellarmino lib. 2. de Concil. cap. 18*. ait, Papam, vt Concilij præsidem, teneri sequi in decreto formando maiorem partem suffragiorum: at, vt Principem Ecclesie summum, posse retractare illud iudicium, & non sequi maiorem partem. Quis Oedipus expedit hoc ænigma

ma Bellarmini. Scribit ille *lib. 1. de Concil. cap. 19.* Pontifex, ut Pontifex, est Concilii præses. Et de consuetudine: Præses conciliorum est summus ecclesiæ Pontifex. Hic vero: Non erit Pontifex ut præses. Sed bene est, quod addit Bellarminus *lib. 2. c. 18.* Contraria est sententia quorundam Catholicorum. Audiamus etiam *Cusanum Cardinalem lib. 2. de concord. Cathol. c. 20.* Ex multis Pontificum exemplis, Papam synodice a Pontificibus conclusa mutare non posse, Leo Papa quidem decreto Concilii Chalcedonensis reclamabat, & post eum alij: & tamen decretum illud semper obtinuit: nam contra Canones non est dispensatio, sed dissipatio. Verum enimvero Papæ omnia licent. Quid itaque mirum est, hoc quoque privilegium sibi arrogat, ut pro arbitrio suo abroget auctoritatem Concilij, imo a se quoque confirmata relaxet? Olim Concilia dupliciter confirmata fuerunt: vel edicto, vel assensu. Edicto, cum lege lata populus Concilij auctoritate suscipere iubebatur, & quidem paterne. Sic enim Constantinus apud *Eusebium de vita const. lib. 8. c. 18.* ad omnes ecclesias scribit: Vos spero, quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Libya, in vniuersa Græcia &c. consentiente sententia conseruatur, hoc etiam vestra prudentia approbaturus. Assensus, cum quis testaretur se assentiri ijs, quæ essent in concilio definita. Et hic modus confirmandi communis fuit Pontificibus. Romanis cum alijs Episcopis. Exemplum huiusmodi assensus est apud *Socrumenum lib. 2. c. 15.* ubi Eusebius Nicomedie, & Theognis Nicæ Episcopi: Concilium, inquit, consentientibus animis confirmare decreuimus. Et legati Macedoniorum apud *Socratem lib. 4. c. 11.* Concilia, inquit, Episcoporum recte de religionis sententiam, quæ Lampfaci & Smyrnæ habita fuerunt, nostro approbamus assensu. Et ita quidem veteres confirmantur Concilia. Quomodo Papam illa confirmat? Edicto arrogantiæ pleno. Sic enim sonat illud in *Bulla Pij IV. Pontif. super confirm. Concil. Trident.* Mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis a sacris Canonibus constitutis, alijsque grauioribus, arbitrio nostro infligendis; vniuersis & singulis venerabilibus Patribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs quibuslibet ecclesiarum Prælatibus, cuiuscumque status, ordinis, gradus, ac dignitatis sint, ut eadem decreta in ecclesiis & Diocæsihus suis obseruent. Ecce omnia plena sunt tyrannidis? Nam tyrannus est, quod Pontifex Patribus Concilij præmittere solet instructionem suam, per legatos suos, ante Concilij definitionem. Tyrannus est, quod ante confirmationem Pontificis, Concilium non est infallibilis auctoritatis. Tyrannus est, quod ubique ante Concilium, in concilio, & post concilium sonat ubique imperiosum illud *Voluntus & Mandamus.* Vnde *Ferus in Act. 12.* recte scribit: Nos aliter conuenimus, quam Apostoli, per *Voluntus & Mandamus* quiduis sub prætextu plenitudinis potestatis. Vbi non possum, quin illud rogem ex Bellarmino. Quomodo Episcopi in concilio sunt iudices, si tenentur sequi instructionem Pontificis, & si concilium omnem suam auctoritatem habet a confirmatione Pontificis? Sunt nempe iudices, non iudices. Si sunt iudices, tunc tenetur Pontifex sequi maiorem partem Episcoporum. At Leo Pontifex sententiam à maiore parte Episcoporum in concilio allatam irritabat. Si non sunt iudices, habemus quod volumus. Verum quo abimus? Breuem collationem instituamus inter collegium Hierosolymitanum *Act. 15.* & Concilium Pontificum. Constat enim apud omnes, in exemplo Concilij istius Apostolici, ceu clarissimo speculo, Concilij legitimi formam genuinam, & hypotyposin longè pulcherrimam nobis exhiberi.

XXII. Itaque in Concilio Apostolico, 1. Petrus personaliter adest, Iacobus præest. 2. Omnia concordabant cum verbis prophetarum. 3. Magna disquisitio fiebat. 4. Conueniunt Apostoli & Presbyteri, vocemque decisiuam habent. 5. Præmissa & conclusio concordant, *vers. 19.* Propter quod ego iudico, id est, ut *Caietanus in d. l.* explicat, quia dicta Petri video consonare cum prophetis, Ego iudico. 6. Placuit ipsis in vnum collectis mittere ad fratres alios, Petrum & Iohannem. At in concilio Papali, 1. Papa conciliis personaliter adesse non solet, at solus præesse per legatos cupit, atque etiam præest, solusque iudicat. 2. Non ex solis Scripturis quæstiones deciduntur. 3. Papa etiam si diligentiam non adhibuerit, tamen infallibiliter iudicat. 4. Soli Episcopi sunt iudices, & vocem decisiuam habent. 5. Papa licet erret in præmissis, tamen eius iudicium est infallibilis veritatis. 6. Pontifex mittit legatos ad Concilium cum instructione, sine qua decretum non est formandum; nec quod sancitum est in concilio, ante Pontificis confirmationem ratum est. Ecce Papa legatum mittit ad concilium: cum concilium Apostolicum Petrum mittat legatum. Papa vnus distractus ab alijs, Petrus vnus cum alijs in vnum collectis decreti confirmationem promouet. Denique postquam synodi Patres defuncti sunt suo munere, Petrus Concilij decretum refert; Papa suum adfert, & synodicam sententiam imponit potius, quam exponit. Quis itaque hic non exclamet: Quam distant æra lupinis?

XXIII. Superfunt *quatuor conditiones* de numero Episcoporum ad Concilium generale ablegandum: vbi duo tantum notamus. Primo, secundæ conditioni addendum est, ut Episcopi distinguantur. Aut enim veniunt vltro, ob causam priuatam: aut ut legati, siue suæ ecclesiæ nomine, siue comprouincialium, siue nationalium; & tum debent esse instructi literis synodalibus aut encyclicis & iusto comitatu. Deinde, tertia conditio est humanæ institutionis, & proinde non necessaria.

CAPVT X.

Quanta sit Conciliorum auctoritas: vbi imprimis disputatur, An Concilium sit supra Papam?

I. DE Concilij definitione, partitione, necessitate, & causis hucusque pro instituti operis breuitate disputatum est: restat auctoritas, vbi cardo disputationis est, sintne certa & infallibilia Conciliorum iudicia? Non autem hic est sermo de Concilij Apostolici, sed ecclesiasticis. Vbi nos negatiuam, Papistæ affirmatiuam defendunt. Erit autem hæc de Conciliorum auctoritate disputatio tripartita. Primum enim consideranda erit auctoritas Conciliorum absolute, in sese: deinde comparata cum alijs similibus principijs fidei, id est, cum Scriptura, Pontificisque decretis, ut loquitur *Bellarminus lib. 2. de concil. c. 1.* & nos ex ipsius hypothese: denique spectata in

causa sua, vnde nempe ista auctoritas pendeat. Fuse autem hoc argumentum exequitur Bellarminus, toto nempe *libro secundo, capitibus 19.* At nos momenta totius disputationis includemus duobus hisce; quæ superfunt capitibus.

II. Ac vt à prima quæstione initium faciamus, fatemur nos quidem, magnam & salutarem esse Conciliorum, quæ legitime celebrantur, in Ecclesia Christi auctoritatem: neque temere in dubium vocanda, nedum à quouis pro lubitu reiicienda esse, quæ rite sensel ex verbo Dei in concilijs definita fuerint. Sed conciliorum tamen iudicium prorsus infallibile esse, aut solius Pontificis auctoritatem in ijs potius, quam omnium aliorum Episcoporum attendendam esse; aut denique in decretis illorum, simpliciter & absolute, hoc est, absque vltiore examinatione, acquiescere nos debere; hoc demum est, quod omnino negamus: contraque asserimus, concilijs eatenus tantum assentiendum esse, quatenus eorum definitiones ex verbo Dei petuntur, seu, quatenus eorum decreta ad normam S. Scripturæ congruere deprehendantur. Non dubitamus, quin Dominus, sicut promissit, *Matth. 18. 20.* & *2. 20.* *Iohan. 16. 13.* *Act. 15. 28.* piorum cæcibus rite in timore ipsius congregatis interfuit, eosque Spiritu suo regat. Sed hoc quoque scimus, nullos, quantumuis pios & doctos, extra communem hominum sortem, qui ignorantia & erroribus sunt obnoxij, ponendos esse, præter solos Prophetas & Apostolos, qui Dei impulsu locuti sunt, *Ephes. 2. 20.* *2. Timoth. 3. 16. 2. Petr. 1. 2.* ita vt Conciliorum decreta eatenus sint admittenda, quatenus cum verbo Dei consentiunt, *Ioh. 5. 39.* *Act. 17. 11.* *Ioh. 4. 4.* Non itaque illimitata est conciliorum auctoritas.

III. Nam quod attinet ad doctrinam Ecclesiæ, negamus vllam Christianam synodum indictam esse, aut iudici posse, ad nouum aliquem fidei articulum condendum: quandoquidem solus Deus imperium habet in conscientiam & fidem, *1. Corinth. 7. 23.* estque vnicus ecclesiæ legislator, *Iacob. 4. 12.* qui absolute fidei & vitæ canonem in verbo suo nobis præscripsit, *2. Timoth. 3. ver. decimo quinto, 16. 17.* *Deuteronom. 4. 2.* & *12. 32.* *Gal. 1. ver. 8. 9.* ita vt traditionibus humanis & supplementis conciliorum nihil opus sit, *Matth. 15. 9.* Nam, vt recte ait *Augustinus episc. ad Iannarium*, si quæ Christus retinuit, quis nostrum dicit hoc vel illud esse? & si quis hoc dicat, quomodo probabit? Et, vt ait *Athanasius lib. contra gentes*, Scripturæ suffiunt ad omnem veritatis institutionem. Et sine harum auctoritate garrulitas fidem non habet, vt sunt verba *Hieronymi in epist. ad Titum.* Atque hæc de auctoritate conciliorum, quantum ad dogmata.

IV. Nunc quod attinet ad externam Ecclesiæ politiam, duplex regula generalis ab Apostolo præscripta est: vna, vt omnia referantur ad ædificationem; altera, vt decenter & ordine omnia fiant, ne *in ecclesiis inueharur, 1. Cor. 14. ver. 26. 40.* Potest igitur concilium, vt & quælibet Ecclesia, in rebus hisce medijs certos canones, pro diuersa temporum & locorum circumstantia, coudere, *Act. 15. ver. 28. 29.* Vbi perpetuo distinguendi sunt liberi isti ritus à doctrina, quæ conscientiam attingit: secundo videndum, ne multitudo ceremoniarum inueharur, quæ veteris testamenti statum & vmbra nobis postliminio reponat: denique ne ceremoniæ lapiant superfluitatem, quæ populum plus satis ad idololatriam propensum, in errorem abripiant.

V. Atque ita nos sentimus de auctoritate Conciliorum absolute & in se, quod nempe sit limitata, & proinde simpliciter nos non obliget. Contra Papistæ sentiunt, Concilia à Pontifice Romano approbata habere auctoritatem illimitatam, & simpliciter obligatoriam; ita nempe, vt quidquid in illis decernitur, sit acceptandum, tanquam ipsius Dei oraculum. Quæ sententia, portentosa profecto, niritur falsa illa hypothese, quod Pontifex Romanus sit caput ecclesiæ, quodque, vt Pontifex, errare non possit in decidendis controuersis fidei & morum, quæ in Ecclesia pro tempore oriuntur. Sed hæc hypothesis à Chamiero fule confutata est, *tom. 2.* & nos aliquid hanc in sententiam diximus *c. præc. §. 14.*

VI. Sequitur itaque de auctoritate conciliorum per comparationem ad alia fidei principia, ut loquitur Bellarminus, id est, ad verbum Dei scriptum (nam de traditionibus eadem ratio) & ad Pontificem, *lib. 2. c. 12.* In quibus verbis negamus ista tria, 1. Concilia esse principium fidei simpliciter. 2. Pontificem esse principium fidei vlllo modo. 3. traditionum & Scripturæ esse rationem eandem. Sic itaque dicimus. Auctoritas Conciliorum comparatur cum auctoritate Scripturæ, vel Papæ. Quod attinet ad comparationem cum S. Scriptura, Bellarminus d. c. summam ista docet. Hæretici huius temporis passim clamant, nos subicere Scripturæ concilijs. Sed non ita est. Catholicæ enim Scripturæ sacram non subiciunt, sed anteponunt Concilijs, & si inter dū Catholicæ aliqui dicunt, Scripturam pendere ab Ecclesia, siue à Concilio, non intelligunt quoad auctoritatem, & secundum se, sed quoad explanationem, & quoad nos. Obseruandū igitur est, multiplex esse discrimen inter Scripturam sacram, & Conciliorum decreta: ex quibus intelligitur, Scripturam præponi Concilijs. Nam 1. Scriptura est verbum Dei immediate reuelatum, & scriptum quodammodo dictante Deo. At Concilia non habent, neque scribunt immediatas Dei reuelationes, aut verba Dei: sed tantum declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo per rationem deducunt conclusiones. 2. Scriptores sacri non multum debuerunt laborare in suis libris edendis; quia nempe Deus ipsorum linguam & stylum regebat modo extraordinario. At Patres in concilijs debent rem ipsam quærere, id est, conclusiones inuestigare, disputando, legendo, cogitando. 3. In Scriptura non potest esse vllus error, siue agatur de fide, siue de moribus: siue affirmetur aliquid generale, & toti Ecclesiæ commune, siue aliquid particulare, & ad vnum tantum hominem pertinens. At Concilia in iudicijs particularibus errare possunt. 4. In Scriptura non solum sententiæ, sed etiam verba omnia & singula ad fidem pertinent. Credimus enim nullum esse verbum in Scriptura frustra, aut non recte positum. At in Concilijs maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes, quæ præmittuntur, neque rationes, quæ adduntur, neque ea, quæ ad explicandum & illustrandum adferuntur: sed tantum ipsa nuda decreta, & ea non omnia, sed tantum quæ proponuntur tanquam de fide. Interdum enim Concilia aliquid definiunt, non vt certum, sed vt probabile. Denique in ipsis decretis de fide, non verba, sed sententiam tantum ad fidem pertinet. 5. Scriptura non eget approbatione Pontificis, vt sit authentica, sed tm, vt innotescat ei auctoritas. At concilia etiã legitima, & generalia, non sunt rata, nisi à Pontifice confirmentur. Hactenus Bellarm.

VII. Hinc

VII. Hinc itaque patet, Bellarminum comparare auctoritatem Conciliorum cum auctoritate Scripturæ distincte: ut, scilicet, ostendat, vtra harum maior sit, partim respectu sui ipsius, partim respectu nostri. Statuit autem, Scripturæ sacræ auctoritatem in se, hoc est, simpliciter & absolute, maiorem esse auctoritate conciliorum; quia videlicet Scriptura sit immediate diuina, sicut dicitur *Dei uerbum*, ut uidere est *2. Tim. 3. & 2. Petr. 1.* Interim quoad nos, hoc est, quantum ad fidem nostram, quam Scripturis adhibemus; item quantum ad explicationem Scripturarum, existimat, maiorem esse concilij, quam Scripturæ auctoritatem. Itaque respectu nostri statuit, concilij auctoritatem maiorem ac certioram esse auctoritate S. Scripturæ.

VIII. Sed nos aperte dissentimus, ut qui utroque modo maiorem Scripturæ, quam concilij auctoritatem esse asserimus. Cuius sententiæ rationes euidentes adferuntur a *Chamiero tom. 1.* è quibus duas hoc loco adferre videtur operæ pretium. Quarum prima ab ipso Bellarmino hic allata est, dum in primo discrimine asseruit, Scripturam esse verbum Dei immediate reuelatum, & scriptum quodammodo dictante Deo, iuxta illud *2. Pet. 1.* Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti homines. Et *2. Tim. 3.* Omnis Scriptura est diuinitus inspirata. Si itaque Scriptura est diuinitus inspirata, necesse est ut prædita sit diuina auctoritate. At quod reuera tale est, id diuinam quoque vim habet sese insinuandi in animos hominum piorum, hoc est, originem suam eis ostendendo. Hinc igitur efficitur, etiam quoad nos, seu respectu nostri, certioram esse Scripturæ, quam Concilij auctoritatem: quia nimirum diuina auctoritas est maior & certior humana, & reuera nulla est auctoritas, quæ nulli adhuc indicata seu reuelata est, ut quæ semper respectum habet ad alterum, adeo ut videatur contradictoriū, tribuere alicui auctoritatem, quæ per se non possit manifestari. Altera ratio ducitur à communi hominum sensu, qui aperte docet, omnem Conciliorum auctoritatem necessario ex Scriptura demonstrandam esse; & consequenter huius, quam illius, certioram esse auctoritatem. Certum enim est illud Aristotelis, vulgo notum: Propter quod vnumquodque tale est, id magis tale est. At propter auctoritatem Scripturæ, concilij demum firmiter assentimur, non autem contra. Ergo. Et certe ipse Bellarminus, quidquid hoc ipso libro de conciliorum auctoritate affirmat, id omne principaliter ex Scriptura demonstrare nititur. Quod dum facit, maiorem huic quam illis, etiam quoad nos, auctoritatem tribuit. Namque aut incertum per certius probate conatur; aut suam ipsius sententiam, quam hoc loco propugnat, omnino euerit.

IX. Quinetiam hic aperte ijs contradicit, quæ statim initio primi Tomi de S. Scriptura, aduersus Libertinos & Schwenckfeldium, disseruit: nimirum recte illic asserens, sacram Scripturam esse ipsum Dei verbum, & primum fidei nostræ principium, seu fundamentum. Id quod sane cum ista thesi perspicue pugnat, quippe quæ maiorem concilij, quam S. Scripturæ auctoritatem, etiam respectu nostri, attribuit. Et, ne hoc præteream; quod Bellarminus sub finem *c. 12.* ait, concilia & Scripturam esse infallibilis veritatis, ideoque æque certa dici posse, plane falsum est. Nam Concilia nec per se æque certa sunt, ut Scriptura sacra, nec pari gradu certa sunt, licet id dicant, quod Scriptura dicit: sed res si vna est, quæ Scriptura Concilijque traditur, ea non æque pariter, sed vna certitudine certa est, atque infallibilis veritatis, quod *ibidem* ait decreta & canones Pontificum & Conciliorum, licet distinguantur, & postponantur Scripturæ sacræ, tamen suo modo esse, & dici posse scripta sacra, & canonica, dicitur admodum æquiuoce; quatenus nempe cum verbo Dei consentiunt. Nam Scriptura sola & sacra & canonica, & diuina dicitur æquiuoce.

X. Ex his itaque non obscurè patet, aduersarios negare quidem, sed re ipsa facere quod negant. Dicunt n. sc. Scripturam non subijcere Concilij: & tñ Concilia præponunt Scripturis, quantum ad nos, & explicationem ipsarum. Sane qui Dei oracula interpretantur nō ex ipsis Scripturis & ipsarū analogia, sed ut libet Concilij suis, ijs scripturas subijciunt concilij. Rursus, quando traditiones suas e mentito verbi non-scripti nomine prædicant, & de eis rationē eandem esse asserunt, & Pontificem inter principia fidei collocant, ita ut ipsius sententia sit peremptoria; dum, inquam, hæc omnia faciunt, annon Scripturam traditionibus & decretis Pontificis postponunt. Nam traditiones statuunt normam & supplementum Scripturæ, utpote imperfectæ: & sententiam Pontificis dicunt esse vltimum refugium, quando Scriptura est ambigua & obscura. Cæterum, quod Bellarminus ait, Concilia in iudicijs particularibus errare posse: verum est. Nos vero hoc etiam addimus, concilia in iudicijs etiam vniuersalibus de fide errare posse. De fide, inquam; et si non de tota fide totaliter. Hoc enim cum accidit, iam Concilium esse atque ecclesia definit.

XI. Atque ita pauca disceptauimus illam quæstionem, *An sit maior auctoritas Concilij, quam Scripturæ*; quam Bellarminus vnicō capite, videlicet *12.* complexus est. Sequitur illa, *An concilium sit supra Pontificem*, quam idem Bellarminus pertractauit septem capitibus, à *12. ad 19. qui est finis lib. 2. de Concilij.* Eam vero seruat methodum. *Cap. 13.* docet originem huius quæstionis; quod illa primo disceptata sit in Concilio Pisano, tum in Constantiensi, & omnium acerrime in Basiliensi. Addit obseruationem, quod duobus modis possit comparari Papa cum Concilio: vno modo, ut sumatur ab vna parte solus Papa verus & indubitatus, ab altera Concilium generale, cui præsit Papa per se, vel per legatos, ita ut nihil definitur sine consensu illius; altero modo, ut sumatur ab vna parte solus Papa, ab altera Concilium generale, cui Papa nec per se, nec per suos legatos præsit. Dicit, quæstionem propositam præcipue versari circa posteriorem comparationem: quod ista quæstio sit introducta propter Pontificum depositionem, id est, ad inquirendum, an Papa etiam inuitus à concilio iudicari, damnari, & deponi possit. De hac itaque quæstione recitat tres Doctorum sententias, *cap. 14.* Prima est, Concilium esse supra Papam. Secunda est, Papam quidem esse supra Concilium, tamen posse ipsum se subijcere Concilio, & dare illi potestatem supra se. Tertia est, Papam adeo supra Concilium esse, ut etiam non possit se subijcere eius sententiæ, si proprie de sententiæ coactiua agatur. Atque hanc sententiam defendit Bellarminus, idque hac ratione, ut primo adferat quatuor propositiones, & deinde argumenta nostra soluat. Prima propositio est *cap. 15.* Romanum Pontificem esse pastorem & caput non solum omnium ecclesiarum particularium, sed etiam totius vniuersalis ecclesiæ simul congregatæ, à Christo immediate constitutum. Secunda est *cap.*

16. Summam potestatem ecclesiasticam non esse in ecclesia, vel concilio, remoto Papa, formaliter aut suppletive. Tertia est *cap. 17.* Summum Pontificem simpliciter & absolute esse supra Ecclesiam vniuersalem, & supra concilium generale, ita ut nullum in terra supra se iudicium agnoscat. Quarta est *cap. 18.* Summum Pontificem non posse committere, neque concilio, neque vlli homini supra se iudicium coactiuum, sed tantum discretiuum. *Capite 19.* & postremo soluit argumenta nostra. Hanc Bellarmini methodum sequemur.

XII. Quod ait, quæstionem hanc exortam esse tempore concilij Pisani, quod celebratum est anno 1409. & quidem occasione schismatis, quod inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. exortum fuit: lubentes admittimus, atque hinc colligimus, ante hoc tempus apud omnes pios iam confesso fuisse, Concilium esse supra Papam. Ita sane *Concilium Nicanum primum*, ut alijs Patriarchis, ita & Romano suam diocesim attribuit, & illius curam agere iussit: ut testatur Canon sextus concilij illius. *Sirmiense Concilium* statuit, ut Liberius & Felix simul Romanam administrarent ecclesiam, & super ea re literas ad Felicem expediuit, qui literis synodalibus paruit: de quo *Sozomenus lib. 4. c. 15.* Idem *lib. 3. c. 8.* author est, *Antiochenum Concilium* grauius reprehendisse Iulium Episcopum Romanum, quod nonnullos contra leges ecclesiæ in communionem recepisset, quos synodus damnasset, & minati sunt, se similiter cum illo facturos. *Chalcedonense, Constantinopolitanum I. & II.* Concilia œcumenica, Episcopum Constantinopolitanum æquauere Romano. Sic enim habet can. 30. Concilij Constantinopolitani II. Renouantes quæ à C. L. Patribus, qui in hac à Deo seruata & regia vrbe conuentum egerunt, & sexcentorum triginta, qui Chalcedone congregati fuerunt, instituta sunt, definimus, ut Constantinopoli sedes parem habeat dignitatem sedis antiquioris Romæ, & in ecclesiasticis negocijs æque atque illa magnificetur: cum sit post ipsam secunda: post eam autem Alexandrinæ magnæ vrbs, & post hanc Hierosolymorum Episcopus succedat. *Concilium Carthaginense VI.* cui interfuit Augustinus, Cælestini Episcopi Romani ambitionem coercuit, & appellantes ad eum ex Africa excommunicauit. *Concilium Chalcedonense*, quod est quartum œcumenicum, excommunicauit Honorium Papam propter hæresin Monothelitarum. *Idem Concilium* (ut paulo ante diximus) eadem privilegia paremque auctoritatem tribuit Episcopo Constantinopolitano cum Romano, *actione 15. canone 28.* frustra repugnantibus legatis Romani Pontificis. Et eundem *act. 16.* eiusdem concilij Paschasius & Lucentius Pontificis Romani legati petitiu sentent, ut hoc decretum rescinderetur, non potuerunt impetrare, sed responsum est primo à Patribus concilij: *Neque in occulto gestum est, neque modo sursum est, consequenter atque canonice facta.* Et cum Lucentius dixisset, Episcopos subscribere illi canoni coactos, clamauerunt episcopi: *Nemo contra est.* Idem singuli pro se postea testati sunt. Tandem post multa dixerunt Patres: *Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, hoc iustum decretum. Quæ constituta sunt, valeant. Hæc iusta sententia. Omnia ordinate decreta sunt.* Ad extremum viri illustrissimi iudices dixerunt: *Quod interlocuti sumus, tota synodus approbauit.* Atque ita Concilium fecit decretum, & factum approbauit: frustra renitentibus legatis Pontificis Romani, frustra reclamante Leone, & ita ostendit, concilium esse supra Papam. *Concilium sextum œcumenicum*, quod fuit Constantinopolitanum, similiter decreta fecit contra Episcopum Romanum, & contra praxin ecclesiæ Romanæ. Nam *canone 36.* confirmauit superius decretum Concilij Chalcedonensis. *Canone 13.* abrogauit Ecclesiæ Romanæ canonem, quo presbyteri & diaconi à legitimo coniugio arcebant, & statuit presbyteros & diaconos non esse à legitimis nuptijs prohibendos. *Canone 50.* reprehendit ieiunium Ecclesiæ Romanæ. Ergo concilium illud fuit supra Papam. Plura hanc in sententiam vide paulo post. Hinc efficitur, olim concilia fuisse supra Papam: quia ante concilium Pisianum ista quæstio non fuit disceptata in vtramque partem, sed ipsius affirmatiua ab omnibus fuit recepta.

XIII. Quæ *cap. 14.* disseruntur de varijs opinionibus circa hanc quæstionem, nostræ causæ fauent. Nam etsi Bellarminus dicat hæreticos huius temporis aliter docere, concilium esse supra Papam, quam olim Cardinalis Cameracensis, Gerson, Almainus, Nicolaus Cusanus, Panormitanus, &c. hoc idem docuerunt: tamen contrarium patet ex collatione sententiarum. Illi enim authores eodem modo scribunt, ut nostri. *Cardinalis Cameracensis in tract. de potestate Ecclesiæ* ait, Papam, si abutatur sua auctoritate, posse à Concilio & ecclesia iudicari. *Gerson in tract. de potestate Ecclesiæ* scribit, Concilium posse iurisdictionem authoritatiuam in Papam exercere, utpote quam dat lex diuina, ne aut ecclesiæ noceat aut sibi, ut phreneticus. Quid? Ipse Bellarminus necesse habet fateri, eandem esse nostram & illorum doctrinam. Ait enim, duo esse fundamenta huius opinionis. Primum, Papam non esse proprie caput ecclesiæ vniuersæ. Alterum, supremam ecclesiasticam potestatem esse tam in concilio, quam in Papa, sed in concilio principalis, immediatus, & immobilis. Nam quia Ecclesia semper durat, immobiliter in ea manet potestas soluendi & ligandi. Quod attinet ad primum fundamentum, plane consentimus cum illis authoribus. Neque valet effugium Bellarmini, nos contendere, Papam nullo modo esse caput Ecclesiæ totius: illos vero authores docere, Papam esse caput & pastorem singulorum Christianorum, & singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur, non autem totius ecclesiæ simul congregatæ in concilio vniuersali. Hoc, inquam, non iuuat Bellarminum. Est enim contradictio, Papam esse caput singularum ecclesiarum, non vero totius ecclesiæ. Perinde est, atque si dicat, Rex Hispaniarum esse caput singulorum suorum regnorum, sed non Comitiorum, in quibus congregati sunt istorum regnorum legati. De secundo fundamento concedimus, illud facere discrimen inter nostram & illorum authorum sententiam. Nam suprema potestas ecclesiastica soli Christo inest principaliter, immediate & immobiliter, non autem concilio.

XIV. *Prima propositio*, quod Papa sit pastor & caput non solum omnium ecclesiarum particularium, sed etiam totius vniuersalis ecclesiæ simul congregatæ, à Christo immediate constitutus: hæc, inquam, propositio negatur. Sed probat illam tribus argumentis. I. Petrus est fundamentum, caput, & pastor totius ecclesiæ, *Matth. 16. Ioham. 20. E. & Papa. 2.* Concilium Chalcedonense in epist. ad Leonem diserte fateretur, Leonem fuisse caput illius concilij: *Quibus*, inquit, *tu quidem ut caput præeras.* Idem confirmant alia concilia, ut Lugdunense, Florentinum, &c. 3. Rationes idem docent.

Nam Papa est immediatus vicarius Christi. Et ecclesia vniuersalis est vnum corpus visibile. E. debet habere caput visibile, quod non potest esse aliud nisi Papa.

Respondeo ad 1. Negatur antecedens. Nam hæc sunt attributa solius Christi: non Petri. Deinde nulla est ratio consequentiae. Neque enim Papa est successor Petri; quia fecit secessionem ab ipsius doctrina. *ad 2.* Patres illi cedonensi præfuisse, sed præfuisse vt caput Episcopis occidentis qui tempore Concilij Chalcedonensis ad Leonem Pontificem Romanum conueniant. Caput autem dicitur vel ordine, vel perfectione, vel virtute ac potentia primum. In eo cætu Patres Leonem ordine primum esse intelligebant. Bellarminus ad illa omnia abutitur. Reliquorum conciliorum vllam auctoritatem esse negamus, quia sunt de sinu Pontificum. *ad 3.* Negamus Papam esse vicarium Christi, vt illi interpretantur, & immediatum esse. Veteres Episcopi Romani, qui faciebant officium suum docendo, ducendo, & ludendo in ecclesia sua, erant vicarij Christi, quo pacto omnes boni pastores funguntur vicem Christi. At non sunt immediati: quia tales erant Apostoli. Deinde ecclesia Catholica, qua talis, non est visibilis. Ergo nec indiget capite visibili. Sed hæc suo loco tractata sunt fufè.

XV. Secunda propositio æque falsa est atque prima. Sic autem habet: Summa potestas Ecclesiastica non est in ecclesia, vel Concilio, remoto Papa, aut formaliter, aut suppletive. Nos contra affirmamus, summam potestatem ecclesiasticam penes solum Christum esse. deinde vero penes ecclesiam, vel Concilium ecclesiam secundum Christum; idque sine Papa. Ratio primi est; quia summa potestas inest principio primo & radicali, puta capiti, principi, patrifamilias. At solus Christus est caput, princeps & paterfamilias ecclesie catholice. E. Ratio secundi est; quia ecclesia est sponsa Christi, quæ coruscet radijs sponsi, & proinde secundum sponsum habet potestatem. Ratio tertij est; quia Papa est aut legitimus Episcopus, aut non. Si legitimus; accepit potestatem clauium communiter, vt omnes Apostoli, & eorum successores. Si illegitimus; nullam habet potestatem. Vtroque autem modo ecclesia accepit a Christo potestatem, sine Papa, vt pote particulari persona, & quidæ tali persona, q̄ iam apostatauit a fide Christi. Itaq; summa potestas in Christo est principaliter, in Ecclesia instrumentaliter, in Papa vtriptiue.

XVI. Tertia propositio continet nucleum huius controuersie; & ita sonat: Summus Pontifex simpliciter & absolute est supra vniuersam ecclesiam, & supra Concilium generale, ita vt nullum in terris supra se iudicium agnoscat. Hanc propositionem in cardinalem probat noster Cardinalis quinque argumentis. *Primum* sumitur ex duabus præcedentibus propositionibus. Nam si Papa est caput ecclesie vniuersæ, etiam simul congregatæ, & ecclesia vniuersa etiam simul congregata non habet vllam potestatem ratione totalitatis suæ: sequitur Papam supra Concilium esse, & supra ecclesiam, non contra.

Respondeo. Solus Christus est caput ecclesie. Ergo solus Christus est supra Concilium. Deinde Ecclesia omnem suam potestatem habet a Christo, siue spectetur totalitas essentia, siue virtutis.

XVII. Secundo (inquit Bellarminus) probatur ratione in Scripturis fundata, nam omnia nomina, quæ in Scripturis tribuntur Christo, vnde constat eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuntur Pontifici. Nam Christus est paterfamilias in domo sua, quæ est Ecclesia: est pastor: est caput corporis sui: est vis, siue sponus Ecclesie, &c. Et Pontifex loco Christi est paterfamilias, pastor, caput, sponus ecclesie, *Luc. 12. Iohan. 10. Ep. c. vlt. Eph. 4. & 5.* Oeconomus autem summus est supra familiam, & ab ea iudicari vel puniri non potest. Similiter pastor ita præest ouibus, vt nullo modo ab eis iudicari possit. Porro caput a membris regi, & non ea potius regere, contra naturam est: sicut etiam est contra naturam, quod membra sibi caput præcedant, cum forte grauius ægrotat. Denique est contra Apostolum, & contra naturæ ordinem, vt sponsa præiit sponso, & non potius subdit. *Respondeo.* 1. Est horrenda blasphemia, omnia Christi nomina, vnde constat eum esse supra Ecclesiam, competere Pontifici Romano. Nam hac ratione Papa fuerit ecclesie, principium & primogenitus ex mortuis, magnus pastor, princeps pastor, alpha & omega, leo de tribu Iuda, &c. Hæc enim nomina Christo, vt capiti Ecclesie tribuntur. At hæc nomina non possunt tribui Papæ, aut cuiquam mortali, citra sacrilegium & blasphemiam. 2. Nomina Christi alia sunt incommunicabilia, alia communicabilia. Incommunicabilia: vt, *omne*, caput, sponus &c. Communicabilia: vt, *oconomus*, pastor, &c. 3. Bellarminus proponit quatuor nomina. Sed non sequitur: si quatuor ista Christi nomina communicantur Papæ, ergo omnia. 4. Duo quidem priora nomina sic tribuntur Christo, vt alijs etiam conueniant, licet non eodem modo: sed duo posteriora sunt plane *argumenta*. 5. Duo priora nomina competunt Christo vniuersæ, *architectonice* fides ipsius seruus in Ecclesia, analogice, & ministerialiter: Papa, & alijs siue lupis, siue mercenarijs, æquiuoce, falso, *Id est*. Christus enim est paterfamilias & pastor Ecclesie Catholice, quia totam familiam Dei, totumque gregem ipsius regit & pascit. Alij vero, siue siue ipsius ministri, dicuntur patresfamilias & pastores, quia particulares quasdam familias & greges gubernant atque pascunt. Papa denique, & ipsius similes, dicuntur patresfamilias & pastores, quia sibi arroganti sacrilege id quod est Christi proprium, aut omnibus Christi seruus conuenit communiter. 6. Solus Christus est caput ecclesie Catholice: quia illa est, inuisibilis, vniuersalis, vna; & proinde non potest habere duo capita. Huc accedit, quod caput Ecclesie Catholice, debet hæc duo coniunctim præstare, iustitiam & directionem. At hæc duo a solo Christo præstari possunt, & sufficienter præstantur. 7. Solus Christus est sponus ecclesie Catholice. Nam sponus est vnum corpus cum sponsa, eamque regit, ita nempe, vt non possit pati inaleam. 8. Non potest probari ex *Luc. 12.* Christum constituisse vllum oconomum super vniuersam familiam suam. Constituit enim multos oconomos, *1. Cor. 4. Eph. 4.* 9. Non potest probari ex *Ioh. vlt.* Petrum, & eum quidem solum, esse constitutum pastorem vniuersalem Ecclesie. Nam Petrus constitutus est pastor miliarum Ecclesiarum, vt Apostolus: & vna cum eo alij coapostoli. Rursus vt Petrus & reliqui Apostoli sunt constituti pastores multarum ecclesiarum: ita singuli pastores præficiuntur singulis ecclesijs. 10. Serui Christi dicuntur patresfamilias & pastores non simpliciter, sed secundum quid; quamdiu nempe faciunt suum officium. Id vero cum non faciunt, aut negligenter faciunt, vel plane, vel aliquatenus excidunt suo iure. Et tum a familia & grege suo possunt moneri. 11. Similitudines istæ nimis vrgentur à Bellarmino: præter

mentem scilicet & scopum Christi. 12. Pastores sunt membra capitis Christi. 13. Idem sunt capita suarum Ecclesiarum, quantum ad directionem. 14. Idem sunt paranymphus aut amici sponsi: quo nomine honorario *Bernhardus lib. 1. de consideratione* Papam Eugenium ordat. 15. Audiamus *Thomam de Corcellis apud Aeneam Syluium*: Legimus enim, quia Christus est caput Ecclesie, non Papa. Et illud est verum caput, immutabile, perpetuum, & æternum. Romanus vero Pontifex nihil plus est, q̄ veri capitis locum tenens: ecclesia vero ipsius Christi corpus, cuius etiã ipse Papa est membrum. Vicarius autem Iesu Christi non in destructionem; sed in ædificationem eiusdem corporis Christi, quod est ecclesia. Quo fit, vt si damnosus & destructor reperiat, deponi & abijci queat, non enim id agit, propter quod est institutus. *Idem ibidem.* Nemo licet vicarium suum instituit, vt eius sponsam illi subijciat. Quinimo plus arbitrij in rebus arduis habere creditur sponsa quam vicarius; cum illa vnum eum sponso corpus existat, vicarius non idem cum domino. Falsa igitur est Bellarmini consequentia; quod vt membra non possunt præcedere caput, ita neque ecclesia possit abijcere pastorem suum incorrigibilem; & c. 16. A Christo ad Petrum, & ab hoc ad Papam inconsequens est argumentatio.

XVIII. Pergit Bellarminus, & ait: *Probat* tertio ex verbis expressis Conciliorum; & Pontificum, cum enim controuersia ista sit de potestate Conciliorum, & Pontificum, si inter se Concilia, & Pontifices conueniunt, quid opus est, vt nos litigemus? *Respondeo.* Non sequitur: nam etsi conueniunt, fieri potest vt non conueniant. Tum non eorum omnium, inter quos conuenit, iusta est conuentio; etiam latronibus & monopolis inter se potestas conuenire frequenter solet. Sed videamus testimonia, quæ allegantur. *Concilium Sinuessanum* in fine ait: Prima sedes a nemine iudicabitur. Similiter *Concilium Romanum sub Syluestro*: Nemo iudicabit primam sedem. *In Concilio Chalcedonensi act. 3.* leguntur multæ epistolæ scriptæ ex varijs locis ad Concilium, quæ omnes ita incipiunt: Sanctissimo & beatissimo vniuersali Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & sancto vniuersali concilio congregato in Chalcedonensi ciuitate. Vbi Pontifex antepositus toti concilio. *Concilium Romanum V. sub Symmacho* recepit, & approbavit tanquam sua decreta, librum Ennodij diaconi, in quo sic legimus: Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari. Sedis istius præfulem suo sine quaestione referuauit arbitrio. Voluit successores Petri Apostoli cælo tantum debere innocentiam &c. *Respondeo ad 1.* Inconsequens est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim Patres Sinuessani hoc sibi voluerunt, tam sedem a nemine damnari oportere, qui ibidem damnarunt Marcellinum Papam, quod idolis sacrificasset: sed primo iudicem ipsius appellarunt eius conscientiam. Cum enim primo negaret factum, dixerunt, *Non ex nobis iudicaberis: tuo enim Pontificio condemnaberis.* Deinde hæc synodus fuit particularis, non sequitur autem, si particulare concilium negauit se facturum, ergo & Concilio generali abiudicatum esse illam potestatem. Tertio Marcellinus conuictus, scelus suum agnouit, & seipsum damnauit. Itaque Patres illi nolabant iudicare, non quod non possent, sed quod non esset opus *ad 2.* Et hoc Concilium est particulare. Deinde est Romanum; & proinde suspectum. Tertio multa in eo concilio desiderantur: vt quod in eo cautum & decretum est, Episcopum non nisi a septuaginta duobus Episcopis damnari oportere: contra illud Pauli *1. Tim. 5. v. 19. ad 3.* Id vero Concilium maxime facit contra Papæ ambitionem, vt probauimus paulo ante §. 12. Deinde inscriptio illa non arguit, quod Leo fuerit supra Concilium. Nam inscriptiones istiusmodi aut præferant nomen tantum synodi, non expressè cuiusquam nomine; aut nomen plurium, aut nomen vniuersi, nempe vel præfidis, vel illius qui primam sedem in eo confesso obtinebat. Sic in *actione 14.* eiusdem Concilij coniunguntur tres Episcopi: Sanctissimis Patribus, Archiepiscopis, Leoni, Anatolio, Maximo, & omni sancto Concilio. In quinta synodo generali perhibentur literæ ad Mennam Constantinopolitanam Patriarcham, præfidentem synodi, & synodum. Hic exprimitur nomen Leonis, vt pote illius qui primam sedem in isto confesso obtinebat. Sed ex his tamen exemplis non potest concludi, vel tres istos simul, vel Mennam præfidentem, vel Leonem primo loco sedentem, fuisse supra concilium; non magis certe, quam in confesso politico Consul vniuerso Senatu, aut præfes toto concilio maior esse censeri solet. Sed obijcit Bellarminus, in fine actionis 3. illius concilij extare epistolam Concilij ad eundem Leonem, in qua eum & caput, & Patrem suum agnoscent. *Respondeo.* Honorifica est locutio, quæ non debet verti in præiudicium eorum, qui honorem habent alteri. Deinde Chalcedonenses non patrem suum, aut caput suum dixerunt Episcopum Romanum, sed patrem, & caput absolute, respectu gregis & diocesis cui præerat, dignitatisque & officij in gregem sibi commissum; prout fideles Dei serui ab alijs, qui ad ipsos minime pertinent, vocantur patres. *ad 4.* Concilium Romanum V. & duo Lateranensia, quæ adferuntur, sunt minuta, & Antichristiana. Quod autem recitatur ex Ennodio, non est ex iure diuino, quamuis inferum fuerit iuri canonico. Nimirum Pontifices Romani Suffraganeis sibi sunt. Sed illud fere præterieram, quod Bellarminus valde vrget. Dioscorus, qui erat Patriarcha Alexandinus, id est, primus post Romanum, cum tota synodo Ephesina II. damnatus fuit in Chalcedonensi Concilio, quod iudicare & damnare ausus fuerat Pontificem Romanum Leonem. Cur vero non potuit iudicare Pontificem ista synodus Ephesina, si erat supra ipsum, hoc est, ipsius iudex. *Respondeo.* 1. Non synodus Ephesina, sed Dioscorus priuatum, extra cognitionem & confesum synodi, damnauit Leonem, nec vocatum, nec auditum, adeoq; illegitime sine ordine & iure. Hoc itaque nomine Dioscorus fuit damnatus à Patribus Chalcedonensibus. 2. Damnatus est Dioscorus vna cum Concilio Ephesino propter homicidium, & hæresim.

XIX. Accedant iam *Pontifices*, ait Bellarminus. Accumulat nempe testimonia quædam ex epistolis, Sermonibus, & Decretis Pontificum Romanorum. Sed quia ambiciose partis sunt testimonia de se testantis, & simbras suas contra ius & fas extendentis, & insuper meræ quiescentia sunt, in illis noio immorari. *Quartum* itaque argumentum examinemus, quod sumitur ex appellationibus à Concilio ad Papam. Sine controuersia enim, ait Bellarminus, semper a minore ad maiorem appellatur. Appellari autem à Concilio ad Papam, non contra, perspicuum est ex Gelasio in epist. ad Episcopos Dardaniæ: Ad sedem, inquit, Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permittus. *Respondeo.* 1. Appellationes illæ veterum Episcoporum non fuerunt similes forensibus appellationibus, quando a minore ad maiorem appellatur. Nam Episcopi, qui

olim à tyrannis & hæreticis opprimebatur, ad quemuis confugiebant, quem sibi aliquo modo succurrere posse sperabant. 2. Illi ipsi Episcopi, suis sedibus expulsi, ad Romanum Episcopum præcipue confugiebant, non quod is supra Concilia esset, sed quod primus Episcoporum esset, & quod nonnullam auctoritatem haberet, quæ ipsi posset succurrere, & denique quod innocentes perhumaniter tractare soleret. 3. Si Episcopi aliqui a synodo particulari ad Romanum Pontificem prouocarint; hoc non probat, illum esse supra Concilium generale. Sic Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus, in synodis particularibus damnati, & ab hæreticis de sedibus suis deiectioni, ad Iulium Episcopum Romanum prouocarunt. Sic Chrysostomus ad Innocentium, & alij ad alios. 4. Aliquando Episcopi non ad Pontificem Romanum, sed ad Imperatorem Romanum prouocarunt: neque tamen hinc efficitur, Imperatorem esse supra concilium. 5. Istæ tam crebræ, & tam liberæ prouocationes à Concilio ad Papam sæpe fuerunt improbatæ, & damnatæ, & prohibitæ: vt in Concilio Carthagenensi sexto vbi cap. 92. habentur hæc verba; *Ad transmarina iudicia qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Sic in Concilio Nicæno I. can. 5. sancitur, *vt qui excommunicantur, ab alijs nullo modo in communionem recipiantur*, hoc est, ne ad alios Episcopos peregrinos confugiant, sed prouocent ad illius prouincia Episcopos in synodo congregatos. Nimirum Patres illi intellexerunt, multa inde incommoda in Ecclesijs existere, si appellationes huiusmodi ad peregrinos Episcopos concedantur. 6. Quæcunque exempla Bellarminus adfert, de concilijs minoribus sunt, ac non de generalibus; & proinde nihil ad rem faciunt. 7. Postremo hoc sibi de facto Pontifices arrogant, non vero iure diuino.

XX. Quintum Bellarmini argumentum sumitur ex approbatione & reprobatione Conciliorum: nam omnia reuocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur, quæ improbat, rejiciuntur: vt patet ex Basilio, Gelasio, & gestis ipsis Conciliorum. Hoc autem est indicium superioritatis.

Respondeo. 1. Non sequitur ex homonymia. Nam approbatio & reprobatio aut æqualium est ex iure communi suffragiorum, aut superiorum lancientium propria & singulari auctoritate. Prius illud fuisse Episcoporum Romano olim concessum iure communi, quia Episcopus, concedimus: posterius vero iniuria postmodum usurpauit; quam usurpationem optimo iure, vt iuri Dei atque Ecclesiæ aduersantem improbamus. Itaque infirmum est hoc argumentum. Non enim qui rejicit, aut approbat Concilium, est supra Concilium: quia multi Episcopi, præter Romanum Pontificem, ista fecerunt, neque tamen ideo censentur supra concilium. 2. Quædam concilia, quæ Romano Pontifici displicuerunt, non tamen sunt reprobata, vt Chalcedonense, & Constantinopolitanum primum, quod inuictum argumentum est, Concilium esse supra Papam. 3. Ex gestis conciliorum quorundam veterum hoc tantum probatur, Pontificem Romanum illa approbasse, quatenus habuit ius suffragij commune cum Patribus suis. 4. Non solus Pontifex, sed synodus occidentalis, quæ ipsidem temporibus Romæ plurimum habebatur, concilia ista approbavit. 5. Quod Bellarminus adfert ex Gregorio lib. 4. epist. 34. *Cuncta acta illius synodi, sede contradicente Apostolica soluta sunt*: hoc, inquam, facit contra ipsum. Nam, id factum est ex communi suffragiorum iure ad Papam & ad Ecclesiæ occidentis pertinere; non Principalis auctoritatis fastigio. Quidquid postea adiectum est supra hæc, allegatio est facti iniqui, non iuris & æquitatis approbatio. Deinde ex eadem Gregorij epistola manifestum est, quam pene nulla tunc temporis fuerit auctoritas Pontificis Romani. Nam Gregorius ibi grauius reprehendit Iohannem Episcopum Constantinopolitanum, quod se œcumenicum Episcopum appellaret. Et hoc fuit vnum ex illis decretis, quæ ipse soluta & abrogata esse ait, sic volente sede Romana. Tamen constat ex alia epistola, Iohannem nondum fuisse eo nomine priuatum, sed in sua sententia persistisse. Quidquid ergo ipse soluerit, vel fecerit, Iohannes eius auctoritatem non agnouit. Soluit ille quidem acta istius synodi, quantum in se fuit; interim Iohannes Episcopus Constantinopolitanus remansit idem, qui prius fuit, & habitus est nihilominus Episcopus œcumenicus.

XXI. Quarta Bellarmini propositio sequitur; summum Pontificem non posse committere, neque Concilio, neque vlli homini supra se iudicium coactiuum, sed tantum discretiuum. Nota, inquit, in iudicio perfecto duo quædam reperiri; potestatem discutiendi causam, & discernendi, ac iudicandi, quid agendum sit; & potestatem cogendi eum, qui cecidit causa, ad obtemperandum sententiæ contra se lata. Vtrumque inuenitur in iudice proprie dicto, qualis est Princeps, vel prætor. Primum autem solum reperitur in arbitris. Iam ergo summus Pontifex non potest iudicem proprie dictum supra se constituere; quia potestas ipsius est supra omnes de iure diuino, in quo Papa non potest dispensare. Potest autem arbitros quosdam supra se constituere, vt fecerunt Sixtus III. Leo III. Symmachus, & alij, qui cum accusarentur, causas suas in concilio Episcoporum discuti voluerunt: quos tamen Episcopi iudicare ausi non sunt. Vnde in Concilio IV. sub Symmacho, omnes Episcopi, cum subscribunt, affirmant, se totum iudicium Deo relinquere.

Respondeo. 1. Verissima est propositio, non potest committere: quia id commisit Deus concilio atque cuiilibet consensui legitimo. Quapropter nos è contrario dicimus. Nec potest committere (nam si seruus Dei est & Propheta subijcitur Concilio Prophetarum & Ecclesiæ, cui Deus commisit iudicium de seruis suis) nec potest rejicere; sed quamuis nolit, tenetur tamen ecclesia de ipso iudicare, & ipse subire iudicium eius discretiuum atque coactiuum. Id patet ex 1. Cor. 14. 32. Spiritus prophetarum prophetis subijciuntur. Quos itaque Deus commisit iudices, eos nullo iure Papa potest rejicere aut declinare. 2. Negamus, Papam esse supra omnes; iure diuino. 3. Si maxime potestas Papæ esset supra omnes: posset tamen nihilominus ille iudicari ab omnibus. Nam alia est ratio potestatis ordinariæ, alia extraordinariæ dispensationis, secundum quam etiam monarchæ in rebus suis se submittunt concilijs & iurisdictioni aliorum. Sic ijdem superiores & inferiores sunt, diuerso modo. 4. Episcopi illi non propterea à iudicando abstinent, quod auctoritate iudicandi carerent; sed partim quod reos Pontifices à se ipsis & sua ipsorum conscientia ante iudicari mallent, partim quod præstare iudicarent, si ab alio Concilio & frequentiore cognosceretur, partim etiam quod volentibus cognoscere non liqueret satis. Sixtus, ait Platina, ista causam dixit, vt ab omnibus absolueretur. Leo III. re incomperta (accu-

fabatur enim adulterij) solenni iuramento se purgavit. Eadem fuit ratio Symmachi. De Leone IV. fuit cognitum coram Imper. Lothario, & delatores supplicio affecti. Sic alij, dum res ecclesiæ integriores fuerunt. Sed, qui secuti sunt, ambitiosam licentiam suam pro legitimo ordine haberi voluerunt, legitimum iudicium sua iudiciorum ordinem extraxerunt & voluntariæ dispensationi adscribentes. Sed iniquum est (ait Augustinus) vt quisque de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit, 32. *questione sexta, cap. nunquam.*

XXII. Atque ita quidem disputat hanc quæstionem Bellarminus Cardinalis. *Iohannes de Turrecremata*, itidem Cardinalis lib. 3. cap. 44. alia quædam argumenta habet, è quibus ista quatuor considerabimus. 1. Christus est supra Concilium. E. & Papa, Vicarius Christi. 2. Papa dat auctoritatem concilijs. E. est supra Concilia. 3. Papa dat esse & formam Concilijs: quia Concilia, quæ sine ipsius auctoritate celebrata fuerunt, Conciliabula potius quam concilia dicenda sunt. 4. Papa est rector Conciliorum. Rector vero in quouis conuentu est supra eos, quos regit. *Respond. ad 1.* Si bona est illa consequentia, quidni & ista? Christus est supra cælum & terram, & ipsi commissa est potestas in cælo & in terra. E. hoc vtrumque etiam de Papa, vicario Christi potest dici. Deinde, Papa dum facit officium suum, non est alio modo Vicarius Christi, quam sunt alij Episcopi, iuxta illud *Ambrosij in 1. Cor. 11.* Episcopus habet personam Christi, & est Vicarius Domini ad 2. Etiam Imperatores & Episcopi dant Concilijs auctoritatem, neque tamen ideo sunt supra Concilia. Deinde solus Christus & verbum eius dat Concilio auctoritatem principalem, non Papa. ad 3. Plurima concilia fuerunt habita, quibus Papa nullam dedit auctoritatem, & in quibus nonnulla ipso inuito & repugnante sancita sunt. ad 4. Rector non est supra vniuersitatem, quam regit, simpliciter. v.g. Princeps senatus non est supra totum senatum, totamque rempublicam, simpliciter & absolute, sed secundum quid. Et si enim vniuersitas aliqua, vt respublica, schola &c. concedit rectori, puta principi, alijue magistratui, omnem potestatem cumulatue, vt loquuntur, non tamen confert illam priuatiue.

XXIII. Postremo loco videamus, quomodo Bellarminus soluat argumenta nostra. Partitur illa in tres classes, his verbis. *Hermannus lib. 3. cap. 12. Prolegomenorum* obijcit aliquot exempla veterum: secundo argumenta quædam ex Gersono: tertio aliud quoddam ex Concilio Basiliensi. *Primum exemplum* est Marcellini, qui in Concilio Sinuesano ab Episcopis dampnatus & depositus fuit. *Secundum* est Melchiadis Papæ, post cuius sententiam iudicauit eandem causam Episcopus Arelatensis. *Tertium* est Liberij, quem Imperator deposuit, & postea restituit in suam sedem; iubens, vt simul cum Felice Romæ Ecclesiam regeret: quod idem iussit Concilium Sirmiese, literis ad Felicem datis. *Quartum* est S. Leonis, cuius epistolam in Concilio Chalcedonensi multi Episcopi examinarunt & approbarunt. *Resp. Bellarm.* ad 1. Episcopi damnauerunt quidem Marcellinum, sed postea quam ipse primus se ipse damnauerat, i.e. abdicauerat se Pontificatu. ad 2. Ea causa iterum iudicata fuit, non quia oporteret, sed quia voluit Imperator acquiescere Donatistis petentibus aliud iudicium, si forte in duobus iudicijs damnati sanarentur. ad 3. Imperator Arianus id fecit iniuste. Et concilium Sirmiese fuit præcipue Arianorum. ad 4. Leo miserat epistolam suam ad Concilium non vt continentem vltimam sententiam definitiuam, sed vt instructionem tantum, qua adiuti Episcopi melius iudicarent. Posteaquam autem omnes consenserunt epistolæ Leonis, tum demum edita est definitio vltima nomine Pontificis & Concilij. *Nos replicamus ad 1.* Ista responsio non euerit objectionem. Nam manet illud semper immotum, Pontificem à Concilio damnatum esse, siue antecesserit, siue successerit illa synodi damnatio, damnationi Papæ. ad 2. Neque hæc responsio tollit conclusionem. nam si ita est, Imperator igitur dedit eis iudices appellantis à sententia Romani Pontificis. ad 3. Et si ibi fuerunt multi Arianæ: tamen ideo non fuit illegitimum concilium. Nam etiam ibi fuerunt multi Catholici. Neque inter Catholicos & Arianos fuit quæstio de Arianismo, sed de alijs rebus. Neque vlla pars fuit hæreseos Ariana, negare Papam esse caput ecclesiæ. Itaque Imperator, etsi Arianus, recte fecit, quod Papam deposuit. ad 4. Falsa est responsio, nam Leo instructionem suffragij sui ad Concilium miserat; reliquis Episcopis in concilio sua erant suffragia ad approbandam aut improbandam illius sententiam, & pari auctoritate. Vincit autem in Concilijs magnus suffragiorum numerus; vt factum Chalcedone in causa Fabiani secundum Leonem; in causa Constantinopolitani Patriarchatus, contra Leonis suffragium. Hæc de exemplis. Sequitur apud Bellarminum.

XXIV. Secundo proponit argumenta Gersoni: ac primum est illud *Matth. 18.* Si peccauerit in te frater tuus, &c. Dic ecclesiæ. Sed Papa est etiam frater noster, cum sit Christianus, & debeat dicere, Pater noster, &c. Potest igitur Papa ad iudicium Ecclesiæ vocari, ac proinde ab ecclesia iudicari, ac puniri, non autem agit quidquam ecclesia, nisi per prælatos suos, igitur à prælatorum Concilio Papa iudicari potest. Argumentum secundum: Papa est membrum ecclesiæ, ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia: ideoque potest, & debet amputari, si inficiat Ecclesiam, quia de iure natura est, vt membra inficientia totum corpus, amputentur. *Tertium* argumentum sumitur ex Concilio Constantiensi, quod sess. 4. definiuit, Concilium generale habere à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiam si Papalis dignitatis existant. Vel hoc Concilium est approbatum, vel non, si est approbatum, ergo verum est, & recipiendum, quod definiuit, si non, ergo perperam deposuit Iohannem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Martinum V. cui postea omnes alij Pontifices successerunt. Adde, quod Martinus V. Papa in vltima sessione confirmauit omnia decreta, circa fidem, huius Constantiensis concilij: hoc autem decretum ad fidem pertinere videtur. *Respondet Bellarminus ad 1.* Nomen ecclesiæ intelligitur vel Episcopus, vt Chrysostomus explicat, vel fidelium cœtus cum suo capite. Quare in quocunque Episcopatu deferendi sunt peccatores ad Ecclesiam, & Episcopum eius loci, sed si is Episcopus peccet, deferendus est ad Ecclesiam altiore, cui Archiepiscopus, vel Patriarcha præest, si vero Patriarcha peccet deferendus est ad Ecclesiam altiore, id est, ad Romanam Ecclesiam, vel Concilium generale, cui summus Pontifex præfideret: quod si ipse summus Pontifex peccet, iudicio Dei reseruandus est. non enim est vlla Ecclesia, ad quam deferri possit, cum sine ipso non inueniatur Ecclesia cum capite. ad 2. Vel accipitur Ecclesia cum Papa vel sine Papa, quando colligitur, ergo Papa vt membrum, est minor Ecclesiæ, quæ est totum. Si accipitur Ecclesia

Vnde colligimus, posse in concilio Papæ causam tractari, posse illum accusari, posse iudicari, posse etiam damnari; sed hoc non temere esse faciendum ob sedis illius dignitatem. Apud *Ambrosium epist. 79.* Damasus Papa ait, cum Concilium (Capuense) causam commiserit aliis Episcopis, sibi non posse competere iudicandi formam. Quibus verbis ipse Pontifex fatetur, minorem esse suam, quam Concilij etiam particularis auctoritatem. De Concilio Constantiensi & Basileensi diximus. Sed iam addimus, Parisienses Theologos laudasse Concilium Basileense, & illius auctoritatem defendisse contra Leonem decimum. De Pisano nihil dico, quod congregatum fuit contra Iulium II. Papam XII. Nondum est decretum aliquo Concilio Papam esse supra Concilium. XIII. Patres confirmant nostram sententiam, *Augustinus enim epist. 162.* testatur, concilium posse causam à Romano Pontifice iudicari, iterum iudicare. Et *lib. secundo de baptismo. cap. 3.* ait, posse per Concilia reprehendi, si quid in scriptis aut dictis Episcoporum fuerit deuiatum à vero. *Hieronymus epist. ad Euagrium:* Si auctoritas quaeritur, orbis maior est vrbe. Loquitur autem de Episcopo Romano. Citatur hoc dictum à *Gratiano dist. 93. capite legimus.* XIV. Multi theologi & Canonistæ in Concilio Basileensi contra Eugenium IV. reuerunt hanc sententiam nostram; & dixerunt, quæ Thomas, & Bonaventura de primatu Papæ asseruerunt, ea de singulis Episcopis, non de concilio generali vera esse; & hac vsi sunt ratione, quod Papa non sit perfectior vniuersali ecclesiæ; & cum vnus sit, & Romana ecclesiæ vna de isto corpore, non potest illius caput esse, cum nemo sit sui ipsius caput. Sic *Cardinalis Cameracensis in tractat. de potest. Eccles. ait,* Ecclesiam debere obedire Papæ, in ijs quæ ad eius ædificationem pertinent; sed si abutatur sua auctoritate, posse à Concilio & Ecclesiâ iudicari. *Gerfon in tractatu de potestate Ecclesiæ* similiter ait, concilium posse iurisdictionem auctoritativam exercere in Papam, vt pote quam dat lex diuina, ne aut Ecclesiæ noceat, aut sibi, vt phreneticus. Quod & supra diximus. Multis denique hæc thesis tractatur & confirmatur in epistolis synodalibus concilij Basileensis, maxime in responsione synodali de auctoritate cuiuslibet concilij generalis supra Papam, quarto tomo conciliorum pag. 139. XV. Denique valde perniciofa est ista recentiorum Papistarum hypothesi: vt quæ ecclesiam, saltem in quibusdam magni momenti casibus, præsentissimo periculo exponat; eamque sub Paparum tyrannide & impotente dominatione, sine omni remedio relinquat. Nam si forte Pontifex hæreticus fieret (quod & sæpe factum esse, suo loco diximus, & fieri saltem posse, saniores Papistæ fatentur) item, si forte Pontifex impie & dissolute viueret, Remp. Christianam bellis ac caedibus turbaret &c. ecclesiæ tum certe omni remedio caret; quippe quæ Papam iudicare, & in ordinem redigere neque posset, neque auderet; si quidem ipsa infra Papam esset: cum satis notum sit, inferiorem à superiore, non hunc ab illo, iudicandum & puniendum esse. Ergo ex fructibus apparet, hypothesin hanc omnino absurdam & impiam esse.

XXVIII. Sed in pauca contrahamus totam hanc disputationem. Romanum Pontificem non minus quam alium quemuis Episcopum, legitimo Concilio, in primis generali, eiusque censuris subiectum esse debere; nec vilo modo ius diuinum allegare posse, quo doceat, sibi datum esse à Deo, etiam supra concilia æcumenica eminere; immo vero contrariam Pontificiorum thesin absurdam, insanam, & tantum non blasphemam esse, docent *Scriptura dicta*, siue mandata expressa, vt *Matt. 18.* Dic ecclesiæ, 1. *Cor. 14.* Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt: *exemplum Petri*, qui se Concilio & collegis suis submisit, *Aët. 8. & 11. & 15.* item *ratio naturalis*, seu honestas & æquitas politica, quæ docet, vnum aliquod membrum, quantumvis insignis ac nobile (si nullum accedat diuinum priuilegium, quale est in solo Christo) toti corpori, siue vniuersitati, nullo iure præferri posse: *appellationes à Papa ad Concilia*, antiquitus vsitate: *Conciliorum utilitas, necessitas, & finis*; quia si tandem omnis decisio ab vno Pontifice pendet, concilia nullum habent vsum: *praxis Conciliorum*; quæ Papam damnarunt *testimonia Conciliorum, Patrum, & ipsorum Papistarum*, qui docent Concilium esse supra Papam; *denique momenta rationum*, quæ sumuntur ab inutili, pernicioso, simili, maiori &c. Itaq; octo sunt classes argumentorum pro nostra thesi, contra insanam antithesin cini-fionum curiæ Romanæ. Vide etiam *Chamierum to. 2. l. 13. c. 11.*

CAPVT XI.

An Concilia possint errare: sententia Catholicorum, & Papistarum.

I. VENTVM est ad extremum huius disputationis actum, vbi Withakerus noster copiose ac neruose omnia est executus. Ego sequar methodum Bellarmini, qui *lib. 2. de Concilijs* duas illas propositiones sibi probandas delegit. *Prima est.* Fide Catholica tenendum est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide, nec in moribus. Hanc probat primo testimonijs *Scripturæ, c. 2.* deinde ex *Patribus, cap. 3.* postremo argumentis à ratione ductis. *Secunda propositio est:* concilia particularia à summo Pontifice confirmata, in fide & moribus errare non possunt. Hanc dicit non æque atque primam esse fide Catholica tenendam, quod aliqui ex Catholicis eam negent, qui non sint ab ecclesiâ pro hæreticis damnati. Probat autem illam breuiter, quinque argumentis, c. 5. Postea soluit argumenta nostra, quæ diuidit in quatuor genera. Vnum est ex *Scripturis, c. 6.* alterum, ex testimonijs *Patrum, c. 7.* tertium, ex ipsis concilijs, quæ vel cum alijs Concilijs, vel cum *Scripturis* pugnant, c. 8. quartum, ex naturaliratione, c. 9. Extremo loco mouet illam quaestionem, Num concilia à summo Pontifice non confirmata, certam fidem faciant: vbi respondet distincte; videl. concilia particularia, non probata à summo Pontifice, non omnino certam fidem facere, c. 10. Concilia autem generalia, ante confirmationem summi Pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur instructionem Pontificis, c. 11. Has itaque lineas, quas Bellarminus duxit, sequemur.

II. Antequam vela pandamus, duo quædam monere oportet. *Primo*, si Papa errare non potest, necesse est fateatur Bellarminus, ea omnia quæ ab illo confirmantur de rebus fidei, rata esse, siue in generali, siue in particulari Concilio sanciantur. Cur itaque bonus ille Cardinalis statuit,

prioris suæ propositionis maiorem esse fidem, quam posterioris. Si enim tota vis concilij ex approbatione & confirmatione Pontificis pendet, par vtrobique est ratio. Deinde, si Episcopi sunt iudices in Concilijs, & quidem tales, qui non possunt errare in iudicando, quod Episcopi sint: vtique ipsorum iudicium diuinum est. Itaque vt ratum sit, non requiritur Papæ auctoritas. Hoc forte viderunt illi, qui Episcopos non iudices, sed Consiliarios esse in Concilijs dixerunt. Sic enim *Naclantus Clugiensis in tractat. de potestate Papa & Concilij* ait: Papæ potestatem regiam esse, huius Consiliariam: illam esse penitus definitiuam, hanc definitionis ambulatoriam. Quæ quidem sententia est tutior, si tota vis Concilij generalis & particularis à Papa pendet. Verum enim uero falsa est hæc assertio, quia nititur falsa hypothesi, Papam videlicet non posse errare. Itaque nostra sententia est, nullum esse Concilium (si excipiamus Apostolica) quod errare non possit, siue particulare sit, siue generale; siue à Papa congregatum & confirmatum, siue non: idque non in facto tantum, quod aduersarij concedunt, sed etiam in fide & moribus. Abominamur itaque tres illas conclusiones *Cani libro quinto loc. commun. cap. quarto.* *Prima hæc est:* Concilium generale, quod nec congregatum, nec confirmatum est auctoritate Romani Pontificis, posse in fide errare; cuiusmodi fuerunt *Atiminese, & Constantinopolitana II.* *Secunda hæc est:* Concilium generale, etiam à Romano Pontifice congregatum, errare posse, nisi ab eo confirmatum fuerit; cuiusmodi fuit *Ephesinum II.* *Tertia hæc est:* Concilium generale, à Pontifice Romano congregatum simul & confirmatum, certam fidem facere dogmatum Catholicorum; & contrarium tenere, hæreticum esse. Sed nunc descendamus in arenam.

III. *Testimonia Scripturæ* pro sua sententia Bellarminus reducit ad quatuor classes. In prima classe sunt testimonia propria, numero tria. Primum est *Matt. 18.* Vbi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, illic sum in medio eorum. Secundum est *Iohan. 16.* Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Tertium est *Aët. 15.* Visum est spiritui sancto & nobis. Hinc efficitur, eos, qui in nomine Christi congregantur, semper id obtinere, quod petunt, nimirum sapientiam, & similia; & illos errare non posse, quos Spiritus sanctus docet omnem veritatem; & quorum decreta, sunt decreta Spiritus sancti, vt ex tertio loco colligitur. *Respondeo ad 1.* Non sequitur ex communi particularis affirmatiua: Sum in medio eorum conuentuum; ergo singulorum. Nam multi conuentus videntur sibi coacti in nomine Christi: neque tamen sunt. Deinde neque id sequitur: Christus est in medio eorum: ergo nihil faciunt definiunt secundum Christum. Agitur enim hic de necessaria veritatis cognitione, quæ non continuo omnem in religione errorem excludit. Tertio promissio ista magnifica est solum ijs facta, qui sunt humiles & concordēs: vt patet ex continuatione orationis. Nam Christus responderet discipulis, qui *ver. 1.* quaesierant, quis sit maximus in regno cælorum. Dicit, eum, qui est minimus, *ver. 2. 3.* post minimum hunc deseribit; qui nimirum se demittit animo, *ver. 4.* & officio etiam in minimos, cauens ne scandalizet aut contemnat quemquam, *ver. 7. ad 14.* imo qui ne offensus quidem ab illa demissione abstineat, sed lucrari fratres studeat, cum priuata sua opera primum, deinde aliena, tum etiam publica ecclesiæ opera, *ver. 15. & tribus seqq.* Tum concludit hunc locum ista magnifica promissio, *ver. 19. 20.* quam non debemus accipere vniuersaliter & citra conditionem. Nam Christus etsi semper exaudit suos ita orantes, tamen nec semper, nec plene, nec per omnia facit vt obineamus postulata nostra. Et sic etiã oportet accipere loca Patrum, quæ adducit Bellarminus super hunc locum. Denique hæc verba non sunt restringenda ad Concilia, vel ad Episcopos. Pertinent enim ad omnes, qui congregantur in nomine Christi. Vnde patet, promissionem illam non ita simpliciter, absque conditione, accipiendam esse. *ad 2.* Christus sibi speciatim alloquitur Apostolos, & perfectionem doctrinæ apostolicæ ipsis spondet, aduentu & communicatione Spiritus sui, vt factum est die Pentecostes, *Aët. 2.* Propterea enim dicit Christus, *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam: sed non potestis portare:* nempe cum vos adhuc iustitia opprimat, & ego nondum ea compleui quæ sunt opus. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hæc singularis promissio Apostolis est facta: quam pij ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum non plene sibi arrogant (ita enim est solum Apostolorum) sed tantum analogice accommodant. Nam Apostoli secundum perfectionem Apostolicam Spiritum sanctum manentem secum in functione habuerunt; posteri, hoc est, ipsorum successores, non item, sed pro modulo ipsorum. Deinde promissio illa non omnem perfectionem in vno conuentu spondet. Nam etiam promittit Christus indefinite, *Introducet vos in omnem veritatem:* quæ promissio ad totum vitæ nostræ curriculum respicit, non perfectionem in vno conuentu præsentem spondet. Est autem plane ἀπολύτως, ex promissione indefinita communiterque dicta argumentari ad totum vniuersale, & totum in tempore, hoc modo: Docebit vos omnem veritatem: ergo docebit omnes siue seorsim, siue cōiunctim, adeoq; singulos: item, ergo docebit semper in omni conuentu vestro. Hæc plane sunt ἀναγκαστικὰ. *ad 3.* A Concilio Apostolico, qua tali, ad aliud, qua tale non valet argumentum. Nam illud concilium fuit singulare, & singularib. priuilegijs donatum, propter præsentiam Apostolorum. Itaq; illius decreta, fuerunt decreta Spiritus S. Deinde alia legitima concilia possunt analogice asserere, sua decreta esse decreta Spiritus S. si formam accipiant ex hoc concilio, hoc est, si huic concilio similia fuerint, & si eandem regulam seruauerint, quam in hoc concilio seruauerunt & secuti sunt Apostoli, hoc est, si Scripturam faciant proam & puppim, vallū & fossam, alpha & omega suæ disceptationis & definitionis. Denique concilium apostolicum habuit non solos Episcopos, sed & Presbyteros. Itaq; nihil facit ad thombum Papistarum, qui suum concilium metiuntur præsentia Episcoporum suorum, qui ipsi sunt dissimiles apostolorum.

IV. *Secunda classis testimoniorum* continet omnia illa loca, quibus probatur Ecclesiam non posse errare, neque in credendo, neque in docendo: qualia sunt illa, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam, *Matt. 16.* Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. *Matt. vltim.* Ecclesia Dei viui est columna & firmamentum veritatis, 1. *Timoth. 3.* & similia. Ex his enim locis facile colligitur, concilia generalia probata non posse errare; tum, quia tota auctoritas Ecclesiæ, formaliter non est nisi in prælatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantum in capite; tum, quia concilium generale approbatum, representat ecclesiam vniuersam.

Denique non sequitur: Quidam dubitarunt de his & illis libris: ergo Ecclesia dubitavit. *ad 4.* A posse ad esse non valet argumentum: Concilia possunt errare: ergo errauerunt. Nam Concilia possunt errare, & non errare. Sed Scriptura non potest errare, ut diuinus canon Ecclesie, & conciliorum Ecclesie. Hæc non sunt canonica per se, sed per canonem suum, id est, Scripturam, cognoscuntur. Deinde Concilia vera non ediderunt sententias novas, quas voluerint haberi pro articulis fidei. Solus enim Deus dogmatizat in negotio fidei, ut loquuntur. At Concilia sæpe aliquid decernunt, clauere errant. Denique symbola noua, & sententiæ nouæ dicuntur æquiuoce. Non enim Concilia legitima secundum substantiam ediderunt nouum quiddam: sed nouus duntaxat est loquendi modus propter hæreticorum nouationes.

I X. Inspergamus hoc loco alias quasdam rationes aduersariorum, & quibus prima est *Cardilli disp. 9. secunda, & tertia Cani lib. 5. cap. 4. conclus. 3. quarta, & quinta Rhemensium in annotat. super Luc. 1. 3. & Iohan. 16. 13.* I. Spiritus sanctus Concilij generalibus prædict. E. non errat. II. Vel tenetur populus stare definitioni Concilij, vel non tenetur. Si tenetur; tum errante concilio, populus in errore est. Si non tenetur; illud Christi dictum non valet, *Qui vos audit, me audit.* nec illud præceptum. *Super cathedram Moysis sedent Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæ dixerint vobis, seruate & facite.* III. Ecclesia Catholica semper accepit decreta conciliorum, & habitos hæreticos ab ijs, pro hæreticis habuit. IV. Lucas industria vsus est, ut veritatem inuestigaret. Idem faciunt Concilia. V. Spiritus S. dicitur Spiritus veritatis, quia ecclesie eiusque capiti semper adest, & veritatem inspirat. Quod non potest dici de singulis.

Respondeo ad primum. Spiritus sanctus non alligatur ad Concilia, sed Concilia ad Spiritum sanctum. Itaque Spiritus sanctus non adest vbi que omnibus concilijs, sed illis duntaxat, quæ ipsius ductum parata sunt sequi. *ad 2.* Populus non tenetur simpliciter omnes pastores audire, & omnia, quæ docuerint, suscipere; sed ea, quæ proponunt, & examine, & si cum Scripturis consentiant, recipere; sin minus, rejicere. Idem iudicium de Concilijs. Quæquam loca allegata de Concilijs non agunt, sed de singulis pastoribus. Ergo ex hypothese Cani nullus pastor erraret, & sic etiam ne Pharisei quidem errassent. *ad 3.* Non simpliciter est penes Concilium, facere aliquem hæreticū. Itaque nec hæreticus statim fuerit, qui Concilium respicit, sed qui doctrinam Spiritus sancti in concilio propositam malitiose & pertinaciter rejicit. *ad 4.* Concilium Ecclesiasticum indigne comparatur cum Luca. Nam neque singuli, neque omnes in concilio possunt præscribere quid credendum sit atque faciendum: quod Lucas Euangelista fecit. *ad 5.* Spiritus sanctus est Spiritus veritatis, siue singulis electis, siue vniuersis adest. Adest autem alijs extra ordinem, ut Apostolis, & illi non possunt errare in suo officio: alijs ordinarie, ut illis, qui in Concilio, in ecclesia, in Presbyterio, vel alibi congregantur, aut etiam soli sunt in vocatione sua; omnibus pro suo modulo.

X. Apud Bellarminum sequitur de Concilijs particularibus, à Summo Pontifice confirmatis. Quæ quidem in fide & moribus errare non posse, breuiter ita probat. 1. Summus Pontifex errare non potest in rebus ad fidem & bonos mores pertinentibus. E. nec Concilium, quamuis exiguum, ab illo comprobatur. 2. Si eiusmodi Concilia errare possent, plurimæ hæreses, quæ damnatæ sunt à solis Concilijs particularibus, iterum reuocari possent in dubium: ut Pelagianorum, Priscillianistarum, Louiniani, & aliorum. 3. Hæcenus non est inuentum aliquod eiusmodi Concilium, quod errauerit. 4. In synodo 7. act. 3. & in synodo 8. act. vlt. can. 1. dicunt Patres se venerari & recipere etiam localium Conciliorum decreta: immo in eadem septima synodo vocantur eiusmodi decreta diuinitus inspirata. *Respondeo ad 1.* At Pontifex errare potest, etiam qua Pontifex. Contradicit enim Christo & ipsius verbo. *ad 2.* non sequitur, nam quæ hæreses à Concilijs particularibus iuxta canonem sacrum damnatæ sunt à bonis Christianis non reuocantur, à malis si reuocentur, quid mirum? *ad 3.* Id vero falsum est. Etenim vel solus Concilium Senonense habitum in Gallia anno 1527. copiosam segetem errorum suppeditat. Sic alia multa, vel potius omnia, quæ ab Antichristo Romano, & eius satellitibus aliquot retro seculis fuerunt coacta. *ad 4.* Quædam localia Concilia laudantur à Patribus, & eorum decreta dicuntur diuinitus inspirata, quatenus Spiritus sanctus per Scripturam direxit illa. Sed hinc non licet vniuersè argumentari ad omnia Concilia localia: quia multa discrepant à canone Scripturæ.

XI. Superest, ut videamus quomodo Bellarminus *argumenta nostra* soluat. In prima acie sunt *testimonia Scripturæ*, quibus asseritur, ordinarios quoslibet verbi ministros, tum singulos seorsim acceptos, tum omnes simul in vnum congregatos, sæpius in doctrina fidei & vitæ grauius hallucinari. *Esa. 59. 10. Ierem. 6. 30. c. 14. 14. Hof. 9. 8. Ezech. 22. 25.* Sicut autem in Vet. Testam. fuerunt pseudopropheta: ita & in nouo, *Matth. 24. v. 11. 24. Act. 20. 29. 2. Petr. 2. 1.*

Respondet Bellarminus, hæc omnia tribus modis solui. 1. Frequentissimum est in S. literis, ut propter aliquos malos reprehendantur omnes, propter aliquos bonos laudentur omnes, quo videlicet vehementer fit tum vituperatio, tum commendatio: ut recte adnotat Augustinus. 2. Nihil horum dicitur in Pastores publica autoritate congregatos in Concilio (Deus enim *Deuter. 17.* ad Concilium Sacerdotum suos Israelitas remittit) sed in Pastores & Prophetas, qui separatim populum decipiebant. 3. Non continuo, quæ dicuntur in Vet. Testam. aduersus Prophetas & Sacerdotes, transferenda sunt ad sacerdotes Nou. Testam. præsertim in Concilio congregatos. Certiores enim, & maiores promissiones Dei habet ecclesia, quam synagoga: ut *Matth. 16.* Super hæc petram & c. *1. Tim. 3.* Columna & firmamentum veritatis. *Luc. 22.* Rogauit pro te & c. *Replicamus ad 1.* Scriptura non semper hoc facit. Immo non propter aliquos malos reprehendit omnes, aut propter aliquos bonos, laudat omnes: sed propter multos, siue plerosque malos aut bonos, reprehendit vel laudat omnes communiter. Hoc est, quod vulgo dicitur, in communi à maiore parte fit denominatio. Cum vero maiorem partem contingat errare, & ex maiore suffragiorum parte in concilijs decernatur, quis non videt, hinc sequi, Concilia errare posse? Deinde non adducimus ista loca, ut probemus omnes & singulos pastores Vet. Testam. fuisse tales. Absit. Hoc volumus, Scripturam reprehendere quam plurimos, & sæpe maiorem partem. *ad secundum.* Qui separati erant tales, eos congregatos nihilo meliores fuisse minime dubium est. Cum enim impij

sacerdotes in vnum congregantur, num sperandum aut expectandum est, ut illos Spiritus sanctus subito quasi entusiasmo quodam corripiat? Deinde ista loca non de vno aut altero sacerdote separatim, sed de vniuerso ordine & collegio Sacerdotum loquuntur. Confer. *Ierem. 4. 9. Ezech. 7. v. 26. Hof. 6. 10. Mich. 3. 6.* Denique in Veter. Testam. habuerunt duplex genus responforum: vnum ordinarium, ex Scriptura; alterum extraordinarium, ex particulari oraculo. Hæc Dei responsa nunquam vocabantur in dubium; sed sacerdotum placita semper in dubium vocari liceat, ut expendere ad trutinam Scripturæ sacræ. Itaque Deus non simpliciter remisit populum suum ad Sacerdotes. *ad 3.* Bellarminus, sui oblitus, ait synagoga errare potuisse, cum modo ex *Deut. 17.* dixerit, concilium sacerdotum pronuntiasse iudicium infallibile. Deinde ecclesia Vet. Testam. tam magnas habuit promissiones, ut Ecclesia N. Test. Habet enim easdem, ut patet *Psal. 86. & 89.* Easdem dico re & substantia: licet modo differant & ratione. Non differunt substantia corporis (vita dicamus) sed vestis habitu variant. Vna est Abrahami familia in Veteri & N. Test. vnum est fœdus gratiæ, vna promissionum substantia in Christo Iesu, ex qua & nos Abrahami filij censemur, *Gal. 3. & 4.* Et Abraham æternis promissionibus se consolatus est, *Gen. 15. & 17. Hebr. 11.* Ecclesia Catholica Vet. Testam. æque fuit fundata super petram Christum, & æque fuit columna veritatis, & æque non defecit à fide, ut Ecclesia Catholica N. Testam. Denique quod attinet ad Ecclesiam externam Nou. Testam. non est melior status illius, quam olim in Vet. Testam. Sunt enim à Christo & Apostolis prædicta illa ipsa mala, quæ veterem Ecclesiam infestarunt *Mat. 24. Act. 20. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 4. 2. Pet. 2. & 3.*

XII. Nunc videamus, quomodo Bellarminus excipiat ad *testimonia Patrum*, quæ à nostris adduci solent. Primum est *Gregorij Nazianzeni in epist. ad Procopium*: Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Eiscoporum Concilia fugiam; quoniam nullius Concilij finem lætum fastumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem & incrementum habuerit. Secundum est *Augustini lib. 3. contra Maximinum c. 14.* Nec ego Nicænum; nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium; nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumque proprijs, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Tertium est eiusdem *Augustini lib. 2. de baptis. cap. 3.* vbi ait, Concilia plenaria priora à posterioribus emendari. Quartum est *Leonis, qui epist. 53. & 55. agnoscit synodum Chalcedonensem* iusse legitimam, & tamen non dubitat ei tribuere ambitionem, & inconsultam temeritatem. Quintum est *Isidori apud Gratianum dist. 50. can. Domino sancto.* Asserit Isidorus, Concilia aliquando inter se dissentire & tū standum esse antiquioribus & magis probatis. Quæ regula contraria est regulæ Augustini, qui posteriora Concilia anteponebat prioribus. Et præterea ex ea colligitur, concilia inter se aliquando pugnare, & proinde aliqua eorum errare. Quintum est *Gratiani, qui dist. 18. cap. 1. dicit, Concilia Episcopalia esse inualida ad definiendum & constituendum, non autem ad corrigendum.* Et apud eundem est decretum hoc titulo, *concordantia discordantiarum.* Quo vtrique innuit, Concilia sæpe inter se discordare.

Respondet Bellarminus, ad 1. Non negat Nazianzenus, legitima Concilia certam fidem facere, sed queritur suo tempore nullum Concilium fieri potuisse. *ad 2.* Augustinus non vult dicere, Maximinum non teneri vlllo modo autoritate Concilij Nicæni, sed non teneri in illa disputatione, quia Augustinus id promittebat. *ad 3.* Augustinus loquitur vel de Concilijs illegitimis, quæ per posteriora legitima emendantur, ut accidit Concilio Ephesino II. quod in Chalcedonensi emendatum est: vel, si agit de legitimis, tum respicit quæstiones facti, non iuris, in quibus quæstionibus dubium non est, concilium errare posse. *ad 4.* Concilium legitimum errare potest in ijs, quæ non legitime agit. *ad 5.* Isidorus loquitur de concilijs, quorum non est certa autoritas, quæ videlicet non sunt à Pontifice expresse confirmata, quæ concilia inter se pugnare possunt, & errare. Deinde Isidorus non pugnat cum Augustino. nam ille de fidei doctrina, hic de quæstionibus facti, vel morum præceptis loquitur. *ad 6.* Gratianus vocat Episcopalia concilia, non quælibet; sed tantum prouincialia. illa enim proprie sunt Episcopalia, in quibus soli Episcopi, non Archiepiscopi, aut Patriarchæ conueniunt. ista autem concilia ordinarie non instituuntur ad dogmata fidei constituenda: id enim proprium est generalium Conciliorum: sed ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam, & mores corrigendos. Itaque ex se, & ordinarie inualida sunt ad constituenda dogmata fidei: si tamen vigente aliqua necessitate definiant aliquid de fide, & eorum decretum ab Apostolica sede approbetur, nihil obstat, quo minus valida esse possint. Deinde Gratianus loquitur de discordantijs apparentibus, non veris: nam si veræ essent, concordari non possent. *Replicamus ad 1.* At vero Nazianzenus fuit vocatus ad Concilium legitimum, nempe Constantinopolitanum I. cui etiam interfuit, & orationem habuit ad centum & quinquaginta Patres illius Concilij. Itaque Nazianzenus reuera docet, contingere, ut Concilia errent, & posse fieri. Neque distinguit legitimum ab illegitimo: sed vniuersè loquitur. *ad 2.* Augustinus hoc sibi vult, & aperte dicit, Scripturæ esse autoritatem per se, Concilijs per Scripturam: ideoque pios non pugnare cum aduersarijs autoritate Conciliorum, quæ contingit bona aut mala esse, & à Scriptura autoritatem habere; sed potius Scripturæ sacræ, cuius absolute sunt necessaria testimonia. Sane si credidisset, Concilia errare non posse, tale quid non dixisset: præsertim cum Concilium Nicænum esset omni exceptione fere maius. Vnde dicit eodem loco; *Hoc est illud homouision, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arianos à Catholicis Patribus veritatis autoritate, & autoritatis veritate firmatum est.* Quibus verbis intelligit veritatem diuinam, de qua Christus Iohan. decimo septimo ait: Sermo tuus est veritas. *ad 3.* Augustinus loquitur de Concilijs legitimis. Illa siquidem & S. literas inter se confert, dicitque de illis dubitari & disceptari posse, de his minime. E. unde ibi agit de ijs rebaptizandis, qui apud hæreticos fuissent baptizati. hoc vero non est facti, sed iuris. *ad 4.* Si legitimum Concilium potest quædam non legitime agere, potest sane errare: Deinde si Concilium Chalcedonense de facto errauit, ergo Concilia generalia errare possunt. Denique Concilium de facto errat, quando à diuina veritate aberrat in Scripturis exposita, non autem, quando reprehenditur à sede Apostolica. *ad quintum.* Isidorus loquitur de restitutione eorum, qui in scortationem lapsi sunt, ex Concilio Ancyrano. hæc autem profecto non fidei, sed morum

est quaestio ad 6. Itaque Concilia provincialia aecedente Pontificis Romani confirmatione, parem cum frequentissimo etiam generali Concilio habebit auctoritatem. Id vero Bellarminus supra negavit. Deinde Gratianus loquitur de discordantijs veris & falsis, nam utriusque generis apud ipsum exempla sunt innumera.

XIII. Atque haec sunt testimonia Patrum, quae Bellarmino placuit seligere ex nostris. Quibus nos vnum & alterum adiungemus. Hieronymus in epist. ad Galatas ait: Spiritus sancti doctrina est, quae Canonicis literis prodita est; contra quam si quid statuunt Concilia, nefas duco. Ambrosius epist. 32. Nicænum Concilium recipit, Ariminense repudiat, quia illud cum Scripturis conveniebat, hoc vero pugnat. Sic enim scribit: *Hanc fidem Galliae tenent, hanc Hispania, & cum pia divini Spiritus confessione custodiunt.* Idem lib. 1. de fide c. 8. ait: Sic nostri secundum Scripturas dixerunt Patres. Augustinus lib. 2. de baptis. cap. 3. ait: Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam, tam veteris quam novi testamenti, certis suis terminis contineri; eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita praeponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit; quid quid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autem literas, quae post confirmatum canonem vel scriptae sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapienterem cuiuslibet in ea re petitoris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licite reprehendi, si quid in eis forte a veritate deuiatum est: Et ipsa Concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritari, quae fiunt ex vniuerso orbe Christiano sine vllis ambagibus eedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vlllo typho sacrilegae superbiae, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione iuide inuidia, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana? Ex his patet, Augustinum negare certam esse vlliam Concilij auctoritatem per se, aut per Pontificem Romanum, sed per canonem Scripturae solum: & quae prioribus ignota fuerunt, ea progressu temporis reclusa patere in Scripturis sacris, cum Deo placuit aperire oculos feruorum suorum, ut fontem illius videant ad cognitionem veritatis. Idem lib. 2. contra Cresconium Grammaticum, cap. 21. Paulus autem Apostolus dicit Ecclesia subdita est Christo. Non igitur debet Ecclesia se Christo praepone, ut putet baptizare posse ab illa iudicatos, a se autem iudicatos baptizare non posse, cum ille semper veraciter iudicet, Ecclesiastici autem indices sicut homines plerumque fallantur. Itaque nos adducimus testimonia Patrum, qui vel Concilia, eorumque auctoritatem verbis eleuant, ut Nazianzenus: vel priora Concilia per posteriora, aut etiam contra, emendari, itemque alia alijs merito praeponi: vel ab omnibus Concilijs ad Scripturam iure semper, prouocari, & hanc illis praeponi: vel denique Ecclesiam Christo & eius verbo subijci, perspicue docent.

XIV. Pergit Bellarminus, & ait: Enumerant aduersarij errores Conciliorum. Sed è maximo numero errorum, solum tertia pars eget aliqua discussione. Trium enim generum errores in concilijs aduersarij obseruauerunt. Quosdam errores veros & crassos, sed Conciliorum illegitimos, & a Pontificibus reprobatorum, ut Ariminensis, Seleuciensis, Ephesini II. quos frustra enumerant, cum nihil faciant contra nos. Alios deinceps errores, non veros, sed fictos Conciliorum legitimos, & probatorum, omnia enim, quae ipsi non probant, errores vocant. Hoc modo dicunt errasse Concilium Chalcedonense, in quo sanctimoniales prohibentur votum continentiae violare; & Concilium Carthaginense V. in quo statuitur, ne aliam erigatur, sine reliquijs martyrum. Sed dum haec dicunt, assumunt quod probandum erat. Alios denique errores obseruant in veris, legitimisque Concilijs, qui reuera speciem aliquam erroris habere videntur, id est, eiusmodi sententias videntur continere, quae & nostro, & illorum consensu iudicantur erroneae: atque hos duntaxat examinare & diluere debemus. Respondeo, 1. Omnino errores primae classis faciunt contra Papistas. Id enim obtinemus eorum argumento, Concilia & errare posse, & ex facto errasse. Deinde tria ista Concilia, Ariminense, Seleuciense, & Ephesinum II. fuerunt legitima; tum quia congregata fuerunt ab eo, qui auctoritatem habuit congregandi; tum quia illi interfuerunt quos oportuit adesse, veri scilicet & legitimi Episcopi. Porro Concilium Ephesinum II. fuit generale: quia conuocatum fuit à Theodosio Imp. & aderant omnium vbiq; ecclesiarum Episcopi: aderant Patriarcha quatuor, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus, & Romanus etiam Pontifex per legatos suos aderat. Adhaec ex historijs constat, Arianos, regnante Constantio, intra spatium triginta annorum concilia ad minimum decem habuisse; in quibus omnibus error definitus & confirmatus, veritas vero depressa fuit. Habuerunt enim Concilia, eaque maxima, Tyri, Hierosolymis, Philippis, Sirmij, Arimini, Seleucia, Constantinopoli duo, Antiochia etiam, Alexandria, & Mediolani; in quibus victa veritas, damnatus Athanasius, explosum quod fuerat. Si quis dixerit, haec Concilia haeretica fuisse, hoc est, quod nos dicimus: posse in concilijs haeresim proponi & propagari. Et vero licet fuerint Concilia ista haeretica: tamen legitima fuerunt quantum ad formam externam. Sed quoniam haec Concilia fuerunt Arianæ; videamus alia, quae scilicet ex Episcopis Catholicis constabant. Cyprianus, Episcopus sanctus, & martyr Christi, habuit tria concilia, vna cum multis alijs pijs Episcopis, in quibus omnibus definitum fuit, eos qui ab haereticis baptizantur, esse rebaptizandos: ut apud Cyprianum, Eusebium, & Augustinum videre est. Hoc itaque semper obtinens, Concilia & errare posse, & ex facto errasse. 2. Veri sunt errores, quos obseruamus in concilijs: etsi Papistas non videntur errores. Omne enim id nobis est error in fide, quod repugnat articulis fidei in Scriptura comprehensis.

XV. Iam percurramus Concilia in S. literis obuia, quae omnino, quantum ad externam formam legitima fuerunt, & tamen in religione grauius errarunt. I. Reg. 18. Concilium Baalitarum cogitur contra Eliam. cap. 22. cogitur concilium 400. prophetarum, qui omnes errarunt, ipso Deo teste. Iohan. 9. Concilium Iudaeorum, praeside summo Pontifice Caipha, excommunicat eos, qui confitebantur Iesum esse Christum. Iohan. 11. & Marc. 14. Christus damnatur ab eodem concilio. Act. 4. 5. 7. & 22. Concilia celebrantur aduersus Apostolos. Et haec quidem exempla ex S. literis adducimus. Bellarminus respondet ad secundum exemplum; primo concilium illud fuisse prophetarum falsorum: deinde concilia non prophetarum, sed sacerdotum

esse debere: denique Concilium istud ab Achab rege, non à summo Pontifice coactum fuisse, ac proinde nihil esse mirum, si errauit.

Respondeo, 1. Quaecumque fuerit, tamen concilium fuit. Et hoc satis est ad rem, quae agitur. 2. Fateor non fuerunt veri prophetae. Sed quis confirmet nobis eos qui Concilio interfuerunt, esse prophetas Domini, atque in eo prophetarum officium agere? Ipse Iosaphat putabat esse veros prophetas. Ait enim vers. 7. Annon est hic propheta Iehoua amplius? Et si persuasus fuisset, illos esse pseudoprophetas, quare illorum hortatu cum Achabo profectus est in bellum? Etiam prophetae poterant Concilij interesse. Et illorum iudicium erat certius, quam sacerdotum: utpote qui extraordinarijs donis erant instructi. 4. Si pseudoprophetae illi fuissent coacti à sacerdote maximo, & que errassent. Itaque non interest, a quo fuerint congregati. Et certe Elias, magnus ille propheta congregauit magnam multitudinem prophetarum, qui tamen ideo non rectius iudicauerunt. Nimirum causa efficiens non est de substantia rei. Potest & bonum Concilium cogi à malo rege, & malum à bono sacerdote. Ad Concilium Iudaeorum, quod damnauit confessores Christi, & ipsum quoque Christum, respondet Bellarminus, illud in fide errasse perniciosissime, cum iudicauit Iesum blasphemasse, qui se Filium Dei appellauerit: idque hinc esse, quod Pontifices & Concilia Iudaeorum non potuerunt errare, antequam Christus veniret, sed eo praesente potuisse, imò fuisse praedictum erraturos, Esa. 6. Dan. 9. Sed Stapletonus, Andradius, & alij negant Concilium hoc fuisse legitimum. Respond. 1. Bene habet, quod Bellarminus fatetur, aliquod Concilium in fide errasse. 2. Omnino hoc Concilium fuit legitimum: quia ibi fuit summus Pontifex, vna cum reliquis sacerdotibus. At hi omnes erant legitimi. Neque enim iam tum sublatum erat sacerdotium Leuiticum. 3. Hinc etiam videmus, quam vanum sit illud Bellarmini. Concilia Iudaeorum ante Christum errare non potuisse, sed postea potuisse. Nam Christo praesente aut desit Aharonicum sacerdotium esse verum sacerdotium, aut non. Si desit; tum nouum sacerdotium fuit constitutum. Sed hoc falsum. Aut hoc ergo legitimum fuit sacerdotium, aut nullum fuit sacerdotium, à Christo nato ad Christum mortuum: ac sine sacerdotio nulla Ecclesia. Si non desit, tum Christi praesentia sacerdotium non mutauit. Et si desisset illud sacerdotium, Christus non templum, non sacrificia frequentasset. 4. Pontifices & Concilia Iudaeorum non potuisse errare antequam Christus veniret, omnino falsum est, & ex historia Iosephi multis exemplis conuincitur: potentissime vero aliquot historijs apud Ieremiam, & historia Elia sibi sacerdotis, Nehem. 12. in testamento veteri: in nouo autem, ipsius Christi verbis, plurima antiquorum dogmata refellentis, Matth. 5. & 15. & 23. Quapropter etiam vana illa Iudaeorum ante aduentum Christi doctrina & conuersatio dicitur *ut supra videtur*. 1. Petri 1. vers. 18. Certe non frustra, neque etiam falso Elias tantas tenebras, adeoque ipsam vmbrae mortis obtenturam ante aduentum Christi toties praedixit. 5. Hosius, Canus, & alij dicunt, in hoc concilio fuisse pronuntiatam veram sententiam, & Spiritum sanctum huic concilio adfuisse, ut ex prophetia Caiphae Iohan. 11. colligere licet. Nam utique à Spiritu sancto habuit hoc vaticinium summus ille Pontifex. Sed recte statuit Bellarminus, huius concilij sententiam nullo modo posse defendi. Neque iuuat, quod Caiphas prophetauit: quia donum prophetiae in differenter adest bonis & malis. 6. Si Concilium illud iam praesente Christo errat, quod ille per se administraret ecclesiam: quomodo ecclesia Romana, & eius vicarius, ab errore excusabitur, quando Christus praesens adest, & Ecclesiam per se administrat, Matth. 28.

XVI. Iam Bellarminus pungit Lutherum, quod videatur reprehendere Concilium Act. 15. dicit enim Iacobum mutasse sententiam Petri. Et rursus ex lege illa Apostolorum probat, concilium nihil prodesse, quia non potest defendi illa lex, nisi dicamus concilium non obligare. Respondeo, 1. Lutherus dicit, Iacobum mutasse sententiam Petri; non quod illam ut falsam respuerit, sed quia quod desit, necessario expleuit. Nam addidit aliquid Iacobus, quod Petrus praetermisit. Itaque Lutherus non respicit substantiam eorum, quae Petrus dixerat, & in quae consenserunt omnes: sed de superaddita obseruatione illa ceremoniali intelligit, quae non propter auctoritatem legis, sed propter imperitorum infirmorumque conscientias requireretur per illud tempus. Vtrumque probauit concilium. 2. Lutherus tale nihil dicit: sed hoc vult, concilia Papistica non esse tanti faciendae: cum quod ipsi Apostoli decreuerunt, ab ijs non seruetur: ergo non esse hunc finem Conciliorum, ut omnia illorum decreta sint rata: Papistas sua concilia vrgere, qui tamen hoc concilium contemunt.

XVII. Nunc venio ad arcem defensionis nostrae, quae nititur *indicatione illorum Conciliorum*, quae ipsi Pontifici alia approbare solent: in quibus tamen non pauca reperiuntur, quae manifesto sunt falsa, aut alijs concilijs repugnant, aut hodierna praxi Papistarum sunt contraria. I. Concilium Neocaesariense, quod ipso Nicæno est antiquius, nuptias secundas can. 7. prohibet: quas Spiritus sanctus probat Rom. 7. 3. 1. Cor. 7. 39. II. Concilium Nicænum can. 19. iubet *ut non aliter ieiunent, nisi ut in diebus illis*, id est, eos qui secuti sunt Paulum Samosatenum, iterum baptizari. At hic est error Cypriani, & Anabaptistarum. Secundus error huius concilij est de militia damnata. Nam canone 12. prohibet eos *ut non aliter ieiunent, nisi ut in diebus illis*, id est, redire ad militiam, qui cingulum abiecerunt. At Iohannes Baptista Luc. 3. non damnat milites, aut illos iubet castra deserere. III. Conc. Chalcedonense, ex mente Papistarum, errauit quoad Episcopum Constantinopolitanum Romano exaequavit. Deinde errauit in tribus capitibus, si fidem adhibeamus Concilio Constantinopolitano II. quando tria capita Concilij Chalcedonensis de Theodoro, Theodoro, & Iba damnauit act. 4. Hunc autem errorem Pontifex Romanus probauit. IV. Carthaginense III. cap. 23. iubet, ut in oblatione Eucharistiae preces semper ad Deum Patrem dirigantur. Non recte. Filius enim & Spiritus sanctus ita excluduntur. Deinde can. 26. praecipit, ut primae sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primae sedis Episcopus. At Pontifex Romanus iam dudum his & huiusmodi, nominibus se appellari voluit. V. Concilium Constantinopolitanum III. quod est sextum generale, can. 2. recipit Concilium sub Cypriano de rebaptizandis haereticis: can. 72. iudicantur irrita & soluenda coniugia Catholicorum cum haereticis. VI. Concilium Nicænum II. statuit colendas esse imagines, & desinuit, angelos & animas humanas habere corpora, & ideo posse pingi. Priori autem decreto contradicit Concilium Constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, quod fuit septimum generale: itemque

Concilium Francofurtense sub Carolo M. in quo Constantinopolitanum illud fuit confirmatum, & Nicænum damnatum. VII. *Concil. Romanum sub Stephano septimo*, vel ut alij volunt, sexto, damnauit Formosum Pontificem, & illius acta omnia abrogauit. At aliud concilium postea habitum fuit Ra-uennæ sub Iohanne IX. in quo Formosus restitutus fuit, & Stephanus dam-natus, omniaque acta Concilij illius, quod sub Stephano fuit habitum, sunt abrogata. Horum alterum errasse necesse est. VIII. *Concil. Romanum sub Ni-colao secundo* definiuit, non modo sacramentum corporis Christi, sed ipsum etiam verum Christi corpus tractari & frangi manibus sacerdotum, & fide-lium dentibus atteri. At hoc repugnat naturæ corporis Christi, imprimis iam gloriosi. IX. *Concilium Constantiense* definiuit communionem sub vna specie; statuitque, hæreticis fidem non esse seruandam. Alios item articulos vere Catholicos & orthodoxos in Hulsio damnauit. X. *Idem Concilium, & Basiliense*, definiuerunt concilium esse supra Papam. At hic est error apud Bellarminum. XI. *Concilium Lateranense sub Leone X.* confirmauit montes pietatis, à Pio secundo institutos, hoc est, vsuram & fœnerationem, qua pauperes qui pro mutuo accepto pignora deposuerant, singulis mensibus tenentur aliquid soluere propter mutuum: quam impietatem Caietanus & Do-minicus Sotus, qui huic concilio interfuerunt, prolixè impugnant. XII. *Concilium Tridentinum* est sentina omnium errorum Antichristianorum. Contradicit enim Scripture, vetustissimisque concilijs & Patribus. Sed quis commemoret omnes omnium Conciliorum errores? Per satyram tamen quosdam adhuc colligere placet. I. *Concil. Neocæsariense*, de quo sub initium dixim⁹, canone 1. statuit, Presbyterum, si vxorem duxerit, loco esse mouen-dum. At hoc Scripturæ sacræ repugnat, quæ coniugium honorabile esse docet inter omnes, etiam Presbyteros, vt Paphnuius in synodo Nicæna do-cuit, & synodus approbavit, testante ipso Iure Canonico, *dist. 31. capitulo* Ni-cæna synodo: similiter *dist. 28. capitulo* Si quis, legitur ex *Concilio Gangrensi*: Si quis discernit Presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se abstinet, anathema sit. *Idem Concilium Neocæsariense* can. 11. prohibet omnino Presbyterum ante tri-agesimum ætatis suæ annum ordinare, licet valde dignus sit. At hunc Cano-nem Papistæ non obseruant. Et canone 15. præcipit vt diaconi septem sint iuxta regulam. At hæc refelluntur in synodo Nicæna, vt dicitur in sessione septima synodi Fertariensis. 2. *Concilium Nicænum primum* can. 8. solicite ca-uet, ne in vna ciuitate duo sint aut videantur esse Episcopi. At Paulus *Act. 20. 28.* in vna ciuitate plures agnoscit Episcopos. Similiter *Philip. 1. ver. 1.* Sed hoc traueat: quia Episcopi vox cœpit esse nomen gradus altioris: vt di-ximus *lib. seq. cap. 1.* Canones 11. 12. & 13. qui pœnitentiales sunt, merito Chri-sti derogant: quando tam seueræ, & tam in multos annos externam pœni-tentiæ declarationem iniungunt, Christo ne nominato quidem, vt in exter-na illa disciplina medium reconciliationis cum Deo non obscure statuunt. 3. *Mileuitanum Concilium* capitulo 17. statuit, vt diuortio facto non liceat in-nocenti personæ denuo contrahere matrimonium. 4. *Concilium Latera-nense sub Innocentio III.* confirmauit dogma transubstantiationis in Eucha-ristia. 5. *Lateranense sub Alexandro III.* statuit post consensum legitimum v-triusque partis de præfenti matrimonio, licere alteri etiam repugnante altera parte monasterium ingredi. 6. *Concilium Arelatense II.* can. 2. sancit, non li-tere sacerdotibus vti suis vxoribus: quod repugnat canoni quarto Concilij Gangrensis. de quo paulo ante. 7. *Concilium Sirmiese & Sardiense* confir-mauit hæresim Arianam. 8. *Concilium Laodicenum* cap. 1. statuit, vt secundum indulgentiam reddamur eis, qui secundis nuptijs iuncti sunt. Ex quo videtur, Concilium antea abstulisse communionem ijs, qui secundo v-xorem duxerant, & postea illam eis reddere, condonando peccatum, id e-nim significat, secundum indulgentiam. 9. *Concilium II. generale* primum Ecclesiasticum tribuit Pontifici Romano; & statuit, quod post Romanum Pontificem debeat esse immediate Episcopus Constantinopolitanus: quæ duo iterum renouata sunt in concilio Chalcedonensi. Primus error pugnat cum Concilio Nicæno, in cuius can. 7. tribuitur primatus Episcopo Hie-rosolymitano; & cum Concilio Carthagenensi tertio, de quo paulo ante. Se-cundus error pugnat cum concilio Nicæno can. 6. vbi tribuitur secundus lo-cus Alexandrino, tertius Antiocheno episcopo, quem canonem frequenter citat *Leo epist. 53. 54. 55. 10.* *Concilium Carthagenense III.* can. 47. numerat in canone 5. literarum aliquot libros apocryphos, vt Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, & Maccabæos, contra autoritatem concilij Laodicensis can. vltim. vbi omnes isti libri reiiciuntur. 11. *Concilium Toletanum I.* can. 17. statuit, posse admitti ad communionem eum, qui cœcubinam habet, modo non sit vxoratus. 12. *Concilium Wormatiense* can. 3. iubet fures occultos explorare per sacræ Eucharistiæ perceptionem quem esse errorem docet *Thomas part. 3. q. 80. art. 6.* Sed satis de erroribus conciliorum. Cona-tur quidem Bellarminus quosdam excusare: sed non solide, vt apud Witha-kerum & Iunium nostros videre est.

XVIII. Sequuntur iam rationes nostræ. 1. Si Concilium firmatum auctoritate Summi Pontificis, ita à Spiritu sancto gubernatur, vt errare non possit in causis fidei iudicandis; tum omnes eius definitiones erunt *orthodoxæ*, & Canonicis Scripturis pares, nam Scriptura est *orthodoxa*. Sic nihil inter decreta conciliorum, & scripta Prophetarum & Apostolorum intererit. Sed consequens est aperte falsum. E. & antecedens. 2. In omni cœtu multitudi-nis sæpe accidit, vt maior pars vincat meliorem. Igitur in concilijs ecclesiæ, vbi definiuntur omnia ad plura suffragia, facile fieri potest, vt error contin-gat. Ita sane in concilio Arimineni & Ephesino II. pauci boni à multis malis victi sunt. 3. Legitimum ecclesiæ concilium ex Episcopis constat Catholi-cis. Iam vero qui sunt Episcopi Catholici, nobis ignotum est. Possunt enim esse hæretici, vel schismatici: immo fieri potest, vt ne Episcopi quidem sint, qui se pro Episcopis Catholicis venditant. Ergo decreta conciliorum no-bis semper dubia & incerta erunt. Non possumus enim certo credere, om-nia Conciliorum decreta vera esse; quia potest aliquod concilium ex huius-modi Episcopis constare. 4. Si non possunt Episcopi in concilio congregati errare circa fidem; hoc fit aut ratione sapientiæ, aut sanctitatis, aut potestatis, aut promissionis à Christo factæ. Non ratione sapientiæ; quia non sunt omnium hominum sapientissimi: nec propter sanctitatem, quia sunt ali-quando homines impuri, & sanctitas non confirmat in fide: nec propter au-thoritatem, quia Papæ maior est autoritas quam Concilij, vt illi voluit, & tamen Papa potest errare, vt est apud *Gratianum dist. 40. cap. Si Papa*: deai-

que non propter Christi promissionem, quia Christus non loquitur de Concilio & tamen fidem semper duraturam esse ait. 5. Historici nulli, nisi facti, certam fidem faciunt. At hoc aut illud Concilium, legitimum fuisse, non ex sacris historijs, sed tantum ex Ecclesiasticis cognoscimus. Quare non possumus certo statuere alicuius Concilij decreta esse vera. 6. Con-cilia possunt in facto errare: vt concedunt Papistæ. Ergo & in fide. Ratio con-sequentis est: quia dicunt Concilium non errare in fide aut in iure, quia re-gitur à Spiritu sancto. Ergo nec in facto errat: quia Spiritus sanctus est Spi-ritus veritatis, qui in nullum potest nos inducere errorem, siue ille sit iuris, si-ue facti.

XIX. Ad has nostras rationes sic excipiunt Papistæ. *ad 1.* Canus ait, duplex esse discrimen inter sacros Scriptores & Pontificem, Patresque con-cilij; quod illi ex proxima Dei reuelatione & inspiratione scribant dogmata Catholica, habeantque Spiritum S. sibi præsentem etiam in minimis; at Pa-tres in Concilio congregati humana vtantur diligentia, habeantque Spi-ritum sanctum sibi præsentem in rebus fidei duntaxat; in facto enim errare posse. Sed hoc nihil facit ad rem. Quomodo enim procedant, semper ipsorum decreta sunt infallibilia; ita vt ijs tanquam *orthodoxis* assentiamur. *ad 2.* Bellarminus respondet, in cœtibus humanis aliquando id accidere, vt maior pars vincat meliorem: in Concilio autem Ecclesiæ, vbi Christus est in medio, & Spiritus S. præsidet, & illi congregati sunt, de quibus vel potius de quorum præside, successore Petri, dictum est, *Rogauit pro te, ne deficiat fi-des tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*: non est, quod tale quid metuatur. Sed istæ responsiones ante sunt confutatae. Sunt enim hypotheses falsæ: duæ primæ, falso consequente; tertia vero, falso antecedente ipsarum. Non sequitur: vbi Christus est, vbi præest Spiritus illius, non errari. Illum vero adesse, cui dictum est, *Rogauit pro te &c.* falsum est. Nam neque Petrus adest, neque ipse successor adest, si Pontifex præest. *ad 3.* Bellarminus re-spondet, non esse necessarium, vt sciamus Episcopos, qui ad Concilium con-ueniunt, habere fidem, & veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium. Nam si summus Pontifex, & omnes Episcopi, qui conueniunt ad Concilium aliquod generale, essent corde hæretici: tamen Deus non per-mitteret, vt eiusmodi Concilium in decretis suis formandis erraret: assistit enim Concilio Spiritus S. propter Ecclesiæ, quam vniuersam errare non permittit diuina providentia. Itane vero Bellarmine? Num Spiritus sanctus assistit hæreticis? Si assistit, an eor regit, vel linguam, vel vtrumque? Si cor regit; iam non sunt hæretici. Si linguam tantum; non est Spiritus ille, quem promissit Christus. Si vtrumque; iterum non sunt hæretici. Deinde non se-quitur: Deus assistit concilio, ergo Concilium non errat. Nam Deus assi-stit, vel ne erret; vel erranti, vt non in totum à Deo aberret: nec omnia diuina omni tempore in eo operatur, sed pro modulo hominum, & demerso do-nationis suæ. *ad 4.* Turrecremata respondet, Concilia non posse errare pro-pter promissionem illam. *Luc. 22.* Rogauit pro te &c. itemque; istam *Matth. 16.* Porta inferorum non præualebunt &c. At concedunt Papistæ, Papam posse errare. Deinde quid hoc ad Concilium attinet? Nam si Papa non errat, num ergo Concilium non errat? Denique Christus etiam orat pro reliquis suis ec-clesijs, & porta inferorum non possunt præualere contra illos. Ergo hac ra-tione nullus pius erraret vnquam. *ad 5.* Vega, qui interfuit Concilio Triden-tino, magnopere fuit hoc argumento conturbatus. Ait vero tandem, Con-cilium esse legitimum, fide Catholica teneri à fidelibus, non quia id restan-tur historici, sed quia ipsum Concilium hoc definiuit. At hoc absurdum est. Quid enim hoc ad fidem Catholicam pertinet, hoc aut illud concilium le-gitimum esse? Tum inter hæc duo nihil intererit, Christum Dei Filium esse Patri *omnino*, & Concilium Nicænum esse legitimum. Quare Bellarminus refutat hanc responsionem, satis quidem neruose: sed non satis ingeniose a-hiam adfert: nempe illam Cani, fide Catholica teneri, concilia legitima non errare; sed hoc aut illud concilium esse legitimum, fide humana sciri, vt fuisse quondam Ciceronem, Catilinam, Iulium Cæsarem. Quod quidem si ita est, Conciliorum autoritas est incerta: quippe quæ pender ab historijs hu-manis. Vnde itaque scio, aliquod concilium esse legitimum, hinc etiam scio, eius decreta legitima esse. Scio autem ex historia v. g. Socratis, Sozomeni, Theodoretæ &c. Concilium Nicænum, Constantinopolitanum primum &c. legitima esse. Ergo etiam inde scio, ipsorum decreta esse legitima. *ad 6.* Responder Delphinus lib. 2. Concilium ideo errare in rebus facti, quia in il-lis iudicant Episcopi in Concilio congregati secundum allegata & probata. Sed hinc efficitur, ipsorum iudicia in concilijs esse humana, & non diuina, id quod volumus.

XX. Superest apud Bellarminum de *Concilijs particularibus*, quæ di-cit non omnino certam fidem facere, nisi confirmata sint à Romano Pontifi-ce: & de *Concilijs generalibus*, quæ ante confirmationem summi Pontificis errare posse contendit, nisi Patres in definiendo sequantur instructionem Pontificis. Quod attinet ad priorem conclusionem, & ratio, & experientia illam refutat. Nam si fideles Dei serui congregati in tali Concilio faciant of-ficium suum ex commissione diuinæ maiestatis (non vero ex commissione Apostolicæ sedis, vt sunt verba Bellarmini) regiaque autoritate Christi, & commissionis diuinæ instrumento, id est, Scriptura sacra; possunt Concilia particularia definire dogmata dubia; & decreta eorum esse firma. Deinde Concilium Gangrense, Arausicanum, & similia particularia definiuerunt a-liquid de fide, sine approbatione Apostolicæ sedis. Quæ secundo loco adfer-runtur de instructione Pontificis, ea & ligant Episcopos, hoc est, illos red-dunt obnoxios Papæ, ita vt non possint libere sententiam ferre; & pugnant cum ipsa rei natura. Nam in rebus fidei oportet sequi instructionem Christi Pontificis. Omnino Concilium errat, quod contra istam instructionem ag-it. Instructio Romani Pontificis potest & ipsa aberrare ab instructione Christi, qui solus est pastor vniuersalis, nulli obnoxius errori: vt merito hic vsurpamus illud *Gregorij Magni lib. 4. epist. 32.* Vniuersa Ecclesia à statu suo corrui, quando is, qui est vniuersalis, cadit.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER.



LIBER QVARTVS

DE

MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

Caput Primum

De ordinibus & officiis ministrorum Ecclesiae; sententia nostra.



ECCLESIAM hucusque considerauimus ut totum, primo collectiue, tanquam corpus, deinde representatiue, tanquam istius corporis imaginem, ita ut vtroque sint, & illi qui praelunt, & illi qui subsunt, coniunctim: ordo disputationis iam nos vocat ad distinctam considerationem, & illorum, quos praesse, & horum, quos subesse diximus. In haec enim membra (Logici partes integrantes vocant) Ecclesia proxime diuiditur. Alii nempe sunt *ποισιμους*, quos Scriptura vocat *ποιμεις*, pastores, antiqui

Dd. clericos: alii *υποσχομενος*, quos Scriptura appellat *υποσχομενος*, *gregem*, *1. Petr. 5.* atque adeo *υποβαλε* *oues*: antiqui Dd. laicos. Quamquam & illi, & isti saepe appellantur Ecclesia. Sumitur enim haec vox, aut proprie, absolute, & composita, ita ut significet vniuersum corpus: ut, cum *Act. 8. 1.* dicitur persecutio magna in Ecclesia extitisse; & Paulus *1. Cor. 15. 9.* & *Gal. 1. 13.* se dicit persecutum fuisse Ecclesiam Dei: aut synecdochice, & opposita, pro hac vel illa Ecclesiae parte, pro ratione sensus adiunctorumque verborum: ut cum Lucas *Act. 15. 4.* narrat Paulum & comites eius fuisse exceptos ab Ecclesia, & ab Apostolis, ac Presbyteris: & *vers. 22.* visum esse, Apostolis, & Presbyteris, cum tota Ecclesia: item cum Scriptura Presbyteros Ecclesiae vocat, aut Angelos Ecclesiarum, *Apo. 1. 2.* & *3.* Ecclesia gregem denotat, cui ministrant illi. Cum vero narratur Paulum Antiochiam venisse & congregauisse Ecclesiam, *Act. 14. 27.* salutauisse Ecclesiam, *Act. 18. 22.* & c. pars illa Ecclesiae significatur, quae praest reliquo coetui & corpori, totumque corpus, institutione Christi & gregis, representat. Atque has duas partes distincte proposuit Paulus *Phil. 1. 1.* cum epistolam suam ita inscriberet: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippus, vna cum Episcopis & Diaconis.* sanctos eos quibus ministratur a sanctis ministrantibus distinguendo. De his itaque deinceps erit nobis sermo: & quidem primo de ministrantibus, quorum ordinem, vocationem, & priuilegia edisseremus, praecedente nobis principe pastorum Iesu Christo.

II. Septem autem ordines ministrorum Ecclesiae N. T. diuinitus institutos agnoscimus. videlicet Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores, Presbyteros in specie sic dictos, & Diaconos. Quam sententiam confirmamus autoritate Scripturae, & firma ratione. Ac primo quidem Apostolus *Eph. 4. 11.* quinque priores ordines commemorat: sextum describit idem *1. Tim. 5. 17.* septimus institutus legitur *Act. 6.* Ex his autem ordinibus alii fuerunt extraordinarii & temporarii, puta Apostoli, Prophetae, & Euangelistae: quatuor reliqui sunt in Ecclesia N. T. ordinarii & perpetui: nempe primo Episcopi, siue Presbyteri, qui sunt ministri verbi & sacramentorum; Doctores, qui praesunt interpretationi S. literarum; Presbyteri, qui praesunt gubernationi, vna cum Episcopis, seu Presbyteris prioris generis: denique Diaconi, qui praeficiuntur aetario Ecclesiastico. Sunt itaque hi ordines diuinitus instituti partim a Christo immediate, partim mediate per Apostolos. Quod attinet ad tres priores, placuit Deo nullis certis locis illos addicere, sed per illos partim sibi colligere & plantare varias Ecclesias, quemadmodum in primis fecerunt Apostoli: partim plantatas irrigare, fouere, & confirmare, ut fecerunt Prophetae, & Euangelistae; quos propterea etiam noluit esse perpetuos: quatuor autem posteriores voluit certis Ecclesiis regendis & conferuandis consecrari, idque in fine mundi; quos ea de causa ordinarios & perpetuos ministros appellare solemus. Ut enim quatuor sunt praecipua Ecclesiastici regiminis obiecta; quae perpetuo in Ecclesia vigent; nempe primo ministerium verbi & sacramentorum; deinde, huius ministerii defensio per gladium spiritus & oris; tertio, administratio disciplinae, seu vitae & morum censura; denique cura pauperum, aegrotorum & afflictorum: ita quoque quatuor ordinarios illorum hominum gradus esse oportet, qui circa regimē ipsius Ecclesiae occupantur.

III. Habemus ordines ministrorum N. T. in Scriptura fundatos: in quibus ista tria expendere oportet; in quo conueniant, in quo differant, & num gradus aliquos admittere possint. Ad primum quod attinet, vnitatis & identitatis horum ordinum pender ab vnitatis Euangelii & Ecclesiae. Nam aequales sunt, imo vnum sunt, omnes ministri Euangelii & Ecclesiae: quia quae in vno tertio conueniunt, inter se conueniunt. Quatenus itaque septem illi ordines laborant in Euangelio, sunt profus aequales. Et haec quidem aequalitas sic accipi debet. Presbyteri & Diaconi aut sunt simul pastores, vel doctores: aut non. Illi sunt profus aequales: hi sunt aequales, quatenus sunt omnes ministri Ecclesiae; inaequales, quatenus alii sunt ministri Ecclesiae & Euangelii simul, alii ministri Ecclesiae tantum, ut Presbyteri in specie sic di-

cti, & Diaconi. Vnde aliqua inter ipsos differentia est manifesta. Sed ut omnis fere differentia, quae est inter istos ordines, ob oculos nobis ponatur, vocabula singula ordine sunt nobis explicanda.

IV. Apostolus in N. T. tres habet significationes. Nam primo Seruator noster, qui Apostolorum princeps est & dominus, appellatur Apostolus, *Heb. 3.* quia est legatus Dei ad homines, & quidem legatus princeps, qui ipse quoque est legatus. Deinde in N. T. hoc nomen nemini datur, nisi euangelii ministris: inter quos cum magna esset differentia, primos illos duodecim viros, quos Christus elegit, vocat summos Apostolos *1. Cor. 12. 5.* & *12. 11.* Fuerunt itaque tertio loco praeter summos illos Apostolos, qui proxime a Christo legationis munus acceperant, alii quam plurimi nuncupati Apostoli, quod aut ab ipsis Apostolis cooperatores in munere Apostolico essent assumpti; aut ab Ecclesia Hierosolymitana, quae mater erat Ecclesiarum, missi. Inter quos se nonnunquam ingerebant vltro pseudo apostoli, quos Paulus vocat dolosos operarios, qui se transformabant in Apostolos Christi. Tres itaque sunt classes verorum Apostolorum in Scripturis. Prima classis Apostolus est Iesus Christus. Secunda classis Apostoli sunt duodecim illi, qui a Domino fuerunt electi, ut primi essent Euangelii praedicatores; cum quibus ille familiariter viuere, & omnium consiliorum, quae pro temporis ratione capere poterant, eos facere participes voluit; ut postea magis idonei testes essent omnium eorum, quae tum vidissent tum audissent. Prima ipsorum provincia vltra Iudaeae terminos se non porrexit: nam ad Samaritanos & Gentes ire prohibiti sunt. Atque haec prima fuit ipsorum legatio siue missio. Altera ipsorum missio est *Matth. 23.* quae nullis definita fuit terminis, sed ad omnes Gentes se extendit: etsi sub initium communionem coluerunt cum fidelibus in Iudaea, ut ex Actis patet. Hoc dignitatis gradu Iudas perfidia & auaritia sua excidit: cui post ascensionem Domini Marthias surrogatus fuit. Duodecim his Apostolis peculiariter & *μαρτυροι* sic appellatis postea decimus tertius additus est Paulus; & iuxta quosdam Barnabas, *Act. 14. 14.* Tertia classis Apostoli sunt Andronicus & Iunia, qui insignes inter Apostolos nominantur, *Rom. 16.* item Titus, & qui cum eo erant fratres, qui Apostoli vocantur Ecclesiarum, *2. Cor. 8.* & Epaphroditus, qui *Phil. 2.* dicitur Philippensium Apostolus. Nota est autem deriuatio Graecae dictionis. Nam in communi Graecorum vsu *αποστολοι* dicebantur certi homines, qui negotii gerendi causa, magis quam deferendi nuntii, aliquo mittebantur. Sic accipitur *Iohan. 13. 16.* Et ita Christus *Heb. 3.* ut diximus, appellatur *αποστολος* & *μαρτυρος* *αυτου* *αποστολος* *αυτου* *μαρτυρος* *αυτου*, *Apostolus & pontifex confessionis nostrae*, vel quia caput ipse est & princeps Apostolorum, vnde omnis in illos vis diuina atque auctoritas manauit; vel quia ipse quoque in hunc mundum a Patre *αποσταλην*, missus est, *Matth. 15. 24.* Sed nos hoc loco agimus de Apostolis, qui peculiari & propria notione ita sunt dicti, hoc est, de illis duodecim Christi discipulis, quibus ipse orbem terrarum, non solum praedicatione verbi erudiendum commisit, sed etiam auctoritatem amplissimam dedit, Ecclesiam suam fundandi, constituendi, verbo scriptisque docendi, & Episcopos illi pastoresque alios imponendi, qui deinceps iure diuino essent eam recturi. Inter proprias horum Apostolorum notas sunt primo haec duae, quod a Christo immediate electi & missi sunt, ut essent testes resurrectionis ipsius & omnium quae vidissent. Ad priorem notam respicit Paulus, cum asserens sui Apostolatus dignitatem, initio epistolae ad Galatas, factum se ait Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem. Ad posteriorem notam pertinet, quod ait Dominus initio Actuum, *ιστοι* *μαρτυροι* *αυτου*, testes mihi eritis in tota Iudaea, Samaria, & vsque ad vltimos mundi fines. Confer *Act. 1. v. 21. 22. cap. 10. vers. 41. 42. cap. 22. 11. 1. Cor. 9. 1.* Quae verba posteriora de vltimis mundi finibus constituunt tertiam notam; & ad vniuersos Apostolos pertinent, non ad singulos. Nam Apostolatus Iacobi vixit Hierosolyma & Iudaea finitus fuit. Petri vero Apostolatus, Iudaeorum, qui per varias gentes dispersi erant, praecipua cura terminauit. Et Pauli labores atque zelum in praedicando Euangelio, intra Asiae minoris & Europae gentes finiebantur. Tertiam hanc notam Apostolatus propriam notant Euangelistae, cum dicunt, iussos fuisse illos ire per vniuersum mundum, & praedicare Euangelium *αετι* *την αιωνα* *οmnibus creaturis*, *Marc. 16. 15.* Propterea Chrysostomus *eximia* *quadam* *homilia* *tom. 8. pag. 110. editionis Sauii* ait: *αρχομενος* *ει* *αι* *υπο* *θεου* *υποσχομενος* *αι* *αποστολοι* *αρχομενοι*, *ουκ* *ειδη* *υπο* *αλλου* *απο* *θεου* *λα* *μεβαλοντες*, *αι* *α* *αποστολοι* *υπο* *την* *ειρημην* *εμπεριστασις*. Principes sunt Apostoli a Deo constituti; principes, qui non gentes aliquas aut vrbes diuersas regendas acceperunt, sed quorum fidei orbis terrarum in commune fuit concreditus. Quarta nota est potestas & dignitas longe maior & augustior, quam vlli vnquam alii functioni spiritali fuerit attributa. Solis enim Apostolis dictum est a Christo, *Sicut misisti me Pater, & ego misit vos*, *Iohan. 20. 21.* quod etiam significat Apostolus *1. Cor. 12. 28.* Et Chrysostomus eum locum tractans, ea, quam diximus, homilia, ut magnitudinem muneris Apostolici exprimeret, comparationem

Atque obseruat talis præceptor diligenter, quid quisque discipulorum proficiat: & si quem animaduertit cessare in discendo, eum & priuam corripit & admonet officii: si quem cernit gnauiter pergere in discendo, eum appellat subinde, collaudat, atque ut studium eius magis magisque proficiat, inflammat. Has omnes septem rationes docendi, Christus Dominus ipse quoque seruauit. In synagoga Nazarethana legebat caput ex *Esa. 61.* & interpretabatur *Luc. 4.* Præcepta Dei explicauit in monte, *Matth. 5.* Et passim tibus quoque sese, omnibus bonis & malis respondit: ac inuicem interrogauit, ut *Matth. 22.* Discipulos subinde catechizauit: ipse quoque Catechismo interfuit, *Luc. 2.* Cum itaque adeo multiplicem operam requirat ministeriū docendi: *plures etiam ministrorum ordines* sunt huic ministerio deputati: & Scripturas recitare. Hæc uero diuinarum Scripturarum recitatio in hoc fuit instituta, ut & lingua ratioque loquendi Scripturæ, ipsaque Scriptura populo tota redderetur notior atque familiarior. Intra annum enim omnes sacros libros populo recitabant: cum ij qui Scripturas enarrabant, non possent nisi aliquam partem Scripturarum, nec eam magnam, vno anno explicandam absoluerent. Interim autem populo per solam diuinarum librorum recitationem, confirmabatur mirifice cognitio omnium dogmatum salutis nostræ: nam illa in singulis sacris libris identidem repetuntur, & aliis atque aliis nominibus explicantur, ut populus semper ex sequenti lectione disceret non pauca, quæ ex priori plane percipere nondum poterat: eademque opera confirmabatur applicationibus, atque omni doctrina, quæ illi adferebatur, vel per legitimos Ecclesiæ curatores, atque doctores, siue per alios. His de causis magni fuit habitum in præcis Ecclesiis & hoc munus diuinas Scripturas simpliciter populo recitandi: nec delecti ad hoc ministerium fuerunt, nisi de singulari pietate commendati. Quod tum ex aliis veterum monumentis cognoscere licet, tum maxime ex vna & altera Diui *Cypriani* epistola perspicitur: ut ex *epist. 5. l. 2.* de Aurelio ordinato lectore; & *epist. 22. lib. 3.* de Saturno; atque in *lib. 4. epist. 3.* de Celerino Cælestino. His lectoribus adiuncti postea sunt & *Psalter.* qui decantandis psalmis & hymnis præerant. *Et mox.* Alterum iam munus est, doctrinæ dispensandæ interpretatio, id est, uerborum & sententiarum simplicior explicatio. Hoc ministerium *Episcopi* obibant & *Presbyteri*: nonnunquam tamen ex ordine *diaconorum* atque *subdiaconorum*: aliquando etiam ex laicis adhibebant ad hæc functionem, quos deprehendissent per Spiritum sanctum ad eam uiliter obcundam, factos idoneos. Sic *Origenes* etiam laicus, ad hoc munus adscitus fuit in Ecclesia Cæsareæ Palæstinae per *Alexandrum* Episcopum Hiltanum, & per *Theodotum*, eiusdem Cæsariensis Ecclesiæ Episcopum. Item *Euelpis* a *Neono* Episcopo Larandorum; & *Theodoros* ab *Attico* Episcopo Synadorum. Hæc leguntur apud *Alexandrum lib. 6. hist. Eccles. cap. 20.* & ex *epistola duorum illorum Episcoporum, Alexandri Hierosolymitani, & Theodoti Cæsariensis, Episcoporum in Palæstina, ad Demetrium Episcopum Alexandrinum*, qui factum horum duorum Episcoporum de *Origenes* reprehenderet, tanquam inauditum esset, laicum hominem præsentibus Episcopis, uerba ad populum in Ecclesia facere. Istud uero isti Episcopi affirmant manifeste, uerum non esse, sed sanctos consueuisse Episcopos, quos in laicis cognouissent idoneos, ut uilitatem aliquam populo interpretando Scripturas, & docendo adferrent, eos hortatos fuisse, ut etiam se præsentibus, hoc ministerio fungerentur. Et secundam itaque & tertiam *sacri ministerij partem, interpretationem scilicet & doctrinam*, Episcopi atque Presbyteri præcipue administrabant per se: attamen & ex inferioribus atque ex laicis, si quos animaduertissent ad hoc munus idoneos, sibi *uultu, 29. d.* adiungebant. Ad eundem modum administrant Episcopi & Presbyteri, & quartam doctrinæ tradendam partem, quæ est, ex diuinis libris explicatis adhortari ad officia pietatis, dehortari a peccatis, & omnibus rebus, quæ cursum queant piæ sanctæque uitæ uia ex parte remorari, aut impedire: peccantes reprehendere atque obiurgare, penitentes consolari: quamquam istam functionem Episcopi & Presbyteri maxime ipsi præstiterunt, propterea quod eo maiore requiritur auctoritatem, *1. Tim. 5.* Quintam partem, *Catechismos*, nunc Presbyteris, nunc Diaconis, nunc inferiorum ordinum ministris commendauerunt, prout quisque magis ad hoc genus docendi apparuit idoneus. Ita & *Origenes* Catechista erat *Alexandriae, lib. 6. Enchirid. cap. 13. & 20.* Sextam etiam partem, *sanctas disputationes*, deferebant cuique magis idoneo: tamen maxima ex parte ipsi Episcopi his præerant. Septimam partem, *priuatam appellationem*, admonitionem, etiam Episcopi per se facere studuerunt: singulos autem Presbyteros, grauioresque ex inferioribus ordinibus, ut idem facerent, semper hortati sunt, *1. Thess. 5.* Itaque doctrinæ ministerium obire debent *lectores*, diuinas Scripturas recitando: *Episcopi* uero interpretando, & docendo, hortando, disputando, priuatimque appellando: quin & legendo atque Catechizando, si desint peculiare lectores & Catechista. Cæterum Catechismos committebant certis Presbyteris, atque Diaconis, uel etiam delectis ad hoc ex inferioribus ordinibus. Sicut etiam ex his ad munera interpretandi, atque docendi, ac disputandi, adhibebant, quoscumque ad ista munera deprehendissent idoneos, in quouis sacri ministerij ordine, ac etiam, ut dictum, ex laicis.

XVIII. *Idem Bucerus de disciplina clericali.* Tertia, inquit, disciplina Clericalis pars est: subiectio peculiaris, qua clerici, gradus & ministerij inferioris, se subiciunt illis; qui sunt in ordine & ministerio superiore. Hanc disciplinam partem docuit Dominus nos, & exemplo suo, qui discipulos suos futuros doctores electorum Dei, per uniuersum orbem, peculiari ad hoc munus ministerio, & quadam domestica disciplina instituit: quem imitati Apostoli, suos quoque discipulos uniuersumque habuit, quos ad sacrum ministerium rite obcundum formaret. Omnis enim difficilior uitæ functio, peculiarem rite obcundam requirit. Quis enim instituitur, institutionem, ac custodiam: uti uidere est in philosophia studiis, & institutione militari. Quod perpeuens *Lycurgus*, *Remp.* Lacedæmoniorum sic instituit: uti *Xenophon* testatur, ut nullus in *Rep. ordo* sine suo proprio esset magisterio. Item & *Plato* in suis legibus, & *rep.* requirit, ac quid omnino sit in ciuibus *de rebus, 4. d.* Hinc & Dominus noster, cum uult suos sic committi inuicem, & coherere, ut membra in corpore commissa sunt atque coherant: subicit sane, unumquemque suorum aliis, a quibus tanquam membris amplioris ac latius parentis uirtutis & efficaciam custoditur, moueatur, & regatur. Idem præcepit Spiritus sanctus, Subiciuntur in timore Dei, *Eph. 5.* Itaque considerat

res sancti Patres olim, eum in *Clero ordinem* descriperunt, ut cæteri omnes clerici a *Presbyterio* singulari cura custodirentur & gubernarentur. Inter Presbyteros uero *Episcopos*, ut consul inter senatores reip. ita hic primam, cum totius Ecclesiæ, tum singulariter ordinis clericalis uniuersam curam gereret, atque custodiam. Episcopos uero ordinauerunt singulis frequentioribus Ecclesiis, atque cuique talium Ecclesiarum uiciniores, quæ in minoribus essent oppidulis uel pagis, Ecclesias commendauerunt, eoque uoluerunt presbyteros atque curatores istarum Ecclesiarum, quos uocauerunt *Chorepiscopos*, quosque uiciniori sibi Episcopo, & presbyterio auscultare. Quos Episcopi illi primores subinde cum omni suo clero conuocabant, & in scientia atque diligentia muneris sui instaurabant. Cum uero uelit Dominus, ut sui homines se mutuo complectantur, & curam sui inuicem gerant, quam longe lateque possint (sunt enim Christiani omnes unum corpus) constituerunt sancti Patres, ut Episcopi cuiusque provincie (in provincias enim iam omnes Romanis subiectæ ditones erant distributæ) conuenirent una cum presbyteris, quoties uisum id Ecclesiarum usus posceret: certo tamen bis in anno, deque Christi doctrina atque disciplina, ut illam in quibusque Ecclesiis administraretur, & uigeret, inquirerent: ac ubi peccatum esse deprehendissent, id corrigerent: quæ cognouissent recte habere, confirmarent, & proueherent. Ut hæc uero synodi recte & ordine administrarentur, uoluerunt illis præesse & conuocandis & moderandis, *Metropolitans*, Episcopos cuiusque *Metropolis*. Sic enim uocabatur præcipua in unaquaque provincia ciuitas, ubi supremi præsidis prætorium erat. Ac proinde his Metropolitanis Episcopis iniunxerunt curam quandam, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum per suam provinciam: ut, si quid minus recte, uel a ministris Ecclesiarum; uel a plebibus institutum, factum uel intellexissent, monerent de eo in tempore: sique uis id admonitionibus non possent emendare, ut ad corrigendum illud Episcoporum conuocarent synodum: nam nihil iudicium illis concessum erat, quod sua propria auctoritate exercerent in Ecclesiis, quæ ipsæ suos haberent Episcopos: omne enim & in plebem & in clerum iudicium, erat penes suum cuiusque Ecclesiæ Episcopum & Presbyterum: Episcopos autem iudicabat synodus. Eoque cum Ecclesiis ordinandi essent Episcopi, constitutum erat, ut ad eandem Ecclesiam conuenirent cum cunctis (si id fieri Ecclesiarum commodo posset) sin, cum aliquibus, non minus tamen duobus aut tribus provincie suæ Episcopis, qui electionem Episcopi (si facienda adhuc esset) gubernarent, factamque examinarent, & in electum inquirerent quam seuerissime, uitamque omnem eius & facultatem ad Episcopale munus explorarent, ac tum demum ad Episcopalem functionem initiarent. Quæ omnia eo erant instituta, & ualebant, ut esset inter Ecclesias, & earum ministros, quanta omnino posset esse notitia, curaque mutua: & ad arcenda atque depellenda cuncta doctrinæ morumque offendicula, & ad fidei atque uitæ Christo Domino dignæ ædificationem sustentandam, prouehendam, atque efficiendam efficacitatem: adeo, ut si aliqui ab officio cessassent suo, cæteri Episcopi succurrerent, etiam vsque ad obstinatorum absterionem, ac etiam a munere Episcopali deiectionem. Considerentur quæ *Diuus Cyprianus ad Stephanum Romanum Pontificem*, de *Martiano* Episcopo *Arelatensi*, qui in sectam *Nouatiani* transferat, *lib. 3. Epist. 13.* tum illa quæ scripsit in *Epist. 3. lib. 1.* de distributione cuique Episcoporum certa gregis portio: & quæ præfatus est, & in *Council. Carthaginensi*, ut scripsit ad *Quintinum*. Porro ubi orbis fertus fuit Ecclesiis, ac ipsi quoque *Metropolitani* sua singulari cura opus haberent: nec enim, prout cæperant esse plurimi, ita omnes pro suo loco satis uel sapiebant, uel uigilabant (pauci enim semper, & in omnibus hominum ordinibus præstantes) Episcopis quibusdam primarum Ecclesiarum aliquot provinciarum cura demandata est: ut *Romano*, *Constantinopolitano*, *Antiocheno*, *Alexandrino*, deinde & *Cæsariensi* *Cappadocia*, & aliis quibusdam, prout fidelium Christi Ecclesiis multiplicatis, necessitas uidebatur requirere. His tamen primatibus Episcopis, quos postea uocauerunt *Patriarchas* nihil omnino iuris erat in illos Episcopos alios, uel Ecclesias, ultra quam dixi, cuique fuisse *Metropolitæ*, in Ecclesiis atque Episcopos suæ provincie. Quisque suæ portioni Ecclesiarum debebat singularem curam, & sollicitudinem: monere quoque Episcopos in tempore, si quid peccasset aliquis, aut in suo munere cessasset: & si nihil profecisset monendo, Concilii adhibere auctoritatem. Inter hos primus locus delatus *Romano*; cum propter *D. Petri* reuerentiam, tum propter *urbis* maiestatem. Quam rationem secuti postea Patres, secundas tribuerunt *Constantinopolitano*, ut alteri *Romæ*, sedisque Imperii Episcopo; cum *Antiochenus* ante secundum locum inter hos Patriarchas obtinisset. Ut autem natura hominum uitiata, ambitione semper magis elaborat, ut late, quam ut bene præsit; Patriarchæ isti, occasione istius generalis curæ Ecclesiarum ipsis demandatæ, pettiterunt ad se, primum uicinorum Episcoporum ordinationem; atque per eam ordinationem, sensim aliquam in tales Episcopos, atque eorum Ecclesias, arripuerunt, confirmaruntque iurisdictionem. Quod malum cum iam glisceret, cæpit graue existere certamen, de generali in omnes Ecclesias imperio: quod quidem primum sibi sumere conatus est *Iohannes* quidam *Constantinopolitanus* Episcopus, sub Imperatore *Mauritio*: de qua contentione multa Epistolæ, inter *epist. D. Gregorij l. 5. 6. 7.* extant. Tandem sub *Phoca* obtinuit *Romanus* hunc titulum uniuersalis Episcopi, quo sensim abuti magis magisque huius sedis Episcopi cæperunt: donec occasione, primum diuisione Imperii sub *Carolo* *Magno*, postea dissidiis Principum & nationum, quibus fregerunt potentia Imperatorum occidentis, atque regum aliorum; se in illam, quam nunc iactant, Antichristianam potentiam extulerunt: oppressa primum Episcoporum, deinde omnium etiam regum, & Imperatorum potestate. Sic itaque euerit Satan omnem clericalis ordinis salutarem obedientiam & gubernationem. *Romanus* enim Antichristus immediatum sibi sumsit imperium in omnem clerum, ac etiam laicos: atque Episcoporum, cum boni essent, custodiam & curam erga eorum fidei commendatos dissoluit. At quia omnino necesse est, ut singuli clerici suos habeant proprios custodes & curatores, instauranda est, ut Episcoporum, ita & *Archidiaconorum*, aliorumque omnium, quibus uenque nominibus censeantur, quibus portio aliqua commissa est custodiendi gubernandique clerici auctoritas, potestas, sed & uigilantia, & animaduersio, ne quis omnino sit in hoc ordine *de rebus, 4. d.*

XIX. *Idem Bucerus l. 2. de regno Christi c. 12.* Ex perpetua Ecclesiarum obseruatione, ab ipsis iam Apostolis, uisum & hoc esse Spiritui sancto, ut inter Presbyteros, quibus Ecclesiarum procuratio potissimum est commissa, unus Ecclesiarum, & totius ministerij curam gerat singularem; eaque

cura & sollicitudine cunctis praebeat aliis. qua de causa Episcopi nomē, huiusmodi summis Ecclesiarum curatoribus est peculiariter attributum: tametsi hi, sine reliquorum presbyterorum consilio nihil statuerē debeant: qui & ipsi propter hanc communem Ecclesiarum administrationem Episcopi in Scripturis vocantur. *Et mox*: Hi dignitate, & demandata primaria Ecclesiarum sollicitudine, reliquos omnes sancti ministerij ordines antecedunt. *Et infra*: Porro, ut homines ad deteriora facile relabuntur, iniungendum & illud Episcopis erit, ut quisque Ecclesias suas non solum quotannis inspiciat, adiunctis sibi aliquot selectioribus cum ex presbyterio, primario illo, & diaconio, cuique ad Ecclesiarum administrationem adiuncto: verum quoties intellexerit, aliquid Ecclesiis obtrudi vitij, contra Christi vel doctrinam, vel disciplinam. Quo vero, si tale quid existat, Episcopi id in tempore resciscant, reuocanda erit vetus illa diocesana distributio, ut singulis viginti, aut circiter, parochiis, vnus ex earum parochiarum curatoribus, qui ad hanc functionem praeter ceteris appareat idoneus, praeficiatur *Chorepiscopus*, qui pro his Ecclesiis contra Satanā insidias & insultus singulariter aduigilet; & si quid ipse vel apud collegas suos, vel apud plebes, ad hanc curam sibi commendatas, corrigere non possit, deferat quam primum ad Episcopum.

XX. Neque solum haec est Buceri sententia, sed etiam aliorum. Ita enim scribit *Melanchthon* ad Lutherum: Nō credis, quanto in odio sum Noricis, & nescio quibus aliis; propter restitutam Episcopis iurisdictionem. *Et rursus*: Quidam legati mirifice mihi succensent, quod videor restituere Episcoporum regnum. *Idem in hist. Confess. August.* Hoc autē male habet scilicet quosdam immoderatiōes, reddi iurisdictionem, restitui *πολιτεία* Ecclesiasticā: hoc interpretantur restitutionem dominationis Pōtificiā. *Idem epist. ad Belaium Episcop. Parisiens.* Cum maxime optandum sit, ut Episcoporum magna sit auctoritas, non alia id effici posse ratione videtur, quam si dent operam, ut genus doctrinae extet certum. *Camerarius in vita Philippi.* Vnum erat, quod pene omnibus reclamantibus ille non intermittebat suadere, non modo ad stipulatore, sed etiam auctore ipso Luthero. Nimirum Episcopi si concederent libertatem & vsum purae doctrinae caelestis veritatis secundū Confessionis edite expositionem, ne recusaretur, atque ne denegaretur restitutiō ordinariae potestatis seu administrationis suae quibusque diocēsis. *Protestantes Artic. de vnitae Ecclesiae.* Vt autem omnia ordine fierent in Ecclesia, iuxta Pauli regulam, & vt pastores inter se magis deuincti essent, & onus gubernationis plures inter se partirentur, ac alii aliorum curam susciperent, & dissidia & schismata vitarentur, accessit utilis ordinatio, vt ex multis Presbyteris eligeretur Episcopus, qui regeret Ecclesiam, docendo Euangelium, & retinendo disciplinam, & praesert Presbyteris. Plures deinde gradus facti sunt, videlicet Archiepiscopi, & supra hos Patriarcha, Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Haec ordinationes, si ij qui praesunt faciunt officium suum, vtiles sunt ad retinendam vnitatem Ecclesiae, hoc est, ad synodos conuocandas, ad constituendam legitimam doctrinae iudicia, ad emendationem vitiōrum late grafsantium &c. *Caluinus de necess. reformat. Eccles.* Talem nobis hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant Episcopi, vt Christo subesse non reculent, vt ab illo, tanquam vnico capite pendeant, & ad ipsum referantur, in qua sic fraternam charitatem colant, vt non alio modo quam eius veritate sint colligati; tum vero nullo non anathemate dignos fatear, si qui erunt, qui non eam reuerenter summaque obedientia obseruent. *Hunnus in epist. Tit.* Hunc Titum etiam dignum censuit, quem praeter ceteris amplissimae nobilissimaeque insulae Cretae praeficeret Episcopum. *Et mox*: Dignum obseruatum est, quod Paulus Titum generalem superintendentem Creticarum Ecclesiarum ordinat, qui videat vt recte ac decenter in Ecclesiis passim omnia fiant: ordinet Episcopos alios, in quorum doctrinam & vitam diligenter inquirat. *Hieron. Zanchius in Confess. c. 2. §. thes. 10. 11.* Tameñ horum (perpetuorum) duos tantum ordines a Christo datos fuisse Ecclesiae apud Apostolum legimus, Pastorum scilicet & Doctorum, quorum hi tantum docebant, illi vero sacramenta etiam administrabant, disciplinae praerant, & Ecclesiam regebant: interea tamen non improbamus Patres, quod iuxta variam, tum verbi dispensandi, tum regendae Ecclesiae rationem, varios quoque ordines ministrorum multiplicarint: quando id eis liberum fuit, sicut & nobis: & quando constat, id ab illis fuisse factum honestis de causis, ad ordinem, ad decorem, & ad aedificationem Ecclesiae, pro eo tempore, pertinentibus. Nouimus enim Deum nostrum esse Deum ordinis, non confusionis; & Ecclesiam seruari ordine, perdit autem *1. cor. 14.* qua de causa multos etiam & diuersos, non solum olim in Israele, verum etiam post in Ecclesia, ex Iudaeis & Gentibus collecta, ministrorum ordines instituit: & eandem etiam ob causam liberum reliquit Ecclesiis, vt plures adderent, vel nō adderent, modo id ad aedificationem fieret. Ergo quod, cum prius omnes verbi ministri, tum pastores, tum Episcopi, tum presbyteri ex aequo appellarentur, & qualis etiam cum essent auctoritatis, postea vnus coeperit aliis omnibus praefici collegis, quanquam non vt dominus, sed tanquam rector in Academia reliquis collegis, & huic in primis cura totius Ecclesiae commissa fuerit, eo que & *1. cor. 14.* quondam is solus Episcopi & Pastoris nomine appellari consueuerit, reliquis symmetris nomine Presbyterorum contentis, ita vt in vnaquaque ciuitate vnus tantum coeperit esse Episcopus, & multi presbyteri: hoc minime improbari posse, iudicamus. Qua de re Hieronymi, cum alibi (*Dist. 93. c. 23.*) tum in *epist. ad Euagrium*, & in *commentariis Epist. ad Titum c. 10.* narratio & sententia nobis probatur, dicentis: totū hoc magis ex consuetudine, quam ex Dominicae dispositionis veritate profectum esse: vt dissensionum plantaria tollerentur & schismatum. Hac sane ratione, quae etiam de Archiepiscopis, imo & de quatuor Patriarchis, ante ipsum etiam Concilium Nicænum, creatis, constituta fuerunt, excusari, de feudiq; posse, sentimus: quanquam omnia successu porro temporis ad summam tyrannidem atq; ambitionem deducta fuerunt. Quae causa est, cur, quo propius acceditur in ius etiam ordinibus ministrorum, ad simplicitatem Apostolicam, eo magis etiam nobis probetur: atque, vt vbiq; accedatur, dandā esse operam, iudicemus. *Idem in obseruationibus aphoris. 11.* Fuit mihi praeterea habenda ratio illarum etiam Ecclesiarum, quae licet Euangelium amplexae sint: suos tamen & re & nomine Episcopos, atq; Archiepiscopos retinuerūt. Quid? quod in Ecclesiis etiam Protestantium, non desunt re ipsa Episcopi, & Archiepiscopi: quos mutatis bonis Graecis nominibus, in male Latina, vocant Superintendentes, & Generales Superintendentes. Sed vbi etiam neque illa vetera bona Graeca, neque haec noua male Latina nomina obtinent: ibi tamen solent esse aliquot primarij, penes quos fere tota est auctoritas. De nominibus ergo fuerit controuersia: verum cum de rebus conuenit, quid de nominibus altercamur?

XXI. Haec testimonia pluribus adscribere visum fuit: quia hoc modo ad pleraque Aduersariorum argumenta responsum esse patebit. Neque enim ij sumus, qui ordines illos olim institutos plane repudiamus. Itaque colophonis loco addam illud Buceri de animarum cura & officio pastor. Iterum autem & hoc scribit Hieronymus: In Ecclesiae principio Presbyteros illos Ecclesiam curasse rexilleque communi consilio: ac tum demum vnum de Presbyteris praepositum esse reliquis, & peculiariter Episcopum dictum, cum sectae & haereses in Ecclesia existere inciperent, & vnusquisque suam sibi sectam studeret adiungere. Hoc autem incredibile non est, diu, neque etiam in cunctis Ecclesiis ita obseruatum esse. Nam, vt apud Patres Hieronymo vetustiores, clara habemus testimonia, in praecipuis Ecclesiis omnibus, a temporibus Apostolorum ita obseruatum est, vt Presbyteris omnibus quidem officium Episcopale fuerit impositum: interim tamen semper, etiam Apostolorum temporibus, vnus de Presbyteris electus atque ordinatus est, in officii huius ducē & quasi antistitem: qui ceteris omnibus praeruit, & curam animarum ministeriumque Episcopale praecipue & summo in gradu gessit atque administravit. Ad eundem modum nobis ordinatio quoque primitiuae Ecclesiae Hierosolymitanae ostēditur. Etenim Lucas Iacobum describit vt antistitem totius Ecclesiae omniumque Presbyterorum *Act. 15.* Talis ordinatio in alijs quoque Ecclesiis perpetuo obseruata est, quam tum ex omnibus historiis Ecclesiasticis cognoscere possumus, tum etiam apud Patres antiquissimos, vt Tertullianum, Cyprianum, Irenaeum, Eusebium, & alios.

CAP. II.

De ordinibus & officiis ministrorum Ecclesiae: sententia Papistarum.

I. Tria occurrunt apud Aduersarios praecipua controuersiae capita in hoc argumento: videlicet de nomine clerici & laici, de ordinibus clericorum, deque differentia presbyteri & episcopi. De primo disputat *Bellarminus lib. 1. de clericis c. 1.* de secundo, *ibid. c. 11. 12. 13. 16. 17.* de tertio, *ibid. cap. 14. 15.* Ordine agamus de singulis. Et quidem in primo capite verba tantum controuersia tractatur: nempe, *An membra Ecclesiae militantis recte distinguantur in Clericos & Laicos?*

II. Nos distincte respondemus: nomina ista esse *ἀγροφα*, hoc est, in Scripturarum canone non occurrere, sed tantum apud Ecclesiam Dd. ideoque nō esse vrgenda improbe, vt faciunt Aduersarij: posse tamen docendi & discendi cauiareineri, duabus hisce obseruatis legibus. 1. Ne de communi omnium Christianorum dignitate aliquid detrahatur. Nam omnes in genere Christiani sunt reuera Clerus, hoc est, fors, peculium, haereditas Domini: atque ita passim in Scripturis appellantur. Ita *1. Petr. 5. 3.* monentur Presbyteri, ne dominantur Cleris; sed exemplaria potius sint gregis Domini. Vbi per Cleros haud dubie populum Christianum intelligit Apostolus: sicut tum ex anexa exegesi, tum ex antithesi presbyterorum, & clericorum, perspicue constat. Adde, quod *Eph. 1. 11. Coloss. 1. 12. Act. 2. 18.* de clero, siue sorte sanctorum ea proponuntur, quae omnibus generatim Christianis, & non solis Ecclesiasticis, optima ratione conueniunt. 2. Distinctio haec eo sensu vsurpetur, quo a Patribus est introducta & vsurpata. Neque enim illi hoc voluerunt, quod Papistae: qui honorificos illos titulos Christianorum (quod scilicet *spirituales, sancti* &c. passim appellantur; quodque iidem *Ecclesia Dei uiuentis, & Clerus*, siue fors & haereditas, Domini &c. esse dicuntur) ad solos Ecclesiasticos accommodant, vt tanto maiore cum specie, non modo plebem Christianam, sed ipsum quoque summum magistratum, quantumuis & pium, & prudentem, ab inspectione rerum sacrarum penitus excludant. His duabus conditionibus obseruatis, dicimus hanc distinctionem Clericorum & Laicorum, olim apud veteres Ecclesiae Dd. vsurpatam, non temere esse reiciendam, sed stylo Ecclesiastico aliquid hac in parte tribuendum esse: praesertim si Clerici dicantur hoc nomine, quod veluti forte quadam a cetero populo sunt selecti.

III. *Bellarminus* tria hic adfert in medium. 1. Explicat ipsa vocabula. 2. Rationes adfert. 3. Obiectiones soluit. *Explicatio vocabulorum* breuiter est eiusmodi. Laici dicti sunt quasi plebei, ac populares, quibus nulla pars functionis Ecclesiasticae demandata est. Clerici autem, quasi Domini fors & haereditas, qui diuino cultui consecrati, procurandae religionis, ac rerum sacrarum, Deo ipso iubente, prouidentiam ac sollicitudinem susceperunt. Hinc *Hieron. in epist. ad Nepot.* ait: Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus fors, id est, pars Clericorum est. *Resp. 1.* Laici possunt etiam adhiberi ad diuinas quasdam functiones: vt *c. praed. §. 17.* demonstrauimus. 2. Clericus est proprie ad sortem pertinet, vel haereditarius. Ita Deus populum suum vocat: quippe quem sorte suae liberae beneuolentiae elegit, atque haereditatem suam effecit. Quare omnes filii Dei sunt de sorte Domini, & Dominus est fors ipsorum. 3. *Ihdorus* tertiam rationem addit: vel quia partem Domini habet. 4. Sed triplex illa ratio est latior: quia vt Dixi, omnes Christiani hoc pacto sunt clerici. Quare retineatur illa ratio, quam *§. praed.* attulimus, Clericos peculiari ratione, & *1. cor. 14.* siue *1. cor. 14.* ita dicit, quod veluti forte quadam a cetero populo sunt selecti, & diuino cultui consecrati. Quod *Cuiacius ad Nouell. 3. Justiniani* his verbis exprimit: Clerici sic dicuntur, qui diuino cultui ministeria religionis impediunt. Huiusmodi sunt presbyteri, diaconi vtriusque sexus, subdiaconi, archidiaconi, lectores diuinae Scripturae, exorcistae, ostiarii, psaltae, & *Hermiae* *ὑποβολοίς*, id est, monitores, vel potius interpretes, vt apud Nicænam; qui omnes ministri etiam Christianae legis dicuntur in Constitutionibus. Proprie cum Clericos dicimus, acoluthos, copiatas, parabolanos non dicimus. Ceteri, qui nullum habent, vt loquuntur, schema Clericorum, plebei appellatur, idiotae, laici, mundani.

IV. *Rationes* pro sua sententia *Bellarminus* adfert tres. 1. Testimonia Patrum, decreta Conciliorum, nominatim Concilij Nicæni primi, & Canonum Apostolorum. 2. Ipsa Scriptura sic loquitur: vt *Ierem. 12.* Cleri eorum nō proderunt eis. Ita enim *Origines*, *Epiphanius* & *Hieron.* (qui procul dubio fuerunt linguae Hebraicae peritissimi, imo fere soli inter omnes Patres illius linguae peritiā habuerunt) locū istū interpretantur. 3. *Lutherus* ait, impiā hominū traditionē Clericos a Laicis disereuissē: & *Caluinus* scribit, appellationē istā aut errore,

errore, aut certe ex prava affectione ortam esse, ideoque optat, nunquam Patribus in mentem venisse, ut hac voce uterentur. Sed illi similes sunt illorum, qui Num. 16. clamabant: Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur eleuamini super populum Domini. Ita nempe olim Dathan & Abiron aduersus sacerdotes V. T. clamabant. Idem dicunt hodie Lutherus & Caluinus: Sufficiat vobis, quod omnis Ecclesia est clerus Domini: cur eleuamini super laicos? cur soli vobis usurpatis Cleri vocabulum? Sed qualem exitum repererit contentio illa veterum schismaticorum, notum est ex eadem historia. *Resp. ad 1.* Testimonia illa nihil contra nos faciunt. Neque enim distinctionem istam simpliciter reuicimus, neque Ecclesiasticos, siue Clericos, hoc est, eos, qui ad sacra officia diuinitus vocati, & consecrati sunt, reliquis Christianis isto respectu digniores esse negamus: dummodo vicissim nobis ea concedantur, quae §. 2. diximus. *ad 2.* Vulgata vestra versio sic habet *Ter. 12. 13.* Haereditatem acceperunt, & non eis proderit. Vbi *Iob. Mariana* sic adnotat: Non inopes tantum ea laeas comprehendit, sed eos, qui proprios agros, eoque bene eos colunt. Hebraei sic vertunt *agrotauerunt* (scil. prophetarum) non profecerunt (quia non profecerunt verbis suis) Vocem *אגרו* Hieronymus a *אגר* deduxit, i. hereditare. Hebraei *אגרו* agrotare. Sic Mariana. Haec certe nihil patrocinantur thesi Bellarminiana. Sed vera interpretatio haec est. Indoluerunt (scilicet laboribus suis) & tamen nihil proficiunt: videl. ex interminatione *Leuit. 26. 16. & Deut. 28. 38. ad 3.* Calumniose nobis obiicitur ista seditionum historia. Nos enim publicos verbi Dei ministros, reliquis Christianis, ratione officii, seu ministerii sacri, praesertim si sic, ut eo defungantur, excellentiores esse concedimus, nec omnimodam aequalitatem inter omnes Christianos hac in re vrgere solemus. Et tamen omnes ex aequo Clerum, siue sortem & hereditatem Domini, saltem iuxta ipsam Scripturam phrasin, esse affirmamus. Omnes enim per Christum sunt filii Dei, participes vocationis siue spiritus sancti, sacerdotum regale, gens sancta, populus peculiaris, sacerdotes & reges Dei &c. *1. Petr. 2. Gal. 3. & 4. Iob. 1. & 3. & 8. 1. Iohan. 2.* Itaque omnes etiam hoc sensu Clerum, siue sortem & peculium Domini non immerito vocari possunt. Quod autem Lutherus, & Caluinus paulo calidius in hac disputatione verlati sunt, quis miretur: illi enim abulum & insolentiam recentis Cleri spectarunt.

V. *Obiectiones nostras* numero duas ita soluit Bellarminus. Christianus populus, inquit Lutherus, debet esse simplex: vbi nemo sit clericus, nemo laicus, nullus ralis, nullus monachus, nam, ut Apostolus ait *Gal. 3.* Non est Iudaeus, neque Graecus, non est seruus, neque liber &c. Verum veritas & simplicitas populi Christiani in eo est posita, ut vnus sint omnes fidei, idem dicant, idem sentiant omnes, nec sint in eis schismata. Cum qua simplicitate distinctio Clericorum & Laicorum non magis pugnat, quam pugnet membrorum distinctio cum corporis vnitatem. Neque Apostolus ab Ecclesia excludit distinctionem nationum, sexus, aut conditionis: sed hoc vult, non ista esse, quae filios Dei faciant, sed fidem. Quod Petrus ait *in 1. epist. c. 2.* Neque ut dominantes in cleris: id tribus modis soluitur. Nam clerici hoc loco stricte dicuntur, quos vulgo ita appellamus: ut sit sensus, Episcopos in regendis Clericis debere fugere dominandi cupiditatem. Deinde Cleri nomen a Iudaeis deriuatum est ad Christianos. Et sine dubio B. Petrus alludit ad Leuitas Iudaeorum, qui *Num. 18.* dicuntur esse de sorte Domini, & Dominus dicitur esse eorum fors & hereditas; quia donauit eis quodammodo partem suam, id est, decimas & oblationes filiorum Israel. Porro Leuitas non respondent in Ecclesia N. T. omnes Christiani, sed soli sacerdotes, eorumque ministri. Petrus igitur nomine Cleri non omnes Christianos, sed solos ministros Ecclesiasticos intellexit. Denique potest eadem appellatio Cleri diuersa ratione cum vniuersa Ecclesia, tum solis templi ministris aptissime conuenire. Nam ut Ecclesia vniuersa, fors atque hereditas Christi est, quae eam acquiescent sanguine suo, & simul tamen quaedam certa Ecclesia portio, altaris ministerio consecrata, magis propria ratione fors & hereditas eiusdem Christi esse potest: non secus atque olim Synagoga Iudaeorum vniuersa in libris Prophetarum passim hereditas Domini vocabatur, quod eam vniuersam ex Aegypto Dominus liberasset, & quodammodo redemisset. Et tamen solam tribum Leuiticam, quam rebus sacris praefecerat, speciali quadam ratione sortem suam, & hereditatem idem Dominus appellabat. *Resp. ad 1.* Est fallacia a dicto secundum quid. Nam Lutherus respicit abulum distinctionis illius: quo fiebat, ut Clerici magno supercilio: nescio cuius sanctitatis, se offerrent supra Laicos. Itaque videbantur illi communionem sanctorum (quam Symbolum Arabicum eleganter mixtionem vocat) tollere: quam Apostolus ibi nobis inculcat. Et certe, si Clerici dicuntur, quod peculiarem aliquam sanctitatem, praeter eam, quae dicitur muneris, habeat, omnino scindit communionem sanctorum. Nam character ille, qui dicitur Clericis imprimi, nescio quid supra communionem istam sonat. *ad 2.* Vbi *Emanuel Sa* in istum locum sic adnotat: In cleris, i. contra gregem in sortem Domini adscriptum: vel Ecclesiasticos intelligit, qui praecipue de sorte Domini, & quibus fors, i. hereditas Dominus. Ille itaque loquitur alternat. Deinde, vulgaris illa appellatio, qua Clerici distinguuntur ab Episcopis & aliis ministris Ecclesiasticis, est noua & Scriptura incognita. Tertio, etiam verum est, veteres nomenclatores in hac distinctione inuenienda respexisse ad morem V. T. tamen inde non potest probari, Petrum alluisse ad morem illum Iudaeorum imo contrarium probatur ex annexa exegefi, & antithesi, ipsum per Presbyterum contrarium probatur ex annexa exegefi, & antithesi, ipsum per Presbyterum contrarium probatur ex annexa exegefi, & antithesi, ipsum per Presbyterum

VI. Sequitur *secunda questio* de distinctione Clericorum, seu ministeriorum Ecclesiae: vbi Bellarminus disputat de numero ordinum Ecclesiasticorum, *cap. 11. 1. 17.* de illorum antiquitate, *cap. 12.* & de officiis ministeriorum, *cap. 13.* Quod ad numerum attinet, Bellarminus ait, duobus modis accipi solet apud authores ordinem Ecclesiasticum: vno modo proprie, alio, communitate. Proprie illi dicuntur ordines, qui certo ritu sacro, & solenni conferuntur ab Episcopo, & ad certum ministerium sacris diuino exhibendum referuntur. Quaratione septem duntaxat ordines numerantur: videl. Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorcista, & Ostiarius. Et si Episcopus & Presbyter distinguuntur, tamen quantum ad sacrificium, idem omnino ministerium exhibent, proinde vnum ordinem, non duos, faciunt: sicut etiam Lector & Cantor, seu Psalmista. Arque hi septem ordines

enumerantur a Cornelio Papa in epist. ad Fabianum, qui vixit ante annos 1300. Communiter autem dicuntur ordines illi omnes, qui quomodocumque dedicantur diuinis obsequiis, etiam si non referantur ad sacrificium: & hoc modo etiam Monachi, Virgines, & Viduae Deo consecratae, nec non laborantes in sepeliendis defunctis, ordines aliquando dicuntur a Patribus. Porro sub ordinibus septem comprehenduntur Cardinales, & Chorepiscopi. Nam commune officium Cardinalium est, esse Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos. Chorepiscopi autem olim dicebantur Presbyteri quidam, qui in pagis, aut oppidulis curam animarum gerebant loco Episcoporum, ut nunc fere Parochi faciunt: Vnde nomen & officium ipsorum nunc pene interitum videtur. *Becanus lib. 1. Manualis c. 12.* de his ordinibus ita scribit. Ministri N. T. generali nomine vocantur Clerici. Eorum varia sunt genera. Primo, Episcopi, inter quos eminet Pontifex. Secundo, Presbyteri, seu Sacerdotes non Episcopi. Tertio, Diaconi & Subdiaconi. Quarto, reliqui inferiores: ut Acoluthi, Lectores, Exorcista, Ostiarii. Quatuor itaque classibus eos distinguit.

VII. De his Papistarum Ordinibus ita sentimus. 1. Ordines in Ecclesia perpetui sunt quatuor: ex quibus alij sunt primarij, ut Pastores & Doctores: alij secundarij, ut Presbyteri, & Diaconi, speciatim ita dicti. Tota enim sunt ordines ministerii Ecclesiastici, quot olim a Christo, & Apostolis instituti fuerunt, quotque ipsum Ecclesiae regimen necessario postulat. Cum itaque de illis expressa Scripturae testimonia habeamus, & ipsorum vsus in Ecclesia perpetuus sit & necessarius, merito illos supra defendendos suscepimus. 2. Oportet distinguere inter ordinem & gradum. Nam in aliquo ordine possunt esse varij gradus. Ita concedimus in ordine Pastorum hos gradus posse constitui: ut sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi &c. rursus Patriarchae, Archiepiscopi, Metropolitae, Episcopi proprie dicti &c. Sed quando ita receptum est, dicantur sane ordines. 3. Distinctio illa, siue ordinum, siue graduum, modo commemorata, non est iuris diuini, sed humani. 4. Septenarius ille Ordinum non occurrit apud omnes veteres. Varie enim ordines isti a Patribus numerantur. *Dionysius cap. 5.* facit tres ordines hierarchiae Ecclesiasticae: Pontificum, Sacerdotum, Ministrorum. *Canonice Apostolorum* numerant quinque ordines: Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Lectorum, & Cantorum. *Ambrosius comment. ad Eph. 4.* numerat etiam quinque: sed loco Cantorum ponit Exorcistas. *Ignatius in epist. ad Antiochenos, & Epiphanius in sine Panarii,* habent octo: addunt enim *omnesque laborantes.* Addit etiam Ignatius Confessores. Denique apud Canonistas sunt nouem: *dist. 23. & 25.* addunt enim Psalmistam. Vnde illud saltem efficitur, illos non adeo vixisse numerum septenarium: sed libertatem Ecclesiae hoc modo indicare voluisse, ita nempe, ut plures aut pauciores ordines fuerint constituti, prout Ecclesiae magnitudo aut paruitas requiret. *c. 5. Exorcista* olim in Ecclesia habebant locum, cum dona sanationum, & alia id genus miracula, in Ecclesia vigerent. Itaque tum potuit esse ordo peculiaris & honorarius Exorcistarum: Quia vero miraculosa dona, perpetua non sunt, ordo ille non recte habetur pro perpetuo & ordinario. Quid: quod nostri temporis Exorcista, aut magiae sunt dediti, aut praeter nunc titulum nihil habent. Quorum simile exemplum vide *Act. 19.* de septem filiis cuiusdam Iudaei sacerdotis, *Secur. 6. Acoluthi* nihil aliud erant olim, quam S. ministerii candidati, siue adulescentes S. theologiae studiosi, qui pastorem, siue Episcopum, assidue sectantes, sub ipsius ductu & auspicio, ad S. ministerium se praeparabant. 7. *Ostiarii,* seu *iamitores, lectores, & cantores,* non sunt peculiare & proprie dicti ordines ministeriorum Ecclesiae: etsi in Ecclesia sunt necessarii, aut saltem vtilis. Nam *ostiarii* olim eodem fere loco habebantur, quo apud nos aditui, seu templorum cultodes. Deinde *cantores & lectores* nunc fere sunt ludimagistri, aut saltem illorum officio fungi possunt: tum ipsi pastores, tum Presbyteri, tum denique diaconi; aut quibus alij, communi consensu ad hoc delecti: prout diuersa Ecclesiarum conditio postulerit; hoc est, prout illa vel amplae & opulenta, vel exiguae & inopes fuerint. De *Catechistis* idem est iudicium. Vide hac de re *cap. praeced. §. 17.* & deinceps. 8. *Chorepiscopi,* sunt veri Episcopi, siue Pastores, si modo Episcoporum officium fecerint. Neque enim distinctio illa locorum, siue sedium, puta vrbium aut pagorum, vllam inter ipsos veram & essentialem distinctionem efficit. Vbi quoque illud est notandum ex *§. 19. cap. praeced.* Chorepiscopos postliminio esse hodie restituendos. 9. *Cardinalatus* olim gradus quidam fuit ad Episcopatum: ut *Onuphrius lib. de Cardinalibus, & Iohannes Diaconus lib. 1. c. 7. vita Gregorii* testantur. Gregorius de iis agit, ac si fuissent curiones parocchiarum. Et olim Episcopi quicumque praelati fuerunt Cardinalibus non Episcopis.

VIII. De antiquitate Ordinum nihil quidem definit Bellarminus: sed tamen tempore Ignatii & Cypriani fuisse probat. Sic enim Ignatius epist. ad Antiochenos ait: *saluto sanctum Presbyterum vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.* Vnde satis constat, magnam esse horum ordinum antiquitatem. Verum haec nihil contra nos. Modo enim diximus, Exorcistas iam tum fuisse: & minores illos ordines Lectorum, Subdiaconorum &c. non habemus pro ordinibus proprie dictis. Hoc est, quod requirimus: ut hierarchiae Romanae antiquitas nobis demonstretur. Ea autem in his duobus potissimum est sita. 1. quod Pontifex sit summus hierarcha, siue monarcha Ecclesiae. 2. quod ordines Cardinalium, Archiepiscoporum &c. sint iuris diuini.

IX. *Restat officium:* ad quod omnes disponuntur & praeparantur per tonsuram, siue raturam. Officia vero septem istorum ordinum haec sunt. 1. *Ostiarii* curam gerunt templi & sacrorum vasorum; ideoque, in ordinatione, clauis iis in manus tradi solent. 2. *Lectorum* est, de pulpito sacras Scripturas praelgere, & praeterea cantum Ecclesiasticum moderari: vnde & *Cantores* appellentur. 3. *Exorcista* recitat exorcismum super Energumenos, siue demopellantur. 4. *Acoluthorum* est, vtreolos & ampullas praeparare ad Missae sacrificium, & cum accensis cereis Diaconos sequi. 5. *Subdiaconorum* est, Diaconis ministrare in sacrificio: eoque patinam, & calicem vacuum, ipsis in ordinatione tradere solent. 6. *Diaconorum* est, non modo oblationibus, & Ecclesiae opibus, seu redditibus colligendis vacare: verum etiam sacerdoti offerentia ad altare assistere: itemque praedicare, baptizare, & Eucharistiam dare: sed tamen ex singulari concessione Episcopi. 7. *Presbyterorum,* siue *Sacerdotum,* tamen ex singulari concessione Episcopi. 8. *Eucharistia* est, haec omnia, quae de praedicatione, baptismi administratione, & Eucharistia diximus, rite peragere: & praeterea alia quoque sacramenta administrare. Quamquam Presbyter vulgaris, siue Sacerdos speciatim ita dictus, &

Episcopus differunt potestate ordinis, & iurisdictione. Nam soli *Episcopi* habent potestatem ordinandi ministros, confirmandi Catechumenos, consecrandi templa, altaria &c. quomodo fere in V. T. summus Pontifex à reliquis Sacerdotibus, item in N. T. Apostoli à LXX. discipulis distinguebantur. *Cardinalium* denique officia tria sunt. Primum est commune cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ceteris: omnes enim Cardinales, aut Episcopales, aut Presbyterales, aut Diaconales officium habent. Alterum officium est, summum Pontificem eligendi. Postremum, eidem Pontifici perpetuo adfistere, eumque in regenda vniuersa Ecclesia consilio & industria adiuuare.

X. Tale igitur est officium istorum ordinum: ita nempe, vt fundamentum præcipuum istius officii, quantum ad ordines maiores, sit sacrificium Ecclesie, quod vocant, id est, Missa. Ad huius enim ministerium omnes ordines referendos esse docent. Ad Missam enim, tanquam ad scopum & normam, omnia officia tendere debere, nec absque illius respectu vel nomen sacrorum officiorum mereri, contendunt. Ad hoc itaque fundamentum respondentes, principium perpetuo hic peti: siue de ordinibus ipsis, ad sacrificium Missæ referendis, siue de iisdem legitime definiendis, agatur. Quod attinet ad ordines minores, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acoluthorum: tres priores, non referuntur illi quidem ad sacrificium Missæ, sed tamen postremus eo refertur, vt patet ex §. præced. vbi duo officia Acoluthis assignantur. Porro collectio reddituum Ecclesiasticorum rectius committitur diaconis illis, qui præfunt ærario Ecclesie, quam istis, qui vulgo apud Papistas, imo & nos, ita dicuntur. De distinctione Presbyteri & Episcopi iam videbimus. De Cardinalibus ita pronuntiat *Nicolaus de Clemangis lib. de Annatis non soluendis*: ipsos habere duplicem statum primæum: primum esse, confessiones audire, prædicare, baptizare; secundum esse, quem assumerunt, quando Romanæ Ecclesie imperium est collatum.

XI. Multa igitur sunt, quæ in ordinibus illis desideramus. 1. quod ipsorum distinctio dicitur esse iuris diuini. 2. quod nimia antiquitas hierarchiæ Romanæ adfruitur ex illis veterum vocabulis & gradibus: vbi faciunt mentionem Lectorum, Cantorum, Diaconorum &c. 3. quod ordines ordinarij cum extraordinarijs confunduntur. 4. quod ipsi ordines statuuntur esse sacramentum. 5. quod ordinum maiorum *ex rebus* arcessitur à sacrificio Missæ: quod nullum esse, in *supplemento tomi 4.* demonstrauimus. 6. quod iurisdictione civilis confunditur cum spirituali. 7. quod essentialis distinctio introducit. 8. quod omnes isti ordines ad Pontificem Romanum, tanquam caput vnicum, referuntur.

XII. *Tertium huius controversie caput* superest, de distinctione Episcopi & Presbyteri: vbi queritur, *Sitne Presbyter idem omnino, quod Episcopus, ac præsertim iure diuino?* Vbi Bellarminus non impingit hæresin Aerij, qui docuit nihil interesse inter Episcopum & Presbyterum. Sed illa non est hæresis. Nam aut Arius impertine turbauit ordinem externum; quod non probamus: aut recte sentit, hæc duo non distingui, & ideo iniuste damnatus est hæresicos: vt diximus *lib. 2. c. 9. §. 18.* & iam iam pluribus dicemus. Neque enim verum & essentialis discrimen est inter Episcopum & Presbyterum, vti volunt Papistæ: qui docent, iure diuino episcopatum Presbyteri maiorem esse, tum ordinis potestate, tum iurisdictione. Qua quidem sententia Bellarminus tria ista distincte demonstrat. 1. iure diuino maiorem esse Episcopum Presbytero, quod attinet ad ordinis potestatem. 2. maiorem esse etiam quantum ad iurisdictionem. 3. Episcopos in veteri Ecclesia non fuisse in cœtu Presbyterorum; quasi Consules in Senatu, sed quasi Reges, ac Principes in cœtu consiliariorum.

XIII. *Primum* Bellarminus ita probat. Solus Episcopus ordinare potest Presbyteros: solus potest conferre confirmationis sacramentum, siue solus potest confirmare baptizatos: denique solus potest altaria & templa consecrare. Hæc, inquam, solus potest, iure diuino: presbyter non potest. *Resp. 1.* Neque ordinatio, neque confirmatio est sacramentum: 2. Episcopus ordinat Presbyteros, ordinis & decori, seu, *ὡς πρεσβυτέρους & ὡς ἑταίρους ἑσθίουσιν*: quia nempe ita conuenit inter pastores, vt ille, qui in quolibet collegio est primarius, hoc munere fungatur. Itaque est iuris humani. 3. Confirmatio baptizatos non est actus necessarius, sed honorarius. 4. Consecratio templorum potius ab Episcopo, quam Presbytero fieri solet, ordinis causa: vt diximus *num. 2.* quia nempe Episcopus est primarius quidam pastor. 5. Nulla altaria agnoscimus. E. nec vllam ipsorum consecrationem. Duo alia argumenta pro Bellarmini sententia vide §. sequente.

XIV. *Secundum*, de potestate iurisdictionis, Bellarminus probat quatuor argumentis. 1. Probatur ex figura, seu typo V. T. vbi summus Pontifex à reliquis Sacerdotibus eodem fere modo differat, quomodo Episcopi à Presbyteris. Quod argumentum etiam probat de potestate ordinis. Nam in V. T. iure diuino erant distincti hi gradus: Pontificum, Sacerdotum, & Leuitarum: ita vt Pontifex esset maior Sacerdotibus, & hi Leuitis. *Exod. 28. & 40. Leuit. 8. Num. 3. & 4. & 20.* Quod autem iurisdictione penes Pontificem solum esset, patet ex *Deut. 17.* Qui superbierit, nolens obedire sacerdoti imperio, ex sententia iudicis moriatur. 2. Idem probatur ex distinctione XII. Apostolorum, & LXX. discipulorum: quorum illi superiores erant iure diuino, quantum ad ordinem & iurisdictionem, *Luc. 10. Iohann. 20.* Itaque hoc argumentum etiam confirmat præced. thesina. 3. Verba illa Christi *Matth. 24.* Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: Hilarius, & ceteri Patres in h. l. de Episcopis dicta volunt. Itaque Episcoporum propria est cura & gubernatio Ecclesiarum. Quo etiam pertinet locus ille *Actor. 20.* In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. 4. Probatur ex antiquitate, nam si iure humano Episcopi Presbyteris præfissent, inueniretur certe principium aliquod huius institutionis post Apostolica tempora. At ipso tempore Apostolorum is erat Ecclesie vsus, vt Presbyteri Episcopis subessent. nam. 1. *Tim. 5.* Apostolus ita scribit: Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Vbi videmus Episcopum Apostolorum tempore iudicem Presbyterorum, proinde verum principem, ac superiorem. Idem testantur Ignatius, Clemens, Dionysius Aieopagita &c.

XV. *Respondeo ad 1.* Typus ille Pontificis in V. T. male ad hanc causam accomodat. Neque enim Pontifex ille vulgare Episcoporum, sed vnius Christi typum gessit, *Hebr. 5. & 8. & 9. & 10.* Falso itaque Bellarminus ait, id esse Episcopos in N. T. quod erant Pontifices in veteri. *ad 2.* Apostoli fuerunt extraordinarij ministri Ecclesie: neque Episcopi, seu Pastores, sunt

illorum successores ratione ministerii singularis & extraordinarij. Id enim ipsis fuit proprium in quarto modo. *ad 3.* Locus ille apud Matthæum non loquitur de Episcopo: sed de quolibet bono Christiano. Deinde quod Apostolus *Actor. 20.* tribuit Episcopis, id accipiendum est de omnibus Pastoribus, hoc est, de Episcopis sensu Scripturæ, non vero sensu vulgari. *ad 4.* Vnus Episcopus alterius iudicio subici potest, dummodo id fiat ex mandato superiorum, & processus legitimus obseruetur. Deinde, Timotheus non solum fuit Episcopus, sed etiam Euangelista, id est, extraordinarius Ecclesie minister. Denique Patres Episcopo tribuunt primatum ordinis non vero potentie & iurisdictionis.

XVI. *Tertium illud membrum*, de quo §. 12. diximus. Bellarminus probat. 1. ex testimonio Pauli §. 14. citato, itemque ex testimonijs Ignatii, Clementis, Tertulliani. Sic enim ait Ignatius in *epist. ad Philadelphenses*. Boni sunt Sacerdotes, & sermonis ministri: melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei. Et Clemens in *Canonibus Apostolorum, can. 40.* Presbyter, inquit, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertinent: nam Domini populus illi commissus est. Sic Tertullianus *lib. de baptismo*: Ius habet, inquit, dandi baptismum summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, sed non sine Episcopi facultate, 2. ex Concilijs. Omnia siquidem Concilia, tum generalia, tum provincialia, etiam antiquissima, a solis Episcopis celebrata sunt. Constat autem in Concilijs maxime exerceri iurisdictionem: cum & leges in eis ponantur, & pœnæ præuaricatoribus decernantur. 3. multis in locis legimus, Presbyteros ab Episcopis excommunicatos: nusquam autem Episcopos à Presbyteris. 4. soli Episcopi thronum, siue solum habent in Ecclesia. quod est potestatis indicium: vnde & imperare, Principum more, dicuntur à Patribus. Hinc itaque efficitur, Episcoporum autoritatem non esse in cœtu Presbyterorum, quasi Consul in Senatu, sed vt Principis in Concilio consiliariorum sibi subiectorum.

Respondeo ad 1. De testimonijs Pauli & Patrum diximus §. præced. Nimirum nulla iurisdictione inde concluditur, sed ordo, siue ordinis primatus, adeoque gradus quidam superior. Itaque boni sunt sacerdotes, sed melior Episcopus: non ratione ministerii, sed quantum ad auctoritatem, non toto genere diuersam, sed in eodem genere subsistentem. Ideo etiam sacerdotes nihil debent agere sine suo Episcopo: vt ordo ille non turbetur. *ad 2.* Supra vidimus *lib. 3. cap. 2. & seqq. aliquot*, cuius sit conuocare Concilia, & cuius sit illis præsidere. Summa hæc est. Præses Ecclesiasticus Concilij generalis eligitur communibus suffragijs: præses Concilij provincialis est Pastor primarius in illa provincia. Sed nulla inde potest concludi iurisdictione: quia leges & decreta fiunt communi sententia. *ad 4.* Excommunicatio Presbyteri fit ab Episcopo, ordinis causa. Episcopus autem ab ipso Presbytero excommunicari potest: pronuntiante alio Episcopo, vel etiam presbytero aliquo, sententiam. Et ita quoque Episcopus presbyterum sine presbyteri consensu excommunicare non potest. *ad 5.* Thronus Episcopi non est indicium potestatis, sed prioritatis. Et ita quoque ille dicitur esse princeps, quia alius imperat, videl. imperio politico, paterno, blando.

XVII. *Argumenta pro nostra sententia* sequuntur: videl. discrimen inter Episcopum & presbyterum, respectu ipsius officij, seu ministerij sacri, non esse verum & essentialis, neque iure diuino niti. Id autem patet ex sequentibus argumentis. 1. In Scriptura N. T. Presbyteri & Episcopi, pro iisdem sumuntur. Nam *Actor. 20.* Paulus ad se accersit presbyteros Ecclesie Ephesinæ: quos ibidem Episcopos appellat. *Tit. 1.* Vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. Et paulo infra: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. *Phil. 1.* Omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis, vel vt est in vulgata versione, Diaconibus. 1. *Petr. 5.* presbyteros obsecro &c. Palcite gregem, inuicem inuicem. Et ibidem Petrus se appellat compresbyterum. *Iohannes epist. 2. & 3.* se vocat presbyterum, cum sine vlla dubitatione Episcopus fuerit. Hinc itaque æquipollentia horum vocabulorum colligitur. II. Omnes ordines maiores ministeriorum verbi, tum ordinarij, tum extraordinarij recensentur *Eph. 4. 11.* At ista distinctio ibi non occurrit: vt nec *1. Cor. 12.* nec *Rom. 12.* nec alibi vsquam in N. T. vbi videlicet omnes circumstantiæ id maxime requirebant. Neque vero credibile est, aliquem ordinem à Christo vel Apostolis institutum esse, cuius ne minima quidem mentio fit, in iis etiam locis, vbi ceteri omnes velut ex professo describuntur. III. Episcopi tantum à Diaconis, non autem à presbyteris illis, quibus alioqui publicum docendi munus incumbit, aperte discernuntur, 1. *Tim. 3.* Nam duplices presbyteros esse vltro concedimus: vt 1. *Tim. 5. & 1. Petr. 5.* & passim alibi videre est. Ergo nullum est hic essentialis discrimen. Sane Paulus d. 1. posteaquam præcepta, quædam Episcopis dederat, continuo omittit presbyteris ad Diaconos transit. Ergo pro iisdem habuit Episcopos & presbyteros. IV. 1. *Tim. 4.* manifeste docetur, Timotheum à presbyteris ordinatum fuisse. Id quod ex sententia Aduersariorum fieri non potuisset, nisi presbyteri illi Episcopi fuissent: Cum Episcopus, qualem Timotheum fuisse constat, non nisi ab alijs Episcopis ordinari possit, saltem ex hypothesi Aduersariorum. Ergo Episcopus & presbyter vnum sunt. Et Hieronymus ex hoc loco demonstrat, posse Episcopum à presbyteris ordinari. Proinde nihil interest inter Episcopum & presbyterum. V. presbyteri succedunt Apostolis, non minus quam Episcopi: vt patet ex *Ignatio, epist. ad Smyrneses, & Clemens lib. 2. Const. cap. 32.* Non igitur sunt presbyteri Episcopis inferiores. VI. Christus presbyteros ordinavit in Cœna, vt Aduersarii, omnes ad vnum, docent. At Episcopos nusquam legitur ordinasse. Non igitur Episcopatus iure diuino est introductus: aut si est introductus, non differt à presbyteratu. VII. *Veteres Ecclesia Dd.* aperte tradunt, tempore Apostolorum prorsus eisdem fuisse Episcopos, & presbyteros: sed postea demum, crescentibus in Ecclesia turbis, ac litibus, humano quodam consilio, ad remedium aliquod istis schismatibus, atque confusionibus adferendum, sensum introductam fuisse differentiam quandam inter vtroque. Sic enim illi. *Ambrosius in Eph. 4.* Timotheum presbyterum a se creatum (*Paulus*) Episcopum vocat, quia primi presbyteri Episcopi appellabantur. *Et in 1. Tim. 3.* Episcopi & presbyteri vna ordinatio est. vterque enim sacerdos est. Sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter presbyteros primus est. *Chrysostom. Jerem. 1. in epist. Philip. ad verba illa, Coepiscopi & diaconis:*

Quid

CAP. III.

Quales Pastores Ecclesie sint vocandi.

Quid hoc iam vnus ciuitatis multi erant Episcopi? nequaquam. sed Presbyteros eo nomine appellauit. Tunc enim nomina adhuc erunt communia. Et paulo post: Antiquitus igitur, quemadmodum dicebatur, ipsi etiam Presbyteri vocabantur Episcopi & Diaconi Christi. Quocirca vel hodie multi Episcopi ita scribunt, Compresbytero & Condiacono. Procedente vero tempore proprii cuique distributum est nomen; ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appelletur. Hieronymus in 1. Tim. 1. Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha: communi Presbyterorum consilio Ecclesie gubernabantur. Postquam vero vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in toto terrarum orbe decretum est, ut vnus de Presbyteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesie cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Et mox:

ut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesie consuetudine ei, qui sibi prepositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispensationis Dominice veritate Presbyteris maiores esse, & in commune debere Ecclesiam regere. Citatur in Iure Canonico distinct. 95. capitulo olim. Idem Hieronymus ad Euagrium Episcopum epist. 85. prolixè hoc idem argumentum persequitur, & hoc ordine citat testimonia, quæ uos etiam adduximus: Phil. 1. Act. 20. Tit. 1. 1. Tim. 4. 1. Petr. 5. 2. & 3. epist. Iohann. Quibus testimoniis subiungit: Quod autem postea vnus electus est, qui cæteris preponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet. Citatur hoc idem testimonium Hieronymi distinct. 93. capitulo Legimus in Elia. Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. ut citatur distinct. 21. cap. Cleros: Apud veteres, iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt: quia illud nomen dignitatis est, & non ætatis. Ideo autem & Presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut & Episcopi. Idem prorsus docent alij Patres: ut Theodoretus in Philip. 1. in 1. Tim. 3. in Tit. 1. Beda in Philip. 1. Seruilius, Anselmus, Hugo Cardinalis, Caietanus Cardinalis, in Tit. 1. Oecumenius in Tit. 1. & in 1. Petr. 5. Glossa ordinaria & interlinearis in 1. Tim. 3. in Tit. 1. in Act. 20. Similiter Petrus Lombardus lib. 4. sent. distinct. 24. Apud veteres, iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis. Iohannes Parisiensis Doctor Sorbonicus lib. de potestate regia: Quantum ad dignitatem essentialiam, quæ est potestas tricerarizandi populum, Presbyteri sunt æquales Episcopis, imo & Pontificibus ipsis. Nicolaus Cusanus Cardinalis de Concord. Cathol. lib. 2. cap. 13. Quod dioceses sunt distinctæ, & vnus Episcopus super Presbyteros, est de positio iure.

XIX. Bellarminus ad pleraque Scriptura loca, à nobis allata, hanc responsionem adfert: Apostolorum tempore nomina illa, Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus, tam maioribus, quos nunc Episcopos dicimus, quam minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res diuersæ essent, & potestates distinctæ. Hinc esse quod, quando Episcopi & Diaconi coniunguntur, sub Episcoporum nomine etiam Presbyteri comprehendantur, sub nomine Diaconorum, omnes inferiores ministri. Itaque omnes Ordines ad duo primaria genera reuocantur, ad Sacerdotes, & Diaconos: quorum illud subdividitur in duas species analogas, in summos Sacerdotes, & simplices Sacerdotes: istud vero in sex alias species, in Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Lectores, Exorcistas, & Ostiarios. Quamuis autem nunc nomen Episcopi tantum principali analogato, id est, summo Sacerdoti, tribui soleat, & nomen Diaconi tantum principali ministro: tamen conuenit suo modo nomen Episcopi minoribus Sacerdotibus; nam & illi superintendant, & regunt populum saltem in foro conscientie, & ex delegatione Episcopi: & nomen Diaconi conuenit suo modo ordinibus etiam inferioribus; cum omnes ministrent Sacerdoti. Ad quintam rationem respondet, Episcopos & Presbyteros variis modis comparari a Patribus, sed semper seruata proportione & distinctione. Aliquando dicunt, Episcopum tenere locum Dei, Presbyterum Christi, Diaconum Apostolorum. Aliquando Episcopo dant locum Christi, Presbyteris Apostolorum, Diaconis LXX. discipulorum. Aliquando Episcopi dant locum Apostolorum, Presbyteris LXX. discipulorum. Secundo modo comparant Patres in ista ratione citati. Ad sextam rationem excipit, à Christo B. Petrum ordinatum fuisse Episcopum, à Petro Iacobum & Iohannem, ab his tribus cæteros Apostolos. Ad septimam rationem respondet, ex ipsis locis Patrum inter se collatis colligi, quæ nam fuerit ipsorum sententia: videl. olim ista nomina fuisse promiscue usurpata, res tamen ipsas nihilominus fuisse distinctas.

XX. Breuiter replico ad 1. Est petitio principij. Non enim distinctæ sunt potestates pastorum Ecclesie, sed vna est omnium & singulorum potestas, quæ dicitur clauium: estque tum doctrinæ, tum disciplinæ. Diuersitas non est nisi ratione ordinis, qui consistit in priori & posteriori, siue superiori & inferiori gradu. Deinde vox ista Diaconus aliter accipitur in Scripturis, quæ vulgo nos accipimus. Nam strictè in Scripturis diaconi dicuntur, quibus commissa est cura pauperum. Vulgo strictè quidem etiam sumitur hæc vox: sed alio sensu. Est enim diaconus, siue diacon, diaconis, in numero Clericorum. Generalissime autem significat quemlibet Christi ministrum. Ex his perspicitur, quando Episcopi & Diaconi in N. T. coniunguntur, Episcopum significare omnes eos qui præstant doctrinæ; Diaconum, omnes eos qui præstant gubernationi Ecclesie. Denique Episcopus non est genus analogum summorum & simplicium sacerdotum: quia nullos agnoscit Sacerdotes Scriptura N. T. eo sensu, quo Bellarminus accipit. ad 2. Quomodo cum tandem Patres instituant istam comparationem, illud semper manet, Apostolis successisse Presbyteros. Quæritur itaque qua in re: Sane in illa ipsa, in qua Episcopi ipsis successerunt. ad 3. Christus suos Apostolos omnes & singulos fecit Episcopos, quando ipsos fecit Dd. œcumenicos. Proferatur locus, ubi B. Petrus fecerit Episcopum singulari ratione. ad 4. Fateor: Patres dissident hæc a se ipsis. Vnde Bellarminus ait, Hieronymum in sua sententia non adeo constantem videri. Si ergo dissident, vtra sententia erit probata? Haud dubie illa, quæ S. literis est consentanea; ut est illa nostra, donec contrarium probetur, quod Bellarminus & qui hodie ipsum sequuntur, heri fecerint.

I. Vidimus ordines ministrorum Ecclesie, siue illorum distinctionem: iam videbimus vocationem eorundem, quam alii vocant institutionem, alij electionem; ubi quatuor ista sunt obseruanda: primo quales sint vocandi: deinde, a quibus: tunc, qualiter & quo ordine: postremo, quo ritu quæ ceremonie sint ordinandi. Quod ad primum attinet, in genere Vocandi sunt ministri Ecclesiarum huiusmodi, qui voluntate & facultate sint præditi, seu, qui velint & possint ministrare Ecclesie: Voluntatem dum dico, intelligo propensionem & inclinationem ad hoc ministerium: Sub facultate comprehendendo sapientiam siue peritiam, sanctimoniam, prudentiam, & zelum. Itaque hæc in omnibus Ecclesie ministris præexiguntur; siue præsupponuntur, secundum plus & minus, ut loquuntur. Neque enim fieri potest, ut omnes æque excellent. In specie vocandi sunt pastores & doctores, qui sint sanæ doctrinæ, & sanctæ vitæ, & ad docendum idonei: neque fere perpetui. Similiter Presbyteri & Diaconi, qui non solum sancta vita ornati, sed etiam sapientia ad suum munus obcundum necessaria instructi sint: iique vel perpetui, vel temporarii: & rursus vel docti, vel indocti, prout Ecclesie sunt in vrbibus, & pagis, iisque amplis & opulentis, vel exiguis & inopibus. Hæc enim est mensura & norma huius rei: ut & illius, an distincta munia sint constituenda, Lectorum, Cantorum, Catechistarum, Ianitorum, an vero Pastoribus, aut Presbyteris, aut Diaconis hæc vel illa sint committenda. Et hæc quidem breuiter dicta sint de qualitatibus, ut vocant, ministrorum Ecclesie. Sed nobis propositum est inprimis hoc loco agere de Pastoribus Ecclesie.

II. Inprimis autem ad hoc tam excellens & diuinum officium vocandi atque adhibendi sunt, non qui magnificis modo titulis se theologos & sacerdotes profitentur, horumque sanctissimorum munerum stipendia lauta inuasent: sed qui ex fructibus suis cognoscuntur esse idonei, id est, regni Christi cognitione & studio præ aliis præditi atque flagrantes. Tales vero Christus rex noster sibi regniti & format, ex quibus vult hominum ordinibus: nec vllis hanc beneficentiam suam alligat hominum generibus, multo minus inanibus titulis & laruis. Quo itaque pauciores sunt in omnibus ordinibus, qui regnum Christi & solide habent cognitum, & in veritate cupiunt restitutum: eo diligentiore cura quærendi sunt & seligendi, in quacunque hominum sorte & conditione inueniantur. Quod non eo à me adfertur, quasi velim promiscue quoslibet adhiberi ad hoc munus pastorale, etiam laicos: sed ut intelligant lectores, ex omni hominum genere posse eligi, siue sint insignes prosapia, siue humili loco nati, siue titulis magnificis præditi, siue non. Perinde nempe hic est, ut in vita communi: ubi qui corporis valetudinem restitui cupit, is certe medicos non adhibet sibi pro magnificis titulis, & amplis opibus, quas artis medicinæ prætexu sibi cumulauerunt: sed quos cognouerit medendi & solida scientia, fidelique voluntate pollere. Sic nemo se elibenter committat nauis, quæ ab eo regatur, qui nomine tantum & opibus se gubernatorem iactet, peritiam autem nauigandi nullam teneat: sed mauult quisque cum eo nauigare, qui tametsi obscuro sit nomine, & tenuibus, vel etiam nullis facultatibus, ad rite tamen gubernandum nauem existat probe doctus & exercitatus. Quanto vero maiore cura & studio inquirendi & probandi sunt, quibus Ecclesia, non corpora sed summam credat religionis Christi reconcinnaudæ atque propagandæ, qua æterna omnium salus continetur. Illos itaque deligere oportet Episcopos, siue Pastores, qui & vim regni Christi probe norint, & toto illud corde cupiant obtinere, cum primis apud se ipsos, tum etiam apud omnes alios: nihilque in eo commodi vel gratiæ humanæ spectent, sed paratissimi sint extrema potius carnis incommoda subire, quam vllam præterire occasionem, regnum Christi adserendi & propagandi. Ad hæc spirituali quoque præditi sint prudentia, quod rem tantæ molis dextre & commode instituant atque conficiant. Plurimum quidem ad hoc institutum confert, si viri huiusmodi etiam dignitate aliqua, auctoritate, & gratia apud populum excellant: tamen ante omnia necesse est, ut scientiam religionis solidam teneant, & zelo eius flagrent: tum ad reuocandum illud vel prolatandum, sint spirituali scientia instructi: denique sanctitate vitæ conspicui, & inprimis turpis lucri minime cupidi: Breuiter itaque Episcopi debent esse docti, non indocti: ministri Ecclesie, non domini: non eiuusmodi, quos dignitas sola, sed sanctitas episcopos esse declarat: denique tales, qui ipsi præ esse populo soleant, non vero conductitiis vicariis semper vtantur.

III. Hanc thesaurum tribus potissimum argumentis confirmamus. I. Canon ille Spiritus sancti, quem in epistolis ad Timotheum & Titum, nominatim 1. Tim. 3. vers. 1. ad 14. & Tit. 1. vers. 5. 6. 7. 8. 9. hæc ipsa de re, quales sint Ecclesie ministri præficiendi, prodidit, quam religiosissima debet considerari, & ad eum omnia debent exigi in vocatione Pastorum. II. Dignitas, difficultas, & necessitas huius muneris id exigit. Agitur enim hic de summa rei, videl. de salute æterna. Et Episcopus debet omnium onera gestare; cumque aliis irascensibus datur venia, ipsi non datur: cum aliis peccantibus superest excusatio, ipsi minime, vt ait Chrysostomus hom. 13. in Actus. Porro Episcopus, vt idem d. l. ait, omnium linguis expositus est, omnium iudiciis obiectus, & sapientium & insipientium; curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis: multos habet, quibus est inuisus, multos habet inuidentes. Et rursus: Dic mihi si quis decem habet filios subditos, assidue cum ipso viuente, cogitur sine intermissione curam illorum agere. Quid non patietur hic, qui tot habet, non domesticos, sed obedientiam habentes in sua ipsorum potestate. Et mox: Quam multos cogitur offendere volens nolens: quam multos obiurgare, velit nolent: Non temere dico, sed vt affectus sum ac sentio: Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui saluant, sed multos esse qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum. Multas enim habet causas, quæ

quæ depellant ipsum à suis moribus : & innumeris oculis illi opus vndique. Non vides, quam multas res oportet adesse Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorum, vt tenax sit ac fidelis in doctrina sermonis? Quantæ hoc difficultatis, & quod alii peccant, illi imputatur. *Et infra*: Proinde si quis ad summum sacerdotium accesserit, velut ad sollicitudinem & curam, nullus facile illud susceperit. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem: nimirum vt honorificemur & glorificemur apud homines, perdimur apud Deum. III. Testimonia veterum confirmant illas qualitates Pastoris, a nobis positas. Sic enim *Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap. 4.* Sic polleat Episcopus sapientia, vt non solum creditum sibi populum sufficienter doceat, verum etiam & cunctarum queat hæresium contradictiones à Catholica repellere Ecclesia: ne sua imperitia imperitos minime doceat, & huiusmodi casu præuentus illi eueniat quod scriptum est: Cæco cæcus ducatum præbens ambo in foueam cadunt. Qui vero talem se, vt diximus, esse ignorat, Sacerdotium minime appetat, nec locum alterius vsurpare præsumat, præsertim illius, qui fulgore sapientia suæ populorum potest corda illustrare. *Idem serm. de Abraham*: Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Mendacium namque est, Christianum se dicere, & opera Christi non facere. Mendacium est, Episcopum, sacerdotem, vel clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. *Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum*: Sed Episcopi, sacerdotes se esse nouerint, non dominos: honorent Clericos quasi Clericos, vt & ipsi à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: Cur ego te, inquit, habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem? Quod Aharon & filios eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnum templum, vnum sit etiam ministerium. Recordemur semper quid Apostolus Petrus præcipiat sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini, prouidentes, non coacti, sed spontaneè, secundum Deum, neque vt turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregi ex animo &c. *Idem in Mich. 2.* Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque & abstinentiam amplectamur. *Idem epist. 1. ad Heliod.* Non omnes Episcopi sunt Episcopi, Attendens Petrum; sed & Iudam considera. Stephanum suspicis; sed & Nicolaum respice. *Et infra*: Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. *Et ibidem*: Non est facile itare loco Pauli, & tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium. *Cencilium Tolentanum IV. cap. 2. 4.* Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Apostolus, dicens ad Timotheum, Attende lectioni, & exhortationi, & doctrina: Et, Semper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones, vt omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. *Septima Synodus, vt citatur dist. 38. capitulo omnes pfallentes, statuit*, Episcopum debere habere in promptu omnem diuinam Scripturam; atque secundum mandata Dei conuersari, & docere populum sibi commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum Scripturarum disciplina. *Gregorius M. parte 2. Pastoralis cap. 4.* Moli præcipitur, vt tabernaculum sacerdos ingrediens tinnibulis ambiatur, vt videl. prædicationis voces habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendant. *Innocentius II. in Synodo Romana cap. 10.* Præcipimus etiam, ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur: & vnaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem. Citatur in *Iure canonico caus. 21. quest. 2.* Vide plura huius generis *dist. 36. capitulo Illiteratus: ibidem, capitulo: Qui Ecclesiasticus: & caus. 1. quest. 1. capitulo.* Si qui episcopi: *et ibidem, capitulo Hi quoscunque: & dist. 43. capitulo, Dispensatio.*

IV. Huic thesi nostræ contradicunt Pontificii, & alij quidem verbis, alij facto. *Verbis* contradicunt, qui in Episcopo non requirunt magnam doctrinam, sed vocationem & officium in primis vrgent: vt supra quoque ex Bellarmino audiuimus, qui *l. 1. de Concilio. c. 16.* ait, Episcopos in Concilio habere auctoritatem iudicandi, non quia docti sunt, sed quia personæ publicæ sunt, id est, Principes habentes Ecclesiasticam iurisdictionem. *Facto* contradicunt, qui licet verbis concedant, has qualitates in Episcopo requiri, ad illas tamen non attendunt in vocatione, vel susceptione huius prouinciæ. Quibus vellem ob oculos versari illud *Augustini exposit. inchoata in epist. Rom.* Manifestum est, dici aliquid factis, sicut manifestum est negari aliquid factis.

V. Sed paulo penitus inspicimus hanc questionem; & quia Bellarminus in *Admonitione sua ad Episcopum Theanensem nepotem suum*, ea, quæ necessaria sunt Episcopo, qui vere salutem suam æternam in tuto ponere velit, ad nouem controuersias, quas ita vocat, reuocauit, ductum ipsius sequemur, & breuiter istas controuersias examinabimus. *Prima autem controuersia est*: An liceat appetere, vel saltem optare Episcopatum? Bellarminus negat ob has causas. 1. quia Episcopatus non est desiderandus, sed admirandus; quippe qui Angelicis humeris formidandum; & denique Episcopus debeat inter alios homines lucere vt sol inter stellas. 2. quia hæc est sententia aliorum doctorum: nominatim Augustini & Thomæ; quorum alter Patrum, alter Scholasticorum princeps habetur. Sic autem *Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei c. 19.* Locus superior, sine quo regi populus non potest, est ita teneatur, atque administratur, vt decet: tamen indecenter appetitur. *Thomas in explicatione verborum Apostoli, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, ait*: Aut appetit aliquis circumstantias (*id est, honorem, opes &c.*) tunc nescit, quid appetat: aut appetit ipsum opus (*id est, officium episcopale*) & hoc est superbia. 3. quia in historiis & vitis sanctorum legimus, plurimos sanctos viros, omnibus actibus Episcopatum vel recusasse, vel non nisi inuitos & coactos suscepisse, vt Corneliū Papam, Ambrosium, Gregorium M. Fulgentium &c. qui petierint vel appetierint, nullos omnino sanctos viros reperiri. 4. quia nullum huius rei testimonium in Scripturis occurrit. Nam quod Apostolus ait *1. Tim. 3.* Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: non habet hunc sensum, quasi Apostolus Episcopatum ponat inter ea, quæ laudabiliter appeti possunt, sed, quod qui Episcopatum desiderat, bonum opus, id est, rem perfectissimam & altissimam desiderat. Quod explicat Apostolus, dicens: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. Ex his itaque concludit Bellarminus, Episcopale officium non ambiendum, sed formidandum

esse. In hac dissertatione Bellarmini dominatur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: itemque oppositorum. Nam appetitus & desiderium alicuius rei est vel cum ordine & modo, vel sine illis. Sicut itaque in re, appetitus inordinatus & immoderatus officij alicuius est damnandus: ita quoque in Ecclesia. Hoc vulgo appellatur crimen ambitus. At vero si quis cum recta ratione ambiat munus, ita vt illud petat ex conscientia suæ qualificationis, vt loquuntur, & consilio bonorum: vtique illud non est damnandum. Et ita *Thomas d. l. scribit*, Episcopatum imminente necessitate posse appeti: Sic *Gregorius in prima parte Pastoralis* ait, tempore Apostolorum licitum fuisse & laudabile, Episcopatum appetere: quoniam idem erat, atque appetere martyrium. Itaque aliquando est licitum, & laudabile, imo & necessarium, appetere Episcopatum: ac proinde simpliciter hæc questio non est neganda. Deinde, Episcopatus est & admirandus, & desiderandus: quia hæc duo se non perimunt. Tertio, nimia perfectio tribuitur Episcopatu: vt dicemus iam iam ad *controuersiam quartam*. Quarto, Patres & Scholastici loquuntur *regulæ de Episcopatu*: quæ dicta non sunt ad viuum rescanda. Quinto, verba Apostoli sunt manifesta, ita vt ipsi vis fiat a Thoma: idque magis, quod Episcopatum ille metitur externa illa pompa, quæ in Papatu obtinet. At nos vrgemus ipsius formam internam, quæ consistit in prædicatione verbi, administratione sacramentorum, & gubernatione: quæ tria aliquis bona conscientia potest appetere, & quando est necesse, petere. Sexto, exempla allata vel modestiam, vel hypocriam, vel nimiam timiditatem arguunt.

VI. *Secunda controuersia est*, An Episcopus teneatur in Ecclesia sua residere, & non inde discedere, nisi ad tempus, ob causas in *Concilio Tridentino sess. 2. 4. cap. 1.* explicatas? Hanc questionem Bellarminus recte negat. 1. quia Episcopus teneatur sub præcepto diuino ad illud, quod est necessarium ad finem Episcopi, vt est cura animarum. Iam vero residentia personalis Episcopi est necessaria ad curam animarum: quæ in his actibus personalibus est posita, scilicet in doctrina, ministracione sacramentorum, visitatione, custodia, diligentia. Nam Apostolus dicit: *Oportet Episcopum doctorem esse*; non vero, Oportet Episcopum habere doctorem. Et in ordinatione Episcopi dicitur: *Vade, prædica populo Dei*. Et Christus dicit: *Pasce*. Pastoris autem nomen non meretur, qui non adest gregi suo. Itaque residentia ista est de iure diuino. 2. Thomas, Caietanus, Dominicus a Soto, & alij in hac sententia. 3. Concilium Tridentinum ita sancit; & inter alia sic habet: Cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euident Ecclesiæ, vel reip. utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant &c. Hæc summam Bellarminus: quæ valde probamus.

VII. *Tertia controuersia est de officio Episcopi*: An videl. teneatur per se prædicare? Respondet Bellarminus. Conuetudo quidem communis inuoluit, vt per alios prædicet: sed veritas, aut certe securior sententia est, quod per se prædicare teneatur. 1. quia id docet Episcopalis consecratio, in qua dicitur: *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commissum*. 2. quia idem docet *Concilium Tridentinum sess. 5. c. 2. 4.* 3. idem docet nomen pastoris. Dixit enim Dominus Petro, & in eo omnibus Episcopis, *Pasce oues meas*. Et *Iohan. 10.* dixit idem, *Oues pastorem sequuntur, & vocem eius audiunt*. Sic Paulus *Act. 20.* dicit, se annuntiasse omne consilium Dei, & docuisse publice atque per domos. Similiter *Ezech. 33.* pastor appellatur speculator. 4. Apostoli & eorum successores legatione funguntur pro Christo. Christus autem dicit se missum fuisse ad prædicandum Euangelium, *Luc. 4. Esa. 61.* Idem Apostolis dixit, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, *Iohan. 20.* item, Prædicate Euangelium, *Marc. 16.* Et Paulus ait: Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. vñ enim mihi, nisi euangelizauero, *1. Cor. 9.* Ideo monet Timotheum *1. epist. 4.* Prædica verbum, in ista &c. hoc ipsum declarat Concilium Carthaginense IV. quod officium Episcopi describens dicit, Episcopum debere tantum vacare lectioni, orationi, & prædicationi verbi Dei: cetera per alios facere. Nunc vero plerique Episcopi prædicationem alii committunt, temporalia negotia, quasi propria sibi vendicant. Vtri rectius faciant, S. Gregorius iudex esto. Ille certe sic loquitur *lib. 2. Epist. 30.* Episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare. Sed ante S. Gregorium, Apostoli disertis verbis dixerunt. *Act. 6.* Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Verum quidem est, hoc nostro tempore multos concionatores inueniri: Sed non ideo Episcopi cessare debent à ministerio verbi, ad quod proprie ordinati sunt, cum in ordinatione seu consecratione, hoc etiam tempore illis dicatur, *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commissum*. Et hæc quoque Bellarmini, *de Cæcitate* proposita, vehementer probamus.

VIII. *Quinta controuersia est de perfectione vitæ Christianæ*. An Episcopus teneatur esse perfectus? Et quod teneatur, docent omnes Scriptores: vt Christus *Matth. 5.* Vos estis sal terræ, & lux mundi. Item Apostolus *Tit. 2.* In omnibus te præbe exemplum bonorum. Et *Thomas 2. 2. quest. 184. artic. 2.* vbi docet, in genere perfectionis Episcopos se habere, vt perfectiores; religiosos autem, vt perfectos. Religiosi autem sunt in statu perfectionis acquirendæ, quia faciunt tria vora; paupertatis, contra affectum diuitiarum; castitatis, contra concupiscentiam carnis; obedientiæ, contra superbiam vitæ. Episcopus igitur, qui est in statu perfectionis adeptus, tenetur esse perfectus in charitate Dei & proximi, circa diuitias Ecclesiæ, ne illas esse suas existimet: circa castitatem, vt Angelica puritate Deo ministret: denique circa humilitatem, vt ponat animam suam pro fratribus. Merito itaque *Gregorius part. 2. sui Pastoralis* ait: Tantum debet actionem populi transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Itaque quanto sapientior & sanctior est homo pecudibus, tanto sapientior & sanctior debet esse Episcopus hominibus suæ curæ commissis. Porro *Gregorius d. l.* ait: Sit Præsul singulis compassione proximus, præ cunctis contemplator: et suspensus: id est, possideat perfectionem vitæ actiua, quæ est in charitate perfecta erga proximum; & contemplatiua, quæ est in charitate perfecta erga Deum. Ita enim Christus totos dies consumsit in charitate proximi, docendo, exhortando &c. & noctes totas in charitate Dei, orando, contemplando &c. Et Apostoli assidue intenti fuerunt prædicationi & orationi, *Act. 6.* Hanc perfectionem imitentur Episcopi. Excludit autem hæc perfectio ludos, venationes, lectionem librorum vanorum, occupationes temporales, & alia id genus omnia. In his Bellarmini verbis, summam pro-

propositis, placet intentio: et si non possumus probare, quod de nimia perfectione differit, hoc est, de tribus illis votis meritoris. Hæc si absint, totus discursus probari potest, quatenus loquitur de idæa boni Episcopi.

IX. *Quinta controuersia* est de ordinatione Clericorum: An liceat vel expediat multos ordinare? In hac re multi falluntur, qui existimant multiplicandum esse Clerum, & ideo sine magno delectu manus imponunt. Optauerunt, est Ecclesiam euertere. Ideo B. Apostolus clamat: Nemini cito manus imponeret: ut nullus ordinetur ad titulum patrimonii, nisi pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae. Proinde maximus est abusus ordinare quoslibet ad titulum patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesiae. Vnde sacerdotium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis patet. Imitari debent Episcopi sanctos Pontifices Romanos, qui in primordiis Ecclesiae parcissimi erant in Presbyteris ordinandis. Constat enim ex Anastasio bibliothecario, per annos circiter ducentos ordinationes presbyterorum & diaconorum Romæ factas à Pontificibus quindecim, tam fuisse parcas, ut nullus illorum Pontificum excederet numerum presbyterorum decem & octo, etiam si diu vixerit. Hanc quoque orationem Bellarmini; *ubi inquit*

X. *Sexta controuersia* est de multiplicata beneficiorum; quam quidem sacri Canones horrent: ut patet *dist. 86. can. singula*. Canon ait: *Singula Ecclesiastica officia singulis quibusque personis singulatim committi iubemus*. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non habent eundem actum: ita in Ecclesia corpore iuxta B. Paulum, in vno eodemque spiritu alii conferendum est hoc, alii illud officium; neque vni, quantumlibet exercitatur persona, vno tempore duarum rerum officia committenda sunt. Quo pertinet *c. 2. Concilii Tridentini. sess. 7. itemque cap. 13. & 17. sess. 24.* Nimirum sicut varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem representat: ita varietas personarum per diuersa officia recte distributa, & fortitudinem & venustatem sanctæ Dei Ecclesiae manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrorum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Sed quia multi multa beneficia ex dispensatione Pontificia possident; sciendum est, Pontificiam dispensationem, quando non adest causa iusta dispensandi, valere in foro fori siue soli, non in foro poli: ut aperte docet *Thomas quodlibet 9. artic. 15.* vbi postquam retulisset illa verba S. Bernardi: *Qui non vnus, sed plures est in beneficiis; non vnus, sed plures erit in suppliciis*; postea hæc addit, *Habere plures præbendas, plurimas in se inordinationes continet*. Idem docet *Dominicus Soto l. 3. de iust. & iure q. 6. arr. 3.* his verbis: *Habere plures præbendas, si nuda spectetur, statim sonat quasdam ordinis peruersiones: primum, quia ratio docet ut vnicuique ministerio suus deputetur minister; & cultus diuinus detrimentum patitur; & multi digni egent, alij vero hac ratione abundant; & foementum ambitionis inde subministratur. Itaque huiusmodi beneficiorum coacervationes, siue per dispensationem fiant, siue secus, carere non possunt culpa atque scandalo. Valde profecto bene hæc dicuntur à Bellarmino.*

XI. *Septima controuersia* est de modo agendi cum Principibus seculi, in libertate Ecclesiae tuenda. Vbi duo sunt necessaria. vt nihil temere & sine consilio agamus. 2. vt sic viuamus, vt intelligant Principes, vel Principum administrari, nos non querere occasiones rixandi cum illis, sed solo Dei timore & honore duci, vt libertatem Ecclesiae defendamus: & reuera conemur officiis & beneficiis amicitiam eorum diligenter conseruare. Multa enim Principes seculi concedunt amicis Episcopis, quæ non concederent iis, quos sibi aduersarios esse sciunt, aut credunt. Quæ Bellarminus hic scribit de concordie studio, placent. Sed causa principalis non probatur: quia vt Episcopi simul sint Principes seculares, nulla ratione defendi potest.

XII. *Octaua controuersia* est de modo agendi cum consanguineis & affinibus. Vbi Canones Apostolorum oportet sequi, qui prohibent, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis vt pauperibus distribuunt. Similiter *Concilium Tridentinum. sess. 2. c. 1. cauet*, ne Episcopi ex rebus Ecclesiae consanguineos familiare seu suos augere studeant. Quod ipsum iam olim Augustinus & Ambrosius fecerunt & monuerunt. Hoc itaque probe obseruent viri Ecclesiastici, quibus hoc vitium videtur esse commune, vt nimio amore prosequantur consanguineos & affines, illosque locupletare studeant. Hæc quoque resolutio Bellarmini placet: vt vt hypothesis nobis non placeat. Præsupponitur enim, Episcopos habere opes instar principum secularium.

XIII. *Nona & vltima controuersia* est de rebus Ecclesiasticis, in quos vsus expendi debeant. Vbi veteres Patres valde rigidi erant. Sed Scholastici de minoribus sententiam sequuntur. Sic enim *Thomas in 2. 2. q. 18. art. 7.* distinguit de bonis Ecclesiasticis. Aliubi sunt distinctæ portiones Episcopi, Cleri, Ecclesiae materialis, & pauperum: alibi non sunt distinctæ; sed sibi dei Episcopi permittitur, vt ex rebus Ecclesiasticis partem distribuatur clericis, partem pauperibus partem infumant in restauracionem Ecclesiae materialis, partem sibi referunt ad modicam sustentationem suam. Certum est enim, ad hos omnes fines donata fuisse Deo bona Ecclesiastica. Et si quidem portiones distinctæ sunt: nulla dubitatio esse potest, quin Episcopi sola sua portione contenti esse debeant: si vero distinctæ non sint, vt in plerisque locis accidit, certum est peccare mortaliter eos Episcopos, qui non sunt contenti frugali mensa, & tenui suppellectili, & reliqua non infumant in reparationem Ecclesiae, & vsu pauperum. Ex his facile colligere est vtum liceat Episcopis thesaurizare, vel multam familiam famulorum alere, vel in ludis, & conuiujs, & venationibus pecuniam perdere, aut in extruendis vel ornandis palatijs, & hortis, more Regum thesauros Ecclesiae sumere. Et hæc quoque Bellarmini nostri decisio bona est.

XIV. Hæc itaque est summa eorum, quæ Bellarminus in illo libello ad nepotem suum disputat. Quæ quidem ideo adduxi, vt verbis tanti Cardinalis perstringeremus luxum & insolentiam Episcoporum nostrorum, qui nihil fere minus sunt quam Episcopi: & vt hinc quoque nostra questio lucem acciperet. Multa enim ab illo dicuntur; vnde facile constare potest, quales pastores sint vacandi ad hoc arduum munus.

CAP. IV.

Penes quos sit electio ministrorum Ecclesiae, sententia nostra.

I. DE vocatione ministrorum Ecclesiae iam sequitur secunda questio: Vtrum ius vocandi, siue eligendi ministros Ecclesiae, ad solos Episcopos, & potissimum quidem ad Pontificem Romanum pertineat: an vero ad vniuersam Ecclesiam, hoc est, ad Pastores & Seniores, referentes populum, seu plebem Christianam, & præsertim ad magistratum Christianum, referri debeat; seruato nimirum in omnibus recto ordine & decore, prout in Ecclesia Christi seruari debet? In hac igitur questione nos posteriorem affirmamus, priorem vero negamus: Pontifici contra, priorem affirmant, posteriorem negant.

II. Quod attinet ad *negationem nostram prioris partis*; quia nullam Romani Pontificis eminentiam supra reliquos Episcopos hic agnoscimus, vt *Chamierus tom. 2. fufe ostendit*; nec peculiare quoddam eligendi ius, tanquam humanum commentum, nullo diuino iure subnixum, sed ex mera superbia ortum, & deinde vi ac tyrannide manifesta confirmatum plane repudiamus. Porro *argumenta nostra pro affirmatiua parte prioris membri*, hoc est, pro iure totius Ecclesiae in eligendis verbis ministris, siue omnium eorum qui totam Ecclesiam hac in parte representant, in septem classes partitur, hoc ordine.

III. *In prima classe sunt loca Scripturæ*, in quibus potestas clauium totius Ecclesiae datur; nosque Ecclesiam, tanquam communem omnium piorum matrem, atque columnam & firmamentum veritatis, obseruare, ac reuerenter audire iubemur. Nam quod dicitur *Matth. 16.* Tibi dabo clauem &c. Augustinus tract. 124. in Iohan. interpretatur dictum esse Petro, vt is personam gerebat Ecclesiae. Itaque clauem regni caelorum non soli Papæ, aut episcopis, sed toti Ecclesiae sunt date. Sic *Matth. 18.* traditur formula disciplinae Ecclesiasticae, quæ toti Ecclesiae præscripta est. Caterum nomine clauium significatur omnis potestas Ecclesiastica. Igitur tota multitudo fidelium potestatem habet à Christo eligendi & vocandi ministros. Deinde Episcopi non sunt domini, sed ministri Ecclesiae, vt constat ex *1. Cor. 3. & 1. Petr. 5.* Iam vero Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, *1. Tim. 3.* Igitur summum tribunal est penes Ecclesiam, non penes episcopos. proinde illa potest eligere & vocare ministros. Ad hæc quoque classem pertinet illud argumentum. Imperat Dominus *Iohan. 10.* vt non audiamus vocem alienorum. Et rursus *Matth. 7.* vt fugiamus falsos prophetas. Et Apostolus iubet *Gal. 1.* anathematizari eos, qui docent aliquid præter Euangelium. Igitur populus Christianus diuinitus habet mandatum, quo tenetur bonos pastores querere, & vocare, & perniciosos reicere.

IV. *In secunda classe sunt exempla aliquot V. T.* vbi non solus Pontifex, aut Sacerdos, sed vel totus populus Israelis, vel saltem ipse Rex, aut summus magistratus, in quem populus omnem potestatem contulerat, non modo inferiores Sacerdotes, ac Leuitas, sed interdum ipsos etiam Pontifices, suo arbitratu vel instituit, vel ab officio remouit. Ita rex Salomon Pontificem Abiatharem repudiat, eiusque loco Sadochum constituit, *1. Reg. 2.* Vide etiam passim in vtroque libro Chronicorum: vbi David, Salomon, & alij pii Reges, simile potestatem in constituendis, aut distribuendis, aut alio modo mutandis Sacerdotum officiis usurparunt. Vide quoque *Iudic. 17. & 18.* de Sacerdote illo, quem primo quidem vir quidam opulentus Micheas, deinde vero tota tribus Danitarum ad S. ministerium vocauit. Nihil iam dico de Mose, Aharonem simul vocante & ordinante. Id enim fuit extraordinarium. Sed ordinariæ potestatis exempla tantum virgemus.

V. *In tertia classe est praxis Apostolorum in N. T.* qui, licet extra ordinem à Christo vocati, & singulari potestate diuinitus instructi essent, nunquam tamen absque consensu totius Ecclesiae, quæquam ad ministerium factum vocarunt. Nam *Act. 1.* cum Apostolus aliquis in locum Iudæ eligendus esset, Petrus quidem, ordinis causa, ipsam actionem inchoat, & moderatur: sed tota Ecclesia duos eligit, de quibus sortes postea iactæ fuerunt. Sic *Act. 6.* tota priorum multitudo septem Diaconos elegisse dicitur: quos Apostoli postea per manum impositionem solenniter ordinarunt. Denique *Act. 14.* dicuntur Apostoli passim constituisse Presbyteros, sed per populi suffragia, hoc est, libera suffragia, quæ manuum protensione olim significabantur.

VI. *In quarta classe est praxis Ecclesie viuentibus Apostolis.* Nam *1. Tim. 4.* Presbyterium dicitur Timotheo manus imposuisse, hoc est, ad verbi ministerium ipsum vocasse. In Presbyterio autem non soli Ecclesiastici, sed & alij seniores e plebe, seu populo delecti, olim continebantur: sicut in *1. Tim. 5.* apparet: vbi duplices Presbyteri distinguuntur, quorum alij laborant in sermone, alij non. Ergo vniuersa Ecclesia per suum Presbyterium eligere debet idoneos verbi ministros.

VII. *In quinta classe sunt rationes varia;* nominatim illa, quæ dicitur, ab ipsa naturali equitate, & publica honestate. Etenim multo iustius honestius, & tutius est, vt ab omnibus, suo loco & gradu, eligantur verbi ministri, quam ab vno aliquo Episcopo: quippe qui solus facilius hic falli, & corrumpi, suaque potestate abuti potest, quam vniuersa Ecclesia. Imo æquum est omnino, vt qui tota Ecclesiae ministrare debent, ex consensu etiam totius Ecclesiae eligantur: ne videlicet ignoti, aut exosi, aut suspecti Pastores inuitis Ecclesijs obtrudantur. Atqui Pastores reuera totius Ecclesiae ministri sunt, & in Scripturis passim appellantur, *1. Cor. 3. 2. Cor. 4. Gal. 1.* Huc accedit, quod Apostolus *1. Tim. 3.* iubet, vt, qui eligendi sunt ad Ecclesiae ministerium, ab omnibus habeant honestum testimonium. Ergo necesse est omnium consensum huc accedere. Denique vt in politicis electio est penes populum in Democratia, penes optimates in Aristocratia: ita in Ecclesia, quæ habet formam temperatam ex Democratia & Aristocratia, idem recte & vtiliter obseruatur. Et quia regimen Aristocraticum prædominatur, electio pastorum iure tribuitur Presbyterio, vt pote in quo sunt optimates Ecclesiastici.

VIII. In sexta classe est praxis veteris Ecclesiae, siue diuturna consuetudo. Hic enim usus fuit in Ecclesia per annos 1300. & solum a tempore Friderici II. qui obiit anno 1250. introductus, ut Laici excluderentur ab electione. Quod autem tam diu durauerit consuetudo eligendi ad suffragia populi, constat ex decretalibus epistolis editis a Gregorio IX. qui sedit tempore Friderici. Nā *tit. de electione cap. Messana* extat mentio huius rei: nec nō in epistola eiusdem Gregorii ad Episcopum Bremensem, apud *Krantzium lib. 8. Metropolis. cap. 3.* Confer cum seq. classe.

IX. In septima & ultima classe sunt testimonia Patrum, & aliorum. Sic enim *Cyprianus lib. 1. epist. 4.* Propter quod plebs obsequens praeceptis Dominicis, & Deum metuens, a praeposito peccatore separare se debet, nec ad sacrilegi facerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur. *Nominatim* vero Cyprianus hic adducit illa loca, superius ex Actis citata, & praeterea alium locum ex *Num. 20.* de Eleazari per Moesam electione. *Theodoretus lib. 1. hist. Eccles. c. 9.* recitat epistolam Concilij Niceni, ad Alexandrinos scriptam, ubi inter alia dicitur: Dignum est, vos potestatem habere, & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero sunt digni, & absolute facere omnia secundum leges & sanctiones Ecclesiae: Si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumti sunt, solummodo si videantur digni, & populus eos elegerit, concedente simul, & designante maxime Alexandrinae ciuitatis Episcopo. *Idem Theodoretus lib. 5. c. 9.* recenset epistolam Concilij II. generalis, ad Damasum scriptam, ubi sic legitur: Reuerendissimum, & Deo amabilem Nectarium Episcopum ordinauimus coram vniuersali Concilio, cum omni concordia: sub aspectu etiam Deo amabilis Imperatoris Theodosij, vniuersique Clerici, cuncta decernente pariter ciuitate. Similia legere est apud *Leonem epist. 39. Gregorium lib. 2. epist. c. 69. Gratianum dist. 23. 24. 62. 63. 65. 67. 68. q. 1. can. Licet Nominatim, dist. 63. capitulo 22.* dicitur, Imperatorem ius habere eligendi Pontificem. Idem docetur *capitulo seq. In eadem dist. capit.* Quia igitur, diserte statuitur, voluntatem Principis in ordinatione Pontificis desiderari. *Capitulo* Reatina rogat Papa Leo IV. Lotharium & Ludouicum Augustos, ut Reatinam Ecclesiam cuidam electo dignentur concedere. *Capitulo* Nobis scribit Ritae Comitissae, se regio praeposito Colonom ordinare episcopum Reatinae Ecclesiae. *Capitulo* Lectus Stephanus Papa Guidoni comiti scribit, Imperatoris epistolam in electione antistitis desiderari, & sine ea Episcopum ordinare recusat. *Capitulo* Agatho ex gestis Romanorum Pontificum statuitur, electum in Romanum Pontificem non ordinandum, nisi eius decretum Imperatori primum praesentetur. *Capitulo* Cum longe ex Concilij Toletani XII. cap. 6. ostenditur, in electione episcoporum, Principis desiderari assensum. Denique ipsi Papi factentur, in electione ministrorum iam olim populi consensum, & requisitum, & adhibuit fuisse; licet id per conuenientiam Episcoporum factum esse dicant. Vide paulo post *cap. 7. §. 1.*

X. Huiusmodi sunt argumenta nostra: ad quae *Bellarminus lib. 1. de clericis. c. 7.* summam ita excipit. 1. Augustinus dicit. Petrum accepisse claus in persona totius Ecclesiae, quia in totius Ecclesiae commodum & utilitatem eas acceperat pro se & successoribus suis. 2. Ecclesia soluit & ligat, quia Praelati hoc faciunt in ea. 3. Episcopi sunt ministri Ecclesiae, quia pro ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo. 4. Populus debet quidem discernere verum prophetam a falso, sed non alia regula, quam diligenter attendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria is, quae dicebantur a praecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, & praesertim ab Apostolica sede, tanquam Ecclesia principali. Non igitur debet populus iudicare pastorem suum, nisi noua audiatur. 5. Quod tota Ecclesia elegit ministros Ecclesiae, *Act. 1. c. 6.* id factum est ex concessione Petri. Et locus posterior non est ad propositum: ut pote qui agit de electione diaconorum: non vero Episcoporum. 6. *Act. 1. c. 6.* potest tria significare: eligere per suffragia, eligere quocumque modo, & ordinare per manuum impositionem, quae tertia significatio locum habet *Act. 14.* non vero prima. 7. Rationes politicae hic sunt ineptae. 8. Ex testimoniis Patrum non potest colligi, esse de iure diuino, ut populus eligat, sed illam consuetudinem iam tum coepisse & viguisse, ut populus electioni admisceretur, ferendo testimonium de vita & moribus ordinandorum. Nam in primis, Apostolorum tempore & deinceps multis annis nihil potuit in electionibus populus, nisi testimonium vitae dare: deinde consequentibus seculis irrepsit plebs ad suffragia.

XI. Ad has Bellarmini exceptiones replicamus. ad 1. Clauis datae sunt Petro & reliquis Apostolis, hoc est, toti Ecclesiae. Nam potestas clauium data est proculdubio, non personis mortalibus, sed vniuersitati immortalis. Itaque pastores habent illam potestatem per & propter Ecclesiam. ad 2. Ecclesia soluit & ligat vel tota, vel per praelatos. ad 3. episcopi regunt quidem illi Ecclesiam, sed non more regio, verum sub Christo rege. ad 4. Populus habet aliam normam iudicij, & alium Lydium lapidem, videlicet Scripturam sacram. ad 5. Non factum est hoc concessione Petri, sed iure diuino: ut patet ex *num. 1.* & ex nostris argumentis classe 1. allatis, ad 6. Nouus est usus iste verbi *χρησθῆναι*: ut obseruat Stephanus in Thesauris. Vera autem significatio est, creare per suffragia. ad 7. Firmae sunt istae rationes: quia concludunt ab aequitate, & a simili. ad 8. Imo vero Patres dicunt, populum habere istam potestatem. Vnde vero, nisi a Deo? Sed quid multa? Tota Ecclesiastica potestas de iure diuino est penes totam Ecclesiam, hoc est, clero simul & populo diuinitus est attributa. Bona vero pars istius potestatis vertitur in electione pastorum. Itaque maior est totius Ecclesiae auctoritas in eligendis ministris, quam quae solis Clericis, hoc est, parti duntaxat alicui, conuenire possit.

☞ (?) ☞

CAPVT V.

Penes quos sit electio ministrorum Ecclesiae, sententia Papiatarum.

I. **Bellarminus** libro 1. de Clericis cap. 2. ad 11. proponit octo propositiones, sex de quibus prima agit de ordinatione, secunda de vocatione, sequentes sex de electione ministrorum Ecclesiae. Has igitur examine-mus. *Prima eius propositio* seu sententia est: Ordinationem tum Episcoporum, tum aliorum Ecclesiae ministrorum, non ad plebem, sed ad solos Episcopos pertinere. Hanc propositionem operose probat ex Scripturis, decretis Conciliorum, testimoniis Patrum, more populi Dei, & exemplis maiorum. Sed quorsum iste apparatus? Nos enim concedimus, ordinationem ministrorum Ecclesiae a solis Episcopis, seu Pastoribus, in Ecclesia, per publicam ordinandorum praesentationem, cum pijs precibus, & solenni tum ad ipsos, tum ad populum admonitione coniunctam; imo etiam per conspicuam aliquam ceremoniam, puta manuum impositionem, recte peragi; tamen hunc ritum praecise necessarium esse negamus. Sed hac de re vide mox *cap. 7.*

II. *Secunda propositio* sequitur: Vocatio, seu missio ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem. Ratio est: quia Ecclesiastica iurisdictio non est in ipso cetero fidelium, sed in capite, id est, in summo Pontifice, & ab ipso ad Episcopos ceteros deriuatur. Id quod probatur *primum* ex verbo Dei. Legimus enim Petro collatam potestatem *Matth. 16. & Joh. 21.* Tibi dabo clauis: Pasce oues meas. Et rursus Apostolis *Joh. 20.* Ego mitto vos. Et: Quorum remiseritis peccata. Multitudini autem fidelium Christus, author omnis Ecclesiasticae iurisditionis, nihil vnquam tribuisse legitur. *Deinde* idem hoc probatur ex Apostolica consuetudine. Nam *Act. 14.* Paulus, & Barnabas, Episcopi & Apostoli constituebant per ciuitates Presbyteros: *Tit. 1.* Huius rei gratia, inquit Apostolus, reliquit Cretae, ut constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi. Et ipsi etiam Centuriatores *Cent. 1. lib. 2. c. 2.* fatentur, primos Episcopos post Apostolos ab Apostolis constitutos. *Denique* idem colligitur ex sequentibus. Demonstratur enim summo paulo infra electionem ministrorum populo non conuenire: ex quo certe sequitur maiori ratione, vocationem eidem populo non conuenire. *Resp. 1.* Potestas ligandi & soluendi, item oues Christi pasceudi, Apostolis omnibus ex a quo fuit concessa, *Joh. 20. Act. 20. 1. Petr. 5.* Quid vero haec ad Papam? Ille enim non est legitimus Apostolorum successor. 2. *Cap. praeced.* probauimus, iurisditionem Ecclesiasticam toti Ecclesiae diuinitus concessam esse. 3. Apostoli fuerunt ministri extraordinarii; & habuerunt iurisditionem Ecclesiasticam cumlatiue. Idem de Episcopis iudicium est, quantum ad cumulum iurisditionis. 4. Nos iam ante ostendimus, electionem pastorum conuenire populo Christiano: & ad argumenta aduersaria paulo post respondebimus.

III. *Tertia propositio* est: Electio ministrorum Ecclesiae non fit a solo Deo. Hanc propositio nihil ad nos. Neque enim asserimus, semper esse electos, seu praedestinos ad vitam aeternam, verique coram Deo iustos, quicumque Ecclesiae ministerio funguntur. Imo plurimum idem accidere dicimus, quod fabris arcae Noe vsuenerit: qui aedificabant arcam, neque tamen seruabantur in arca. Sic plurimi Episcopi, siue pastores, colligunt Ecclesiam, neque tamen seruantur in Ecclesia.

IV. *Quarta propositio*: Non decuisse Christianos Sacerdotes carnali successione propagari. Neque haec propositio ad nos pertinet. Fatemur enim, neque carnalem generationem, neque simile quippiam externum, quod videlicet in lege Moysi olim spectabatur, in vocatione ministrorum N. T. spectandum esse: sed solius sanae doctrinae, & sanctae vitae, & sufficientium doctorum rationem habendam esse. Quod vero dicitur de Christianis Sacerdotibus, *singulis, & ceteris* illa vox accipiatur, admittimus; si proprie, negamus in N. T. vlos esse sacerdotes: quae de re supra in *supplemento tomi 4.*

V. *Quinta propositio*: Ius eligendi summum Pontificem, ceterosque Ecclesiae Pastores, non conuenit populo iure diuino. Sed si quid aliquando hac in re populus potuit, id totum habuit ex conuenientia, vel concessione Pontificum. Hanc vero propositio est contra nos. Videamus itaque argumenta Bellarmini, eaque numero septem. *Primo* adfertur exemplum Aharonis: qui a solo Mose fuit electus in Pontificem: sine villo vel consensu, vel consilio multitudinis. *Secundo* idem probatur exemplo & verbo Christi, qui *Johan. 20.* ait Apostolis: Sicut misit me Pater, & ego vos. Quare voluit, ut ea ratione Apostoli gubernarent Ecclesiam, qua ipse eam gubernauit. Atqui Christus in his terris ita gubernauit Ecclesiam, ut elegerit XII. Apostolos, & LXX. discipulos sine consilio, aut suffragio villo multitudinis. *Tertio* ex iure diuino, tum naturali, tum etiam scripto, nam iure diuino scripto Episcopi sunt pastores populi, populi sunt oues, *Johan. vlt. Act. 20. 1. Petr. 5.* Ratio autem naturalis apertissime docet, ouibus non conuenire, ut pascant, regant, vocent pastores. *Quarta* idem probatur exemplo Apostolorum, qui Episcopos passim eligebant sine villo suffragio multitudinis: ut vel ex eo constat, quod Episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes & infideles. *Quinto* probatur ex Conciliorum veterum decretis: ut ex *can. 13. Concilij Laodicensi*: Non est permittendum turbis electionem facere eorum, qui sunt ad sacerdotium promouendi. *Sexto* idem probatur testimoniis Patrum. Sic enim *Hieronymus epist. 85. ad Euaugrium*: Alexandria a Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos Presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. *Septimo* idem probatur ex incommodis, quae popularem electionem consequuntur. Primum, populares sunt imperiti, nec possunt etiam maxime velint, iudicare, an aliquis sit idoneus sacerdotio, necne. Deinde, si populus habeat ius eligendi, necesse erit, ut semper ij praeficiantur, quos praefici cupient peiores & stultiores: nam maior pars vincet: semper autem sunt plures mali in qualibet ciuitate, quam boni, plures stulti, quam sapientes. Denique, electio popularis obnoxia est tumultibus & seditionibus.

VI. *Respon-*

VI. *Respondeo, ad 1.* Moses fuit minister Dei extraordinarius, cuius potestas fuit singularis, & immediate à Deo accepta. Proinde ipsius exemplum ad consequentiam trahi non potest. Deinde, interdum in V. T. Sacerdotes à populo, vel magistratu, vel vocati, vel depositi fuerunt: ut *cap. preced.* Quare ipsorum tum vocatio, tum potestas fuit etiam singularis. Itaque non debuerunt vocari mediante Ecclesia. Deinde Apostoli vniuersi representant totam Ecclesiam. Denique illi ipsa praxi ostenderunt, quid sit iuris rursus ad hanc potestatis usurpationem: ut *cap. preced.* est probatum. *ad 3.* Est ne, & ideo pastorem sibi eligere non possunt. Itaque ut populus in rep. eligit sibi pastorem, id est, magistratum: ita in Ecclesia eligit sibi pastorem, id est, Episcopum. *ad 4.* Apostoli habuerunt potestatem extraordinariam; itemque iurisdictionem Ecclesiasticam cumulatiue: & tamen non elegerunt ministros absque consensu Ecclesiae. Deinde alia est ratio Ecclesiae nondum constitutae. Ad illam enim mittuntur Episcopi iam ante electi. *ad 5.* Decreta ista vel solas turbas excludunt ab electione, vel populo ius suum eripiunt. Illud hoc est tyrannidis. *ad 6.* Presbyteri eligunt Episcopum quatenus representant Ecclesiam, quae ipsis hoc ius resignauit, non priuatiue, sed collatiue, seu cumulatiue, ut vulgo loquimur. *ad 7.* Est perpetua fallacia accidentis. Illis enim malis etiam Clericorum electio est obnoxia; & tamen ipsi dem facile occurrere potest, per directionem totius Presbyterij, & auctoritatem magistratus.

VII. *Sexta propositio:* Electio Episcoporum non pertinet iure diuino ad Clerum, sed ad summum Pontificem, ut vel ipse eligat, vel praescribat modum eligendi. Ratio 1. quia ecclesia vniuersa soli Petro est commissa, *Iohann. ultim.* 2. quia si ad Clerum pertineret electio iure diuino, ad totum Clerum pertineret. At hoc non est; tum quia eadem fere incommoda acciderent, quae accidebant in electione populari; tum quia primarij Clerici non possent eligere, si iure diuino omnes Clerici electores essent. 3. quia Petrus absque consensu Clericorum sibi delegit Clementem successorem. *Respondeo, 1.* Ecclesia commissa est omnibus Apostolis aequaliter. 2. Electio pertinet ad Clerum & populum simul; nempe ita, ut ordine & decenter omnia fiant. Quod attinet ad incommoda, illis obuiamitur auctoritate publica & consilio prudentum. 3. *Gratianus caus. 8. quest. 1. cap.* Si Petrus, affirmat ex epistola Iohannis III. Papae, Petrum morte ingruente Clementem sibi successorem elegisse; Clementem vero, cum videret, quod esset perniciosum exemplo, si quis eligeret successorem suum, renuntiasse Papatui; & tunc electum fuisse Linum; eo mortuo, electum fuisse Clerum; quo mortuo, denuo Clementem esse electum: atque hinc fieri, quod aliqua historia Petro Linum, aliae Clementem proxime successisse dicant. vnde de Clemente ver-

Disputat hic mundus, quartus, fuerit ve secundus.

Sic Gratianus. Sed authores aiunt, Apostolos illam Petri electionem abrogasse, & Clementem ab illo electum abdicasse, eiusque loco Linum elegisse; & postea Cletum, & quarto loco Clementem. Quod si verum sit; maior Apostolorum, quam Petri auctoritas fuit; qui illud rescindere potuerunt, quod Petrus statuerat. Sed de successore Petri Scriptores non consentiunt.

VIII. *Septima propositio:* Ratio eligendi summum Pontificem per solos Cardinales, est omnium optima, & merito conferuanda, etsi absolute Pontifex possit eam mutare, si vellet. *Octaua propositio:* Si nulla extaret Pontificia constitutio de electione summi Pontificis; vel casu aliquo omnes electores à iure designati, i. e. oēs Cardinales simul perirent; ius electionis ad Episcopos vicinos & Clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio generali. Vtraque ista propositio, de singulari Pontificis electione, inepta est. Nam Pontificis Romani electio, & Cardinalium auctoritas ab ipsis Papistis orta est; nec vllum in verbo Dei, vel praxi veteris Ecclesiae fundamentum habet. Vide quae *cap. preced.* diximus, de iure Imperatoris in electione Pontificis Romani, Archiepiscoporum, & Episcoporum.

CAP. VI.

Qualiter, & quo ordine sint vocandi ministri Ecclesiae.

I. *Beitarminus lib. 1. de Clericis cap. 2.* disputat primum de ordinatione ministrorum, tum de vocatione, postremo de electione. Sed nomen vocationis ex vsu Scripturae complectitur Electionem, & Ordinationem. Et sane illa est prior natura quam haec. *Becanus in Manuali lib. 1. cap. 12.* in ordinarijs ministris Vet. & Noui Testam. ista quinque spectanda esse docet. 1. Electionem, seu designationem certae personae. 2. Purificationem. 3. Consecrationem, seu Ordinationem. 4. Applicationem ad vsum ministerij, quam nos in noua lege vocamus missionem. 5. Potestatem & officium. Primum enim debet aliquis eligi in Pastorem. Deinde, qui eligitur, debet se disponere per puritatem animi, ut sit dignus tali statu atque ministerio. Tertio debet consecrari siue ordinari, iuxta ritum ecclesiae. Quarto debet mitti ad executionem officij sui. Quinto debet scire, quae & quanta sit potestas sui officij, seu ministerij. Et sic perficitur ipsius vocatio. Quae methodus, siue series legitima est, in thesi nimirum. Nam quae in specie dicuntur, siue in hypothesi, de singulis illis partibus, non per omnia probamus.

II. Sunt itaque ministri Ecclesiae primo eligendi, siue designandi, & quidem adhibito religioso timore, quem olim restabantur ieiunio & precatione. *Act. 13. v. 2. 3. cap. 14. 23.* Sunt autem eligendi, ut diximus *cap. 4.* per suffragium & consensum Ecclesiae, quam representat Presbyterium. Deinde instituetur examini, iuxta regulam *1. Tim. 3.* Ethic probentur. Quod tamen si dicatur de diaconis: tamen in Pastoribus etiam locum habet, & quidem multo magis. Oportet enim illos esse *de peccatis*, & testimonij bonum habere, etiam ab externis. quanto magis a domesticis fidei. *Ti. 1. ver. 7.* Sed à

quibus, & de quibus debet fieri hoc examen? 1. Ab ijs, qui prius ipsi examinati, & vocatione sancta rite defuncti probauerunt se idoneos esse, qui possint de aliorum idoneitate iudicare. quod examen olim per triduum fiebat iuxta canones Concilij Nauari. 2. De tribus fieri debet capitibus: nempe, num vita sit integra, num doctrina sana, num facultas tanta, quae huic muneri sufficiat. Atque haec est vera purificatio, quam Becanus ita vocat. Denique post habitum examen ea ratio in ferendis suffragijs, siue colligendis votis est adhibenda, quae maxime sit vtrata, & calumnijs hominum minime obnoxia.

III. Iam audiamus Becanum de purificatione. Purificatio, inquit, si praecise spectemus ius diuinum Noui Testamenti, non necessario est externa & ceremonialis, sic, ut erat in lege Moisaica; sed interna & spiritalis, quae potissimum consistit in puritate animi, in probitate vitae, in doctrina fidei, & in alijs virtutibus, quae in ministris Ecclesiae requiruntur. De quibus Apostolus *Ti. 1. ver. 7.* Dixi, si praecise spectemus ius diuinum Noui Testam. Nam si spectemus ius Ecclesiasticum, requiruntur etiam externa quaedam purificationes, propter honestatem & decetiam illius status. Cuiusmodi 1. Tonfura, seu rasio pilorum in capite. 2. Habitus clericalis. 3. Abdicatio operum seruilium: & si quae aliae sunt similes.

IV. Quae hic dicuntur de interna & spiritali purificatione, vehementer probamus. Ceremonialem partim improbamus, partim probamus. Et rasuram quidem, tanquam ritum nullius momenti, improbamus: habitum clericalem, eum indifferenter, admittimus: denique abdicacionem operum seruilium necessariam esse iudicamus. Dicamus de singulis. *Tonfura*, siue rasio pilorum in capite, est inane symbolum, & plenum superstitionis. Merito itaque rejicitur. *Habitus clericalis* potest adhiberi, sed non ex necessitate. Quotidiana, inquam, Pastorum vestes ita esse possunt comparatae, ut ex illis inter nosci queant. Neque ab his quotidianis vestibus distincta quaedam aliae requiruntur in officij laici functione. Nam Apostoli & eorum successores, cum sacris essent operaturi, quotidianis vestimentis utebantur & vilibus. Itaque ministris Ecclesiae in sacris obeundis non est opus vestimentis alijs, quam quotidianis, quibus communiter vtuntur. Hinc *Hortulius anima* inquit: Apostoli & eorum successores in quotidianis vestibus & lignis calicibus Missam celebrabant. *Walafridus Strabo*, qui sub Ludouico Imper. Caroli M. filio scripsit, *de rebus eccles. cap. 2. 4.* ait: Vestes etiam sacerdotales ad eum qui nunc habetur, aucta sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti, Missas agebant, sicut & haecenus quidam Orientalium facere perhibentur. *Polydorus Vergilius de inuentoribus verum lib. 6. cap. 12.* ait: Ab Hebraeis sumtum est ut vestes sacerdotales, cum altarium tegumentis ac reliquis rebus ad vsum templi necessarijs sacrentur: & vestimenta ipsa sacerdotibus, alijsque initiatis assignarentur, qui ea induerent, cum sacris essent operaturi. Quod Stephanus Pontifex, primus apud nostros faciendum statuit. Nam in exordio surgentis religionis, sacerdotes rem diuinam facturi, nihil superinduere consueuerunt: cum potius sese intrinsecus animi virtutibus vestire, ac vitijs corporis exuere studerent, quam novos sumere apparatus, qui apud ipsos Hebraeos magna habebantur venerationi. *Celestinus Papa*, huius nominis primus, *epist. ad Episcopos Galliae secunda, primo tomo Conciliorum pag. 595. capitulo 1. ita scribit:* Didicimus enim, quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inseruire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, si contra Ecclesiasticum morem faciunt qui in ecclesia non creuerunt, sed alio venientes itinere, secum haec in Ecclesiam, quae in alia conuersatione habuerant, intulerunt. Amicti pallio; & praecinctoribus, credunt se Scripturae fidem, non per Spiritum, sed per literam complexuros. Nam si ad hoc ista praeccepta sunt, ut taliter seruentur: cur non sunt pariter quae sequuntur, ut lucernae ardentes in manibus vna cum baculo teneantur? Habent suum ista mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, quae decet, significatione seruentur. Nam in lumborum praecinzione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur, Opera vestra luceant, indicantur. Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à ceteris degunt. Vnde hic habitus in Ecclesijs Gallicanis; ut totannorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste: conuersatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus nouitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum superuacancis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quam illudendi. Nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda praeccepta sunt.

V. Cum distincta sint officia Ecclesiastica à secularibus, merito probamus abdicacionem operum seruilium; immo omnium secularium. Hinc *Nelchindus Papa dist. 88. capitulo* Decreuit, sic *introducitur:* Decreuit sancta synodus nullum deinceps clericum; aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum, & viduarum. *Ita quoque septimus Canon Apostolorum in eadem dist. capitulo 3.* Episcopus sancit: Episcopus; aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam seculares curas assumat; sin aliter, deiciatur. *Ibidem capitulo* Perlatum citatur *Epistola 11. Gregorij: & distinct. 10. capitulo* Quoniam citatur *epistola 7. Nicolai I. ad Michaelem Imper.* Vide quoque *Gratianum caus. 23. q. 8.* Verum enim uero veterem illam querelam,

Quidquid agit mundus, monachus vult esse secundus

hodierna experientia immane quantum confirmat.

CAPVT VII.

Quo ritu, quae ceremonia sint ordinandi ministri Ecclesiae.

I. Electionem itaque sequi debet Examinatio: hanc vero praesentatio & Ordinatio. Electionem Scriptura vocat *2. Cor. 12. 13.* ordinationem, *2. Cor. 12. 13.* Itaque Examinatio continetur sub Electione, Praesentatio sub Ordinatione. Talis ergo est ordo. Primo designandi, seu eligendi sunt Pasto-

res idonei electi, sunt examinandi: examinati, presentandi atque ordinandi. *Presentandi*, inquam, sunt, postquam peracto examinae accessit populi consensus, & confirmatio magistratus. Omnes enim Ecclesiae, quae sunt in Christo, hanc libertatem, hunc honorem à Christo per Apostolos acceperunt, ut inuitis illis Episcopus aut Pastor dari non possit: sed illa ius electionis habeant, & in illarum conspectu praesentationes & ordinationes fieri debeant, si quidem Ecclesia habeat halcyonia sub Christiano magistratu. Ita nempe *Act. 1.* fideles simul collecti suis suffragijs statuerunt duos, cumque fors cecidisset super Matthiam, communibus calculis, seu communi sententia, electus est cum undecim Apostolis. Hinc *Chrysostr. homil. 3. in act.* ait: Cur non solus Petrus à Christo postulauit, ut ipsi daret aliquem substituendum in locum Iudae? Deinde cur non potius per seipsum efficiunt electionem? Iam Petrus erat seipso factus melior. *Et mox:* Iam & illud considera, quam Petrus egerit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate sua, nihil cum imperio. *Et postea:* Multitudini permittit iudicium. *Et paulo post:* Non ipse eos statuit, sed omnes: *Et Cyprianus epist. 68. ad clericum & plebes in Hispania:* Coram omni synagoga iubet Deus constituere sacerdotem, id est, instruit & ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis eonscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, & sit ordinatio iusta & legitima, quae omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Quod postea secundum diuinam magisteria obseruatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudae Episcopo Petrus ad plebem loquitur. *Et mox:* Nec hoc in Episcoporum tantum & Sacerdotum, sed etiam in Diaconorum ordinationibus obseruasse Apostolos animaduertimus. Eandem libertatem ecclesijs conseruauerunt postea etiam Concilia. Nam *Concilium Parisiense cap. 8. sic statuit:* Nullus cuius inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima elegerit voluntate, non Principis imperio. *Sexta synodus aemulenica sic decreuit:* Si quis Episcopus secularibus potestatibus vsus, ecclesias per ipsas obtinuerit, deponatur, & segregentur ab ecclesia omnes qui ei communicant: ut citatur *dist. 63. cap.* Omnis electio. *Et dist. eadem* allegatur Constitutio Caroli M. & Ludouici Pij: Sacrorum canonum non ignari, ut Dei nomine sacrosancta ecclesia suo liberius potiarur honore, assensum ordini Ecclesiastico praebemus, ut Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta Canonum eligantur. *Chrysostr. homil. 11. in Eph. 4. ait:* Existimatisne quae sufficere si dicatur quod sint orthodoxi, pereat autem & intereat *χρηστότης*, id est, rectorum ecclesiae electio: Et quid iuuat, si ea non sit exacta & accurata? Sicut enim pro fide, ita etiam pro hac pugnamus est. Denique *Iacobus Pamelius Papista in annotat. ad epistol. Cypriani 68. numero 16. ingenue ita scribit:* Non negamus veterem electionis Episcoporum ritum, quo plebe praesente, immo & suffragijs plebis eligi solent. Nam in Africa illum obseruatum constat ex electione Eradii successoris Augustini, de quo extat epistola eius 120. In Graecia, aetate Chrysostr. ex lib. 3. de sacerdote. In Hispanijs, ex hoc Cypriani loco, & Isidoro lib. de officijs. In Gallijs, ex epistola Coelestini Papae II. Romae, ex ijs quae supra diximus epistola ad Antonianum. Vbi que etiam alibi, ex epistola Leonis primi 87. Et perdurasse eam consuetudinem ad Gregorium I. vsque, ex eius epistolis: imo & ad tempora vsque Caroli M. & Ludouici Pij Imperatorum, ex 1. lib. capitulorum eorundem satis constat.

II. Sed definiamus Ordinationem. Est illa Presbyterij actio, qua iam electus quis & examinatus, cum precibus & ritu impositionis manuum inueni Ecclesiastico consecratur & velut inuestitur. Duo itaque hic sunt obseruanda: quo ritu, & à quibus fieri debeat haec consecratio. Quod attinet ad primum, quam operoso ritu olim in V. T. Sacerdotes & Leuitae consecrati fuerint, vide *Exod. 29.* & reuoca semper signa ad rem significatam. In N. T. *χρηστότης* tantum sit mentio, in Actis Apostolorum & Epistolis Pauli; quae formula dicendi, sicut & ritus ipse per eam significatus, ab Hebraeis fluxit, qui hac ceremonia solebant uti, partim in publicis ac solennibus uictimarum consecrationibus, partim in benedictionibus priuatis. Hunc ritum deinde obseruauit ecclesia Christiana, tum in ministris constituendis, *1. Tim. 4. 2. Tim. 1.* tum etiam in conferendis Spiritus sancti donis, *Act. 8. 17. cap. 19. 6.* & faustis precationibus, *Matth. 19. 13.* denique ad sanandos aegrotos, *Marc. 16. 18.* Nec inanis est haec ceremonia *χρηστότης* rite usurpata. Habet enim suam, & quidem multiplicem significationem. 1. Consecrari peculiariter hunc, cui manus imponuntur, Deo & sacris vsibus illius vsque & totum & tantum esse addictum. 2. Auctoritatem illi tradi in Ecclesia docendi, sacramenta administrandi, soluendi & ligandi. 3. Dona Dei communicari à Spiritu sancto necessaria ad tanti muneris executionem, *1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6. 4.* Hunc ita consecratum, cura & protectioni diuinae commendari, qua aduersa omnia superet, atque perferat ad extremum vsque in sancti huius officij functione. Atque haec quidem est significatio *χρηστότης*.

III. Ordinati a. sunt olim Pastores ab Apostolis & Apostolicis uiris, *Act. 14. v. 3.* Itaque & hodie ordinatio siue consecratio fieri debet à Pastore, sed non sine populi conscientia, & praesentia. Porro cauum est Ecclesiasticis canonibus, ut tres saltem Episcopi adsint, quando aliquis ordinatur in Episcopum ne uidelicet temere aliquid hic tentetur ab vno. An vero ab vno manus imponi debeant, an ab omnibus Episcopis siue Pastoribus praesentibus, quaeritur ex duplici loco Pauli. Nam *1. Timoth. 4.* meminit impositionis manuum Presbyterij. Sed *2. Tim. 1.* meminit impositionis manuum suarum: & *1. Tim. 5.* monet Timotheum, ne cui cito manum imponat. Sed siue vnus omnium nomine, siue omnes qui adsunt, imponant manus, res eodem redit. Imo etsi loco impositionis manuum, dextrae porrectio adhibeatur (ut fit in quibusdam Ecclesijs) nihil hic de rei essentia mutatur. Nam impositio manuum decori causa tantum adhibetur, ita ut abesse debeat opinio necessitatis vel cultus.

IV. Quae vero ad hanc ceremoniam paulatim postea adiecta fuerunt, partim vsurpatis paganorum ritibus, partim Mosiacis ceremonijs, in vsum reuocatis: ea, utpote cum simplicitate & puritate religionis Christianae pugnantia, probari non possumus. Eius farinae sunt chrisma seu unctio, rasura, crux, vestis lineae, cerei, & alia similia, quae post vel superstitio, vel *χρηστότης* inuexit. Atque, ut aliquid dicamus de unctio, illa non est à Christo vel Apostolis instituta, neque etiam illa est opus. Nam *Dionysius in hierarchia Ecclesiastica*, cum multas alioqui ceremonias describat, unctio tamen in ordinandis Ecclesiae ministris meminit nusquam. Sic *Ambrosius lib. de dignis*

sacerdotali cap. 5. describit ordinationem Episcopi, neque tamen facit mentionem huius unctiois. Verba eius ita sunt: Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus: sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus; Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus iniciat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. *Concilium Carthaginense IV.* cui Augustinus interfuit, ritum ordinandi & consecrandi Episcopos, Presbyteros, Diaconos &c. describit: sed de unctioe externa altum silentium. In *ueteri quoque historia Ecclesiastica* multos Episcopos electos & ordinatos legitimus, unctum vero neminem. Hic itaque ritus non est antiquus. Sed neque est necessarius. Sic enim *Cyprianus de unctioe chrisimatis scilicet. 6.* Non solum in regibus & sacerdotibus unctioe honor permanit, sed in omnem populum Catholicum effusa est gratia huius plenitudo. Ut sicut Christus à chrismate dictus est, eo quod singularis excellentiae oleo unxerit eum Deus, ita & participes eius quotquot sunt, confortes sint tam unctioe, quam nominis, & dicantur à Christo Christiani. Hoc vult dicere Cyprianus. Externa illa unctioe nihil est opus: quia interna & spiritalis unctio omnibus ueris Christianis est communis. Porro hic ritus proculdubio olim habitus fuit pro indifferente: sed posterioribus seculis cepit haberi pro necessario. Nam *Innocentius III. Papa, qui post an. Chr. 1200. sedit, lib. 1. Constit. 84.* scribens ad Patriarcham Constantinopolitanum, faterur in Graeca ecclesia unctioe usum non fuisse. Cum, inquit, uenisset ad Apostolicam sedem Bracarensis Episcopus, qui in consecratione sua non acceperat unctioem: quoniam apud vos non consueuerunt Pontifices cum consecrantur, ungi: nos quod illi defuerat, mandauimus in ipso suppleri, facientes caput eius & manus per Albanum Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem Ecclesiasticum) sacro chrismate deliniri. Denique unctio illa ex Iudaismo sumpta est. Sic enim *Lombardus 4. sent. dist. 2. 4. ait:* Hic ordo à filijs Aharon sumptus initium. Summos enim Pontifices, & minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex praeepto Dei Aharon in summum sacerdotem, filios uero eius unxit in minores sacerdotes. *Durandus in Rationali diuinarum officiorum lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 20.* idem probat ex *Leuit. 8.* Itaque unctio illa iam expirauit in N. T. utpote pars paedagogiae Leuiticae, & typus unctioe spiritalis, qua Christus debuit ungi oleo laetitiae *Pl. 45.*

V. Sequitur de missione, quae tum demum adhibetur, quando is qui ordinatur, non illi Ecclesiae in qua ordinatur, sed alij est praeficiendus. Tum enim necesse est, ut literis testimonialibus, quas uocant, instruat candidatus ministerij, & mittatur ad Ecclesiam. Saepem usum uenit, ut aliquis ordinetur in omnem euentum, ut loquuntur: h. e. non statim etiam praeficiatur Ecclesiae, sed ordinetur, ut possit praefici, quando usus postulat. Itaque missio ista non semper est necessaria. Sed nec semper differt re ipsa ab ordinatione, ut uult Becanus. In ordinatione, inquit, Sacerdoti uel Episcopo confertur potestas ordinis, cuiusmodi est potestas sacramenta administrandi: at in missione confertur illi iurisdictio, id est, assignantur illi subditi, quos ex officio & cum auctoritate doceat, gubernet, sacramenta administret. Sic Parochus dicitur mitti in Parochiam, quando assignantur illi Parochiani: Episcopus in Episcopatum, quando assignantur illi dioecesi. Sic olim Apostoli missi sunt in omnem terram, *Matth. 10. & 28. Marc. 16.* Haec enim ille. Sed, ut modo diximus, si ordinatio fiat in loco, ut loquuntur, non est necessaria missio, sed includitur in ordinatione: & tum non differunt collatio ordinis & iurisdictio. Imo ordinatio semper est collatio iurisdictioe potentialis, licet non semper sit collatio iurisdictioe actualis. Nam qui ordinatur, accipit potestatem pascendi Ecclesiam quamcumque, dummodo ab illa uocetur. Sed haec uocatur leuicula. Vnde & illud uidere est, ordinationem interduum praecedere uocationem: uidelicet illam, quae dicitur fieri in euentum.

CAPVT. VIII.

Presbyteros & Episcopos, siue Pastores omnes esse pares iure diuino.

I. Sequitur de priuilegijs ministrorum Ecclesiae, & quidem illorum qui *ἐπίσκοποι* hoc nomine dicuntur, uti sunt Pastores. Tria uero illis priuilegia comperunt: num iure diuino, puta quod omnes sunt pares officio seu potestate; duo iure positioe civili, quod ipsi pceduntur decimae, & quod immunes sunt ab oneribus ciuilibus quantum ad personas & bona. *De primo priuilegio magna est controuersia inter nos & Papistas, quorum sententiam Becanus in Manuali pag. 233. sic exprimit.* Episcopi habent quaedam officia communia cum sacerdotibus; quaedam propria & particularia. Communia sunt haec. 1. baptizare. 2. Eucharistiam conficere. 3. absolueri contentes à peccatis. 4. extremam unctioem conferre. 5. Euangelium praedicare. 6. Catechismum docere. Propria sunt ista. 1. dare sacramentum confirmationis. 2. ordinare seu consecrare ministros Ecclesiae. 3. regere Ecclesiam Dei, non solum quoad Laicos, sed etiam quoad Presbyteros seu sacerdotes. 4. agere iudicem Presbyterorum in externo foro Ecclesiastico. Hinc sequitur, Episcopos ratione officij digniores esse sacerdotibus. Haec itaque est Papistarum sententia. Nostra est longe alia. Nam docemus, omnes Pastores esse pariter pares, ut ita loquar cum mathematicis, ratione officij pastoralis: imparitatem collocamus in diuersitate uocationis, & distinctione graduum. Tres itaque sunt partes huius thesisi: quas ordine confirmabo.

II. Principio omnes Pastores sunt aequales iure diuino, quantum ad officium pastorale, seu potestatem illius officij. Nam, ut ex Apostolo constat, ministerium Euangelicum est quaedam dispensatio, seu oeconomia, mysteriorum Dei, *1. Corint. 4. 1. 1. Timoth. 3. 16.* illorum, inquam, mysteriorum, quae in V. & Nou. Testam. sunt patefacta, & aduentu Christi, Seruatoris nostri, toti mundo facta sunt manifesta. Istiusmodi mysteria sunt numero tria: praedicatio Euangelij, communicatio sacramentorum, & gubernatio ecclesiae externa. Euangelij praedicatio est legatio nomine Christi ad omnes gentes, qua peccatores rogantur, ut Deo reconciliari uelint: seu, est promulgatio doctrinae de gratuita peccatorum remissione, quam Christus morte sua acquisiuit. Communicatio sacramentorum est; qua credentes, id est, Christiani, baptizantur, & caena Domini celebratur in memoriam ipsius. Gubernatio

natio Ecclesie externa est potestatis clauum legitima vsurpatio, qua que ligantur & soluantur in terris, ligata & soluta in coelis censentur. Ea duo in primis habet membra: censuram morum, & ordinationem ministrorum. Hoc, inquam, est ministerium Euangelij, quod est vnum & idem, omnibus pastoribus aequaliter conceditur. Omnes enim sunt serui Dei, & economi sed vigilantes; praefecti nationum & regnorum; vt illa extirpent, destruant; edificent; patres spirituales; vigiles, qui excubant pro salute animarum; speculatores; conflatores, qui igne verbi Dei constant Chalibea corda; angeli Dei; viri Dei, messorum, & si qua sunt alia nomina honoraria, quibus omnes ad omnes pertinent praecipua & promissiones, quae Apostolis, tanquam legatis Dei a Christo proponuntur: vt *Matth. 16. & 18. & 28. Iohan. 20. & alibi: Ecclesiastica* eleganter ait: Iesus hierarchiarum omnium author est, atq; per totionis principium. Et *Cyprianus episc. 65. ad Rogatianum Episcopum*: Episcopos & praepositos Dominus elegit. Et *mox*: Deus Episcopos facit.

III. Sequitur altera pars theses de vocationis diuersitate. Nam quia ad sacrum ecclesie Christi ministerium, nemo non legitime vocatus se degi, dare leges hominibus: inde fit, vt duo sint genera legitimae vocationis. Alterum, quando quis ab ipsomet Deo vocatur: alterum, quando secundum praescripta a Deo leges ab hominibus ecclesie minister constituitur. Hoc ordinarium dicimus, illud extraordinarium. Quod etiam duobus modis & diuersis temporibus accidit: nempe aut proxime a Deo, nullo interuentio; aut etiam per Prophetam: idq; aut nullo adhuc ordine constituto, aut postquam iam ordo institutus est. Prioris exemplum habemus in Mose & Aharon: vterque a Deo extra ordinem vocatus est; Moses a Deo proxime, sine interuentio; Aharon per fratrem Moysen: qui ad sacerdotium, iussus a Deo, ministerium, nulla adhuc scripta lege, vt ab ipsis sacerdotij ordo & totum ministerium Leuiticum exordium caperet. Posterioris exemplum habemus in Samuele: quem Deus vocauit post ordinationem sacerdotij receptam & confirmatam in populo Dei. Eodem modo Elias, & plerique omnes V. Test. Prophetae sunt a Deo excitati. Elias vero, & alij extra ordinem ita vocati sunt, vt Deus Prophetam interuentio ad eam rem sit vsus. In nouo autem testamento Dominus elegit XII. Apostolos, quibus postea addidit ad Euangelij ministerium alios LXX. discipulos, nullo adhuc Euangelij ministerio constituto: Paulum vero & Matthiam post institutionem ministerij, collegio Duodecim virorum suorum adiunxit. Porro extraordinaria haec vocatione certos gradus recipit. Aut enim est extraordinaria simpliciter & omni modo, vt in Elia: aut secundum quid & aliquo modo, vt Philippi, *Act. 8. ver. 4. 5. 14.* & fundatorum ecclesie Antiochenae, *Act. 11. ver. 19. 20. 21.* Illa est gradus excellentis, haec remissi. Nam extraordinariae vocationis in gradu excellenti, virtus haec est; vt quemadmodum solum Deum habet auctorem, eundem quoque habet certum directorem. Vnde illam extraordinaria quaedam dona semper comitantur: vt nihil opus habeant, qui extra ordinem sic a Deo vocati sunt, ab homine doceri & informari in ijs, quae ad executionem sui muneris pertinent. Saepae etiam hunc gradum comitatur gloria miraculorum. Vocatio ordinaria est, quae secundum leges quas Deus dedit, fit per homines: cuiusmodi fuit sacerdotium Aharonicae familiae, & Leuitarium ministerium in V. T. & hodie est Episcoporum siue Pastorum, qui tum ab ipsis Apostolis fundandis ecclesijs assumpti fuerunt cooperatores, & iam constituti datii rectores; tum ab eorum successoribus, qui per continuum seriem temporum, quamdiu Ecclesia permanet, ei praesuerunt. Rursus illa vocatio ordinaria est talis vel simpliciter & in gradu excellenti, quae fit iuxta ordinem legitimum: vel secundum quid, quae fit iuxta ordinem corruptum. Denique vocatio ad ministerium Ecclesiae alia est interna, alia externa. Sine interna nemo, quantumuis ab hominibus rite vocatus, nihilque desit ad legitimam externam vocationem, Ecclesiae ministerium suscipere debet: sed neque ea sola fruetur, vilius se ministerio Ecclesiastico ingerere debet. Vtrobique enim altera pars fallere potest, tam qui eligit, quam qui eligitur. Externa vocatione confirmatur, aut etiam excitatur (quando nulla praecessit interna) pius animus ad suscipiendum munus Ecclesiasticum, siue proxime a Deo, siue per homines ad illud vocetur. His ita praemisissis dico, longe maximam differentiam esse inter ministros Euangelij vocatos extraordinarie & ordinarie, immediate & mediate. Tamen enim pares sunt quantum ad potestatem officij: tamen impares sunt, quantum ad officij functionem: vt est manifestum in Apostolis. Vide hac de re initio huius *lib. c. 1. s. 4.*

IV. Tertia pars theses nostra est de gradibus ministrorum euangelij: vbi rursus cernitur aliqua inaequalitas. Nam neque sacrae functiones exaequantur, vt munus doctoris & pastoris; neque inter eiusdem muneris collegas *et cetera*; siue primatus ordinis tollitur. Etsi ergo omnes pastores possunt praedicare Euangelium, sacramenta administrare, alios pastores ordinare & cetera. tamen ordinis causa Pastori primario conceditur ordinatio: & alicubi saepe inferiori pastori siue secundario iniungitur administratio baptismi, quae alio non peragitur nisi a primario. Ex his itaque patet, aequalitatem pastorum quantum ad essentiam officij pastoralis nisi iure diuino: inaequalitatem autem aliam nisi iure diuino, vt est illa ratione vocationis; aliam iure humano, vt est illa ratione ordinis siue graduum.

V. Iam transferenda est thesis ad hypothesein, & dispiciendum, vtri pastores, nostri ne an Papistici, paritatem illam cum praedecessoribus in primitiua Ecclesia pro se allegare possint: ita vt & vocatio legitima sit, & officij functio. Dicimus autem vocationem nostrorum Pastorum esse legitimam, itemque functionem officij eorum, de Papisticis distinguimus iuxta ea, quae supra *lib. 2. c. 21.* in medium attulimus.

VI. Et, vt de Papisticis Episcopis & Presbyteris priori loco dicam (breuiter enim id expediti potest) quamuis Romana ecclesia nec orthodoxa, nec Catholica, neque etiam Catholicae Ecclesiae membrum sit; Ecclesia tamen est; nempe ecclesia corrupta, & corrumpens. Sed neque totaliter est corrupta, quia multi in ea nituntur vnius Christi merito: neque totaliter est corrumpens, quia multi in ea semper fuerunt & adhuc sunt doctores, quibus Papalitas non placet; & plurima in ea retinentur incorrupta. Quid enim?

Annon apud Papistas remanent testimonia signaque foederis Dei; nempe nouum & Vetus Testamentum, cum sacramento baptismi, in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti; & fide in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Sane quotquot in Ecclesia Romana baptizantur, in nomine Christi baptizantur, & profitentur se Christianos esse, & per Christum quaerere salutem, atque Deum Patrem inuocare: & catenus sunt fratres nostri, quamuis multis erroribus sint immergi. Idololatriae & abominationes, quae illi vigent, non magis veritatem, fidemque promissionum Dei delere queunt, quam in V. T. vbi certe ecclesia adultera (sic enim appellatur *Hos. 1. & 3.*) filios & filias Deo pariebat. Hinc Deus apud Ezechielem de pueris circumcisis dicit, illos esse suos: *Tulisti* (inquit Dominus ad ecclesiam adulteram) *filios tuos, & filias tuas, quos generasti mihi; & immolasti illos* (nempe Baalim) *ad consumendum: numquid parum est tibi de fornicationibus tuis? & immolasti filios meos, dedisti que eos, vt transire faceres per ignem.* Hinc fit manifestum, adulterae ecclesiae natos, Deum agnoscere pro suis. Quod itaque Deus pronuntiat de pueris circumcisis in ecclesia adultera V. T. natis: id nos dicamus de pueris baptizatis, in ecclesia adultera N. T. natis: Et sicut foedus Dei ministeriumque Ecclesiasticum in V. T. non prius interijt, quam Dominum Iesum Christum abnegauerunt, & profusus abiecerunt: sic in ecclesia Romana, & alijs, quas malitia temporum, & versutia Satanae seduxit, & a puritate Euangelij, in profanos & impios cultus traduxit, sacramentum Christianismi, & ministerium ecclesiasticum interijt non est censendum: Corrupta quidem illa sunt, & conditionem sequuntur ecclesiae; non tamen nulla sunt. Quemadmodum igitur Deus per Ieremiam (quae est Dei misericordia) benignis verbis contra gentium mores, amanter ecclesiam Iudaicam, iam adulteram, ad sanam mentem, vt ad eum reuertentur, adhortatus est: sic in N. T. nunquam desit viti Dei, qui abusus & abominationes ecclesiarum aperte reprehendunt. In medio sane Papatu fuerunt concionatores, qui abusus illos notarent. Neque est, quod aliquis obijciat, omnes pastores in Papatu ordinari ad sacrificandum abominandum illud Missae *βδελυμω*. Nam officium Presbyteri a Pontificis non definitur sola sacrificandi potestate. Ordinatur enim, vt verbum Dei doceat, vt baptizet, vt praesit ecclesiae sitque Episcopo auxilio: sicut apparet ex Episcopi precibus & verbis, quando ordinat Presbyteros. Sic enim eos alloquitur: Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praesidere, praedicare, baptizare & c. & imposta vtraque manu super caput ordinandi, sic precatur: Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, vt super hos famulos, quos ad Presbyteri munus elegit, caelestia dona multiplicet, & quod eius dignatione suscipiunt, ipsius auxilio consequantur. *Et alio loco*: Deus sanctificationum omnium author, cuius vera consecratio pleneque benedictio est, Tu Domine super hos famulos tuos, quos tibi Presbyteri honore dedicamus, munus tuae benedictionis infunde, vt grauitate aeternum, & censura videndi, probent se esse seniores, his instituti disciplinis, quas Titus & Timotheo Paulus exposuit, vt in lege tua die ac nocte omni tempore meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint iniuentur; iustitiam, constantiam, misericordiam & c. Vide quoque formulam consecrationis Episcopi *paulo ante c. 3. s. 6.* Hinc videre possumus, in quem finem ordinentur Presbyteri in Romana ecclesia; ex qua ordinatione si sustuleris superfluas ceremonias, & Missae sacrificium, habebis veterem creandi presbyteros ritum. Ceremoniae istae contaminant equidem ministerium Ecclesiasticum: sed non sustulerunt in solidum. Sane in Papatu nemo ordinatur Presbyter, hoc consilio, vt aut Christum oppugnet, aut ipsius euangelium peruerat. Quod si fieret, aperta esset defectio a Christo; quae neque cum ecclesia, neque cum ipsius ministerio retineret quidquam commune. Sed plurimum interest inter ea quae sunt aberratione rei cuiusquam (cum voluntate tamen & animo efficiendi id, a quo aberratur) & ea quae sunt ex professo odio & inimicitia illius eiusdem rei. Pontificis propositum non est oppugnare Christum, vel eius doctrinam: quod id tamen faciunt, errore fit, praeter animi sententiam. Hinc itaque efficitur, vocationem & ordinationem Papistarum nos esse nullam, sed corruptam; & functionem ministerij valde quoque contaminatam.

VII. Nostrorum vocationem quod attinet, illa est legitima: siue considerentur vt primi instauratores, siue vt eos secuti. Nam illi, hoc est, instauratores, habuerunt vocationem extraordinariam certo respectu, & ordinariam item certo respectu: hi tamen ordinariam; quia illi in ecclesia restituta, hi in restituta laborant. Quod autem priores illi habuerint extraordinariam vocationem, oportet accipere de extraordinaria vocatione secundi modi: quatenus nempe extra ordinem tunc vsu receptum, modo singulari & heroico, donisque extraordinarijs a Spiritu sancto ornati, ea perfecterunt, quae modum ordinarium longe superant; quibus praecelatis effectis probauerunt se non ingessisse in hoc munus, sed Dei gloriae tantum studio, & proximi salutis desiderio impulsos hoc aggressos esse. Ordinariam item habuerunt, quae scilicet in ordinatione inordinatissima tum temporis locum habebat: ita vt quidquid boni in illa adhuc superfuit, id totum illorum fuerit; quia, vt modo diximus, pastoribus illis ex officio incumbere, Euangelium praedicare. Vt ergo omni relicto, rem ad legitimum modum reuocarent. Quod iam attinet eos ministros, qui a primis illis instauratoribus ordinati sunt, illi legitime fuerunt ordinati, quia iuxta verbum Dei instituta fuit ipsorum ordinatio: vt pote quae consentanea est canonis ordinationis Paulinae apud Timotheum & Titum. Sed de prioribus illis nobis erit sermo.

VIII. Quod itaque ipsorum vocatio fuerit extraordinaria; sic patet. Extraordinaria vocatio est, quando Deus, bono ecclesiae ita postulante quosdam seruos suos excellentibus donis ornat, vt cultum ipsius verum vel instituant, vt Moyses, Apostoli: vel restituant, vt Prophetae in V. Testam. Hic modus posterior locum habet, vbi ecclesia quidem adhuc est, sed valde corrupta, vt pote cessantibus in officio, vel etiam contra officium facientibus gubernatoribus illis ordinarijs. Ista vero, tum demum legitima est censenda, si causa, effectum, & necessitas consequentiae concurrant. Causa est Dei voluntas & amor in suos, quos ex tyrannide Satanae hac ratione vult eruere. Effectum est regni Christi restitutio, ex ipsius verbo. Necessitas consequentiae est quando quidem mali remedium non potest expectari a mali auctoritate, id est, ordinarijs doctoribus, & tamen ventum est ad extrema, ita vt reformatio sit plus quam necessaria, omnino opus est extraordinarijs. Haec tria concurrunt in primis nostris instauratoribus. Ergo illorum vocatio est extraordinaria. Sed & est ordinaria. Nam corruptam & falsam de praecipuis

cipuis fidei nostrae capitibus doctrinam impugnare, & veram asserere, quibus Christianus in S. literis versatus, & potest, & debet. Hoc sane ordinarium est officium omnium Christianorum, nominatim doctorum verbi. Sic in regno Iuda multae reformationes ab ipsis Sacerdotibus & Regibus institutae sunt, publica utique & ordinaria auctoritate. Deinde ordinarium duobus modis aliquid dicitur: scilicet, vel quod fit iuxta ordinem legitimum, vel iuxta consuetudinem iam vsu confirmatam, licet vitiosam, quae tamen iam ordinis locum obtinet. Sic vocatio & ordinatio Pontificia fuit ordinaria, quia est vsu longo recepta. Atque hoc modo vocati sunt illi nostri reformatores. Ipsorum autem discipuli vocati sunt vocatione ordinaria posterioris generis. Quod autem diximus §. 6. hic repetendum est, in ordinaria illa Papistarum vocatione & ordinatione non omnia esse mala. Nam finis eius est, vt praedicetur Euangelium: modus est corruptus, non vero plane nullus.

IX. Hic itaque in mentem nobis veniat eius, quod est apud Augustinum tom. 7. pag. 385. editionis Basl. anno 1529. & ita habet. Cum Donatistae, causam coram Marcellino cognitore, qui iussu Honorij Imp. collationi Carthaginensi praerat, agentes, & ne ad principale negotium veniretur, Episcoporum vocationem urgentes, & Caecilianum Episcopum Africanum, tanquam librorum sacrorum concemmatorem, Episcopatu priuandum, & quotquot ab eo ordinati essent ab Episcopatu deponendos, censentes, in collatione tertij diei quaerent: *Quem sibi Catholici dicerent patrem? Vtrum ipsis Caecilianus pater esset, an mater?* respondunt Catholici, *Vnum esse sibi Deum Patrem, Caecilianum nec patrem sibi esse, nec matrem, sed fratrem; siue bonum, si bonus esset; siue malum, si malus esset; quia & malus propter communia sacramenta frater esset.* Et rursus: *Quasi erunt etiam Donatista, quis ordinauerit Augustinum?* Porro Augustinus d. l. subinde repetit illud contra Donatistas: *Causa causa est persona persona nihil praedicit.* Denique in lib. 1. contra literas Petilianae Donatistae cap. 7. ait: *Origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est.* Idem Pastores nostri respondere possunt Papistis, de ordinatoribus & vocatione illorum percontantibus. Et primi quidem nostri reformatores dicant: *Origo nostra Christus est, radix nostra Christus est, caput nostrum Christus est.* Posteriores autem respondeant: *Vnus est nobis Pater Deus: Lutherus, Zwinglius, Caluinus, nec pater nobis est, nec mater. Si Papistae regeant, illos haereticos fuisse, dicant ipsi: Si maxime fuissent haeretici, hoc tamen nihil nobis obesset. Nam causa causa, persona persona nihil praedicit. Denique, si dicant, Lutherus ordinationem accepit a Papistis: dicamus, etsi mali fuerunt, tamen propter communia sacramenta fratres fuerunt. Quanquam, vt paulo ante monuimus, non omnes in Papatu semper & vbique mali fuerunt. Sed iam ventilemus argumenta Papistarum contra hanc nostram sententiam: & primo quidem Peroni in libello contra vocationem nostrorum, deinde vero Becani libro primo Manualis, cap. duodecimo.*

X. Peronus argumenta sua partitur in tres classes. Argumentatur enim ex Scriptura, Patribus, & Ratione. His tamen praemittit illud fundamentum, certitudinem vocationis praecedere certitudinem doctrinae. Summa haec est. Qui caret vocatione in Ecclesia, eius doctrina ad examen disquisitionis est recipienda. At reformatae Ecclesiae ministri carent vocatione in ecclesia. Ergo. Rationes maioris propositionis (hanc enim nos primo negamus) haec praecipuae tres sunt. 1. quod leges disputationis ita ferant, vt primum constet de disputaturi vocatione, quam doctrina eius recipiatur. 2. quod vocatione in Ecclesia praecedat doctrinam. 3. quod vocatione sit nota Ecclesiae essentialis, & praecipue indicans Ecclesiam, maxime simplicibus, eoque illis est facilius ad intelligendum, quam ipsa doctrina Ecclesiae. *Primo negamus maiorem:* quia contra Scripturam est, velle iudicare de fructibus ab ipso homine, non autem de homine a fructibus, *Matth. 7. 16.* cum etiam ipsi Episcopi, qui vocationem habent ordinariam, possint esse lupi, & contra pro lupis possint haberi pastores veri, nisi ad examen doctrinae veniatur. Hinc *Act. 20. 24.* Bereenses audientes Paulum, non primum, nec potissimum de vocatione illius inquirunt, sed de eius doctrina, num S. Scripturae esset consentanea. Sic *Act. 17. 11.* & *18. 4.* fratres Hierosolymitani dispersi propter persecutionem, annuntiant Euangelium, & recipiuntur ad examen veritatis, non expectata alia vocatione, quam illa communi, qua quisque tenetur occasionem oblatam amplecti promouenda Christi gloriae, modo ne quid in ordine turbetur, qui non turbatur, vbi nondum est. Et sane exempla Ecclesiastica multa probant, hanc occasionem oblatam disquirenda veritatis, adeoque eam annuntiandi, esse amplectendam: vt *Aedesi & Frumentij* apud Indos, mulieris apud Iberos, Flauij & Diodori Antiochiae; qui laici, omnes ab errore reuocarunt, disquisita veritate: & maxime hi duo postremi etiam Ecclesiam colligunt, Episcopo in haesin prolapso, & errores Episcopi detegunt & refutant. Neque tamen haec eo dicimus, quod velimus quempiam in ecclesia admitti, & audiri in munere Ecclesiastico, priusquam legitime vocetur. Nam hic tantum agitur de examine doctrinae, aliquando etiam extra ordinem receptum propositae, ad discutiendos errores, num ad illud admitti non debeat, de cuius vocatione non constet. Immo, inquit Paternormitanus, laicus pro se adferens S. Scripturam, praefertur toti Concilio Episcoporum, eam non adferenti. Et Patres Niceni non solum Christianos, sed etiam ipsos philosophos ad disputationem admiserunt. *Ad primum maioris propositionis firmamentum* respondemus, esse contrarationem Christianam, quod aduersarius hic asserit: quippe quae docet finem disputationis esse, placide quousque contrario affectos animo patienter audire, & contradicentes conuincere, & ad veritatis agnitionem adducere: & hic non tam quis dicat, quam quid dicatur, attendendum esse. *ait enim* est Pythagoreorum, non Christianorum, nisi id de vno magistro Christo dicitur. Et vox est Pharisaeica *Iohan. 7. 48.* *Quis Pharisaeorum in illum credit? sed plebs haec maledicta est.* *Ad secundum fundamentum* dico, de ordinaria, non vero de extraordinaria, vocatione verum esse, vt, si vocatione praecedat munus docendi, prius examinetur vocatione quam doctrina: non item verum de examine doctrinae, de quo hic quaeritur. Nam ex isto examine doctrinae constat de vocatione legitima, & non legitima. Et vt tempore nonnunquam praecedat vocationis examen, tamen dignitate & necessitate praecedat ipsam doctrinae examen. Nec quidquam hic probat simile a magistratu ductum; quem priusquam quis obeat, literas a principe, suae ad illum admissionis, vt exhibere debet, sic literas vocationis suae ostendere debet,

priusquam ad disquisitionem doctrinae quis admittatur: quia & hoc exemplum dissimile est, & qua simile est, pro nobis facit. Dissimile: quia alia est ratio gubernationis civilis, alia Ecclesiastica: in illa ab iniquo magistratu non est discedendum, in hac a pastore haeretico est recedendum. Simile: quando agitur de vocatione ordinaria in Ecclesia bene constituta: Tum enim nemo admitti debet ad publici muneris functionem, nisi is de cuius vocatione constat. Sed in vocatione extraordinaria, vbi a nullo ordinante possunt adferri literae, factus est, si ex instinctu diuino, heroico spiritu, ille rempublicam, iste Ecclesiam perituram, seruare studeat. Quod ad tertium maioris propositionis firmamentum attinet, vocationem scilicet esse notam Ecclesiae, faciliorem & tutiorem simplici populo, ne decipiatur, quam ipsam doctrinam, eo quod vocatione sit facti, doctrina vero iuris, eoque debere constare prius de vocatione, quam quis admittatur ad examen doctrinae: negatur vt falsum cum sua probatione. Nec enim Ecclesiae nota est essentialis vocatione, nec facilius cognitum quam doctrina, neque tantum facti est, sed etiam iuris. Non est essentialis nota Ecclesiae: quia non recipitur cum vera Ecclesia, quippe quae interdum destituitur vocatione ministrorum quam saepe habet Ecclesia falsa, vel saltem corrupta, & habet ita vt possit certare cum vera ecclesia. Deinde non ex vocatione de doctrinae veritate, sed ex doctrinae veritate de vocatione constat: cum ipsius doctrinae pars sit vocationis norma; nec architecti opera sit fundamentum domus, etiam si occupetur circa fundamentum. Denique vocatione non solum est quaestio facti, sed etiam iuris. Vt enim cum quaeritur de doctrina, an sit vera, siue bona, quaestio iuris est; sed cum quaeritur, an haec doctrina ab hoc aut illo proposita, sit eadem, quae proposita olim fuit in V. T. est facti: ita, cum quaeritur de vocatione, an sit legitima, est quaestio iuris, ex iure diuino iudicanda; sed cum quaeritur, an talis vocatione semper locum habuerit in Ecclesia, est facti.

XI. Haec de maiori propositione. Sequitur minor, quam nos negamus, Peronus autem ita probat; nostros videlicet, & primos caruisse, & eis succedentes carere vocatione in Ecclesia. Nam non habuerunt extraordinariam, nec ordinariam. Non extraordinariam; quia ei non est locus iam in Ecclesia. Id enim Scriptura, Patres, & rationes euidentes docent. *Ex Scripturis* quidem sic argumentari licet. Quo Deus promissit se adfuturum semper suae Ecclesiae, vt eam aedificet, illud est perpetuum, & nunquam interrompendum in ecclesia. Ministerio Ecclesiastico Deus promissit se semper adfuturum suae ecclesiae, vt eam aedificet. Ergo ministerium Ecclesiasticum est perpetuum, & nunquam interrompendum in Ecclesia. Itaque non est locus amplius extraordinariae vocationi.

Respondeo, 1. Extraordinaria vocatione dicitur ambigue. Illa, quae hominem constituit extra aleam erroris in suo munere, desit: haec, quae hominem heroico spiritu induit, non item. 2. Id, quo Deus aedificat Ecclesiam, est simpliciter perpetuum, nempe quantum ad formam internam. 3. Id, quo Deus aedificat Ecclesiam, quantum ad formam externam, & illud est perpetuum, sed non eodem semper modo. Promissit quidem Deus, se darum pastores ecclesiae suae, donec consummentur sancti, *Eph. 4.* sed ita, vt sese non alligari his vel illis, huic vel illi loco, huic vel illi modo. Itaque ne interrumpatur hoc aedificium, Deus suscitatur extra ordinem, reb. ita postulantibus, q. illud instaurent. 4. Ecclesia Catholica & interna nunquam interrumpitur: particularis & externa, saepe. 5. Deus semper adest Ecclesiae suae, modo ordinario, vel extraordinario: & adest non eadem mensura, nec eodem tenore. 6. Duo ista, perpetuum, & nunquam interrompendum, sophisticè coniunguntur, quasi sint vna & eadem, cum sint diuersa; quando scilicet non nunquam interrompendum ad modum gubernationis externae refertur. 7. Promissiones istae Dei de perpetuo Dei erga ecclesiam fauore non minus ad veterem ecclesiam quam Christianam pertinent: quae tamen interruptionem multiplicem passa est. Itaque quod olim accidit, etiam nunc accidere potest: praesertim cum haec catastrophe sit praedicta 2. *Thess. 2. Apoc. 11.* & alibi. Nimirum Deus interdum vindicat verbi sui contemptum iustissime, vt lex peteat a sacerdotibus, *Exa. 29. 8.* Ministerium ecclesiae nunquam ita perit, vt vniuersus Dei cultus pereat. Semper enim tabulae foederis & sacramenta manent, etiam in Ecclesia valde corrupta: vt tempore Christi apud Pharisaeos. Sed instat Peronus. 1. Ecclesia Christi nunquam passa est aliquam Eclipsim, ne tempore quidem Arianismi. Ergo nunquam patietur. 2. Si transfertur sacerdotium, transfertur etiam lex, *Heb. 7.* Atqui non transfertur lex. E. nec sacerdotium. E. nec extraordinariae vocationi locus fuit. 3. Si interrumpitur ministerium, non est idem posterius cum priori. Atqui debet esse idem. *Respondeo ad 1.* Falsum est antecedens, teste Hieronymo contra Luciferianos: *Totus mundus ingemuit, & se Arianum esse miratus est.* Et ideo Ambrosius Ecclesiam lunae comparat, quae sua habet incrementa, & defectus. *ad 2.* Locus ille agit de sacerdotio Christi aeterno, quod succedit in locum Aharonici. Itaque legis translatio est ordinatio aeterni illius sacrificij. *ad 3.* Ministerium est vnum forma essentiali, siue specie, non forma accidentali, neque etiam numerica. Nam modus variat, & indiuidua illud administrantia non semper sibi sine vlla interruptione succedunt. Itaque fides eadem probat idem ministerium: nec varius modus aufert identitatem rei. *Secundum argumentum ex Scripturis* est: Extraordinaria vocatione debet confirmari miraculis. *Respondeo.* Non semper, neque necessitate absoluta: & maxime id non est necesse, cum doctrina eadem traditur, quae olim tradita fuit ab apostolis, & ab ijs confirmata est infinitis miraculis. Hinc est, quod multi Prophetae in V. T. est non claruerint miraculis. Sic Iohannes Baptista nulla edidit miracula, cuius tamen vocatione fuit extraordinaria. Et contra Donatistae, qui ordinariam etiam vocationem habebant, & alij quoque qui falsam doctrinam tradebant, miraculis multis insignes fuerunt, teste Augustino. Porro miracula merenda sunt ex doctrina, non vero doctrina simpliciter ex miraculis. Denique extraordinaria vocatione primi generis fere coniuncta est cum dono miraculorum: altera non item.

XII. *Ex Patribus* ita ratiocinatur Peronus. Multi Patres, vt Tertullianus, Irenaeus, Optatus, Augustinus, nos reuocant, & aduersarium prouocant ad ordinariam, & non interruptam personarum successionem. Et Cyprianus damnauit eos, qui a se ipsis ordinantur. Ergo extraordinariam & interruptam vocationem in ecclesia Christiana damnant. *Respondeo, 1.* Non simpliciter quoslibet aduersarios prouocant ad istam successionem, sed eos, qui vel penitus, vel ex parte Scripturas negabant. Remittuntur itaque ad

Apostolicas ecclesias per hanc successionem. 2. Patres non semper hoc faciunt; sed, quando successio personalis coniuncta erat cum successione doctrinae, ut inquit Nazianzenus. 3. Non praecipue hanc obtinent, sed maxime ad Scripturam prouocant, ad consanguinitatem doctrinae cum Apostolica, ut loquitur Tertullianus ad veritatem diuinam, ut inquit Augustinus, cui successio personalis, ut reliqua omnia, debet cedere.

XIII. *Rationes* has adducit. Ecclesia est similis riuo, qui perpetuo conuenit; genealogia corporali, quam quis non interruptam debet ostendere, ut probet se esse verum heredem. Deinde ut in V. T. fuit successio personalis sacerdotum non interrupta in tribu Leuitica: sic in N. T. similis debet esse successio.

Respondeo, ad 1. Similia ista sunt quoque dissimilia: quia de natura istorum comparantium est, ut ita quoad essentiam suam se habeant: non autem ra, sed gratia, non ordo naturalis, sed donum supernaturale spectatur. ad 2. Successio illa fuit certo tempore definita. Durate enim debuit usque ad Christum. Postremo loco adducit *rationes ab absurdo*. 1. Quilibet hac ratione potest iactare se extra ordinem interiori motu suscitatum ad docendum in Ecclesia. 2. Deus deseruit ecclesiam suam, si fuit interrupta successio personalis. *Respondeo* ad 1. Extraordinaria vocatio non nisi premente & flagitante necessitate, ad tempus, habet locum, & ex effectis atque donis cognoscitur. ad 2. Deus non statim deseruit ecclesiam suam, si hanc vel illam ecclesiam ob ingratiudinem & perfidiam hac ratione aliquando punit, & Ecclesiam, quae se hoc nomine temere iactat, deseruit.

XIV. Iam probat Peronus nos non habere vocationem ordinariam. 1. Quia successione personali ab Apostolis deducta caremus. 2. Quia ab Episcopo non sumus ordinati. 3. Quia iure illo, quod in ecclesia Romana habuerunt, prius, propter haeresin exciderunt. *Primo* itaque sic disputat. Si regimen Ecclesiasticum est Monarchicum, non autem democraticum, sequitur ordinationem ad illud, debere fluere ab vno capite, scilicet Episcopo Romano, non autem a plebe, id est, ab Ecclesia, ut sit ordinaria & legitima. At vestra non fluit ab vno capite. *Respondeo*. Regimen Ecclesiasticum est Monarchicum, non quia ab vno capite humano pendet, sed ab vno Christo, Monarcha & capite vnico, quisequendum leges in verbo suo consignatas vult fieri designationem & ordinationem pastorum, nempe ut *regimini* sit ipse Ecclesiae, praesente Presbyterio; *regibus* vero ipsius Presbyterij praesente Ecclesia. Falso itaque nobis obijciunt laica ordinatio. Deinde successio personalis non est de essentia, nec doctrinae, nec ecclesiae. *Secundo*, inquit Peronus: Qui non ordinatur ab Episcopo, non habet vocationem ordinariam. At vos. *Respondeo*. Negatur maior. Neque enim Scriptura *regimini* tribuit vni Episcopo, sed Presbyterio. Quod autem praecipitur Timotheo, ne cui cito manus imponat, id ei praecipitur ut Pastori, ut & reliqua, quae ei dicuntur ibidem, ut, Attende lectioni &c. Itaque in eius persona docetur, quid debeant agere omnes pastores. Deinde Episcopatus, ut Aduersarij accipiunt, est iuris humani. Alioqui Timotheus & omnes Pastores sunt Episcopi, eo sensu, quo Scriptura hoc vocabulum adhibet. Denique, quando nostri obijciunt aduersarij, primos illos instauratores nostros habuisse ius ordinandi alios, quatenus ipsi ordinati erant ante exsententia etiam aduersariorum: regerunt, illos excidisse omni hoc iure, etiam Episcopos ipsos, quia haeretici.

Respondeo, 1. Si quid boni existimant aduersarij fuisse in illa sua ordinatione inordinatissima, a nostris illud fuit retentum, & ad officium ordinemque reuocatum. 2. Dicitur quidem, illos fuisse haereticos, sed non probatur. Quare concludimus, vocationem ipsorum fuisse extraordinariam, quatenus extra modum in ecclesia tunc receptum vocati, & munere suo defuncti sunt: *ordinariam quoque*, quatenus secundum morem tunc vsurpatum etiam nostri vocationem in Ecclesia Romana habuerunt, & quatenus etiam suum munus obierunt secundum ordinem in S. Scriptura praescriptum, ex summa Dei gratia Ecclesiam ecclesiae reddentes.

XV. Nunc audiamus *Becanum*, qui summam ita disputat. Neque Lutherus, neque qui ipsum secuti sunt & sequuntur, fuerunt legitime vocati. *Non Lutherus*: quia nec ipse, nec ipsius discipuli vnam habent de vocatione ipsius sententiam. Nam ipse Lutherus decies & septies suam de propria vocatione sententiam mutauit. Et quidam Lutherani contendunt, Lutherum fuisse vocatum ordinarie; quidam, extraordinarie, & immediate; quidam partim ordinarie, partim extraordinarie. Sed nihil horum potest consistere. *Non primum*: quia etsi Lutherus in ecclesia Pontificia fuit legitime & ordinarie vocatus ad ministerium Ecclesiasticum, tamen illud solum legitime exercuit ante defectionem. Neque enim ordinarie & legitime fuit vocatus ad ministerium Ecclesiasticum, quod exercuit in sua Ecclesia, post defectionem. Denique ipse Lutherus ait sacerdotium Papisticum non esse legitimum, sed laruam & signum. Itaque si hoc ita est, ipse fuit larua & fictus sacerdos. Si vero in ecclesia Pontificia est legitima potestas ordinandi veros ministros, utique illa est vera Christi ecclesia, & proinde Lutherana Ecclesia non est vera, & ministri Lutherani, qui extra illam vocati sunt, non sunt legitime vocati. *Non secundum*: quia Lutherus negat se esse vocatum extraordinarie. Deinde, quicumque haecenus vel in V. vel in Nou. Test. a Deo immediate & extraordinarie vocati sunt, illi vocationem suam euidentia aliquo miraculo debuerunt comprobare apud populum; & nullum quoque errorem docuerunt. At Lutherus nunquam potuit euidentia miraculo probare suam vocationem, & multos errores docuit. e. g. nullum esse liberum arbitrium, sed hominem a Deo tam ad male quam ad bene operandum, fatali quadam necessitate compelli, in *assert. art. 56*. Quis credat hanc doctrinam esse a Deo? Neque valet, quod Lutherani excipiunt, Lutherum non opus fuisse, notis miraculis confirmare doctrinam, quia non attulit nouam, sed antiquam & Apostolicam doctrinam, quae iam ante saecula multis miraculis fuit confirmata. Sed frustra hoc adfertur. 1. quia Prophetarum & Christi nihil noui adferrebant (docebant enim antiquam doctrinam legis & Evangelij) & tamen ipsos adhibere oportuit miracula. 2. noua est doctrina Lutheri videlicet nullas esse traditiones, duo tantum esse sacramenta, corpus Christi esse vbique. Si non vult vxor, veniat ancilla; Maiores nostros non habuisse veram fidem, se solum habere &c. *Non tertium*: quia qui hanc sententiam defendunt, dicunt, Lutherum ordinarie fuisse vocatum ad praedicationem verbis; extraordinarie ad reformationem ecclesiae. Illam factam

esse in Papatu, & consistere in ordinatione sacerdotij, & admissione ad professionem theologicam. Hanc factam esse in conuersione a Papatu ad Euangelium sincerum; & quatuor hisce signis esse confirmatam: puritate doctrinae, & conformitate cum Scripturis excellentia donorum Lutheri, singulari in conuertendis hominibus efficacia & successu, denique praedictionibus Apostolicis, quae extant *Apoc. 11. v. 3*; de duobus testibus, &c. *14. 1*. de angelo volante per medium caeli, & habente aeternum Euangelium. Sed haec facile refelluntur. Nam si Lutherus legitime fuit ordinatus in Papatu, utiq; ibi est vera ecclesia. Cur itaq; ab illa discessit? Deinde extraordinaria illa missio destruit ordinariam. Nam in hac iurauit, se defensurum doctrinam Ecclesiae Catholicae, quam in extraordinaria illa iussus est oppugnare. Denique doctrina Lutheri non fuit pura, sed falsa; neque conspirat cum Scripturis, sed illis repugnat, ut paulo ante vidimus. Et dona illa, quae habuit Lutherus ante defectionem, habuit cum alijs communia, eaque partim amisit, partim male collocavit, ijs abutendo. Quae autem dona a Deo acceperit post defectionem, non video. Quod adfertur de singulari in conuertendis hominibus efficacia & successu, id Arius & alij haeretici etiam allegare possunt. Na etiam olim infiniti prope homines, Arii doctrinam amplexi sunt. Ex triplici autem capite prouenire potest, ut aliquis doctor habeat multos sectatores. 1. quia doctrina ipsius est diuina, & miraculis confirmata. 2. quia est grata carni & sanguini. 3. quia est noua, subtilis, ingeniosa. Primum illud in Prophetis & Apostolis habuit locum: secundum, in Lutheranis: tertium, in Calvinianis. Postremo praedictiones illae Apocalypicae non in Luthero sunt impletae, sed adhuc implebuntur. Ex his itaque concludo, Lutherum nec ordinarie, nec extraordinarie vocatum fuisse a Deo ad exercitium ministerij, quod vsurpauit post defectionem. Idem est iudicium de *Zwinglio* & alijs: qui ante defectionem fuerunt legitime vocati & ordinati in Ecclesia Catholica; sed post defectionem neque ordinarie, neque extraordinarie fuerunt vocati ad ministerium Calvinisticum, aut Lutheranum. Quod attinet ad ministros a Luthero & alijs extra Ecclesiam Romanam ordinatos: illi etiam neque ordinarie, neque ordinarie sunt vocati. Non extraordinarie; ob defectum miraculorum; & ex ipsorum confessione. Non ordinarie; quia ordinaria vocatio consistit in sacerdotio, quo ipse Lutherus in ecclesia Catholica initiatus est. At illi ministri non sunt initiati tali sacerdotio. Deinde a tempore Apostolorum usque ad ortum Lutheri, nullus ordinarie vocatus fuit ad ministerium, nisi qui ab Episcopo ordinatus esset sacerdos, per impositionem manuum. Sed hoc in illis ministris non habet locum. Denique illi non sunt vocati eo ritu & modo, qui in Ecclesia Catholica est vsitatus, sed longe diuerso. Non enim sunt ordinati ab Episcopo, sed vel a magistratu seculari, vel a populo promoti ad ministerium, sine vllius veri Episcopi consensu & cooperatione. Cum ergo hi duo ritus inter se discrepent, non possunt ambo esse legitimi, & a Christo instituti. Si ergo noster est legitimus, alterum subreptitium esse necesse est. Aut si noster subreptitius est, quomodo Lutherus potuit illo ritu legitime ordinari? Rursum, si noster subreptitius est, ergo multis saeculis ante Lutherum, non fuit verum ministerium in ecclesia; imo nec vera ecclesia. Haec enim sine ministris in hac vita consistere non potest.

XVI. Singula haec breuiter diluamus. 1. Varietas sententiarum non mutat ipsam rei veritatem. 2. Hyperbolica est illa assertio, Lutherum septies & decies mutasse suam sententiam de propria vocatione. 3. Lutherus ante suam conuersionem docuit Euangelium, sed adulteratum: postquam vero discessit ex ecclesia Romana, cepit docere purum Euangelium. 4. In Papatu fuit vocatus ad docendum, non utique adulteratum, sed sincerum Christi Euangelium. Quod itaque hoc fecit postquam ex Papatu exiit, consentaneum illud fuit vocationi & ordinationi factae in Papatu. 5. Lutherus ait sacerdotium Papisticum esse laruam, ratione sacrificij Missae, & variatum corruptelatum: non vero ratione substantiae & fundamenti. 6. In Ecclesia Romana est legitima potestas ordinandi, sed multis modis foedata. 7. Ecclesia Romana est ecclesia, sed ecclesia adultera. Itaque Lutherus, & alij quidam ex officio fecerunt, quod contra illam contestati sunt: ut potest qui reuerentiam fidemque Deo Patri maiorem debuerunt, quam matri adulterae. 8. Romana ecclesia non alio loco a nobis habetur, quam ecclesia sub impijs sacerdotibus & regibus in Vet. Testam. habita fuit a Prophetis & alijs pijs. 9. Lutherus recte negat, se vocatum esse extraordinarie, eo scilicet modo, quo Apostoli fuerunt vocati: quae de re supra. 10. Iohannes Baptista fuit extraordinarie vocatus, neque tamen claruit miraculis. Neque valet, quod ipsius natiuitas multis miraculis fuit conspicua: quia videlicet conceptus est ex matre sterili, & exultauit in utero, & pater ipsius factus est mutus &c. Haec enim non sunt miracula Iohannis, qualia aduersarij a nobis postulant. Deinde singularia ista decebant natiuitatem illius, qui debet esse prodromus Christi. 11. Lutheri mens haec fuit, liberum arbitrium in statu gratiae a Deo impelli, & quidem ad bona tantum; non solum suasio- ne morali, sed etiam influxu, verum suauis. 12. Prophetarum quidam & Christus, itemque Apostoli debuerunt facere miracula, non solum quia ipsorum vocatio fuit extraordinaria primo modo & gradu, sed etiam, & quidem imprimis, quia aliquid noui ab istiusmodi personis fuit institutum, quod sine gloria miraculorum non habuisset auctoritatem. Ita Moses instituit politiam Leuiticam; Elias fuit typus Christi & Iohannis, & insuper destruxit cultum Baalis; Christus instituit nouam doctrinam, quantum ad oeconomiam, &c. 13. Doctrina Lutheri, quantum ad fundamentum salutis, non est noua: etsi dogma vbiuitatis nouum est. 14. Quod attinet ad reliqua, quae hic commemorantur, & noua esse dicuntur, vel non sunt Lutheri, vel sunt vera & proinde antiqua. 15. Ordinatio in Papatu est vera, sed non pura. 16. Extraordinaria Lutheri vocatio non destruit ordinariam, quatenus illius essentia spectatur. Ordinantur enim ministri in Papatu, ut doceant Euangelium, & administrent sacramenta. 17. Collatio doctrinae Lutheri cum Scripturis, ad oculum ostendit, fundamentum salutis ab illo esse propositum. 18. Lutherus habuit dona quaedam cum alijs communia, quaedam sibi propria. 19. Non abusus est Lutherus suis donis, quando aggressus est carere abusus ecclesiae Romanae. 20. Efficacia & successus doctrinae reformationis non simpliciter allegatur, sed praesupposita ipsius puritate & conformitate cum Scripturis. 21. Per calumniam nobis imponitur, doctrinam nostram esse gratam carni, & nouam, subtilem &c. 22. Praedictiones Apocalypicae a quibusdam referuntur ad Lutherum: sed male. 23. Ordinaria vocatio consistit non in sacerdotio, sed in ministerio Evangelij. Nullum enim

est N. T. sacerdotium, nisi Christi, semel in cruce peractum. 24. Ordinatio utique fieri debet ab Episcopo, id est, à Pastore legitimo. 25. Vocatio ad ministerium fit ab vniuersa ecclesia, ordinatio fit à solo Pastore. 26. Ritus in ordinatione Papistica alij sunt vere antiqui, utpote impositio manuum: alij fecus, ijque fere superstitioni. 27. Ordinatio legitima non arguit ecclesiam internam, sed externam. 28. Ministerium semper fuit, est & erit in ecclesia, sed non semper æque purum.

CAPVT. IX.

Imparitas ministrorum verbi, quam Papistæ docent impugnatur.

I. **P**apistarum doctrina est, Episcopos ratione officij digniores esse Sacerdotibus; idque has ob causas. 1. quia soli Episcopi possunt dare sacramentum Confirmationis; ordinare, siue consecrare ministros Ecclesie; regere Ecclesiam, non solum quoad laicos, sed etiam quoad Presbyteros siue Sacerdotes; & denique agere iudicem Presbyterorum in externo foro Ecclesiastico, 1. *Timoth. 5. ver. 19.* 2. quia succedunt in locum Apostolorum, qui citra controuersiam reliquis ministris Nou. Testam. longo intervallo sunt superiores. 3. quia sunt quasi Patres Sacerdotum. Hi enim ab illis ordinantur, & quodammodo generantur. 4. quia hæc est doctrina veterum. Vide Anacletum Papam (qui vixit tempore Apostolorum, & à Petro Apostolo ordinatus est Presbyter, epist. 3. §. 1. Damascum, ep. 3. Leonem ep. 86. ad Episcopos Germaniæ, & Augustinum in Psalm. 44. super illud Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Hæc ita breuiter collegit *Becanus in Manuali lib. 1. cap. 12. n. 31.*

II. Ad primum argumentum respondeo, 1. sacramentum Confirmationis & Ordinis esse fictitium. Itaque falsum est, Episcopum in specie ita dictum posse administrare quædam sacramenta, quæ non possit administrare Presbyter in specie ita dictus. Vterque sunt ministri Euangelij, & proinde tres partes ipsius possunt obire: puta prædicationem Euangelij, administrationem sacramentorum à Christo institutorum, & usurpationem potestatis clauium. 2. Ordinis & honoris causa partes quædam ministerij Ecclesiastici conceduntur ijs, qui ætate, donis, tempore, vel conuentione sunt superiores. Hinc vero nulla extrui potest necessitas, aut essentialis diuersitas, vel imparitas.

III. Certum est, quod in secundo argumento asseritur: Apostolos essentiali aliqua forma diuersos fuisse à reliquis N. T. ministris: ut supra cap. 1. huius lib. fuisse diximus. Quod autem de Episcopis dicitur, illos succedere Apostolis, id dextre est accipiendum. Nam neque succedunt ipsis simpliciter, neque soli succedunt. Ratio prioris est; quia Apostoli, quantum ad dona & commissionem œcumenicam, fuerunt Dd. extraordinarij: vbi non habet locum successio. Est enim contra naturam rei, ut ordinarius succedat extraordinario, scilicet formaliter. Nam materialiter potest succedere: ut iam dicemus. Ratio secundi est; quia Apostoli communiter spectati, ut ministri Euangelij, non differunt ab alijs Pastoribus. Itaque omnes Pastores illis succedunt. Sed obijciuntur illa Patrum. *Cyprianus enim epist. 10.* ita scribit: Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit: diaconos autem, post ascensum Domini in cælos, Apostoli sibi constituerunt. Similiter *Augustinus*: Nam nemo ignorat Episcopos Saluatorem ecclesie instituisse. Ipse enim priusquam in cælos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinauit eos Episcopos. Et *Ambrosius in Eph. 4.* ait: Apostoli, Episcopi sunt: Propheta vero sunt explanatores Scripturarum, qui ordo nunc potest esse Presbyterij: nam in Episcopo omnes ordines sunt; quia primus sacerdos est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista. *Theodoretus in 1. Timoth. 3.* eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos, eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Precedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt eis, qui vere erant Apostoli; Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippenfium erat Apostolus Epaphroditus, ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus. Ad hæc loca Patrum respondeo, in ijs applicandis committi fallaciam æquiuocationis, & à dicto secundum quid. Nam illi loquuntur catharectice & hyperbolice, videlicet *ἐπίσκοποι*: non vero proprie, & simpliciter. Deinde ex dictis Patrum hoc sequitur, gradum *ἐπίσκοπος*, subalternum, esse inter Episcopos & Presbyteros, ut olim fuit inter Apostolos & reliquos ministros. Hinc itaque primatus ordinis, non vero potentie concluditur. Vide plura *in initio lib. huius. c. 1.*

IV. In tertio argumento etiam est fallacia æquiuocationis. Nam Episcopi sunt, & recte dicuntur Patres Presbyterorum, quia illos creant, & regunt. Sed quomodo? Creant ipsos, non quod hæc potestas ipsis solis competat iure diuino, sed quia illis tribuitur iure humano, ordinis causa. Deinde regunt ipsos, non autoritate regia vel Apostolica, sed ex conuentione, siue consensu ecclesie, & Presbyterij. Atque ex his, & superioribus, patet solutio ad quartum argumentum. Nam veteres loquuntur solum de primatu ordinis, adeoque subalternis gradibus, quos in ecclesia vtiliter seruari res ipsa docet.

CAPVT X.

An decima Presbyteris & Episcopis iure Ecclesiastico vel ciuili debeantur?

I. **B**ellarminus lib. 1. de Clericis cap. 25. ait: Esse de iure nature & diuino, quod aliquid Laici soluant Sacerdotibus, & præterea de iure Ecclesiastico, ut id quod soluantur, sit pars decima, facile doceri potest. Quod sit de iure nature, probatur. Nam certe ratio dicitur, ut ijs, qui pro populo laborant, populus alimenta præbeat: Vnde enim deducimus debere Regibus tributa, & militibus stipendia, & iudicibus alijsque ministris publicis sala-

ria, inde etiam deducere possumus, debere Sacerdotibus decimas, vel aliquid earum loco. Itaque tempore legis nature videmus Abraham dedisse decimas Melchisedeco sacerdoti, qui tunc erat, *Gen. 14.* Quod autem de iure diuino sit, probatur ex utroque testamento, ac primum *Leuit. ultim. Num. 18. Malach. 3.* & alibi Deus iussit decimas Leuitis dari; quæ quidem præcepta licet non obligent Christianos, ut iudicialia erant, obligant tamen quatenus moralia, id est, quod pars aliqua fructuum sit sacerdotibus danda. Id enim aperte docet *Clemens lib. 2. Const. Apostol. cap. 29. 38. 39. & lib. 8. cap. 36.* alijque Patres. Superest, ut iura Ecclesiastica proferamus. Ac primum multa sunt antiqua Concilia, in quibus id aperte præcipitur: ut Aurelianense I. cap. 14. ante mille annos. Item Matiscorense, eodem seculo celebratum, cap. 5. dicit, leges diuinas de soluendis decimis longis temporibus in ecclesia custoditas, etiam deinceps esse custodiendas, &c.

II. In his Bellarmini verbis etiam nolo nodum in scirpo querere: tamen ingenue fateor, nulla solida ratione probari posse, decimas iure Ecclesiastico persolui Clericis. Quod quidem ita demonstro. Lex decimarum est composita, siue mixta, ut loquuntur: & quidem ex triplici legum genere. Morale siquidem est, quod sua ecclesiarum ministris stipendia debeantur. Politicum, seu iudiciale est, quod certa quædam & peculiaris ratio stipendij ipsis assignatur. Denique hæc ceremonia, diuinitus imperata, oblatione, inquam decimarum, Leuitis facta, Iudæi significabant & testabantur, quod omnia sua, seque adeo ipsos Deo auctori deberent. Immo per decimas, quas Sacerdotibus dabant, Christum summum Sacerdotem, in carnem venturum, venerantur, eique se & sua debere fatebantur. Itaque in hac lege moralitas, quæ est iuris nature, manet, id est, perpetua hæc ratio obtinet, ut pastores honesto aliquo stipendio sustententur. At ceremonia, quæ est iuris Ecclesiastici, expirauit. Superest itaque ratio politica, siue ius ciuile, quod in eo vertitur, ut in republica omnes illi, qui publice sunt vtilis, publico stipendio fruuntur. Vnde relinquatur, decimas hodie persolui Clericis, iure ciuili, & non Ecclesiastico. Nam ius Ecclesiasticum Ver. Testam. hæc in re expirauit: & ius Ecclesiasticum Nou. Testam. nusquam in Scriptura siue libris Apostolicis occurrit, ut decima bonorum pars offeratur ministris ecclesie.

III. Huc accedit, quod consuetudo illa, ut decimæ ad N. T. ecclesias peruenerint, à Christianis Imperatoribus primo haud dubie est profecta. Nam Hermannus Gigas auctor est, Constantinum M. primo præcepisse, ut de rebus omnibus decimæ ecclesie omnibus soluerentur. In Synodo Matiscorenfi II. an. 587. habita, canon. 5. tale de decimis decretum legitur: *Leges diuina consulentes sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum, pro hereditaria portione omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo labore impediti, per res illegitimas, spiritualibus possint vacare ministerijs. Quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodiuit intemeratas. Vnde statuumus, ut decimas Ecclesiasticas omnis populus imferat, quibus sacerdotes, aut in pauperum vsum, aut captiuorum redemptionem prorogatis, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis fuerit, à membris Ecclesie, omni tempore separetur.*

IV. Quid verò inquit aliquis: Si ita est, ut in illo decreto dicitur, recte utique Bellarminus ratiocinatur, solutioem decimarum esse iuris Ecclesiastici. Nam Concilia sic decreuerunt. Verum hic teneatur, quod paulo ante diximus, Constantinum M. primo præcepisse, ut de rebus omnibus decimæ ecclesie persoluerentur. Sed, ut fieri solet in rebus sacris, hæc lex successu temporis fuit neglecta. Vnde Augustinus, qui claruit anno 420. conqueritur, multos in Africa non consueuisse decimas soluere. Sic enim ait in *lib. homiliarum, homil. 48.* Maiores nostri deo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Casari censum reddebant. modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Nouimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Vnde patet sanctionem illam Constantinianam fuisse neglectam Augustini tempore. Itaque Synodus Matiscorenfis postliminio reuocauit istam primitiuam sanctionem: quod ipsum verba decreti non obscure innuunt.

V. Porro non solum res ipsa clamat, constitutionem illam esse politicam, quippe quæ sine brachio seculari neque sanciri, neque stabiliri potest: sed etiam historia testatur, pijs Principibus fuisse curæ cordique, ut decimarum ratio in ecclesia Christi locum haberet, non quasi ceremonia Leuitica, iam olim antiquata, iterum in scenam producenda esset, sed quia res ipsa est mere politica, immo & valde æqua & vtilis. Nam utique ecclesia N. T. ministros etiam suos alere tenetur. Quæ vero æquior, minusque grauis alendi eos ratio esse potest, quam ex agrorum decimis? Quare ut illæ longe antelegem latam in vsu fuerunt (nam & Abraham decimas obtulit Melchisedeco, *Gen. 14. 20.* & Iacob Deo, *Gen. 28. 22.*) ita Christiani principes illas maturo consilio in ecclesia N. T. locum habere vulerunt. Ita *Krantzius in Metropoli sua lib. 1. cap. 8.* adnotat, Carolum Magnum tributa Christianis remisisse, & eorum loco decimas ecclesie & Episcopis assignasse. Vnde & in *Duriensi synodo*, anno 779. sub Carolo habita, *cap. 10.* sancitur, ut decimæ soluantur, & dare nolentes, non Ecclesiasticis tantum excommunicandi, sed à reip. quoque ministerijs coercantur. Eiusdem Caroli iussu habitata etiam est *synodus Moguntina* anno 813. in qua, canone 38. similiter sancitur: *Admonemus, vel præcipimus, ut decima de omnibus dari non negligatur, quia Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria.* Cuiusmodi plurimæ aliæ extant Conciliorum sanctiones. Ex ijs autem non recte deducit Bellarminus, persolutionem decimarum esse iuris Ecclesiastici. Nam, ut superiori libro prolixè disputauimus, indictio & gubernatio synodi pertinet ad Principes Christianos. Itaque Concilia ista non sine Imp. & Principum autoritate has tales sanctiones ediderunt.

VI. Colophonis loco videamus illam Bellarmini quæstionem. Quæ ratione ostendi possit, iustam esse determinationem illam, quod Christiani decimam partem suorum fructuum ecclesie tribuant? Hic varia à varijs adferuntur. Nobis ita videtur. Quemadmodum Deus septimam temporis partem sibi voluit impendi: sic decimam bonorum partem sibi voluit offerri. Itaque quemadmodum in Nou. Testam. retinetur illa lex de septima temporis parte Deo consecranda (etsi enim septimus dies non sanctificatur, tamen vnus ex illis septem diebus, qui metiuntur totum decursum temporis, retinetur) ita quoque lex illa de decimis in ecclesia Christi locum habet. Nihil itaque attinet hoc loco disputare, an Leuitæ fuerint pars duodecima, vel

vel decima tertia populi Dei; & qualis sit proportio inter Clerum Nou. Testam. & populum Christianum. Id enim omne nihil certitudinis habet: vt videre est apud Bellarminum libro primo de cleric. capite vicesimo quinto, diu. 4.

CAP. XI.

Immunitas Clericorum siue illorum exemptio, quantum ad personas & bona, quo iure nitatur.

I. Sequitur disputatio de libertate Ecclesiastica, quam Bellarminus lib. 1. de cleric. cap. 28. quinque his propositionibus complectitur. Prima est: In causis Ecclesiasticis liberi sunt Clerici iure diuino, à secularium Principum potestate. Secunda: Non sunt exempti Clerici ab obligatione legum ciuiliū, quæ non repugnant sacris Canonibus, vel officio Clericali. Tertia: Non possunt Clerici à iudice seculari iudicari, etiam si leges ciuiles non feruent. Quarta: Bona Clericorum tam Ecclesiastica, quam secularia, libera sunt, ac merito esse debent, à tributis Principum secularium. Quinta: Exceptio Clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, introducta est iure humano pariter & diuino. Atque hi sunt carceres huius disputationis, intra quos nos continebimus.

II. Primam propositionem concedimus: videlicet ministros verbi Dei in causis mere Ecclesiasticis, à iudicijs secularibus plane, idque optima ratione, exemptos esse; cum istæ causæ ad iudices forenses reuera non pertineant; sed tantum ex verbo Dei, & canonibus Ecclesiasticis, veruntamen in verbo Dei fundatis, atque inde deriuatis, & quidem coram synodis, & Presbyterijs, ordinari discerantur. Ita Apostoli ecclesias gubernauerunt, quo tempore nulli erant Principes Christiani.

III. Secundam propositionem ita explicat, & explicatam probat Bellarminus. Loquitur hæc propositio potissimum de legibus politicis, quæ dignantur actiones humanas in commercijs temporalibus: vt, cum Princeps constituit pretia rebus venalibus, vel iubet noctu neminem incedere sine lumine, vel non asportare frumentum extra prouinciam. His itaque legibus Clerici tenentur obligatione, non coactiua, sed solum directiua, nisi eadem leges ab ecclesia approbata fuerint. Quod si de iisdem rebus temporalibus disposuisset etiam lex Ecclesiastica, eam sequi deberent Clerici, & tunc legem ciuilem ne directiue quidem obseruare tenerentur. Probat autem, Clericos ad obseruationem legum ciuiliū directiue teneri in defectu legis Ecclesiasticæ. Nam Clerici, præterquam quod Clerici sunt, sunt etiam ciues, & partes quædam Reip. politicæ. Igitur vt tales viuere debent legibus ciuilibus: alioqui magna perturbatio, & confusio in Rep. oriretur, si clerici non seruarent ciuiles leges in commercijs ciuilibus, & humanis. In hac explanatione tria desideramus. 1. Quod Clerici dicuntur teneri his legibus directiue, non vero coactiue. At vero si sunt ciues reip. vt recte concedit Bellarminus, non solum directiue, sed coactiue istis legibus tenentur: etsi in terra verum est, executionem moderationem requiri, ne Clerici, si leges illas transgrediantur, abique vilo discrimine puniantur, quomodo laici solent puniri. 2. quod legibus ciuilibus pretium aliquod accedere ait à legibus Ecclesiasticis. At hoc est falsum: quia lex ciuilis, siue politica, suam in rebus, per se obtinet, neque confirmationem aliquam per leges Ecclesiasticas requirit. 3. quod nimiam Clericorum immunitatem tacite asserit: vt in sequentibus erit magis manifestum.

IV. Tertiam propositionem confirmat tribus argumentis. 1. quia Concilium Chalcedonense can. 9. & Agathense canon. 3. diferte cauent, si clericus aduersus clericum habeat negotium, ne relicto Episcopo suo ad secularia iudicia recurrat; & ne quis Clericum præsumat apud iudicem secularium Episcopo non peractante, pulsare. Quod ipsum in alijs quoque Concilijs est decretum. 2. quia Constitutiones Imp. eximunt Clericos & Monachos à seculari iudicio: vt Iustinianus Nouell. 79. 83. & 123. quanquam non eximunt in causis criminalibus, sed in ciuilibus tantum: in criminalibus autem vult à Prætoribus cognosci causam, non tamen condemnari Clericum, nisi prius ab Episcopo fuerit degradatus. At nihilominus lex Canonica simpliciter eximit Clericos in omnibus causis, tum ciuilibus, tum criminalibus: vt perspicuum est ex epistola Caij Papæ ad Felicem Episcopum, &c. Debet autem lex ciuilis cedere legi Canonice. 3. quia omnino absurdum est, vt ovis suum pastorem quoquo modo iudicare præsumat. Itaque non sine magna laude Rufinus & Gregorius referunt illam vocem Constantini M. ad Episcopos; *Vas dicitur, à summo Deo constitutum: equum non est, vt homo iudicet deos.* Ad has rationes respondeo. 1. Concilia loquuntur de causis mere Ecclesiasticis, quæ vtique ad Episcopum, & Presbyterium pertinent. Deinde, Concilia docent, permittente Episcopo, Clericum posse accusari coram ciuili magistratu. 2. Constitutiones illas Imp. admittimus, Canonicas rejicimus. Nam ille pietatem Christianorum principum arguit: hæc potestatem Principibus à Deo concessam eripiunt. 3. Nihil vetat, eum in temporalibus esse iudicem tuum, quem in spiritualibus ipse iudicare soleas. Deinde, etiam principes seculi appellantur dii; & tamen iudicantur à populo vniuerso. Ad hæc Constantini dictum est hyperbolicum. Itaque resoluendum est in sensum proprium. Alias non valebit argumentum à figurato ad proprium. Vt iam nihil dicam, in epre & superbe modestiam piorum principum hic allegari.

V. Quartam propositionem Bellarminus probat duobus modis. Primo, quod bona Clericorum sunt libera de facto, patet ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ex Iure Canonico, hinc inde: ex Iure ciuili, puta ex Codice Iustiniani, lege sancimus, de sacrosanctis ecclesijs, &c. Et hoc nos concedimus: verum ita, vt factum illud sæpe limites iuris excessisse contendamus. Deinde, quod hæc exemptio sit iure facta, probat ad seq. propos. Clerum contra factum obijci solet exemplum Christi, & recte quidem. Christus enim tributum soluit Matth. 17. Bellarminus responderet vno verbo: Christus soluit tributum, quia voluit, non quia debuit. Christus enim erat plane liber. Sed tenendum est, Christum fuisse in statu humilitatis suæ: membrum politicæ Indicæ, quæ tum subiecta erat Cæsari. Hactenus itaque Christus obnoxius fuit Imperatori, eiusque legibus. Neque enim libertas spiritualis tollit subiectionem ciuilem.

Tom. V.

VI. Quintam propositionem ita probat Bellarminus. Primo exceptionem Clericorum omnimodam, esse introductam iure humano, patet ex ijs testimonijs, quæ in 3. & 4. propositione probanda sunt adducta. Quod autem sit etiam introducta iure diuino, sic patet. Per ius diuinum intelligitur vel stricte præceptum Dei proprie dictum, quod extat in S. literis: vel late, partim ius posituum, quod ab exemplis vel testimonijs V. & N. Test. per quandam similitudinem deduci potest; partim ius naturale, quod plane diuinum esse in dubium reuocari non potest, quia est ab auctore natura animis nostris impressum. Intelligimus autem hoc loco ius diuinum secundo & tertio modo. Itaque exemptionem illam esse de iure diuino positum probatur primo testimonijs Scripturæ sacræ. Nam Ioseph Gen. 47. eximit sacerdotes Ægyptiorum: Artaxerxes Esdr. 7. eximit sacerdotes Israeliticos. Et Deus Num. 3. Sacerdotes & Leuitas eximit prorsus à iugo seculari, quantum ad personas & facultates, Confer Exod. 30. & Num. 1. Sic Matth. 17. ait Christus, filios regni esse liberos: vbi analogice filij regni potissimum Clericos designant; vt qui peculiari ratione ad ipsius regnum pertinent. Secundo probatur hoc idem ex testimonijs factorum canonum; in primis Concilij Tridentini. Iam eadem exemptio est de iure naturali: vt patet ex his quinque argumentis. Primum sumitur à consuetudine omnium gentium, quod enim vbi que sit, ex natura ipsa descendit. Iam vero paulo ante probatum est, sacerdotes apud Ægyptios sub rege Pharaone; apud Iudæos, Leuitas; sub rege Artaxerxe sacerdotes Hebræorum, fuisse liberos. Idem cognosci potest de sacerdotibus Gentilium ex Aristotele. 2. & con. ex Cæsare lib. 6. de bello Gallico, & ex alijs. Ita Imp. Christiani, natura docente, Ecclesiasticos immunes à communibus reipub. oneribus declarauerunt. Alterum argumentum ducitur à similitudine, quam potestas Ecclesiastica & secularis habent cum anima, & corpore humano. Sicut enim anima se habet ad corpus, ita potestas ecclesiastica ad secularem. Atqui anima regit corpus, non contra. Ergo potestas Ecclesiastica regit secularem: & per consequens ab illa non regitur, ideoque nec iudicatur. Tertio probatur ex nominibus patris, & pastoris, quibus S. literæ, & libri Patrum, & communis consuetudo Christianorum, ornant sacerdotes. Natura autem docet, iniquum esse vt filij iudicent suos parentes, & oues pastorem suum. Quartum argumentum petitur à nomine & officio Clericorum; qui sic dicuntur, quod ad sorte Domini pertineant; & eiusmodi officio funguntur, vt sint ministri Dei, consecrati ad ipsius solius obsequium, atq; ad hoc ipsum ab vniuerso populo Deo oblato. Iam vero in ea, quæ Deo sunt oblata & consecrata, & quasi propria ipsius Dei facta, nullum ius habere possunt principes seculi. Quintum argumentum ducitur à signis & prodigijs, quæ non raro Deus ostendit in eos, qui Ecclesiarum immunitatem violare præsumserunt.

VII. Etsi hic possemus aliquid notare ad illam distinctionem, quæ Bellarminus ius diuinum adeo late sumit, vt ius naturale sub illo complectatur: tamen, quia nihil facit ad rem præsentem, argumenta recta aggrediemur. Principio itaque Gen. 47. non tam de sacerdotibus, quam de regijs præceptis, siue principibus Ægypti agitur; quippe qui alibi quoque *Cohanim* appellari soleant. Etsi maxime demus, ibi sermonem esse de sacerdotibus: non tamen inde concluditur questio. Iam enim verlamur in questione iuris. At ibi agitur de facto. Deinde, Artaxerxes eximit sacerdotes populi Dei, peculiari priuilegio. Tertio, Deus eximit Leuitas, sed neque simpliciter, neque iure communi seu morali, sed iure siue lege ceremoniali; quæ nihil pertinet ad nostram questionem. Nam exemptio illa fuit typica. Quarto, sensus ille analogicus Matth. 17. non magis ad Ecclesiasticos, quam ad reliquos Christianos pertinet: vt qui omnes filij Dei, fratres Christi, & hæredes regni passim appellabuntur. Quinto, nimis infirmum est argumentum, quod domesticis testibus inuitur: vt sunt testimonia Concilij Tridentini, Lateranensis, & similia, quæ hoc loco adducuntur, adeoque in propria causa iudicant: vt nihil dicam de eo, quod sunt nimis recentia. Huc accedit, quod fieri potest, vt homines etiam pij ex errore & simplicitate, modum in his talibus excedant. Atque ita respondimus ad ea, quæ adferuntur pro iure diuino positum.

VIII. Soluamus nunc quinque argumenta, quæ sunt allata pro iure naturali. 1. Praxis, siue consuetudo illa non est vniuersalis, neque perpetua: cum exempla diuersa, tum ex sacris, tum ex profanis historijs adferri possint; maxime si de iudicijs & subiectione personarum ecclesiasticarum agatur. Nam, vt supra non semel diximus, Salomon iudicauit Abiathorum; & Augustinus epist. 160. ait, coram Imperatore Constantino Cæcilianum à Donatistis accusatum, innocentem fuisse iudicatum; & ad eiusdem Principis iussione, Felicem Autumnitatum proconsularibus cæcis fuisse purgatum. 2. Simile, quod adfertur, hic est dissimile. Nam inter animam & corpus est vinculum naturale, & subiectio non-mutua. At inter Clericos & Principes seculares est subiectio mutua, siue reciproca, quæ Græcis dicitur *ἀλλοτρίωσις*. 3. Hic est eadem responsio. Nam subordinatio inter parentes & liberos, opilionem & oues, est non mutua, seu non-recurrens. At inter magistratum & personas Ecclesiasticas est subordinatio mutua, siue reciproca; quæ quidem accipienda est pro conditione rerum, vtique iurisdictioni subiectarum. Non enim minus reges & Principes in temporalibus sunt Patres & Pastores reipubl. quam Clerici in spiritualibus. Quare vt illi his, in negotijs conscientiarum; ita vicissim hi illis, in rebus huius seculi, parere atque subiecti esse, & possunt, & debent. 4. Dignitas illa Clericorum cum subiectione seculari minime pugnat; tum, quia nihil vetat, eum in temporalibus esse iudicem tuum, quem in spiritualibus ipse iudicare soleas: tum, quia omnes Christiani suo modo sacri sunt, siue Deo addicti & consecrati. 5. Hoc vero argumentum est omnium ineptissimum. Nam præterquam, quod ista prodigia fabulosa esse possunt; etiam fieri potest, vt hanc causam nullo modo attingant; sed de sacrilegijs, atque templorum spoliationibus, alijsque id genus flagitijs, tantum agant: in quorum auctores & fautores seuera Dei iudicia sæpius extitisse scimus. Ita vt nihil hinc concludi possit.

IX. Nostra sententia nunc est exponenda, & stabilienda. Sic autem pronuntiamus. In causis mere politicis, ijsque vel pure ciuilibus, vel criminalibus Ecclesiastici minime omnium sunt exempti à communi ciuium iudicio, seu foro politico. Quod attinet ad bona, siue facultates eorundem, illa non nisi ex speciali magistratus indulgentia, seu benigno & liberali priuilegio, à tributis, alijsque reipub. oneribus, præsertim sub N. Test. post legem Moysi abrogata, sunt immunia, siue libera. Itaq; non diuino, aut naturali, sed

humano

humano tantum iure sunt exempta. Pro vtraque hac sententia hæc fere à nostris adferuntur argumenta.

X. *Primum argumentum* sumitur ex ijs Scripturæ locis, quibus omnes Christiani absque vlllo discrimine, seculari potestati subijciuntur; eique non tantum honorem exhibere, sed & tributa soluere, diserte iubentur: vt *Ro. 13. 1. Petr. 2. & alibi passim*. Neq; hic valet effugium Bellarmini, dum excipit, ista præcepta planè generalia esse, & de quouis magistratu legitimo, etiam Ecclesiastico, accipi debere: reges autem & principes non esse legitimos Clericorum magistratus, quippe qui sint illorum oues & filij. Nam præterquam, quod reges, eorumque præfecti, h. e. magistratus seculares, diserte alio in loco nominantur; etiam sic iidem magistratus in altero describuntur, vt non nisi politici magistrat⁹ intelligi queant. Et licet isti in spiritualib. merito subiecti sint ordini Ecclesiastico; hic tamen illis vicissim in temporalibus subiectus esse debet: cum mutua ista subiectio, pro diuersitate officiorum, facile conciliari possit. Neq; hoc loco prætereundum est, quod Chrysostr. in *Ro. 13.* notat sub verbis illis, *Omnis anima subiecta esto* &c. etiam monachos & Clericos comprehendi. Itaq; immunitas illa non nititur iure diuino.

XI. *Secundum nostrum argumentum* ducitur ab exemplis sanctorum in V. & N. T. & nominatim ipsius Christi, & Apostolorum. Nam certe Sacerdotes in V. T. etiam quandam ordinariam immunitatem ex lege Mosis habuerunt: quantum ad iudicia tamen, & id genus alia, summis magistratib. subiecti fuerunt: sicut ex historijs Regum, præsertim Dauidis, Salomonis, Ezechiae, & Iosiae, apparet. *1. Reg. 1. & 2. & seqq.* Et ipse Christus, non modo Cæsari dari iussit, quæ Cæsaris sunt, *Matt. 22.* sed & tributum ipse pro se, proque Apostolo Petro persoluit, *Matt. 17.* Et Apostolus Paulus ad iudicium Cæsaris vltro prouocauit, *Act. 25.* & proinde saltem illius subditum se esse agnouit. Quare etiam nunc idem de Clericis statuendum est.

XII. *Tertium argumentum* sumimus à naturali æquitate; quam neque lex Euangelica, vt loquuntur, neq; ordo Clericalis abolere potest. Hæc autem omnino postulat, vt qui ius ciuitatis alicuius habere cupiunt, etiam cõmunibus ciuium legib. obtemperent; ac proinde communia quoque iudicia ne defugiant. Item, ne prorsus à publicis onerib. immunes sint, qui ab ipsa tota Rep. proteguntur; & quorum facultates interdum aliorum priuatorum facultatibus longe maiores esse solent. Deniq; hæc æquitas in primis requirit, ne quisquam inuitis suo iure priuetur. Id quod omnino fieret, si omnimoda Clericorum exemptio, etiam cum Reip. detrimento, aduersus politicum magistratum vgeretur; & eadem aliunde, quam ex humanis Constitutionibus, hoc est, spontaneis Principum concessionibus, siue indultis, peteretur, hoc est, fisco quodam diuinæ institutionis tegetur. Ergo immunitas illa Papistica prorsus est iniqua.

XIII. *Quarto argumentum* ex testimonijs Patrum, qui passim in Commentarijs suis, præsertim ad loca superius citata, *Matt. 17. & 22. Ro. 13. & 1. Petr. 2.* thesin nostram aperte tuerentur, & præterea palam testantur se neq; iudicijs, neque oneribus secularibus aliter quam pia Principum concessione, fuisse exemptos, qui alioqui lege diuina ipsis parere teneantur: eoque se iudicijs secularibus, quantum ad causas politicas, præsertim criminales, attinet, vltro subijcere; nec vel tributa pendere, vel alia reipubl. onera sustinere, vnquam recusasse. Vide inter alios *Theodoretum libro quarto hist. Eccles. cap. 7. Ambrosium in tractatu de tradendis Basilicis, & Chrysostrum in Rom. 13.* Quid? Ipse *Gratianus caus. 11. quæst. 1.* ait: Ex his omnibus datur intelligi, quod in ciuili causa Clericus ante ciuilem iudicem conueniendus est. Sicut enim Ecclesiasticarum legum, Ecclesiasticus iudex est administrator ita & ciuilem non nisi ciuilib. debet esse executor. Sicut enim ille solus habet interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos: ita ille solus ciuilium legum debet esse interpret, qui eis ius & auctoritatem impertit. *Photius Patriarcha Constantinopolitani de peccatis & iudicio Episcoporum* ita scribit: Clerici Constantinopolitani, si nolint apud Patriarcham agere, à solis præfectis prætorio iudicantur, siue conueniant, siue conueniantur, tam pro priuatis, quam pro Ecclesiasticis. *Rursus eodem titulo:* Episcopi, clerici, & monachi à regione in regionem non protrahuntur, sed apud prouinciarum præfides conueniuntur. Sin autem Constantinopoli inueniantur, apud solos præfectos prætorio conueniuntur. *Balsamon in enarratione canonis 12. Concilij Antiocheni:* Patriarcha debet rationem reddere Imperatori, & ab eo corrigi. *Rursus eodem loco:* Patriarcha ab Imperatore, qui Ecclesiæ habet potestatis scientiam, iudicatur forte vt sacrilegus, vel male de fide sentiens, vel alicuius alius criminis reus. His testimonijs adde confessionem ipsorum Papistarum, nominatim Couarruix, & Medina, apud ipsum *Bellarminum c. vlt. lib. 1. de clericis.*

XIV. *Quinto argumentum* ab absurdo, seu indignitate rei. Si clerici in ciuilib. & criminalibus sunt deferendi ad Episcopum, Episcopus erit iudex politicus. At hoc est cõtra canones, & naturam muneris sacri. Sic enim *Clemens epist. ad Iacobum fratrem Domini, vt est in Iure Canonico caus. 11. qu. 1. capitulo 7.* Te quidem: Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias: ne fideiussor existas: ne aduocatus litium fias: ne in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotij occasione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus: ne præfocatus presentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, & secundum veritatis regulam secernere bonos à malis. Ista namque opera, quæ tibi minus congruere superius exposuimus, exhibeant sibi inuicè vacantes laici.

XV. *Sextum argumentum* sumitur à Constitutionibus Imperialibus, quæ sanciant subiectionem clericalem. Sic enim *Instit. lib. 1. C. de Episcopis & Clericis:* Nullus episcopus ad ciuilem vel militarem iudicem in qualibet causa producat vel exhibeat, nisi Princeps iusserit. *Martianus Imp. C. de Episcopis & Clericis, L. cum clericis* statuit, vt in causa criminali clericus coram Præfide conueniatur.

XVI. *Septimum & postremum argumentum* ducitur à serie historiarum, in primis Ecclesiasticarum; quæ perspicue docet, vniuersam Clericorum exemptionem, qualis nunc est, tantum humano iure niti, h. e. à pijs regibus & principibus, bono quodam zelo, propter honorem S. ministerio habendum, & alias quasdam rationes, non omnino contemnendas, olim introductam esse, & progressu temporis magis ac magis amplificatam: donec tandem ipsi Episcopi, ac præsertim Romani Pontifices, opib. fere immensis iam adacti, exemptionem hanc tanquam diuino iure nitentem, etiam inuitis magistratibus

extorquere, & denique armis ac summa vi defendere cõperunt. Vide *Eusebium & Theodoretum in hist. eccles.* præsertim in libris de vita Constantini M. & seqq. Imperatorum; item *Albertum Krantzium*, & alios similes Scriptores, de vita Caroli M. Ludouici Pij, & seqq. aliquot Regum. Vide etiam luculentum tractatum *Marsilij Patavinii*, pro iure Imperatoris aduersus Pontificem. Denique vide recetia scripta *Theologorum Venetorum* contra Paulum V. Pontificem Romanum & huius paratatas Cardinales, Baronium & Bellarminum.

XVII. Sed paulo fufius vtrumq; illud ostendamus, Ecclesiasticorum priuilegia & exemptiones à iudicijs & oneribus secularibus, non eodem tempore, sed paulatim esse concessas, ac proinde non niti iure diuino, sed humano. *Constantinus M.* exemit Ecclesiasticos functionibus publicis, personalibus, & curialibus, C. Theod. de Episc. & Cler. leg. 2. *Constantinus & Constantius* adiunxerunt exemptionem ab actibus sordidis & censu, ibid. l. 10. & concesserunt solis Episcopis exemptionem à iudicijs fori secularis, manentibus alijs Ecclesiasticis subiectis iudici seculari in causis vt criminalibus, ita ciuilibus. *Honor. & Theodosius II.* circa an. 420. & postea *Theodosius & Valentin. III.* concesserunt iudiciu clericorū Episcopis, si vtraq; pars litigantium acquiesceret: remittēdo eas ad magistrat⁹ seculares, si vna partiū noller acceptare Episcopū: *ib. l. 41. & 47.* Idē confirmauit *Martianus* circa an. 460. & *Leo* successor eius. *Iustinian⁹,* circa an. 560. legē tulit, vt ecclesiastici in causis ciuilib. subiecti essent Episcopo; in criminalibus, seculari, C. de Episc. & cler. l. cū cler. C. eod. l. omnis qui. Hoc durauit vsque ad an. 630. quando *Heraclius* exemit Ecclesiasticos Magistratu seculari tam in ciuilibus, quam in criminalibus causis, salua tamen semper auctoritate delegatorum Principis, *Novell. 83.* *Sub Imperatoribus Francus & Saxonib.* varie obseruatum fuit, prout iam Imp. iam Pontifices præualuerunt. Tandem *Fridericus II.* circa an. 1220. fecit Authenticam inferam Codici Iustiniano, ne quis possit trahere in iudicium seculare, tam ciuile quam criminale, vllam personam Ecclesiasticam. Legantur tituli de Episcopis & Cleris, de Episcopali audientia, & de Episcopali iudicio, in Codice Theodosiano & Iustiniano. Ex his itaq; perspicue patet, immunitatem & exemptionem Ecclesiasticorum à iudicijs secularibus non esse iuris diuini, sed humani, nempe ex concessione diuersorum Principū. Quod attinet ad exemptionem bonorum ecclesiasticorum à tributis, siue oneribus ciuilibus, & illa eodem modo creuit, in primis sub Carolo M.

XVIII. Porro Principes olim vfos esse suo iure, ita patet. Principio historia Athanasij abunde testatur, Imperatores de Episcoporum causis cognitionem suscepisse, & sententiam dixisse. Nam ab Arianis accusatus Athanasius, quod Ægyptijs tributum lini imposuisset, quod cuidam Philumeno hosti Imperatoris crumenam auro plenam misisset, quod Macarius Presbyter eius iussu poculum mysticum confregisset: audita causa Pammathia ab Imperatore Constantino M. absolutus fuit: vt ipse commemorat in *apologia 2.* Cum rursus accusatus esset, quod sacram mensam subuertisset, quod libros sacros combussisset, quod Arsenium quemdam interfecisset, mandauit Imperator Dalmatio Censori, vt cognosceret de crimine Antiochiæ, eo euocato Athanasio, & Arsenio inuento, iudicium inhibuit, Meletianique vt calumniosos publico edicto damnati, vt est in *eadem apologia.* Cum idem Athanasius in Synodo Tyria grauium criminum accusatus per calumniam, inique tractaretur, & vim ab Eusebianis pateretur, profugit ad Constantinū Imp. & primum reiectus, postea tamen auditus, obtinuit, vt per Edictum Episcopi qui in Synodo illa conuenerant, Constantinopolim euocarentur, actorum suorum reddituri rationem. Edictum illud sic habet apud *Socratem lib. 3. hist. eccles. c. 34.* Victor Constantinus M. Augustus. Ego ignoro quid sibi velint ista, quæ à vestra synodo per tumultum & tempestatem iudicata sunt. Mihi sane videtur, nescio quo pacto, veritas per immodestiam opprimi, dum per vestram contentionem, quam inuictam cupitis, ea quæ Deo placent, non consideratis. Sed erit diuinæ prouidentia officii, & explorare scelera istius contentiositatis; & explorata dissipare &c. *Et mox:* Quo circa festinanter ad meam pietatem accurrite, vt rerum istarum excussum, exactamq; fidem coram me in presentia ipsi presentes doceatis. *Et paulo post:* Scripto vobis denuntiatum volui, vt quorquor synodum Tyri absoluistis, sine omni tergiversatione ad prætorium nostræ Clementiæ accurratis, re ipsa, quantum sinceritatis integritatisque sit in vestris sententijs coram me ipso, sincero Dei famulo (quod ne ipsi quidem abnegaueritis) declaraturi. *Et rursus:* Quapropter vos meo prætorio sistite, & festinate huc quam celerrime. *Idem Athanasius in apologia ad Constantinum Imp. ait:* Si apud alios accusatus essem, ad tuam Maiestatem prouocarem quemadmodum Apostolus dixit, Cæsarem appello. *In Concilio Chalcedonensi* Magistratus ciuilib. Dioscorum Episcopum Alexandriæ, Iuuenalem Episcopum Hierosolymorum, Thalasium Episcopum Cæsareæ Cappadociæ, Eusebium Episcopum Ancyrae, Eustathium Episcopum Beryti, & Basilium Episcopum Seleuciæ Isauriæ, sua sententia cõdemnauit, eosq; de illo gradu ecclesiæ deiciendos esse censuit: vt videre est apud *Euagrium lib. 2. hist. Eccles. c. 4.* Porro *Iustinianus Imp.* legem tulit de corrigendis moribus, & de frangenda insolentia sacerdotum. *Idem* duos Papas Romanos, Syluerium & Vigilium de Papatu deposuit, vt docet Pontificale Romanum. Vide etiam Constitutiones Imperatorias in *Novell. 79. & 123.* & passim alibi: quibus olim Clerici vltro paruerunt.

XIX. Quid vero san immunitatem Clericorum, tum quoad personas, tum quoad facultates, hac ratione improbamus? Minime vero. Nam si intra limites suos illa immunitas cõsistat; nec Principibus suam potestatem à Deo concessam atq; acceptã, siue per vim, siue per fraudē eripiat; neque etiam de necessitate, siue essentia facti ministerij esse credatur; & denique si casus peculiare semper excipiantur, in quibus pij Principes interdum id quod iure dederunt, iure etiam reuocare possunt: si, inquam, multiplex hæc cautio, siue moderatio, obseruetur, eximium hoc priuilegium grata mente agnoscimus. Atque hæc quidem est sententia nostra, quam multi ex ipsis Pontificijs haereticus probauerunt: inter quos nominatim a Bellarmino, sed frustra tamen, & perstringuntur, & oppugnantur, duo doctissimi viri, *Couarruuius, & Medina;* qui quantum ad summam rei attinet, sententiam nostram satis accurate defenderunt.

— (?) —

CAPVT XII.

De origine, ratione, & varietate Monachorum: de Eremitis: deque habitu, tonsura, & opere Monachorum.

I. Ecclesiam militantem tribus potissimum ordinibus militum distinguimus: Clericis, Laicis, & Monachis siue Religiosis, quos alij vocant Clericos Reges. Quia de re non erimus hoc loco solitici: sed recta ingrediemur disputationem de istis siue Regularibus, siue Religiosis, siue monachis. Continentur autem omnis hæc disputatio septem præcipuis capitibus, siue questionibus, vt sunt verba Bellar. præf. in lib. 2. de Monachis, hoc ordine. 1. de origine, ratione, & fundamenta totius monastici ædificij. 2. de votis monasticis. 3. de votis, quæ filij inuitis parentibus, & coniuges inuito altero coniuge aliquando suscipiunt. 4. de solitudine, & summa vitæ seueritate Eremitarum. 5. de habitu, & tonsura. 6. de opere Monachorum. Ex his septem capitibus primum, quintum, sextum, & septimum hoc loco tractabimus. nam reliqua persecutus est Chamierus tom. 3. Erimus autem breues in tota hac disputatione: vt pote quæ multos logos & fumos continet.

II. Atque vt incipiamus ab origine Religionum, Bellarminus c. 5. diserte ait, vitam religiosam adeo esse antiquam, vt quædam eius adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluuium; maior quædam expressio in lege Moysi: perfectio autem Apostolorum tempore. Nam Gen. 4. de Enos dicitur: Iste cepit inuocare nomen Domini: h. e. peculiarem aliquem cultum instituit, & sublimiorem, quam esset religio vulgi. Deinde Num. 6. habemus vota Nazæorum. Tertio, habemus in eodem V. T. Eliam, Elisæum, ac filios Prophetarum sine vxoribus, & diuitijs in hoc mundo vixisse. Quarto, Ierem. 35. est insignis commendatio nepotum Rechab; quos Hieronymus Monachorum nostrorum figuram gessisse scribit. Denique Iohannem Baptistam Monachorum & Eremitarum principem fuisse scribunt omnes fere Patres. Veniamus ad nouum Testamentum: vbi primo occurrunt Apostoli, qui vere primi fuerunt Monachi Christiani. nam quod vitam cœnobicam instituerint, vbi essent omnia communia, patet ex Act. 4. Deinde Philo Iudæus in libro de vita contemplatiua supplicum, prolixè admodum describit vitam & mores Monachorum, & sacrarum Virginum, quos instituit in Ægypto S. Marcus Euangelista. Tertio, Dionysius Areopagita epistolam scribit ad Demophilum Monachum, & libro de Eccles. hierarchia cap. 6. prolixè explicat monasticam professionis formam. Quarto, Tertullianus scripsit librum de velandis virginibus; & Cyprianus, Tertullianum secutus, scripsit librum eiusdem argumenti, de habitu virginum. Quinto, Damasus in vita Dionysij Papæ scribit, ipsum ex Monacho ad Pontificatum assumptum fuisse. Sexto, Athanasius in vita B. Antonij docet, ante Antonium non fuisse quidem Eremitas, sed tamen Monachos fuisse, qui in agris, ciuitatibus vicinis, monasteria sua constituebant. Ex quo sequitur, errare Magdeburgenses, & illorum similes, qui scribunt Religionem incepisse demum quarto seculo, id est, post annum Christi 300. primosque autores fuisse Antonium, Macharium, & similes.

III. Antequam hæc argumenta examinemus, oportet verum controuersæ statum accurate constituere. Nos itaque Monasticam, hoc est, solitariam viuendi rationem, in genere acceptam, simpliciter & per se non damnamus: imo etiam fatemur, eos, qui olim Monachi appellabantur, licet aliquo modo superstitiosiores essent, veros tamen Christianos, adeoque nonnullos istorum viros sanctos fuisse. Sed hodiernum Monachatum, hoc est, qualis iamdiu in Papatu fuit, pro corruptissimo statu habemus, adeo quidem, vt neminem Christianum in illo salua conscientia permanere posse affirmemus. Itaque hunc ipsum præsentem Monachatum, ne quidem illi antiquiori, qui tertio & quarto post Christum seculo vicitus fuit, vllò modo iam similem, nedum parem esse contendimus: tantum abest, vt nostram aetatis Monachos, cum sanctissimis Patriarchis, aut Prophetis, & Apostolis vllò iure comparari posse concedamus. Itaque verus controuersæ status hic est: An hodiernus iste, seu Papisticus, Monachatus, sit status perfectus ac salutaris, hoc est, omnino sanctus, & Deo per se gratus, & quidem iam olim à sanctissimis viris obseruatus? Bellarminus affirmavit varijs argumentis: quæ primo paucis soluemus, postea nostram negatiuam probabimus.

IV. In genere autem notandum est, apertam hic esse principij petitionem, & inanem quandam iactationem, quando ex qualicumque externa, seu victus, seu amictus & vestitus similitudine, quæ inter nostros Monachos & sanctos quosdam viros fortasse reperiri potest, ipsa essentialis Monachatus identitas, ab Aduersario nostro concluditur. Iam in specio argumenta, quæ ex Ver. Testam. adferuntur, omnia sunt impertinentia. Nam 1. Enos non legitur aliquid instituisse Genes. 4. sed ipse tempore, quando natus est, cepit inuocari nomen Domini, nempe publico cultu instituto, cum prius in familiarijs tantum inuocasset Deum. Est autem ista politia Ecclesie instituta propter grassantem impietatem Cainiticam, vt alij alijs ad pietatem essent stimulo. 2. Nazaræi non erant Monachi; quia votum Nazaræatus certo tempore finiebatur, & Nazaræi à vino abstinabant, erant comati, non abstinabant à coniugio, nec bona relinquebant. Iudic. 13. Quid quæso hic simile est cum Monachatu? Alioqui verum est, omnes theologiæ studiosos peculiari ratione esse Nazaræos, vel, vt alij malunt, Nazaræos Nou. Testam. 3. Elias, Elisæus, & filij Prophetarum, non erant ex voto tales: & multi ex ijs fuerunt vxorati, & domi suæ vixerunt. Non vero sequitur: Fuerunt pauperes, & cœlibes: ergo Monachi: tum enim omnes pauperes, & cœlibes forent Monachi. 4. Rechabites fuerunt Laici, qui nec à coniugio abstinabant, nec à vino, nec bona propria abiecerunt, nec domos splendidas ædificauerunt, vt Monachi nostri. 5. Non omnes qui viuunt in deserto, sunt Eremitæ. Et Iohannes ibi vixit, non ex voto, sed ex Dei præcepto. Sequuntur argumenta ex Nou. Testam. 1. Apostoli reliquerunt omnia affectu, non a-

Tom. V.

ctu continuo: quia licet maluerint Christum sequi, quam domi suæ hærete, tamen bonorum suorum possessionem retinuerunt, vt retia, domos, vxores, Iohann. 19. & 21. Deinde, illi non vouerunt paupertatem; sed propter vocationem extraordinariam, in vita ambulatoria, omnia reliquerunt. Tertio, in primitiua Ecclesia Laici bona sua vendebant, non ex voto, sed ex charitate; neque omnia, sed quædam, & quantum volebant; neque Monachis, sed pauperibus, dabant. Et hæc fuit communio temporaria in primitiua Ecclesia, quæ non diu obtinuit, mutatis iam circumstantijs Ecclesie. 2. Monachi illi, de quibus apud Philonem, fuerunt ex Hebræis, qui adhuc Iudaice viuerent, & Essæorum instituta sequerentur. Sic enim Hieronymus epist. ad Eustochium, de Monachis illis Ægypti ait: Tales Philo, Platonicus sermonis imitator, tales Iosephus, Græcus Lilius, in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, Essenos refert. Historia tripartita libro primo cap. undecimo ait, talem vitam conuersationem apud alios non inueniri, qualis est illa Ægyptiorum Monachorum, quam Philo describit. Et ipse Eusebius, quæ lib. 3. cap. 17. historia sua, de istis Monachis refert, eadem fere libro 8. cap. 4. de præparat. Euang. de Essenis narrat. Sozomenus libro primo cap. 12. Christianos fuisse ait, Iudaice viuentes. Verum Eusebius in hoc primum errasse, & ex eo reliquos errandi occasionem fuisse, verisimile est. Quia Philo diserte scribit, non de noua aliqua Christianorum, sed de antiqua Essenorum secta. Illi enim, cum viderent tempus, assiduis contentionibus ab alijs perturbari, quod modestiæ & pacis essent amantes, discesserunt à contentiosis illis, & ita ostenderunt, se bonis operibus velle seruire Deo; non vero rixis, diabolo. 3. Dionysius est supposititijs, vt constat. Deinde, vt demum non esse Iohann. 1. sed 2. Dionysium, Monachatum temporis neque cucullos, & reliquum habitum monasticum, neque ritus istos varios, & superstitiosos habuit. 4. 5. Idem est iudicium de his testimonijs Patrum: illos videlicet loqui de alius generis Monachis & Monialibus, quam hodie sunt. Confer paulo post. quinto numero sexto. 6. Dubitatur, an vita illa scripta sit ab Athanasio. Deinde Bellarminus citat pugnantia. Nam ex Hieronymo ait, Paulum authorem fuisse vitæ Eremiticæ, illustratorem vero Antonium: ex Athanasio autem probat, ante Antonium non fuisse Eremitas. Sed in genere de testimonijs Patrum notetur, 1. multos errore seculi locutos esse de Monachis. 2. veteres de origine Monachatus, incertæ & varia loqui. Aliquando ad Eliam & Elisæum referunt. Hieronymus epistola 13. ad Paulinum: Noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitant in agris & solitudinibus. Aliquando ad Iohannem Baptistam. Chrysostomus homil. 1. in Marcum: Monachorum princeps Iohannes Baptista. Aliquando ad Paulum Thebæum. Hieronymus in prologo ad Pauli Eremitæ vitam: Amathas & Macarius, discipuli Antonij, etiam nunc affirmant, Paulum quandam Thebæum, principem istius rei fuisse. Aliquando ad Apostolos. Cassianus collat. 18. cap. 5. Itaque cœnobicarum disciplina, à tempore prædicationis Apostolicæ exordium sumit. Sed hoc falsum esse Chrysostomus homil. 2. in Hebr. aperte ait, Pauli tempore ne Monachorum quidem vestigium fuisse. Et Hieronymus in vita Hilariionis ait, nullam Monachum in Syria ante S. Hilariionem fuisse & illum fundatorem huius conuersationis in ista prouincia fuisse. Nazianzenus in Monodia ait, Basilium primum cœnobia exogitasse, & caput esse Monachorum. Basilus epist. 63. dicit, Neocæsarienses sibi obiecit vitæ Monasticæ notitatem. Otto Eysing. libro quarto cap. quinto, ait: Fuerunt his diebus (nempe circa annum Christi 260. & 300.) clarissimi regni Christi principes, Paulus & Antonius, primi Eremitæ. Cæterum vera modernis Monachatus origo, non est admodum antiqua. Etsi enim iam olim circa secundum & tertium Christi seculum, sub crudelissimis illis Ethnicorum persecutionibus aduersus Christianos institutis, nonnulli viri boni, extrema necessitate coacti, passim in desertis latitare, aut alioqui sedibus incertis vagari, item res suas diuendere, aut donare, & vitam solitariam simul & cœlibem agere cœperunt: nondum tamen opinio illa de operibus supererogationis, neque doctrina de singulari votorum merito, hoc est, fundamenta ipsa hodierni Monachatus recepta erant. Verum hæc postea demum, circa sextum seculum, sub quo magna certe, in occidente simul & oriente, religionis mutatio facta est, à superstitiosis hominibus inuenta; & deinceps magis ac magis; per varias occasiones, aucta & confirmata fuerunt. Denique certum est, præcipuos quoque Monachorum ordines admodum esse recentes, hoc est, intra quincentos proxime elapsos annos in Ecclesiam demum inuictos esse. Quæ de re vide prolixius Centurias Magdeburgenses, inde à seculo tertio, & deinceps. Imo scriptores ipsi Pontificij, vt Platina in vitis Pontificum, Volaterranus in Anthropologia, Polydorus Virgilius de inuentoribus rerum, & alij non pauci, diserte hoc ipsum fateantur: dum origines singulorum ordinum curiose recensent; & quæ occasione, quibus authoribus ac promotoribus, quo deniq; loco & tempore, paulatim superstitiosæ illæ Monachorum Religionis increuerint, non obscure narrant.

V. Nostra argumenta contra hodiernum Monachatum hæc ferme sunt. 1. De vita Monastica recentiorum Monachorum nullum est præceptum aut exemplum in Vet. vel N. Test. At folius Dei est verbo suo omnes religiones instituere, Matth. 15. ver. 9. & alibi. 2. Paulus reprehendit religiones illas, varijs nominibus à varijs authoribus appellatas, 1. Corinth. 11. Ergo religiones istæ non sunt probandæ: neque tempore Apostolorum ista religionum perfectio, quam vocant, fuit in vsu. Huc pertinet illud Hieronymi in Dialogo Luciferi: Si laudas, Christianos non nominari de nomine Iesu Christi, sed ab homine cuiuscunque ordinis fuerit, ibi non est Ecclesia Christi, sed synagoga Antichristi. 3. Chrysostomus homil. 2. in epist. Hebr. ait: Neque vestigium Monachi tunc erat, sed oia ad seculares tunc loquebatur Paul. 4. Monachatus, qui iam in vsu est, a veteribus damnatur. Nam in Asceticis Basilij docetur, vitam solitariam legi dilectionis repugnare. August. de opere Monach. cap. 7. & pressim in illo libro otium Monachorum reprehendit. Chrysost. homil. 8. in Matt. 2. negat, solo Monachatu vitam honestam ornari. Vide s. seq. n. 7. 5. Hodiernis Monachis nihil est commune cum veteribus: sed ab illis toto genere differunt. Differunt enim ipso fundamento religionis. Vbi ad diuersitatem, imò ad contrarietatem, inter hos & illos ostendendam, hoc vnum sufficere potest, quod nemo illorum, vel vnum aliquod ex tribus essentialibus Monachorum votis, nedum omnia simul, aut nuncupasse, aut seruasse legitur. Sed hoc pluribus ostendendum est.

VI. Primo itaq; veteres Monachi, solitarij viuebant, ex necessitate, vt tunc tunc lateret in persecutione. Secundo, vt omnia darent pauperibus: nõ cogebantur:

Tertio, non erant adstricti certae regulae, nec vita Monastica voto solenni & perpetuo: sed mutare genus viuendi poterant, si commodum videretur. *Nicophorus lib. 9. c. 14.* In eo scripto (quod Pachomio caelitus datum ab angelo fuit) leges praescribentis more expositum erat, permitti debere vnicuique, vt quantum posset & vellet, ederet, biberet, operaretur: atque itidem vt pro arbitrio suo ieiunaret, aut non ieiunaret. Et validius cibum capientibus, duriores labores; ijs vero qui parcius alimentis vterentur, & ad pietatis exercitium incitatiores essent, leues atque faciles operae mandarentur. *Augustinus de moribus Ecclesiae cap. 33.* Atque inter haec, nemo vrgetur inter aspera, quae ferre non potest: nulli quod recusat imponitur. Nec ideo condemnatur a ceteris, quod in eis se imitandis fatetur inualidum. *Et mox:* Ita que non reiiciendis generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiae perdomandae, & dilectioni fratrum retinendae, inuigilat omnis industria. *Sozomenus lib. 3. c. 15.* Alij in turba ciuitatum vitam degentes, se opinione hominum abiectos, & nihil a vulgo differre ostenderunt. *Athanasius epist. ad Dracontium* ait, se nouisse & Monachos & Episcopos, coniuges, & liberorum patres. *Quarto,* Monachi primo fuerunt Laici. *Hieronymus ad Heliodor.* Monachos seuerioris vitae, laicos facit, quando illos Clericis opponit, his verbis: Alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. *Concilium Chalcedonense cap. 4.* fancit, ne Monachi se Ecclesiasticis negotijs immisceant. *Leo epist. 62.* vetat, Monachos & Laicos, et conscientiae nomine gloriantur, admitti ad officium docendi & concionandi. Vide etiam *Augustinum de moribus Ecclesiae cap. 31.* & *Gregorium lib. 3. epist. 11.* *Quinto,* meritum vitae monasticae non fuit nisi posterioribus seculis. *Sexto,* Monasteria veterum vt plurimum fuerunt Scholae publicae, id est, communitates docentium & discipulorum. *Chrysostomus libro tertio contra vituperatores vitae monasticae:* Ergone, inquit, intempestiue liberos nostros a deserti commoratione reuocemus? verum studij caelestis disciplinam in ijs solidam permittemus, atque radicibus arbusta firmari, & siue decem annos, siue viginti nutriendi illi sunt in Monasterio, non perturbemur. Vide quoque *Hieronymum epistola quarta ad Rusticum Gallum Monachum.* Similiter monasteria foeminarum & virginum erant dicata puellis erudiendis: vt patet ex epistola *Hieronymi ad Latam de institutione filiae.* Quamquam nulla fuerunt Moniales ante ann. Christi 200. sed virgines duntaxat solitarie viuentes, impietatem seculi contemnentis, sine voto solenni & perpetuo, velo notae quando egrediebantur, non e monasterio, sed e suis vel paternis aedibus. Eiusmodi virgines multae fuerunt vsque ad Hieronymi seculum quae extra monasterium, priuatim & libere vouebant continentiam. Immo tales aliquando fuerunt foeminae nobiles, quae domi suae viuebant, & multis ancillis comitatae procedebant, vt constat ex *Hieronymo ad Demetriad.* Circa annum quadringentesimum Marcella Romae inter primas fuit Moniales, teste *Hieronymo in Epitaphio Marcellae:* Nulla, inquit, eo tempore nobilium foeminarum nouerat Romae propositum Monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, & ignominiosum, vt tum putabatur, & vile in populis, nomen assumere. *Naucerus generat. 41.* ait: Quo fere tempore (id est, Helena & Constantini) sacrae virgines ab Helena Constantini matre lectae sunt, quae publico stipendio alerentur, Dei laudem vitae puritate & frequentibus precibus praedicaturae. *Septimo,* ascetis, ascetae, & ascetria veterum non eo sensu accipiuntur, vt putant hodierni ascetae & ascetria. Nam *ἀσκήσις* proprie est praeparare se ad certamen, & abstinentiam in eum finem exercere. Quo factum, vt Patres hoc verbum ad Christianos (illos enim Apostolus *1. Corinthiorum 9. vers. vigesimo quarto* comparat currentibus in stadio, & in agone certantibus) transfulerint, & ipsam religionem, *ἀσκήσις*, exercitium, seu exercitationem, dixerint, quasi regulam exercitium & continentium, in qua iugiter Christiani se exercere deberent: atque inde dicti sunt *ascetae* & *ascetria.* Ita *Clemens Alexandrinus 4. Strom.* ait: *ἡ ἀσκήσις ἀπὸ τῆς ἀσκήσεως τῆς ψυχῆς τῆς σαρκὸς ἐστὶν ἀσκήσις*, id est, Domnica exercitatio (religio, quam docuit Dominus) abducit animum a corpore, cum gratiarum actione. In *Canonibus Apostolicis 51. & 52.* abstinentia a carnibus & vino, certis diebus praefata Ecclesiae vsurpata, fieri dicitur *ἀσκήσις*, propter exercitacionem pietatis: quia eo modo affligitur caro, & serua meditationi mysteriorum salutis praeparatur. Quicumque igitur eo animo abstinent vino & esu carnium, ij & *ἀσκήσις* & *ἀσκήσις* *ἵνεκεν*, hoc est, exercere & exercitatores esse dicuntur. Et haec tenent quidem generaliter haec nomina tribuerunt omnibus, qui in studio pietatis praeceteris desudassent. Peculiariter deinceps vsurparunt de monachis & sanctimonialibus siue monialibus. Omnis igitur monachus est asceta, omnis sanctimonialis ascetria: at non omnis asceta est monachus, neque omnis ascetria est monialis. Porro *ἀσκήσις* sunt monasteria, & omnino secessus exercitacionis. At nostri monachi & moniales, neque ascetae sunt aut ascetriae, neque etiam vera habent ascetria. Nam neque exercitacionem pietatis a Christo praescriptis defunguntur, & ijs, quibus defunguntur, affingunt opinionem meriti, adeoque impietatis potius quam pietatis exercitia habent. Potest hic vsurpari illud *Chrysostomi homil. 8. in 2. Matth.* Quid tu ergo, inquit, nos facere iubet? abire in montes remotos, & monachos fieri? Et quid ego aliud ingemisco, quam quod illis vos solis, putatis honestam vitam ornatamque congruere? Item illud *Inonis Carnotensis epist. 258.* Vita solitaria communi est inferior, quia importunitis cogitationibus plena, quae tanquam muscae minutissimae de limo surgentes, volant in oculos cordis, & interrumpunt sabbatum mentis. Neque hoc ex coniecturis dicimus, sed ab his, qui vera esse experti sunt, didicimus. Haec scilicet est *ἀσκήσις* nostrorum monachorum. Sed videmus ipsorum ascetria. Illa debent esse scholae. Sed nihil minus sunt. In illis debebant se continere. Sed in vrbibus oberrant, & aulas frequentant, & politicis negotijs atque mundanis se miscent, & denique concionandi partes sibi vsurpant: quae omnia repugnant Canonibus & consuetudini veterum. Sic enim habet canon *causa 16. quaestiones capit.* Placuit omnibus, in *re canonico:* Placuit omnibus residentibus in sancta Nicena synodo, vt monachorum conuersatio & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Graece, Latine singularis dicitur. Vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet. *Hieron. ad Paulinum de institutione Monachi ep. 13.* Si cupis esse, quod diceris, id est, solus, quid facis in vrbibus, quae vti que non sunt solorum habitacula, sed multorum? *Alexander II. caus. 16. q. 1. capitulo 5.* Iuxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilij, monachis, quamuis religiosis, ad normam S. Benedicti, intra claustrum morari incipimus; viros, castella, ciuitates, peragrarare prohibemus; & a populorum

praedicatione omnino cessare censuimus. *Gregorius Iohanni Rauennati Episcopo lib. 4. epist. 1.* Nemo potest & Ecclesiasticis deseruire obsequijs, & in monachica regula ordinate persistere: vt ipse monasterij distinctionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. *Hieron. ad Riparium Presbyterum:* Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat.

VII. Habemus itaque originem religionum: ipsarum ratio, siue natura, quae ex ipsius religionis definitione dicitur. Est autem religio (vt hic ab Aduersarijs accipitur) status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiae, & obedientiae vota tendentium: vt *Bellarminus lib. 2. cap. 2.* definit. Vbi tria ista adnotat. 1. veram perfectionem in charitate consistere. 2. quatuor esse gradus charitatis, & proinde etiam perfectionis: videlicet diligere Deum, quantum est diligibilis, qui gradus est in solo Deo; diligere Deum, quantum potest creatura diligere, qui gradus est in beatis: diligere Deum, quantum potest creatura mortalis, qui gradus est in Episcopis, & Religiosis, ita nimirum, vt illi sint in statu perfectionis adepti, hi in statu perfectionis acquirenda; denique, diligere Deum ita, vt nihil aequae, aut magis, quam Deum diligit, qui gradus est omnibus praecipuus. 3. instrumenta aptissima, atque vtilissima, ad hanc perfectionem acquirendam, esse illas tres virtutes, paupertatem, continentiam, & obedientiam. Ita enim fit, vt nos totos tradamus Deo, videlicet res externas, per paupertatem; corpus, per continentiam; animum, per obedientiam: Haec ita summam differit *Bellarminus;* vbi plurima desideramus. Nam, 1. Vna duntaxat est vera religio, quam qui profitentur, Christiani sunt & appellantur. Neque est, quod dicat *Bellarminus* hoc nomen isto sensu, quo ipse vsurpat, non esse nouum, sed omnium antiquissimum; quod respondeat illi Graeco *θεοσεβείῃ*; apud Dionysium & Philonem. Nam *θεοσεβείῃ*; ibi significat eiusmodi medicum, qui animam suam curat a morbis vitiorum. At hoc decet quemlibet Christianum. 2. Etsi dantur gradus perfectionis inter Christianos: tamen perfectio Episcopalis & Monachalis est purum putum commentum; quia derogat perfectioni, quam habemus in Christo, quamque habituri sumus in altera vita. Neque enim fieri potest, vt aliquis in hac vita pertingat ad eum perfectionis gradum, vt faciat opera supererogationis. 3. Tria ista vota nullum in Scriptura fundamentum habent. 4. Omnes Christiani tenentur Deum diligere, tertio illo gradu, hoc est, quantum potest creatura mortalis. Nam Deus iubet omnes vt ipsum diligant ex toto corde, ex tota anima, & ex omni VALDE suo: vt verti potest Hebraica vocala *יְהוָה*. 5. Nos totos consecramus Deo, non per ista tria vota, sed per tres istas virtutes, fidem, spem, & charitatem.

VIII. Varietas religionum, siue ordinum Religiosorum, ab alijs aliter assignatur, vt est apud *Bellarminum cap. 3.* Nam veteres duo tantum agnoscunt genera religiosorum; vnum anachoretarum; alterum conobitarum: alia tria, alij quatuor constituunt genera. *Bellarminus* ex Thoma & Scholasticis tria religionum genera, siue formas, distinguit ex finibus, ad quos instituuntur. Cum enim omnis religio ad charitatis perfectionem referatur; & vero possimus Deum tribus modis diligere, eique seruire, videlicet contemplando; ita vt ipsum Deum in se diligamus, eique inhaereamus; agendo, vt Deo seruiamus in membris eius, alendo pauperes, suscipiendo peregrinos, &c. vel denique vtroque modo, id est, per contemplationem & actionem simul: iuxta hos tres fines tria sunt genera religionum. Vnum earum, quae profiteatur vitam contemplatiuam tantum, vt est regula Benedicti: alterum earum, quae profiteatur vitam actiuam, vt sunt equites Hierosolymitani, & illi, qui mortuos sepeliunt, agrotos curant in xenodochijs &c. tertium earum, quae profiteatur vitam mistam, vt est regula Dominici, Francisci &c. Hic duo notamus. 1. Regula Christi vnica & Catholicissima requirit, vt vitam contemplatiuam & actiuam coniungamus: diligendo videlicet Deum supra omnia, & proximum sicut nos ipsos. 2. Varietas religionum istarum ipsis Papatibus displicet. Sic enim *Petrus de Aliaco Cardinalis lib. de reformatione Ecclesiae, cap. de reformatione religionum* ait: Primo videtur, quod tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat: quae inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam obseruationum, & saepe ad singularitatem, & ad superbiam, & vanam extollentiam vnus status superalium. Et maxime videtur esse necessarium, quod diminuerentur religiones Ordinum mendicantium, quia tot sunt, & in numero conuentuum, & in numero supplicitorum, vt eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leproforijs & hospitalibus, ac alijs vere pauperibus ac miserabilibus indigentibus. (quibus conuenit ius & verus titulus mendicandi) ipsis quoque Curatis parochialibus: & si bene consideretur, etiam praedicialis omnibus ecclesiae statibus. *Cardinales delecti ad inuendam deliberationem reformationis Ecclesiae, ad Paulum III. sic scribunt.* Alius abusus in ordinibus religiosorum, quod adeo multi deformati sunt, vt magno sint scandalo secularibus, exemploque plurimum nocent. Conuenticales Ordines abolendos esse putamus. *Quo pertinet canon Concilij Lateranensis sub Innocentio III. recitatur in Decretalibus Gregorij IX. lib. 3. tit. 36. c. 9.* Ne nimia religionum diuersitas, grauem in ecclesiam Dei confusionem inducat, summe prohibemus, ne quis de cetero nouam religionem inueniat: sed quicumque ad religionem conuertitur voluerit, vnam de approbatis assumat.

IX. Eremita sequuntur, seu Anachoretae, quorum vitam sanctam, & perfectam, & Deo gratam esse, trib. modis probatur apud *Bellarminum lib. 2. c. 39.* Primo, testimonio Scripturae, quae vehementer laudat Eliam & Iohannem, qui Eremitarum Principes fuerunt, siue solitudinem, siue asperitatem vitam consideres, *1. Reg. 17. c. 18. & 19. 2. Reg. 1. c. 11. & 12. & 13.* Probatur secundo vita Eremitica institutum ex testimonijs sanctorum Patrum, qui vno consensu illud approbant: vt *Basilius, Nazianzenus, Epiphanius &c.* Tertio probatur rationibus: 1. quia videmus magnam partem veterum Eremitarum euasisse viros perfectissimos, & miraculis clarissimos. 2. quia vita Eremitica est culmen, & fastigium vitae religiosae. 3. austeritas & solitudo sunt optima media ad optimum finem. nam finis austeritatis & solitariae vitae est contemplatio Dei & rerum caelestium, ad quem finem duo ista, quae dixi, media optime conducunt.

X. His argumentis antequam satisfaciamus, verum controuersiae statum oportet constituere. Nos enim vitam Eremiticam, vt & solitariam habemus pro re indifferente, quae sit tum demum necessaria, si quis speciali Dei mandato

mandato huc vocetur. Itaque vitam istam per se, & simpliciter non damnamus: Sed illud est, de quo hic queritur, an illud Monachorum institutum, quod in primis sanctum, & coram Deo meritorium esse dicitur, sit probantia Dei vocatione, aut necessitate notoria, nemini licet cœtus hominum deferere, maxime sacros, siue Ecclesiasticos prout *Hebr. 10.* videre est: prœtendendum obstringamur, quamdiu quidem id vlla honesta ratione fieri possit. Vnde Christus ait, *Matth. 5.* Sic liceat lux vestra coram hominibus, ut vires, putandi sunt, qui nimia inedia, aut vigilia, aliisque stultis laboribus, suam loquijs, & solatijs ipsi priuant: quasi vel inhumani *μακροβραχαιοι*, vel porius *ἀπειροπρατοι*, quidam sint, vel saltem aliorum hominum infirmitates nunquam. Vide *Deut. 6.* & *Matth. 4.* Non tentabis Dominum Deum tuum. item *Hebr. 3.* Exhortemur alij alios. 3. Quia stultum est, omisissis utilioribus, & vere p̄ta & ridicula occupari. v.g. taciturnum, & quasi mutum obambulare, totos dies in columna stare, cilicium gestare, humi cubare, lapides huc aut illuc portare, & similia, quæ isti Eremitæ facere solent. Vbi merito illud *Esa. 1.* vsurpari potest: Quis requisit hęc de manibus vestris? Et illud *Esa. 29.* Frustra me colunt mandatis hominum. 4. Quia superstitiosum est, veræque pietati contrarium, imo ex parte idololatriæ, in eiusmodi exercitijs, quæ neque ecclesiæ, neque Reip. vtilia sunt neque Deo gloriosa, quæque temere sine diuino mandato, sponte nostra à nobis suscipiuntur, sanctum & meritorium Dei cultum constituere. Vide *Coloss. 2.* Habent ista speciem sapientia, sed nullius pretij sunt.

XI. Breuiter iam percurramus tres classes argumentorum Bellarmini. In prima classe sunt exempla ex Scripturis: quæ plane sunt dissimilia, hoc est, partim personalia tantum & extraordinaria; partim diuina vocatione, alijsque necessarijs causis suffulta; partim neque meriti opinione, neque voti monastici ratione constantia: quorum contraria in nostris Anachoretis, illorumque professione & operibus conspiciuntur. In secunda classe sunt testimonia Patrum: vbi duo ista notanda esse monemus. 1. Eremiticam vitam primo ortam esse ex necessitate, ad vitandam persecutionem. Ita enim *Sozomenus libro primo cap. decimo tertio.* Memorant alij persecutionum procellas, quibus religio Christiana varijs iactabatur temporibus, homines ad hoc vitam genus suscipiendum impulsit. *Orto Frisigenis lib. 4. cap. 3.* ait, Paulum Thebæum, persecuti onem Decij fugientem, ac in desertis latitare cupientem, necessitatem vertisse in voluntatem. Hac itaque ratione Basilus, & alij Patres, impulsu, adeo laudant vitam Eremiticam. 2. Multa à Patribus dici hyperbolice, ut fieri solet in encomijs. In tertia classe sunt rationes, vbi dico, ad 1. esse fallaciam accidentis, & petitionem principij: quia multa hic sunt fabulosa; & quæ vera sunt, non recte tribuuntur vitæ Eremiticæ Papistarum, aut vitæ Eremiticæ per se. ad 2. in quibusdam potest vita Eremiticæ esse culmen vitæ sanctæ, ut in Elia. Sed hoc est extraordinarium & singulare. ad tertium manis est contemplatio sine pia & salutari actione; & infructuosa est omnis pœnitentia, per quam neque Dei gloria, neque nostra aut etiam proximorum nostrorum salus promouetur: immo non est contemplatio & pœnitentia vera, & Deo grata, quæ opinionem meriti annexam habet, & quidem in meritis *ἐλεησεν ἡσθησεν ἡσθησεν* fundatam. In summa igitur: Qui sine speciali Dei iussu, aut necessitate euidenti, in locis desertis assidue oberat, seque ipsos immodicis inedijs, aut vigilijs, aut stultis exercitijs enecat, idque totum opinionem singularis cuiusdam meriti faciunt, eos tanquam veros *καὶ ἀπειροπρατοι*, & ineptos *καὶ μακροβραχαιοι*, veræ humanitatis, simul & Christianæ pietatis atque charitatis ignaros, merito reprehendendos esse iudicamus.

XII. De habitu & tonsura monachorum ita pronuntiamus. Tametsi habitus & modus tondendi sunt res per se adiphoræ, ideoque quales, parum curandæ: tamen in habitu & rasura monachali tria ista reprehendimus. 1. ipsam *καὶ ἀπειροπρατοι*, siue ineptam veterum prophetarum imitationem: cum specialis istorum ratio fuerit in multis, ob extraordinariam & temporalem ipsorum vocationem; neque ipsi per votum aliquod, ad certum vestimenti, aut tonsuræ genus, sese vnquam adstrinxerint; nec partem diuini cultus in his rebus externis constituerint; prout monachi nostri faciunt. 2. nouum Iudaismum; dum singuli Monachorum ordines, quorum certe plurimi sunt, singularem quandam habitum, tum colore, tum forma & dimensione, ab alijs diuersum; item peculiarem tondendi modum, & alia huiusmodi, quasi ex lege & necessitate superstitiose vsurpant; cum tamen Apostolus *1. Tim. 3.* Ecclesiasticis hoc vnum, in ista parte iniungat, ut sint *καὶ ἀπειροπρατοι*, h. e. externa honestatis, ac decori rationem habeant, videl. in vestitu, & similib. rebus externis: nec vllum præterea hic discrimen seruandum esse suadeat, nedum præcipiat. Confer. *Gal. 4. c. 5.* *Coloss. 2.* *Heb. 8.* & *10.* de Iudaismi abrogatione. 3. superstitiosam *καὶ ἀπειροπρατοι*, adeo idololatricam opinionem: quod nimirum hodierni Monachi in externis hisce nugis & quisiuilijs, quas ipsi de suo excogitarunt, magnam sanctitatem, & singularem cultum diuinum, non minima ex parte collocant: sicut vel inde apparet, quod non modo homines plebeij, sed nonnunquam etiam reges, principes, & alij magnates, in Monachorum cucullis extremum diem obire, vel in ijs saltem sepeliri voluerint: nempe, ut ista ratione, magnæ illius sanctitatis, & meritorum Monasticorum participes efficierentur. Sed in specie videamus de vtroque, habitu, inquam, & tonsura: in quibus Bellarm. c. 40. duo explicat; primo antiquitatem, secundo rationem istarum ceremoniarum.

XIII. Quantum igitur ad vestes, quod antiquissimū sit institutum, ut qui profitentur mundi contentum, & pœnitentiã, singulari & notabili habitu induantur, patet ex Dionysio c. 6. eccles. hierarchiæ, & alijs Patribus. Ratio a. istius habitus monastici in genere est; quod non solum ita significatur mutatio vitæ, & professio designatur propria: sed etiam vtilis est istiusmodi habitus tum ad agendam pœnitentiã, tum ad mundi contentum. Nā sacros, & asperas vestes, habitum esse pœnitentium, Scriptura testatur: idemque patet in Elia, 2. Reg. 1. Ioh. Bap. Mat. 3. & 11. alijsque sanctis, *Heb. 11.* Huc accipit, quod religiosi hac ratione saltem inuiti coguntur recte viuere. nam quia, habent peculiarem habitum, ab omnibus statim cognoscuntur, & obseruatur, & si quid agant contra suam professionem, ab omnibus notantur, & reprehenduntur. In specie autem cuculli Monachorum designant infantilem simplicitatem atque innocentiam, ad quam redire Monachi cupiunt. Ad has ratiunculas breuiter respondeo. 1. Patres non simpliciter istum habitum commendant, quasi per se sanctus sit: sed contra illum inutilem & nullius momenti esse scribunt, si quis tunicam mutet, sed non animum: ut patebit intuenti testimonia, quæ Bellarminus allegauit. 2. Professio monachatus hodierni est impia. Itaque signa ipsius: vti sunt inter alia vestes variæ. 3. Non vt in rep. ita in Ecclesia conuenit varietas vestium. 4. Habitus non efficit rectam vitam. 5. Quorum virgetur signum, vbi non est signatum? 6. Exempla Elia, & Iohannis sunt *καὶ ἀπειροπρατοι*, vt patet ex *12.* 7. Habitus pœnitentialis in V. T. fuit temporalis & extraordinarius, non vero perpetuus & ordinarius. 8. Habitus iste non est adeo antiquus: quia vt vestes sacerdotales, ita quoque monachales per incrementa, ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt apparatus. 9. Neque habitus Elia, & Iohannis, neque veterum monachorum, habuit annexam opinionem cultus religiosi & meriti.

XIV. Nunc quoque probemus, habitum istum reiiciendum esse. 1. Distinctio huiusmodi habitus non est iuris diuini. Ergo nec est optimus, nec antiquissimus, neque necessarius. 2. Habitus monachalis est histrionicus: vt experientia docet. 3. Est impius: quia institutus cum opinione cultus & meriti. 4. Vestitus, color, forma & c. sunt res mediæ, in quibus non est necessitas conscientijs imponenda. 5. Mystera significata per partes istius habitus, sunt signa humana, & futilia, & plerumque nulla. 6. Synodus Gangrensis canon. 6. superstitionem istam in habitu monachorum damnauit. 7. Eiusmodi distinctio habitus non fuit in primitiua ecclesia: immo in varijs orbis partibus incognita, teste Gregorio Turonensi lib. 9. *hist. c. 6.* vsque ad annum 572. Item libertas in forma & colore durauit ad Concilium Vienneense sub Clemente V. an. 1315.

XV. Sed forte *tonsura monachalis* melioribus subnixæ est rationibus. Antiquitatem ipsius Bellarminus probat ex Dionysio, Aniceto, Athanasio & c. Rationes ipsius adfert numero sex. 1. est signum pœnitentiæ: quia pœnitentes iudebantur tondere caput in signum doloris, vt patet ex Concilio Agathensi & Toletano. 2. ita exprimitur imago spinæ coronæ Christi. 3. tondentur capilli, qui sunt superflua quædam partes corporis, ad significandum, debere Clericos & Monachos amputare omnia superflua, id est, vitiosas cupiditates, vt sic maneat vertex, id est, animus liber, & apertus diuinis contemplationibus & illustrationibus. 4. tondentur capilli, vt relinquatur circulus capillorum, ad significandam regiam coronam; quandoquidem Deo seruire, est regnare. 5. ista nudatione capitis significatur vita monachi pura & aperta. 6. ablatio comæ significat, ablatum esse velamen Moysi, postquam Christus apparuit. Ad has ratiunculas ita respondemus. 1. Clerici, adeoque & Monachi (nam tonsura ipsorum olim vtraque fuit, contra quam sentit Baronius) apud veteres, tam in occidente, quam in oriente vtiebantur tonsura, non rasura in morem Papisticum: imo hic radendi modus improbat fuit à veteribus. *Clemens Alexandrinus Pedag. libro tertio cap. undecimo.* Pili capitis tondendi sunt, non nouacula, sed tonsorum forcibus. *Optatus lib. 2. contra Parm.* Docete (inquit ad Donatistas) vbi vobis mandatum est, fieri non debere. *Hier. in Ezech. cap. 44.* Discimus hic, nec caluitium nouacula esse faciendum; nec ita adpressum tondendum caput, vt rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos dimittendos, vt operta sit cutis. Cæterum rasura hodierna non fuit in vsu in ecclesia, per multa à Christo secula. Nam tonsura inferioris cum rasura circulari in vertice, primi fere mentionem faciunt *Germanus Constantinopolitanus in Theoria*, Hugo de S. Victore lib. 2. *de sacram. p. 3. c. 1.* *Lombardus lib. 4. dist. 24.* *Thomas item & Bonauentura ibidem.* Nam eadem fuit cum tonsura Laicorum pœnitentium, vt constat ex Concilio Agathensi c. 2. & Toletano III. c. 12. Denique, rasura Clericalis, quæ nunc etiam in vsu est, damnatur in Concilio Toletano IV. c. 40. his verbis: Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solum circuli coronam relinquunt. Non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis (vt Laici) comis, in solo capitis apice, modicum circulum tondent. Ritus enim iste hucusque in Hispanijs hæreticorum fuit. 2. Ortus tonsuræ clericalis ita se habuit. Primo multitudo populi delectabatur coma prolixa. Itaque Clerici capillum tondent ex modestia, & sobrietate. Inde ex tonsura orta est ceremonia significatiua. Tandem ex ceremonia nata est superstitio. 3. Si libeat comminisci significationes, neque numerus, neque modus futurus est ceremoniarum. 4. Corona apud veteres significat, vel Episcoporum gloriam, dignitatem, & reuerentiam; vel canitiem capitis, quæ in senibus est instar coronæ; vel tonsuram cum temporis vsitatum: non vero rotundum illud capillitium circa tempora, cuius medium est vertex rasus.

XVI. Nos igitur contra istam tonsuram breuiter ita disputamus. 1. Rotunda illa tonsura expræsse damnatur lege, & sacerdotibus vetatur rasura; *Leuit. 19. 27.* & *21. 5.* *Ezech. 44. ver. 30.* & *d. ler. 9. 25.* 2. Sacerdotes idololatriæ rasis capitis, & barbibus relectis introducuntur, *Baruth. 6. 30.* quos certe veteri Christiani hac in parte imitari non debent. 3. Ceremonia religiosa cum multiplici significatione spiritali, sine verbo Dei, est superstitio. & *1. Cor. 13. 2.* damnata, *Coloss. 2. 3. 4.* Ipse Bellarminus fateretur, olim non tam rasuram, quam tonsuram fuisse in vsu; & ceremoniam esse variabilem pro temporum & locorum varietate.

XVII. Restat postremo disputatio de ratione vitendi, siue de opere corporali Monachorum: vbi Bellarminus quinque ista probat: licere monachis laborare manibus, c. 41. non teneri monachos ad laborem manuum, c. 42. licitum esse Monachis viuere ex bonis patrimonialibus in communi, c. 43. licitum esse Monachis viuere ex rebus sponte oblati, & donati, c. 44. denique licere Monachis ex mendicatione viuere, *cap. 45.* & ultimo. Inter nos & Papistas controuertuntur secundum & quintum commata. Quod itaque attinet ad secundum membrum, nostra sententia est, omnes illos, qui nec verbis ministerium exercent, nec alio simili munere in Ecclesia, Schola, vel Rep. defunguntur, ad laborem manuum omnino obligari: præsertim, si sani & validi sint, neque ex proprio patrimonio honeste viuere possint, neque aliunde redditus ordinarios habeant. Nam Deus laborem manuum omnibus hominibus iniungit: nisi forte exceptio modo dicta locum habeat. Vide *Gen. 3.* In sudore vultus tui & c. *Eph. 4.* Vnusquisque operetur manibus suis. 1. *Thess. 4. c. 2.* *Thess. 3.* Qui non laborat, non manducabit. Si ergo omnes homines tenentur ad laborem manuum, nisi exceptio illa in ipsis locum habeat, etiam Monachi

Neque enim illi sunt ministri verbi in ecclesia; non sunt doctores in scholis &c. Deinde Basilus, Hieronymus, Augustinus, & alij veteres testantur, quod veteres Monachi ex quotidiano manuum labore vixerint; quodque illo tempore Monachus otiosus & mendiciorum, pro monstro fuerit habitus. Sic enim de quotidianis operibus Monachorum scribit Hieronymus epist. 4. ad Rusticum Monachum: Nunquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber: dicatur Psalterium ad verbum: oratio sine intermissione. Vigilsensus sit, nec vagis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua varijs perturbationibus: quæ, si pestori infederint, dominabuntur tui, & te deducunt ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut semper te Diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & alij tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in vsus tuos cessura non præpares? Vel fiscellam rexe iunco: vel canistrum lentis pleste viminibus: sarruriatur humus: areolæ æquo limite diuidantur; in quibus cum oleorum iacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem posita, aquæ ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum versuum spectator assistas:

*Ecce supercilio eliuosi tramitis undam
Elicis illa cadens: raucum per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arua.*

Inferantur infructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, ut paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Aluearia apum fabricare &c. texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri, &c. *Socrates in hist. tripartita lib. 8. c. 1. refert Monachi cuiusdam dictum: Monachus nisi operatus fuerit, furi iudicatur æqualis.*

XVIII. Sed Bellarminus excipit. i. Apostolum in locis citatis non scribere Monachis (illi enim tum non fuerunt iuxta opinionem aduersariorum) sed secularibus: & cum non præcipere operari absolute, sed ad euitandum furtum, vel scandalum, vel ortium. 2. Monachos illos veteres fuisse obligatos operari manibus ex proprijs regulis suis. Cur autem constituerint eiusmodi regulam, causa est duplex. Vna, quia non poterant aliter sustentari: nam nec habebant prædia, nec audebant eleemosynas petere, cum populo non seruirent. Altera, quia Monachi illi erant Laici omnes, excepto Abbate.

Resp. ad 1. Apostolus scribit omnib. Christianis. Ergo & Monachis. Deinde Monachi tenentur laborare ad euitandum scandalum, & ortium. Sunt enim ignaui ventres. *ad 2.* Quod Monachi iam habent prædia, id acceptum ferendum est modis acquirendi illegitimis, quos ipsi adhibuerunt. Deinde Monachi nostrates æque non seruiunt populo, atque illi Laici. Porro Bellarminus probat, Monachos non teneri ad laborem manuum: quia laborare manibus, aut est præceptum, aut consilium. Si primum, omnes obligat: quia præceptum datur omnib. At non omnes obligat; quia alij sunt Dd. alij opifices &c. Si secundum, ergo nemo tenetur laborare, nisi qui sponte ad huius consilij obseruationem se obligauerit. Deinde Monachi non tenentur laborare manibus ex præcepto naturali, aut positiuo. Non ex positiuo; quia nullum tale extat. Non ex naturali; quia præceptum de laborando, ut est naturale, dupliciter obligat: vno modo absolute, alio modo in certo casu. Primo modo non obligat singulos, sed Reipublicam: debent enim in ea alij esse opifices, alij medici, alij iudices &c. Et ex hac parte Religiosis non conuenit laborare manibus: illi enim officium habent in Rep. orandi, psallendi &c. Secundo modo tenentur quidem singuli hoc præcepto, sed non minus seculares, quam religiosi. e.g. si quis nihil habeat, vnde viuatur, & non possit licite habere, nisi operando: si quis non possit otium fugere, nisi operando corporaliter &c. *Respondeo.* Totus hic discursus nititur falsa hypothese, quod Monachi habeant officium nobile in Rep. Id vero nos inficiamur. Nam illi non habent legitimam vocationem. Etenim aut sunt vocati ut Clerici, aut ut laici. Non illud; quia non sunt ministri ecclesiae. Non hoc; quia sunt Religiosi, hoc est, commentum sunt statum mixtum, cuius nullum est fundamentum in Scripturis, immo qui Scripturis è diametro repugnat.

XIX. Vna difficultas, ut quidem Bellarminus vocat, adhuc superest: An liceat Monachis ex mendicatione viuere? Ille affirmat, exemplo Christi, & Apostolorum; qui cum nihil proprium possiderent, aut omnia sua relinquerent, ex eleemosynis vixerunt, seu ex liberalitate aliorum. De Christo vide *Luc. 8. & 9. Psal. 40. & 2. Cor. 8. De Apostolis, Matt. 19. & 1. Cor. 9.* Hinc efficitur, vitam religiosorum mendicantium esse approbatam. Sed tenendum est, inter Christum eiusque Apostolos, & nostri temporis Monachos, non modo diuersitatem, sed & contrarietatem longe maximam esse: siue diuersissimam vtrorumque vocationem, & quotidianam viuendi rationem, siue alias id genus circumstantias spectemus. Vbi & illud obseruandum est, neque Christum, neque Apostolos reuera vnquam mendicasse; tamen ex oblatiis honorarijs, seu spontaneis aliorum oblationibus, interdum vixerunt: sed quæ tamen ex iustitiæ tenore ipsis debebantur; siue functionem ordinariam publice docendi, quam ipsi obibant; siue extraordinaria ipsorum beneficia in ægros, aut dæmoniacos collata, respiciamus. Itaque nos thesin illam negamus, his rationibus. 1. Scriptura mendicantem inter res malas, & omnino fugiendas recenset; & speciatim mendicationem validorum hominum diserte prohibet. *Deut. 15. Prouerb. 30. Psal. 37. & 109.* Quibus locis mendicitas à iustis aliena esse dicitur, & tanquam impiorum pœna describitur. 2. Ratio recta iniquum esse docet, ut validi mendicantes, quales nostri Monachi sunt, gratuitas eleemosynas veris pauperibus debitas, intercipient, atque ita proximos suos defraudent. 3. Mendicitas illa Monachorum nullo vel argumento, vel exemplo legitimo defendi potest: præsertim cum ipsi reuera, sub prætextu religionis, otium & segnitiam caprent; & in isto otio sanguinem & sudorem aliorum, sub specie eleemosynæ, secure & plerumque luxuriose, consumant. Id quod à veris Christianis omnino alienum esse debet.

☞ (?) ☞

CAP. XIII.

Primatus regius, quem magistratus Christianus habet in Ecclesia, asseritur.

I. Diferuimus de membris ecclesiae ministrantibus: superest, ut dicamus de illis, quibus ministratur, ut in primis est magistratus. Quæ disputatio sex questionibus continetur. Primum enim de magistratus eminentia est dicendum, idque tum in causa religionis, tum in rebus politicis: deinde ipsius subiectio, nominatim, quæ à Papistis asseritur, videnda est. Rursus in causa religionis tria veniunt in questionem: de primatu videlicet regio in Ecclesia, de cura religionis, & de pœna hæreticis irroganda, an & quatenus hæc tria ad magistratum Christianum pertineant.

II. *Primatus regius* est, quo princeps præest Ecclesiae tanquam caput externæ politiae: seu, ut ex coniugatis definiam, quo princeps est primas Ecclesiae, quantum ad externam Ecclesiae politiam. De hoc primatu imprimis scripserunt, *Serenissimus Angliæ Rex Iacobus, in Apologia pro iuramento fidelitatis, nominatim in monitoria præfatione istius libri; & Martinus Becanus in Manuali lib. 5. cap. 19.* Quia vero hæc disputatio magni est momenti, accurate status controuersiae prius explicandus est. Ac primo hæc vtrinque certa sunt. 1. Regem, in suo quemque regno, habere primatum in temporalibus. 2. Potestatem Ecclesiasticam siue spiritualem, & politicam siue temporalem in Rep. Christiana ex natura rei inter se distinctas esse: & proinde non nisi iure diuino coniungi posse. Sic Patriarchæ erant sacerdotes & reges: Moses erat dux populi Dei, & ad tempus sacerdos Dei extraordinarius, quando scilicet Aharonem Pontificem inaugurauit. Ita Eli erat Pontifex & Iudex populi. 3. Potestatem Ecclesiasticam esse triplicem. Vna est ordinis, & consistit in prædicatione verbi & administratione sacramentorum: altera est iurisdictionis interioris, & refertur ad regendum populum Christianum in foro conscientiae, ut est absolutio & ligatio: tertia est iurisdictionis exterioris, & refertur ad eundem populum Christianum regendum in foro exteriori; ad quam spectat, synodum conuocare, & in ea præsidere, constitutiones Ecclesiasticas condere, causas audire & cognoscere, controuersias dirimere, beneficia conferre, ministros ecclesiae constituere, delinquentes excommunicare. 4. Regem non habere potestatem ordinis, & iurisdictionis interioris. Hæc, inquam, certa sunt vtrinque. Tota ergo controuersia versatur circa potestatem iurisdictionis seu gubernationis exterioris; an eam rex habeat in suo regno; & quidem ita, ut Imperator sit supra Pontificem, & quilibet rex aut Princeps supra suos Episcopos, hac quidem in re?

III. Hic itaque est status controuersiae: vbi iterum subdividenda est iurisdictionis seu gubernationis exterioris in Ecclesia. Nam quidam actus sunt indifferentes, quidam proprii. Indifferentes sunt, synodum conuocare, & in ea præsidere, ministros Ecclesiae constituere, beneficia Ecclesiastica conferre, seu stipendia honesta ministris verbi constituere, controuersias Ecclesiasticas dirimere, constitutiones condere. Hæc, inquam, actiones indifferentes pertinent ad Ecclesiam & magistratum Christianum. Nam ecclesia conuocat synodum, & in ea constituit præsidem, & stipendia confert &c. si non sit magistratus Christianus. Si vero ille sit in Ecclesia, merito ipsi hæc prærogatiua conceditur. Actiones propriæ sunt, vel magistratuum Ecclesiae, ut excommunicare, præsidere synodo quantum ad directionem Ecclesiasticam &c. vel magistratus Christiani, ut conuocare synodum principali auctoritate, in illa agere præsidem quantum ad directionem politicam, &c. His ita constitutis, affirmamus primatum regium in ecclesia esse legitimum, ita quidem, ut nitatur iure diuino V. & N. T. est. exemplis V. & N. T. est. naturali æquitate & honestate publica, iure ciuili & canonico, & denique consensu doctorum hominum. Quinque itaque erunt classes Argumentorum pro nostra sententia: videlicet ius diuinum, exempla, æquitas, ius ciuile & Canonicum, denique testimonia Imp. Papatuum theologorum & Ictorum.

IV. *Ius diuinum Vet. Testam.* tribus modis allegari potest pro hoc primatu. 1. Rex iubetur *Deut. 7.* describere legem, ut eam sibi proponat normam vniuersæ suæ administrationis. Hoc mandatum duo includit. Vnum rex habet commune cum omnibus filijs Dei: ut videlicet legem Dei mediteretur noctes atque dies, *Psal. 1.* Alterum est ipsi proprium, ut legem illam defendat principali auctoritate, diuinitus sibi concessa. Iubetur enim rex legem illam describere, accipere exemplar à Sacerdotibus, illud habere secum, & denique illud legere omnibus diebus vitæ suæ; itaque iubetur simul illam legem defendere, ut maneat facta testis. Quæ sane defensio, ut pote architectonica, primatum arguit. 2. In quarto Decalogi præcepto nobis inungitur sanctificatio sabbati, eaque communis & propria. Communis in eo vertitur, ut cœtas factos religiose frequentemus, ibique verbum Dei audiamus, sacramenta vsurpemus, precibus publicis vacemus, & similia peragamus, publice & priuatim, quæ ad huius diei sanctificationem pertinent. Propria est pastorum, parentum, præceptorum, magistratus; & huius quidem officium est, subditos compellere ad sanctificationem huius diei, ecclesiarum iura constituere, *in rebus ecclesiae procurare & conseruare per ministros, & omnino illa agere, quæ auctoritatem magistratus & brachium seculare requirunt in cultu diuini procuracione & conseruacione.* 3. Tituli honorificentissimi, qui regibus in V. T. tribuuntur, confirmant istum primatum. Nam quia appellantur *dij. Psal. 81. 6. pastores, Esa. 44. 28.* nutritij Ecclesiae, *Esa. 49. 23.* & c. ipsorum officium est non solum in politia, sed etiam in Ecclesia illa munia obire, quæ requirunt principalem auctoritatem: vsi sunt v. g. synodum conuocare auctoritate publica, constituere salaria ministris Ecclesiae, & similia. Huc pertinet arbor illa Nebucadnezaris *Dan. 4.* sub cuius vmbra suauiter quiescunt omnia reipublicæ. & Ecclesiae membra.

V. *Ius diuinum N. T.* duobus in locis non obscure stabilit hunc primatum. Nam *Rom. 13.* omnis anima iubetur subesse magistratui, tãquam ad ministro Dei ad vlciscendos facinorosos. Vbi duo docentur. 1. magistratui omnes, qua seculares, qua Ecclesiasticos subiectos esse, si nempe aliquid

mandet

mandet cum lege naturæ & diuina consentiens. Atqui si iubeat ministros verbi conuenire, & de rebus Ecclesiæ consultare, hoc sane consentaneum est legi naturæ & Dei. Itaque in hoc casu ministri Ecclesiæ sunt inferiores magistratu. 2. magistratum habere ius gladii in pœnis irrogandis, si aliquis sit facinorosus, in quocunque etiam statu ille fuerit. Nam lex diuina hic non excipit aliquem, siue sit laicus, siue clericus. Alter locus est 1. Tim. 2. vbi iu- cum clerici sub magistratu degant vitam piam & pacatam. Itaque obediunt in iis, quæ iniungit ad vitam piam & pacatam conseruandam. e. g. si conuocet synodum.

V I. *Exempla regum V. T. confirmant hunc primatum.* Nam Iosaphat constituit Leuitas & Sacerdotes, 2. Paral. 19. 8. Salomon deposuit summum Sacerdotem, & alium illi subrogauit, 3. Reg. 2. 27. Iosias reformauit religionem, 4. Reg. 22. & 23. Ezechias confregit serpentem æneum, 4. Reg. 18. 4. & c. Quæ omnia procul dubio primatum aliquem arguunt. In N. T. habemus exempla Constantini M. vtriusque Theodosii, Valentiniani, & aliorum Imp. qui synodos conuocarunt, in que illis præfuderunt, vt libro præced. c. 2. & 7. pluribus ostensum est. Vide etiam cap. proxime seq. item cap. præced. 10. §. 5.

V II. Tertium nostrum argumentum nititur ipsa naturali aequitate, & publica honestate. Nam ratio dicitur, æquum & honestum esse, vt pius magistratus, qui nihil facit reliqui ad summam diligentiam in dotanda, conseruanda, & ornanda Ecclesia, honore suo non defraudetur, qui in eo etiam versatur, vt Ecclesiastici concedant ipsi locum suum in moderatione illarum rerum, quæ in Ecclesia non possunt recte constitui sine brachio seculari: vt sunt ea, quæ toties iam diximus, conuocatio synodi, præfidentia politica in synodo, constitutio salariorum ecclesiasticorum, & similia. Sane gentilium sacerdotes hac in re suos principes non spoliarunt auctoritate ipsi debita.

V III. *Ius ciuile fauet nostræ sententiæ.* Nam Iustinianus promulgauit Nouellas Constitutiones quam plurimas, in quibus pro suo iure de rebus ad Ecclesiæ & religionem pertinentibus decreuit. v. g. Nouella III. cap. 1. decreuit, vt determinatus sit numerus Clericorum maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & cæterarum Ecclesiarum Constantinopolitanarum. Et cap. 2. Ne liceat Clericis de minore Ecclesia in maiorem per patrocinium transire. Et c. 3. de reliquis Ecclesiarum redditibus in pios actus & personas vere egenes per Patriarchas & Oeconomos erogandis. Nouella 6. decreuit multa, quomodo oporteat Episcopos & reliquos Clericos ad ordinationem adduci, & de expensis Ecclesiarum. Et, vt alias Nouellas omittam, in 137. quæ est de ordinatione Episcoporum & Clericorum, cap. 6. iussit omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto, sed eum ea voce, quæ a fidelissimo populo exaudiatur, diuinam oblationem, & precationem quæ fit in sancto baptismo, facere, vt inde audientium animi in maiorem deuotionem, & Deilaudationem, & benedictionem efferantur. Hinc procul dubio factum est, vt Imperator in synodo diceretur, & patricius aliquis locum eius tenens, ὑπὸ καλῶσι, vnde & Episcopis præponebatur in Ecclesia.

IX. *Ius canonicum confirmat nostrum primatum regium.* Nam distinct. 63. rubrica capituli 22. sic habet: Imperator ius habet eligendi Pontificem. Et hoc pluribus in ipso capitulo sic declaratur: Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad res Ecclesiæ defendendas postulat. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit; ibique relicto exercitu in sancta resurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorifice susceptus est. Post sanctam vero resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium regem: deinde Romam reuersus, constituit ibi synodum cum Hadriano Papa in patriarcho Lateranensi, in Ecclesia sancti Saluatoris: quæ synodus celebrata est a C. L. I. I. Episcopis religiosi & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum vniuersa synodo tradiderunt Carolo & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi sedem Apostolicam. Dignitatem quoque patriciatu ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo inuestituram accipere diffiniuit: & vt nisi a Rege lauderetur & inuestituram, Episcopus a nemine consecraretur: & quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit. Et capitulo seq. itidem docetur, quod electio Pontificis Romani pertinet ad ius Imperatoris: In synodo congregata Romæ in Ecclesia sancti Saluatoris, ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ sedis Antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum, Patriatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ sedis, & inuestituram Episcoporum concessit: ego quoque Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, cum toto Clero & populo Romano constitimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur Domino Othoni primo Regi Teutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italix in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos & Episcopos, vt ab ipso inuestituram accipiant, & consecrationem vnde debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiscopis concessit: & vt nemo deinceps cuiusque dignitatis vel religiositatis eligendi vel patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu Imperatoris (quod tamen fiat absque omni pecunia) & vt ipse sit patricius & rex. Quod si a clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi a supra dicto Rege lauderetur & inuestituram non consecratur. Si quis contra hanc regulam & Apostolicam auctoritatem aliquid molitur, hunc extra communicationem subiacere decernimus: & nisi resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis affici. In eadem distinctione, capitulo Quod igitur, quod est ordine nonum, statuitur, voluntatem Principis in ordinatione Pontificis desiderari. Et rubrica capituli 5. sic habet: Ex sacra Principis quis ordinatur. Capitulo Reatina rogat Leo Papa IV. Augustus Lotharium & Ludouicum, vt Reatinam Ecclesiam cuidam electo dignentur concedere. Plura in hanc sententiam vide paulo supra c. 4. §. 9.

X. *Testimonia theologorum, Imperatorum, Paparum, Historicorum & ICtorum classicorum, vt vocant, hoc idem confirmant.* Iustinus Martyr apologia 2. sollicitè petit ab Imperatore Antonino Pio & Lucio Cæsare, & Senatu Romano, vt suscipiant cognitionem causæ Christianorum, tum quoad vitam, tum quoad doctrinam. Athenagoras in apologia seu legatione sua pro Christianis idè petit ab Imp. M. Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Commodio. Tertullianus cap. 2. in apologia aduersus Gentes iustitiam censet, vt Romani Imperij

antistites palam difficiant, & coram examinent, quid sit liquido in causa Christianorum. Iam ergo si veteres Christiani cognitionem in causa Christianorum Principibus Gentilibus detulerunt, multo magis fidelibus illa competet: Constantinus M. apud Eusebium lib. 3. de vita eius, in epistola scripta Ecclesiæ ait: Putavi mihi ante omnia id enitendum esse, vt in Ecclesia fides vna felicissimi populi, sincera charitas, & religio aduersus auctorem omnium nūquam discrepans obseruetur. Augustinus epist. 162. ait, Cæcilianum coram Imperatore Constantino a Donatistis accusatum, innocentem fuisse iudicatum: Et mox ait: ad eiusdem Principis iussionem, Felicem Autumnitanum pro contularibus gestis fuisse purgatum. In eadem epistola respondet Augustinus ad exceptionem cuiusdam de Felice Autumnitano Episcopo: Ait enim quidam, Non debuit Episcopus pro consulari iudicio purgari. Quasi vero ipse sibi hoc comparauerit, ac non Imperator ita quæri iusserit, ad cuius curam, de qua rationem Deo redditurus esset, res illa maxime pertinebat. Et paulo post: Si criminis non est prouocare ad Imperatorem, non est criminis audiri ab Imperatore: ergo nec ab illo cui causam delegauerit Imperator. Idem lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. An forte de religione fas non est vt dicat Imperator, vel quos miserit Imperator? cur ergo ad Imperatorem vestri venire legatitæ eum fecerunt causæ suæ iudicem, nō securi quod ille iudicaret? sed quorsum illa dicuntur? Numquid etiam si obtrineant non pertinere ad Imperatorem aduersus eos aliquid statuere, qui praua in religione sectantur, & propterea si interfecerit eos, quos punierit, martyres erunt? Hoc enim modo ista hæreticis omnibus vox patebit, in quos ex occulto imperio Dei, per manifestum hominum Imperium, multa quibus coercentur; seuerissime constituta sunt: nec saltem hæreticis quoquo modo saltem Christiano nomine dealbatis, sed etiam ipsis paganis. Leo Magnus tomo 1. Conciliorum epist. 9. ad Theodosium Augustum: Pro integritate fidei Catholice Christianissimum principem conuenit esse sollicitum. Et epist. 12. Quantum rebus humanis consulere prouidentia diuina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in Ecclesia Catholica nihil impacatum, nihil vult esse diuersum, quoniam fides, quæ non nisi vna est, in nullo potest esse sui dissimilis. Et epist. 4. ad Martinianum Imp. Sanctum Clementiæ vestræ studium, quod ad reparationem pacis Ecclesiasticæ synodum habere voluistis, adeo libenter accepi, vt quamuis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quo scilicet plurimi possent Episcopi, etiam de longinquis prouinciis euocari: mox tamen vt mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab vrbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasium de Sicilia fecerim nauigare, qui vicem meam sufficienter impleant. Platina de vita Iohannis XIII. Ordo Concilium indixit, & conuocatis Italiae Episcopis, quorum iudicio vita sceleratissimi hominis diiudicaretur, suadente Clero, Leonem Pontificem creat. Francisc. de Victor. Relect. 4. c. vlt. propos. 23. Hac de causa legitur congregatum Concilium Episcoporum Italiae Romæ, per Imperatorem contra Iohannem Papam XII. qui venator lubricus & incorrigibilis erat: hoc factum laudat & approbat Turrecremata; & hoc est valde vtile. Sabellius Enneadis 9. lib. 20. Henricus II. in Italiam cum magno exercitu veniens habitam synodum Benedictum IX. Syluerium III. Gregorium VI. tanquam tria terribia monstra abdicare se magistratu cogeat. Ex his itaque patet Episcopatum negotiorum, & aliarum quarundam Ecclesiasticarum causarum cognitionem, duo modo, ad Regem pertinere. Vnde absque negotio primatus regium concluditur.

XI. Audiamus nunc Becanum, qui hunc primatum primo impugnat, deinde argumenta nostra soluit, & postremo quodnam sit officium Regis circa Ecclesiam docet. Argumenta ipsius hæc sunt. I. Rex non habet primatum Ecclesiæ iure diuino V. T. quia illud ius continetur in lege morali, vel ceremoniali, vel iudiciali. Certum est non contineri in morali. Nam lex moralis generatim comprehendit decem præceptis decalogi. At in toto decalogo nulla sit mentio primatus regis in Ecclesia. Ergo ius diuinum de primatu illo non potest fundari in lege morali. Sed neque in ceremoniali, vel iudiciali fundari potest, duplici de causa. Primo, quia vtraque lex per Christum abrogata est: ergo tamen reges in V. T. iure diuino habuissent primatum Ecclesiæ; non tamen sequeretur, reges in N. T. gaudere eodem iure, cum iam penitus abrogatum sit. Deinde nunquam in V. T. diuino iure concessus fuit iste primatus Ecclesiæ, seu regalis hierarchia. Itaque non est fundarus in lege iudiciali. Antecedens probatur trifariam. Primo, totum ius regis (verum nempe: quia de iure usurpato non est hic quæstio) describitur Deut. 17. versic. 14. & seqq. vbi continetur quidquid de regia electione, officio, & potestate statutum est à Deo. Atqui in illis verbis nihil habetur de primatu Regis in rebus ecclesiasticis. Ergo ille non est constitutus iure diuino V. T. Deinde, ipsi met reges V. T. ingenuè falsi sunt, se non habere primatum Ecclesiæ, sed sacerdotes: vt patet 2. Paral. 19. 11. vbi opponuntur hæc duo: præsidere in his, quæ ad Deum pertinent; & præsidere in his, quæ ad officium regis pertinent. Postremo, ille censetur habere primatum Ecclesiæ à Deo, qui in rebus ad Deum pertinentibus, constitutus est supremus iudex, cui oporteat obedire. Atqui non rex, sed sacerdos est constitutus à Deo talis iudex, Deut. 17. 8. & seqq. Confer Hagg. 2. 12. Malach. 2. 7. Num 27. 21. Leuit. 10. 8. Itaque primatus ille regium non est de iure diuino V. T. II. Rex non habet primatum ex iure diuino N. T. Nam ius diuinum à Christo conditum sic habet Iohan. 21. 22. Pasce oues meas. Matth. 16. 18. Tu es Petrus & c. Similiter Luc. 22. 32. Hæc verba dicta sunt Petro: non Tiberio, Herodi, vel Pilato. Petrus itaque est constitutus pastor Ecclesiæ, & quidem vniuersalis. Cum enim Christus Petro dicit, Pasce; perinde est, ac si dixisset, Vicarius meus esto in pastoralis officio. Porro Christus Matth. 16. Petro dedit claves, symbolum imperii & iurisdictionis: vt constat ex Esa. 22. & Apoc. 3. 7. Hoc ipsum quoque confirmant Apostoli. Nam Act. 20. 28. Episcopi dicuntur constituti præfides & rectores Ecclesiæ, & quidem à Spiritu sancto. Eph. 2. 20. Christus, propheta, & Apostoli dicuntur fundamentum Ecclesiæ. Eph. 4. 11. Christus constituit Apostolos, prophetas & c. qui regant Ecclesiam. Itaque in Ecclesia est legitimus ordo, siue hierarchia, in qua alii sunt prælati & pastores, alii subditi & oues. Iam vero Principes non sunt prælati & pastores. E. sunt subditi & oues. Idem patet ex praxi Ecclesiæ, quæ seruata est tempore Apostolorum. Tunc enim Ecclesiam gubernauerunt Apostoli, Act. 20. 28. Idem primam synodum Hierosolymis indixerunt, eique præfiderunt, & in illa sententiam dixerunt, Act. 15. Petrus Ananiam & Saphiram in causa Ecclesiastica puniuit, Act. 5. Timotheus accusationem

aduersus Presbyteros, tanquam legitimus iudex, admittit, 1. *Tim.* 5. Sane si Christus voluisset reges esse primates in Ecclesia, & iurisdictionem super Apostolos & Episcopos exercere, statim ab initio, sicut certos Apostolos elegit, sic etiam certos Reges designasset, qui Ecclesiae praesiderent. At hoc non fecit. Ex his itaque efficitur, Reges ex institutione Christi non habere primatum in Ecclesia; quia nec verba Christi, nec testimonia Apostolorum, nec praxis primitiua Ecclesiae, nec circumstantiae rerum, vlla ratione id significant. Omnia Apostolis, & eorum successoribus patrocinantur. Confer *Actor.* 20. 28. 1. *Cor.* 4. 1. 2. *Cor.* 5. 20. *Luc.* 10. 16. & alibi passim. III. Rex non habet primatum in Ecclesia iure ciuili, vel Canonico. Non iure ciuili; quia *Authentica Constitutio* 123. *Iustiniani Imp. sic habet*: Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habentio ciuiles magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros canones finem imponunt. Non iure Canonico; quia multi extant Canones in contrarium. Primus est Nazianzenus ad *Imp.* Constantinopolitanos *distinct.* 10. *can.* 7. Libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatum perfectiorem principibus vestris. Secundus est *Adriani Papae distinct.* 63. *cap.* 1. Nullus laicorum principum inferat se electioni aut promotioni Patriarchae, Metropolitanae, aut cuiuslibet Episcopi. Tertius est ex *6. synodo act.* 2. *distinct.* 36. *can.* 7. Omnis electio Episcopi a principibus facta, irrita maneat &c. IV. Rex consensu doctorum hominum non habet primatum Ecclesiae. Sic enim *Ignatius in epist. ad Philadelph.* Principes subditi estote Caesari; milites Principibus. Diaconi Presbyteris; Presbyteri vero, & Diaconi, atque omnis clerus, simul cum omni populo, & militibus atque principibus, sed & Caesare, obediant Episcopo: Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus: & ita vnitas per omnia seruetur. *Hofius, qui interfuit Concilio Niceno primo, Constantium Imp. sic affertus est*: Desine quaelo Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipere, sed potius ea a nobis discere. Tibi Deus imperium commisit; nobis quae sunt Ecclesiae credidit. *Ambrosius epist.* 33. ad *Marcellinam sororem suam, scribit, se Valentiniano Imp. dixisse*. Nolite grauare Imperator, vt putes te in ea, quae diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Esto Deo subditus. Ad Imperatorem palatia pertinent, non Ecclesiae. Publicorum tibi munus ius commissum est, non sacrorum. Nec alia fuit Regum & Imperatorum sententia. Submiserunt se Episcopis & Pontifici; neque causas Ecclesiasticas ad se pertinere arbitrantur. De Constantino M. scribit *Augustinus epist.* 165. Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare. Valentinianus, cum importune rogaretur, vt permitteret haberi Concilium, in quo de quibusdam rebus fidei decerneretur, respondit: Mihi, qui vnus e numero laicorum sum, non licet eiusmodi negotiis me interponere. Sacerdotes & Episcopi, quibus haec cura sunt, vbi-
cunq; ipsi liberum fuerit, conueniant: vt est apud *Sozomenum lib.* 6. *hist. cap.* 7. Eodem sensu & affectu Theodosius iunior in epistola ad Synodum Ephesinam scribit, se Candidianum Comitem ad Patres istius Synodi misisse, sed ea lege, ne quidquam cum quaestionibus fidei commune habeat: Nefas enim esse, vt qui sanctissimorum Episcoporum catalogo non est adscriptus, eum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere. V. Ex principiis aduersariae sententiae concludi potest, Regem non habere primatum Ecclesiae. Duo enim sunt illorum principia. Vnum est, quod qui habet primatum Ecclesiae, possit creare & deponere Episcopos; dare illis iurisdictionem & auferre. Alterum, quod Episcopi omnem suam iurisdictionem immediate a Deo accipiant. Hinc talem conficio syllogismum. Qui habet primatum Ecclesiae, potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem, iuxta primum principium. At nullus Rex potest dare & auferre iurisdictionem Episcopalem. E. nullus Rex habet primatum Ecclesiae. Minorem probo ex secundo principio: quia Episcopi omnem suam iurisdictionem accipiunt a Deo immediate: ergo non accipiunt illam immediate a Rege: ergo Rex non potest illam immediate dare: ergo nec auferre. Ex omnibus, quae haecenus disputata sunt, ita concludo: Rex nec iure naturali (id enim concessum est vtrique) nec iure diuino V. T. nec iure diuino N. T. nec iure ciuili aut canonico, nec consensu doctorum hominum, nec ex principiis Aduersariorum habet primatum Ecclesiae in suo regno. E. nullo modo potest eam habere. Atque haec sunt quinque classes argumentorum Becani; quas ordine percurram, & singulis sua antidota opponam.

XII. *Antidotum prima classis.* 1. In Decalogo continetur aliquid explicite, id est, totidem verbis; vel implicite, id est, per bonam consequentiam inde potest deduci. Sunt enim praecipua Decalogi synecdochice concepta, ideoque per opus est vt obseruetur ista distinctio. Dico itaque, primatum Regis, aut Imperatoris, aut Principis, in Ecclesia, contineri quarto praecipio Decalogi, quatenus illud est norma officii omnium in statu eminentiae versantium, & nominatim pii magistratus. Nisi enim ille auctoritate sua principali constituat ministerium Ecclesiae, illudque defendat, sanctificatio Sabbati non potest obtineri. Atqui constitutio & defensio ista est pars magna huius primatus. 2. Falsum est, vtramque legem, ceremonialem & iudicialem a Christo esse antiquatam. Nam lex iudicialis, siue forensis, apud Mosen aut est iuris communis, aut iuris particularis siue propria in ista politica. Leges iudiciales prioris generis sunt perpetuae & immutabiles: quia ratio ipsarum est perpetua. Secus est de legibus forensibus posterioris modi. 3. Ius regium *Deut.* 17. primatum istum includit: quia proprium regis officium est, vt sit *μὲν φύλαξ*, qui legem custodiat & defendat: id quod primatum aliquem sonat. Defensio autem ista est duplex: vt nempe princeps sartam tectam conseruet Scripturam, & sit custos vtriusque tabulae legis. Quae omnia in textu isto continentur, scilicet implicite seu virtualiter. 4. Praesidentia in rep. est vnus duntaxat modi, videlicet politica tantum. Itaque ibi vna est praesidentia, siue vnus primatus. At in Ecclesia est praesidentia duplex: politica, & Ecclesiastica, ita nempe vt vna alteri sit subordinata reciproce. Nam princeps Christianus praesidet Ecclesiae, quantum ad politiam externam, & defensionem: Episcopus, siue pastor, quantum ad munia Ecclesiastica, & si Ecclesia non habeat principem Christianum, etiam quantum ad politiam externam. 5. Nullus in Ecclesia est supremus iudex, praeter Deum in Scripturis loquentem. Quod autem Deus remittit populum suum ad summum Sacerdotem, id non facit simpliciter, sed quatenus ille vel os Dei confulebat, vel ex lege Dei sententiam ferebat. In his enim duobus consistebat officium summi sacerdotis. Quoties itaque ille hic defuit suo muneri, non fuit amplius audiendus.

XIII. *Antidotum secunda classis.* 1. Christus Petro dicit *Pasce*. At hoc non idem est quod dominare, vel Rex esto, vel Caput esto Ecclesiae Catholicae &c. vt Baronius, Bellarminus, & Becanus interpretantur: sed idem, quod, cibum praebere ouibus meis, eas ama, eas rege: ita vt recte Nonnus reddiderit hunc locum,

Ἄγρας ἰμῶς ποιμαίνε σκόρονος ἀνθ' ἑβλῶν.
Pasce Petre meos Scripturae floribus agnos.

Et, vt *Leo Magnus serm.* 3. de *Petro & Paulo* loquitur; cum dixit Christus Petro, *Pasce oues meas*, nihil aliud quaesitum est ab ipso, quam vt pascondis eis, quem diligeret, ouibus, cibum, quo ipse erat opimatus, impenderet. Atque hanc interpretationem confirmat vox *ποιμαίνε*, & subiecta materia. *ποιμαίνω* siquidem, quoribus de opilionibus dicitur, notat lenem curam, & fidelem, quae ouib. prospicit de rebus necessariis. vnde *Nazianzenus orat.* 1. eleganter ait, *ὁ ποιμαίνων ὀλιγα μὲν βαλὴν εἶμα, πλείονα δὲ τῆς σὺν ἡμῖν. pastor non multum baculo, fistula vero plurimum utitur.* Hinc, quoties idem vocabulum de regibus dicitur, scopus metaphorae illius est, officium regis denotare, vt diligenter & leniter curet populum, sicut pastores solent circa oues esse & feduli, & mites. Quanto magis igitur hoc locum habet in officio ministrorum verbi? Illo- rum enim est ouibus suis praebere pabulum verbi Dei, & illas completi affectu tenerimo atque sollicitissimo. Deinde non solum Petro dictum est *Pasce*: sed omnibus Apostolis, & ipsorum successoribus in persona Petri. Omnes enim constituti sunt pastores. Itaque omnibus cura pastoralis est demandata. 2. Clauis tradere clauis, accipere clauis; haec, inquam, metaphorae, semper ad potestatem aliquam valent: at non semper eiusdem generis, neque parem. Nam clauis traduntur, modo vt hoc symbolo declararetur & dominatio illius qui clauis accipit, & subiectio illius, qui clauis tradit; vt cum vrbs regi, vel victori ingredienti tradit clauis: modo acquisitio dominij, non autem dominatio intelligitur; vt cum emtori domus venditor clauem tradit: modo munus alicuius aut ministerium in rep. significatur; vt cum quaestori traditur clauis aratri, vel promo condo clauis celle penuariarum. Itaque symbolo clauium diuersa potestas designatur, pro loco, & personis, & rebus, de quibus agitur. Ita Petri clauis nihil aliud sunt, nisi potestas ligandi & soluendi vincula peccatorum, in nomine Christi: neque ea Petro propria, sed omnium Apostolorum communis; imo communis omnium Episcoporum. Hinc Theophylactus recte ait super verba ista *Matth.* 16. Habent potestatem remittendi & ligandi; eadem, qua Petrus gratia digni. Neque vero locus, *Esai.* 22. *versic.* 22. & *Apo.* 3. 7. iuuat Becanum. Nam in priori denotatur praefectura aulica, quam Sobna administravit: in posteriori supremum dominium & absolutissima Christi potestas significatur, quae toto genere est diuersa a potestate Apostolorum. Itaque clauis domus David apud Esaiam notat dignitatem politicam in domo Davidis, id est, in eius aula, tralati- tiam: apud Iohannem, est symbolum absolutissimae potestatis in domo Davidis, id est, in Ecclesia Catholica. 3. Metaphora ligandi & soluendi eodem spectat cum metaphora clauium. Nam alia est potestas ligandi & soluendi, quae regi aut supremo magistratui competit; alia, quae magistratui inferiori, cui iurdictio fuerit demandata; alia item quae licitori, qui minister est magistratus. Cum itaque haec metaphorae, atque vt illa clauium, modo maiorem, modo minorem potestatem denotent: quis non videt, summam in Christo residere, tanquam propriam & ἀνεκχώρητον; subdelegatam & ministerialem in Petro, & omnibus Dei ministris in domo ipsius. 4. Haec munia, quae haecenus exposui, sunt propria pastorum Ecclesiae: & ideo Petrus, non vero Pilatus, debuit audire illud Christi, *Pasce*. Ideo Episcopi dicuntur rectores Ecclesiarum; & non principes. Ideo Christus Ecclesiae suae dedit Apostolos, prophetas &c. non vero reges & principes. 5. In primitiua Ecclesia conuocatio synodi, & praesidentia in ea, a solis Apostolis est profecta & praestita; quia deficiente magistratu haec cura in solidum incumbit antistitibus Ecclesiarum. Alia vero est ratio, vbi sunt principes Christiani. Nam ibi & facilius, & tutius, & melius opera coniunguntur, & nihilominus tamen distinguuntur. Coniunctionem volumus, confusionem nolumus. 6. Petrus puniuit Ananiam & Saphiram modo miraculoso & extraordinario. Hoc itaque nihil ad rem. 7. Ordo legitimus in Ecclesia hoc omnino requirit, vt Episcopus primo deferatur ad Presbyterum (nisi sit causa criminalis) & si res poscat, dehinc ad Principem. Itaque Timotheus recte tum fuit requisitus iudex: praesertim quia magistratus Christianus tum non erat, imo nec opus erat in isto casu. 8. Christus non instituit certos reges, qui essent primates in Ecclesia; quia primatus iste non est essentialis Ecclesiae, sed tantum honorarius & vtilis. Neque etiam reges & principes necessarii sunt in Ecclesia, sed tantum vtilis. At pastores sunt necessarii; proinde a Christo instituti. 9. Primatus, quem habent pastores in Ecclesia, est particularis tantum, respectu huius vel illius Ecclesiae; non vniuersalis, respectu Catholicae Ecclesiae. Rursus est primatus ordinis, non iurisdictionis. 10. Principes Christiani & primates sunt in Ecclesia, & subditi. Primates ratione cuiusdam iurisdictionis exterioris: subditi ratione totius iurisdictionis interioris. Dico, ratione cuiusdam iurisdictionis exterioris, quia alia est politica, alia Ecclesiastica. v. g. in synodo, vbi est praesides politicus, & Ecclesiasticus.

XIV. *Antidotum tertia classis.* 1. Iustinianus loquitur de causa mere Ecclesiastica, hoc est, de iurisdictione interiori: itemque de causa Ecclesiastica, quae pertinet quidem ad iurisdictionem exteriori, sed ita vt sit tamen propria ministrorum verbi. Supra enim diximus, iurisdictionem exteriori constare actionibus communibus siue promiscuis, & propriis. Quae distinctio etiam valet in explicatione multorum canonum, qui hic citantur. Vbi semper est cauenda *μὴ βασιλεὺς εἰς ἄλλο γένηται*. 2. Nazianzenus loquitur hyperbolice de principatu Ecclesiastico: & intelligit subordinationem mutuam, quae omnino est necessaria, vt exemplum Mosis & Aharonis ostendit. 3. *Adrianus* loquitur de ordinatione Episcoporum, quae non est pars primatus regij. 4. Sequentes canones contradicunt aliis, quos supra commemorauimus. Itaque ex illis sunt corrigendi. Ratio est; quia illi canones sunt retinendi, qui vero sunt consentanei, non autem isti, qui tyrannidem Pontificiam stabiliunt, aut alia quaedam absurda inuehant in Ecclesiam Christi. Si tamen conciliari possint canones, id facile patimur.

XV. *Antidotum quarta classis.* 1. Hic fere eadem est solutio, quae in praeced. antidoto. 2. *Ignatius* loquitur de subiectione, quam Princeps, vt ouis, debet

debet E
non tan
quod p
Hofius
primat
ait, Imp
Deinde
ad Imp
torem
iuridic
& inri
7. Imp
est
cellid
riuu
maru
gener
vide.
X
habe
Eccle
Etior
perfe
pos
cipe
rldi
Deu
fit v
gra
man
X
non
ciu
cer
Vb
net
cer
sed
Co
fu
fic
sta
ex
no
co
ta
p
p
b
d
r
f
t

debet Episcopo, vt pastori: cum qua optime consistit superioritas Principis, non tantum in politicis, sed etiam in quibusdam Ecclesiasticis negotiis e.g. quod princeps in synodo praesidet, quod salaria pastoribus assignat &c. 3. Hofius carpit *πλοπρημωσιων* Constantii: quae non protinus sequitur ex primatu regio, si nempe ille intra suos consistat limites. 4. Ambrosius recte ait, Imperatorem non habere ius imperiale in diuina. Id enim est solius Dei. Deinde non simpliciter, sed secundum quid est intelligendum, quod dicit, ad Imperatorem pertinere palatia, ad Episcopum Ecclesiam. Nam ad Imperatorem pertinent palatia, & simul etiam Ecclesiae, quantum ad aliquas partes iurisdictionis exterioris: ad Episcopum pertinent Ecclesiae, ratione ordinis & iurisdictionis interioris, & etiam exterioris quantum ad partes quasdam. 5. Imperatores & reges pij se submiserunt Episcopis, quemadmodum par est, vt auditores se submittant suis doctoribus. Quidam etiam hic excellerunt, & adhuc excedunt modum in sua subiectione. 6. Constantinus M. ita se submitit Episcopis, vt interim non oblitus sit sui primatus quando Synodum conuocauit, eamque gubernauit, & alia huius generis fecit. 7. De Valentiniani & Theodori dictis lib. 3. cap. 2. & 3. vide.

XVI. *Antidotum quinta classis.* 1. Omnes pastores iurisdictionem suam habent a Christo, *Matth. 16. & 28.* Vnde *Dionysius* eleganter ait in *hierarchia Ecclesiastica*, Iesum esse omnium hierarchiae, tum sanctitatis, tum diuinae actionis principium. *Et rursum*: Iesus hierarchiarum omnium author atque perfectio est. Sic & *Cyprianus episcopus* 65. ad *Rogatianum Episcopum*: Episcopos & praepositos Dominus elegit. *Et ibid.* Deus Episcopos facit. 2. Principes non dant iurisdictionem Episcopalem, sed vocant Episcopos, vt iurisdictionem accipiant a Christo. Itaque sunt instrumenta, quibus Deus vtitur. 3. Si per iurisdictionem intelligatur eminentia illa, qua fit vt Episcopi praecipiant aliis pastoribus, illam conferit Princeps: quia gradus illi, vt supra diximus *capite 1.* nituntur instituto & iure humano.

XVII. *Becanus quaedam argumenta nostra* hoc modo soluit. 1. Iosaphat non constituit, id est, creatur & consecratur sacerdos, quia hoc ad officium eius non pertinebat; sed ex iis, qui iam antea creati & consecrati erant, certos elegit, qui iudicium Domini exercerent in Ierusalem, 2. *Paral. 17. 7.* Vbi notandum est, tria spectari posse in ministris Ecclesiae V. T. i. electionem seu designationem personae. 2. consecrationem. 3. applicationem ad certum vsum seu exercitium. Electio seu designatio non fiebat a rege, sed a Deo, qui solam tribum Levi ad ministerium sacrum deputauerat. Consecratio vero commissa erat Aharoni, tanquam summo sacerdoti, & successoribus eius. Applicatio vero ad certum officium poterat fieri a rege, sicut etiam nunc fieri potest. 2. Salomon non regia, sed prophetica potestate vsum est, quando deposuit Abiatharum. Itaque non ordinaria via, sed ex peculiari Dei instinctu hoc fecit, 3. *Reg. 2. 27.* Deinde, si demus Salomonem in submouendo sacerdote vsum esse potestate regia, nihil hinc potest concludi. Etsi enim hoc ipsius factum in Scripturis commemoratur, non tamen commendatur. Itaque non potest probari, ipsum legitime vsum esse potestate regia, in hoc suo facto. Denique hoc argumentum sic retorqueri potest. Qui deponit regem ab officio, & alium illi subrogat, necessario habet iurisdictionem supra regem. Atqui Ioiada summus Sacerdos, non solum deposuit, sed etiam occidit Ahaliam reginam, & Ioas in eius locum subrogauit, 4. *Reg. 11.* Ergo Ioiada summus sacerdos habuit iurisdictionem supra regem. 3. Aliud est iudicare seu decernere, quae nam sint corruptelae & abusus in religione: aliud vero, corruptelae & abusus, quando certo constat tales esse, tollere & exterminare. Prius pertinet ad officium summi Sacerdotis: posterius non modo regi, sed etiam cuilibet Christiano concessum est. Itaque non iudicium de reformatione, sed executio ad regem pertinebat; iudicio reseruato sacerdotibus. 4. Ezechias confregit aeneum serpentem, non autoritate regia, sed diuina. Deus enim non solum regi, sed cuilibet a populo mandauerat, vt auferrent omnem cultum idololatriae, *Deut. 7. 5.* Itaque Ezechias confregit aeneum serpentem, quod quilibet alius facere poruisset. 5. Non solum reges, sed etiam prophetae appellantur dij. Nam illud, *Ego dixi, dii estis*; Christus ita explicat *Iohan. 10. 34.* vt de prophetis quoque intelligendum sit. 6. Reges appellantur nutritij Ecclesiae, quatenus illam tanquam sponsam Christi venerantur, non aliaratione. Nam soli Apostoli & ipsorum successores nutriuerunt Ecclesiam, praedicando Christum regibus & gentibus, adeoque illos Ecclesiae Christi aggregando. 7. Dicta, quae adferuntur ex N. T. partim ad quaestionem, de qua agitur, non pertinent: partim, quatenus a Christo & Apostolis prolata sunt, pertinent ad reges & Imp. ethnicos, cuiusmodi erant Tiberius, Caius, Claudius, Nero, & similes. Certum autem est, Christum & Apostolos non voluisse suis testimoniis significare, reges & Imp. ethnicos habere primatum in Ecclesia. Qui enim sunt extra Ecclesiam, quomodo primates sunt in Ecclesia? 8. Omnis homo, qui sub potestate est, debet obedire suo superiori, in rebus, quibus superior est. Nego autem, reges esse superiores in rebus Ecclesiasticis ac spiritualibus. Hoc probandum erat. Non potest autem ex *Rom. 13.* probari. Fatemur, Reges portare gladium, & habere potestatem puniendi peccata subditorum: & in eare iustitiae diuinae ministros esse. At negamus, hanc potestatem extendi ad causas & tribunal Ecclesiasticum. 9. Apostolus 1. *Tim. 2.* non praefert reges aliis hominibus, sed aequaliter de omnibus loquitur, vt patet ex contextu. Docet enim pro omnibus esse orandum; quia Deus aequo vult omnes saluos fieri; & Christus aequo pro omnibus mortuus est. Deinde, Paulus ibi loquitur de regibus gentilibus, & iubet pro illis orare, vt ad fidem Christi conuertantur. Hinc itaq; videre est, argumenta ista potius contra primatum regum facere, quam pro ipso.

XVIII. *Itane Becane?* Argumenta nostra faciunt contra nos? Falleris, & quidem vehementer, vt iam patebit. 1. Iosaphat constituit politicam reip. & Ecclesiam, vt perspicuum est ex contextu: nominatim ex *vers. 11.* vbi dicitur, ipsum constituisse praesidem Ecclesiasticum, & simul politicum. Itaque hoc omne fecit autoritate regia. 2. Salomon impleuit prophetiam, non vt propheta, sed vt rex. Deinde legitime vsum est potestate sua regia; quia omnis rex pius & in Ecclesia constituitur, debet pastores incorrigibiles demerere publica autoritate. Hoc enim ius habet a Deo in omnes suos subditos, qualescunque etiam fuerint. Denique Ioiada interfecit Ahaliam, & constituit regem Ioas, diuino mandato, vel saltem instinctu. Itaque hoc est

extraordinarium. Deinde, non solus id fecit sed ex consensu optimatum, & populi totius. 3. Etiam magistratus debet iudicare de religione, eiusque veritate, integritate, & corruptelis. Hec enim incumbit omnibus Christianis: seruato tamen ordine, & discrimine donorum. Deinde reformatio religionis instituta est a Iosia; autoritate publica, & proinde regia. 4. Idem est iudicium de facto Ezechiae, quando confregit serpentem aeneum. Etsi enim omnes pij tenentur tollere instrumenta idololatriae: tamen ordo est seruandus, vt instrumenta publica tollantur autoritate magistratus; priuata, priuatum. 5. Magistratus dicuntur dij, quia sunt Dei vicarij in hoc mundo, dum regunt temp. & in Ecclesia obeunt ista munia, quae sine principali & regia potestate obiri non possunt, vel certe non ita commode possunt. Deinde prophetae alia ratione appellantur dij; quia videlicet sunt eximij ministri Dei, conspicui eximij & diuinis donis. 6. Nimis ieiuna est explicatio ista, reges dici nutritios, quia sponsam Christi venerantur. Genuina explicatio haec est: quod instat matrum lactent Ecclesiam; praebendo ipsi halcyonia, eamque variis beneficiis ornando. 7. Dicta ex N. T. allata pertinent ad omnes reges, siue sint extra Ecclesiam, siue in Ecclesia; & ad hos quidem non solum generali siue communi ratione, sed etiam speciali. Communiter omnes reges debent esse custodes vtriusque tabulae decalogi: singulariter reges Christiani debent esse defensores fidei. Deus ita praefecit magistratum omnibus, vt nullam fecerit exceptionem. Itaque clericos & laicos haec subiectio aequaliter concernit. Deinde, Deus magistratum armavit gladio, vt eum stringat in omnes, qui merentur, siue sint laici, siue clerici. Par enim, hac quidem in re, vtrorumque est ratio. 9. Apostolus aliquid singulare enuntiat de regibus: nempe, vt pacatam & piam vitam sub iis degamus. Deinde non loquitur tantum de regibus gentilibus, sed de omnibus in vniuersum.

XIX. Conclaudit *Becanus* disputationem hanc sequentibus fere verbis. Quid ergo facient Reges circa Ecclesiam & religionem? dicam verbo. Debent illam tueri & defendere, non vt domini, sed vt ministri, neque vt iudices, sed vt executores. Hoc olim fecerunt Christiani Principes: hoc verbo testati sunt Carolus Magnus, vt alios omittam, apud *Sigonium* lib. 4. de regno Italiae, sic ait: *Si Ecclesiarum Dei seruis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellentia culmen proficere credimus.* Si, inquit, obsequimur Ecclesiarum Dei seruis. Obsequium offert; non arrogat sibi primatum. Vult esse minister in defensione Ecclesiae, non dominus. Idem Carolus, cum a Leone Papa coronam imperij accepit, hac formula iuraturandi vsum est: *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. Imperator, coram Deo & B. Apostolo Petro, me protectorem ac defensorem fore huius sanctae Romanae Ecclesiae in omnibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio: prout sciero, poteroque.* Refert *Sigonius* loco citato. Etiam pridem vsum receptum in Francia, Hispania, Anglia, Polonia, Hungaria, vt simili iuramento obstringant se reges, & nominatim promittant, defensores se Ecclesiam & religionem, eiusque praelatis debitam reuerentiam & subiectionem praestituros. Neque hoc quidquam derogat ipsorum maiestati: imo perhonorificum est. Recte *Ambrosius* episcopus 32. ad *Valentinianum* iuniorum: *Quid est, inquit, honorificentius, quam vt Imperator dicatur filius Ecclesiae? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Et *Theodoricus* Italiae rex ad *Iohannem Pontificem*: *Sum quidem iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus, si a vestra regulis minime discedamus.*

XX. In his verbis, paucis quidem illis, sed valde plausibilibus, ista notamus. 1. Princeps est defensor fidei & Ecclesiae, non vt dominus eius (is enim est solus Christus) sed vt minister Christi, non vero Papae. 2. Defensio ista religionis & Ecclesiae non potest fieri absque aliquo primatu in Ecclesia: quia includit ea, quae fieri non possunt, aut certe non aequo commode possunt, absque autoritate regia; cuiusmodi sunt constituere salaria, conuocare synodum &c. 3. Pij principes & verbis & factis testati sunt vtrumque, se nempe esse inferiores pastoribus & illis subditos, quantum ad curam animarum: & simul ius superiores & praefectos, non solum in vita ciuili, sed etiam in quibusdam actionibus Ecclesiasticis. Nam *Constantinus M.* conuocauit synodum *Nicaenam*, & scripsit ad Episcopos, sui officij esse ante omnia id efficere, vt in Ecclesia sit vna fides, vt est apud *Eusebium* lib. 3. de vita eius. Idem constituit reditus Ecclesiae. Similiter *Carolus M.* conuocauit synodos, & instituit decimas. 4. Pij principes obsequium praestiterunt Episcopis in iis, quae ad Episcopale munus duntaxat pertinent. 5. Principes seducti vel territati Pontifice Romano primatum suum ipsi concesserunt. 6. Imperator non est supra Ecclesiam, quantum ad regimen mere Ecclesiasticum (id enim a Christo solo pendet) sed quantum ad politiam in quibusdam actionibus, quae indifferenter ab Ecclesiasticis & politicis possunt praestari.

CAP. XIV.

Vtrum cura religionis ad magistratum politicum pertineat?

I. Officium magistratus circa religionem versatur in cognitione, & defensione religionis. Vbi sub defensione speciatim ista duo solent considerari: An magistratus bona conscientia possit permittere libertatem fidei ac religionis, & An omnes libros haereticorum abolere debeat. Itaque quatuor futurae sunt partes huius disputationis: puta, quodnam sit officium magistratus primo in cognoscenda religione, deinde in illa defendenda; tum, quodnam sit eius officium circa pacem religionis, & libros haereticorum.

II. *Cognitionem religionis* quod attinet, diserte fatemur, tamen si pastoribus, non autem politicis magistratibus, publicum docendi munus ordinarie commissum est: non tamen illis magis, quam istis, absolutum de religione iudicium competere (id enim est solius Dei in Scriptura loquentis) nec minus istis, quam illis, legitimam & piam quandam religionis cognitionem, ex verbo Dei petitam, esse necessariam, adeoque iudicium de religione necessario faciendum esse. Magistratus autem ista religionis cognitio, & istud de religione iudicium est necessarium duplici nomine: vno, quia Christianis omnibus huiusmodi cognitio & iudicium competet. altero, quia defensio religionis

religionis absque illius notitia & iudicio non potest legitime institui. Hinc pii reges & principes in V. & N. T. hoc vtrumque, cognitionem dico religionis, & iudicium de religione, pie ac sedulo coniunxerunt; nominatim Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Constantinus M. Theodosius, & alii multi, vt videre est ex historia V. T. & ex historia Ecclesiastica, itemque ex vitis piorum regum & principum, prout illæ à probatis historicis descriptæ extant.

III. Tribus argumentis hanc nostram sententiam confirmamus. Primum nititur expressis Dei mandatis, quibus ipsi pii reges, ac principes, tanquam nutritores Ecclesiæ, & ministri Dei, in veram religionem inquirere, siue eam ex S. literis cognoscere; atque ita probe cognita, legitime demum tueri, ac defendere iubentur. *Deut. 17. & 20. Ios. 1. Psal. 2. & 24. Esai. 49. & 60.* Ergo hæc cognitio eis non est deneganda: quin ipsi potius ad eam instigandi sunt. Secundum sumitur ab exemplis sanctorum regum, ac magistratum; qui in V. & N. T. accuratam cognitionem orthodoxæ fidei, cum legitima eius defensione semper coniunxerunt; quique eo nomine à Spiritu S. & viris Ecclesiasticis subinde laudantur: quales fuerunt Moses, Iosua, Samuel, Dauid, aliique pii iudices ac reges in V. T. & in nouo Constantinus M. vterque Theodosius, Valentinianus, Honorius, Arcadius, alii. Ergo & nunc idē facere possunt, imo debent. Tertium nititur ipsa naturali æquitate, & publica honestate; cum per se iustum, & rationale sit, id demum pro virili tueri, quod verum & sanctum esse deprehenderit: contraque nihil iniquius, aut turpius esse possit, quam religionem aliquam summa vi tueri, de cuius veritate ipse nondum persuasus sis. Et certe si Papistica praxis admittatur, multa sequentur absurda: quia hæc ratione politici magistratus non modo cœcum iudicium ad totam religionis causam semper adferent; verum etiam serui tandem & mancipia libidinis alienæ, imo & lictores & carnifices Ecclesiasticorum reuera efficiuntur. Ergo cognitio religionis à defensione separari non debet.

IV. Contra vero Bellarmin. l. 3. de Laicis c. 17. asserit ad magistratum non pertinere iudicium de religione, sed tantum eius defensionem, ita nempe, vt ipsius officium sit, in Ecclesiasticorum iudicio simpliciter acquiescere, & quod illi decreuerint, pro rato habere, & summa vi statim exequi. Hanc suā sententiam probat duobus argumentis. 1. Reges habent primum locum inter Christianos, vt Christiani homines sunt, id est, vt sunt ciues terrænæ ciuitatis, non vt sunt ciues sanctorum, & domestici Dei, ac vt Ecclesiæ membra sunt. Sic enim primum locum habent Episcopi, & præcipue summus Pontifex, secundum Presbyteri, tertium Diaconi, aliique ministri Ecclesiastici, vltimum Laici, inter quos etiam reges & principes numerantur. Vnde *Christof. hom. 83. in Matth.* alloquens diaconos, ait: Si dux quispiam, si consul ipse, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, & coerce. maiorem tu illo potestatem habes. Et *Gelasius in epist. ad Anastasium Imp.* Nosti, inquit, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expectas, inque cœlestibus sacramentis sumendis, eisque, vt competit, disponedis, subdite debere cognoscis religionis ordine potius, quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. 2. Christus Ecclesiam regendam Petro, & Episcopis commisit, non Tiberio, & eius præfectis: & per annos 300. sine vllis regibus Christianis, exceptis paucissimis, qui vel breuissimo tempore imperarunt, vt Philippus Cæsar, vel solum in aliqua prouincia, vt Lucius rex Britannorum, Ecclesia à solis Episcopis, & Presbyteris optime gubernata est.

V. Ad hæc Bellarmini argumenta breuissime respondeo, quod ex superioribus non obscura sit eorum solutio. 1. Omnes laici, quemcunque locum habeant in Ecclesia, debent cognoscere sacram religionem. E. & magistratus. 2. Non omnes ministri Ecclesiastici recte præferuntur magistratui: non sane ianitores seu ostiarii. 3. Chryostom. & Gelasius loquuntur de subiectione in foro conscientie, seu quantum ad curā animæ. Ita enim reges sunt subditi Episcopis veris. 4. Principes non debent regere Ecclesiam, sed defendere. 5. Non is tantum, quibus Ecclesia est regenda commissa, id est, pastoribus, incumbit cognitio religionis, & iudicium de illa: sed omnibus Christianis. 6. Ecclesia non solum per 300. annos à Christo gubernata fuit ab Episcopis, sed ita gubernari debet ad finem vsque sæculi. 7. Et si magistratus Christianus primum aliquem in Ecclesia habet: non tamen ideo gubernare dicitur Ecclesiam; quia nempe ad regimen Ecclesiæ pertinet triplex illa potestas, de qua cap. præced. puta ordinis, & iurisdictionis tum interioris, tum exterioris.

VI. Hæc igitur est prima disputationis huius pars; quam nostri probant istis quoque argumentis. 1. Ad patres familias pertinet cura religionis. E. multo magis ad reges, patres illos patriæ. 2. Reges Christiani sunt nutritij Ecclesiæ. E. debent nosse id, cuius debent esse nutritij. 3. Laudantur pii reges, quod Ecclesiasticos ad officium excitauerint, & corruptam aut collapsam religionem instaurauerint. 1. *Chron. 13. & 2. Chron. 29.* E. illam haud dubie habuerunt cognitam. 4. Mandatum fuit regibus, vt legem sibi describerent, illam cognoscerent, & alios ad eius obseruationem adducerent cogentque, *Deut. 17. 18.* 5. Philosophi docent, regis esse curare, vt populus secundum virtutem viuat. At nulla maior virtus, quã religio. 6. Sicut in politia princeps curat, vt artes exercentur, & munia rite obeantur: ita idem debet curare, vt Ecclesiastici rite fungantur suo munere. Id autem non potest facere, si ignoret, quibus in rebus potissimum versetur munus Ecclesiasticum. 7. Nebucadnezar laudatur *Dan. 3.* quod edictum proposuerit, ne quis in sua monarchia Deum blasphemaret. Itaque iudicium aliquod de religione habuit. 8. Omnes Christiani debent sibi cauere à pseudopropheta. E. & rex. 9. Magistratus est vindex Dei contra eos, qui male agunt. E. & contra eos, qui in religione, & in religionem peccant: quia pessime agunt: & per consequens debet nosse religionis capita, vt possit errantes illos internoscere.

VII. Defensio religionis omnino decet magistratum. Quod *Becanus in Manuali l. 5. c. 19. q. 8. nu. 2.* his verbis eleganter confirmat: Statuendum est contra Politicos, Reges & Principes Christianos, non ita debere sua regna ac prouincias administrare, vt omnem religionis & Ecclesiæ curam abiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, & vsurpent illud Donatistarum: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* quod tantopere reprehendit Augustinus lib. 2. contra literas Petilianas c. 92. Hoc enim S. literis, & bonorum Regum exemplis, & rationi ipsi est contrarium. Laudantur in S. literis Dauid, Ezechias, Iosaphat,

Afa, & Iosias, quod cultum ac religionem Dei vel promouerint, vel restituarint. Eorum exemplum in N. T. imitati sunt Constantinus M. Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludouicus, & alij. Contra vero, non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem & fidem contempsit, vt Ieroboam, Achab, Achas, Amon. Et ratio est, quia Reges, qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus iure honorantur; sic Deum ipsum, à quo potestatem consecuti sunt, & cui iure naturæ subiciuntur, merito honorare debent, & ipsius gloriam ac maiestatem vbique propagare. Vnde Agapitus ad Iustinianum Imperatorem: *Honore quolibet sublimiorem habeas eam dignitatem, o Imperator: Honora super omnes, qui hac te dignatus est, Deum: quoniam iuxta similitudinem cœlestis regni tradidit tibi sceptrum terrænæ potestatis, vt homines edoceres iusti custodiam, & eorum qui quasi canes aduersus ipsam rabiunt, insectareri latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure.* Hactenus Becanus. Quem adduxi, vt consensus inter nos & aduersarios & eadem opera rationes pro hæc sententia cognoscantur. Nimirum consentimus in eo, defensionem esse necessariam. Sed in modo dissentimus. Illi enim volunt, magistratum hic recte vi potestate coactiuam, si subditi nolint amplecti religionem Ecclesiæ Romanæ. At nos illam coactionem improbamus; quia nihil tam debet esse spontaneum quam religio: & Ecclesiæ Romanæ religionem multis modis corruptam esse asserimus, vt ex quinque huius Panftratiæ tomis est manifestum.

VIII. De pace religionis, vt vocant, seu de libertate religionis, siue de bono autonomiæ, sequitur, An & quatenus concedi possit à pio magistratu? Vbi licet nos concedamus, vnam duntaxat religionem, quam videlicet ipse magistratus veram agnoscat ex verbo Dei, ab eodem magistratu pro virili conseruandam esse: neminem tamen ad eandem, externa aliqua vi, cogendum esse docemus; quin potius suam conscientiam libertatem relinquendam, & nonnunquam etiam diuersarum religionum exercitium, si non publicum, saltem priuatum, aut clandestinum, ex singularibus causis permittendum esse, statuimus. Atque hoc demum sensu pacem & concordiam externam, seu politicam, inter orthodoxos & non-orthodoxos, & non-hæreticos, simul colendam, ab ipso pio magistratu procurari & posse, & debere, existimamus, nisi tribus hisce argumentis. Primum nititur generalibus illis Scripturæ dictis, quæ iustitiam & charitatem, studiumque pacis & concordie, serio nobis omnibus commendant: & ne quid aliter aduersus proximum statuamus, quam qualiter nobiscum agi vellemus, diserte præcipiunt: denique, vt conscientiam suam libertatem concedamus, & dissentientes in negotio religionis amice toleremus, omnino mandant. *Matth. 5. & 7. Rom. 12. & 14. & alibi.* Ergo pax religionis etiam inter dissentientes, aliquo modo coli potest, & debet: ac proinde magistratui licet eandem procurare. Secundum petitur ab exemplis sapientum & piorum principum, tum in V. tum in N. T. qui sic vnam orthodoxam religionem tutati sunt, vt alias tamen, seu diuersas religiones, tyrannice insectati non sint: tametsi publicum earum exercitium nõ facile permiserint. Exempla V. T. suppeditant nobis tum antiqui Patriarchæ ante legem, tum Iudices & Reges quidam sub lege; in primis autem principes Macabæi, & eorum successores, sub quibus diuersæ Iudæorum sectæ, Pharisei, Sadducei, Essæi, & similes, libere vixerunt, & satis amice inter se vixerunt. Exempla sub N. T. passim in historia Ecclesiastica occurrunt; præsertim sub Constantino M. eiusque filiis, item sub vtroque Theodosio & quibusdam aliis Imp. qui diuersas religiones sæpe tolerarunt, & pacem politicam inter earum professores factam testantur conseruarunt: vt apud Eusebium, Theodoretum, & reliquos Ecclesiasticæ historici scriptores legere est. Ita superiori seculo Ferdinandus Imp. edidit pragmaticam sanctionem de pace religionis in Rom. Imperio, anno nimirum 1555. Tertium, & postremum petitur ab ipsa naturali æquitate, itemque adiuncta utilitate, quam etiam experientia quotidiana fere comprobatur. Nam præterquam quod æquissimum est, in causa religionis ab omni vi & coactione externa abstinere, ipsis etiam rebus publicis, vt ita fiat, omnino expedit, atque conducit; quippe quæ alioqui facillime turbarentur, & intestinis bellis, ac mutuis laniens tandem cõciderent: prout hactenus in multis Europæ prouinciis, Gallia præsertim & Belgio, accidisse nouimus: cum contra in Germania, Heluetia, Polonia, & alibi locorum, in quibus religionum libertas hactenus indulta fuit, istis discordiis & laniens non fuerit locus. Ergo res ipsa per se licita & bona est, etiam si per accidens abusus aliquis accedere possit.

IX. Illustremus hoc, quod diximus, religionem veram nõ esse violenter & tyrannice cogendam; illustremus, inquam, hoc doctrinæ caput, testimoniis Patrum. *Tertullianus libro ad Scapulam c. 2.* ait: Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostiæ ab animo libenti exoptentur. Ita et si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabit diis vestris: ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi si contentiosi sunt: contentiosus autem Deus non est. *Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes:* Pax religionis proprium est, non cogere, sed suadere. Siquidem Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens dicebat quidem vulgo omnibus, Siquis vult venire post me: Apostolis vero, Num & vos abire vultis. *Et rursus:* Inuitos ad mutationem sententiæ coegerunt (Ariani) quod hominum est minime suæ causæ confidentium. Non enim gladius aut iaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, aut consulendi ratio, vbi qui contradicit, pro mercede aut exilium aut mortem reportat? *Et iterum:* Ille nulla ratione instructus, vi & potentia omnes cogit; adeo vt statim nulli non appareat, ipsorum sententiam, nõ secundum Deum, sed humanam esse. *Et ibidem:* Noua autem ista & execrabilis hæresis, cum rationibus subruitur, cum ipsa veritate pudentia concidit; quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere annititur, atque vel ita se ipsam, quam non sit pia & Dei cultrix manifestat. *Hilarius ad Constantium Augustum:* Deus coacti confitendi se aspernatus est voluntatem. *Et mox:* Deus vniuersitatis est, obliquo non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Simplicitate querendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At vero quid istud, quod sacerdotibus timere Deum vinculis coguntur, pœnis iubentur; sacerdotibus continentur, plebs in custodia catenati ordinis constricta disponitur? *Idem contra Arianos & Auxentium:* Torret exiliis & carceribus Ecclesia (non Christiana, sed Ariana) credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus eredita est: pendet ad dignationem communicantium, quæ persequentiū est consecrata terrore: fugat sacerdotibus, quæ fugatis sacerdotibus est propagata.

Hæc de comparatione traditæ nobis olim Ecclesiæ, nunquam deperditæ. *Ambrosius epist. 30. scripta ad Valentinianum Imp.* Habet ille (*Symmachus*) sententiam suam. Inuitum non cogitis colere quod nolit. Hoc idem vobis liceat, Imperator, & vnusquisque patienter ferat si non extorqueatur Imperatori, quod moleste ferret si ei extorquere cuperet Imperator. Ipsi gentilibus displicere consuevit præuaricantis affectus. Libere enim debet defendere vnusquisque fidei mentis suæ & seruare propositum. *Lactantius l. 5. Inst. diuinarum cap. 14.* Quis imponat mihi necessitatem vel colendi quod nolim, vel quod velim non colendi? Quid iam nobis vltius relinquatur, si etiam hoc, quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? Plura habet *d. lib. 5. c. 20.* *Augustinus* pluribus exponit hoc argumentum *l. 2. contra literas Petilianæ Donatistæ c. 82. & 83.* vbi ex professo tractat hanc quæstionem, An magistratus debeat subditos ad religionem cogere? Vide eundem *epist. 48. ad Vincentinum; item epist. 50. 60. 61. 127.* vbi notabile est illud in *epist. 50.* Sic error corrigendus est ouis, vt non in ea corrumpatur signaculum redemptoris.

X. At contra *Bellarmin. l. 3. de Laicis c. 18. 19.* docet, non licere magistratui libertatem religionis subditis suis concedere: sed vnam tantum, hæcenus receptam, id est, vulgo dictam Catholicam fidem, summa vi tueri, ac defendere ipsum debere, contraque hæreses omnes seuere prohibere, atque e medio tollere, etiam si de summa rei periclitandum sit. Hanc sententiam primo probat Scriptura. *Pro. 20.* Rex, qui sedet in folio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. *Item, Psal. 2.* Et nunc reges intelligite, erudimini &c. Quid autem sit hoc, explicat *Augustinus epist. 50.* his verbis: Aliter seruit Rex Deo, quia homo est, aliter, quia Rex est. Quia homo est, seruit ei viuendo fideliter, quia vero etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & cõtraria prohibentes, conuenienti vigore faciendõ: sicut seruiuit tzechias, lucos & templi idolorum destruendo: sicut seruiuit rex Iosias, talia & ipse faciendõ: sicut seruiuit Rex Ninieuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dado: sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. *Et ibidem:* Quis mente sobrius dicat Regibus: Nolite curare in regno vestro, a quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sit religiosus, siue sacrilegus &c. Præterea in N. T. reprehenditur Angelus Pergami, quod haberet apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum, & Angelus Tyariæ, quod permitteret Izabel seducere seruos Dei. Ex quibus colligitur, noxiam esse Ecclesiæ mixtionem hæreticorum cum Catholicis. *Rom. 16.* Christiani iubentur deuitare hæreticos. *Gal. 5.* ait Apostolus, Vtinam abscindantur. *Tit. 1.* Increpa illos dure, vt sani sint in fide. Ergo reges, qui sunt Ecclesiæ nutritij *Esai. 49.* non debent permittere istam confusionem. Secundo probatur testimonio Pontificum, vt *Leons epist. 75. ad Leonem Augustum, Anastasij II. Pape in epist. ad Anastasium Imperatorem &c. & Imperatorum, puta Theodosij I. cunctos populos C. de summa Trinit. & fide Catholica, Martiani Cod. eodem l. Nemo &c. Constantinus M. initio quidem imperij permisit libertatem religionis omnibus: tamen postea iussit claudi templa idolorum, & solam religionem Christianam vigere. Qui libertatem credendi concesserunt, tres inueniuntur: Iouinianus, Valens, & Iulianus Imp. sed ille est reprehensus a Concilio Antiocheno, ille fuit Arianus, hic apõtata. Probat tertio rationibus. 1. potestas spiritalis & temporalis in Ecclesia non sunt res diiunctæ & separatae, sed sunt coniunctæ, ita vt potestas spiritalis sit veluti anima, & temporalis tanquam corpus. Ergo debet hæc illi seruire, ac proinde libertatem illam, vt quæ tollit vinculum Ecclesiæ, nullo modo permittere. 2. quia in V. T. vna tantum religio fuit, quamdiu Ecclesia floruit; idq; ex mandato Dei *Deut. 17. & c. 18.* picud propheta iubentur exterminari. Quod autem paulo ante Christum cõperint variæ hæreses permitti, non est mirum, quia synagoga tunc ad interitum propinquabat, nec habebat regem vere Iudæum, qui illa curaret. 3. quia libertas credendi perniciofa est reipublicæ: nã vbi non seruat Deo fides & obedientia, ibi etiam non seruat Principi. 4. quia libertas illa credendi est perniciofa iis, quibus conceditur. Est enim nihil aliud quam libertas errandi.*

XI. *Resp. 1.* Aberratur fere a quæstione. Neq; enim mixturam religionum probamus, aut omnis generis hæreses permittendas esse dicimus: sed in primis hoc loco disputamus de ijs, qui in religione Christiana non consentiunt per omnia, & interim tamen credunt in Christum, retinentque symbolum Apostolicum. Deinde, si possit Rex vnam religionem ex verbo Dei introducere, aut conseruare, vtique hoc tenetur facere. Sed quæritur, quid factu sit opus, quando vnitatem illam absque concussionem vniuersæ reipublicæ nõ potest obtinere. Hic asserimus, autonomiam in religionis negotio esse permittendam, etiam quando hæretici, qui irrepserunt, non possunt commode tolli. 2. Regibus incumbit, tollere hæreses, prohibere seductiones, prospicere Ecclesiæ de idoneis doctoribus, abusus in religione tollere &c. Atque hoc in dictis Scripturæ allatis dicitur. Hinc vero non sequitur, libertatem credendi nullo modo esse permittendam. 3. Pontifices & Imp. illi loquuntur de idea reip. & Ecclesiæ. vbi semper præcipi debent optima & perfectissima quæque. Deinde loquuntur de hæresibus, quas in rep. Christiana ferre nulla ratione oportet: vt est hæresis Arianorum. Tertio idololatria eiusque instrumenta exemplo Constantini M. sunt abolenda. 4. Rationes allatæ concludunt de libertate credendi simpliciter & absolute concessa; quam nos minime probamus, sed certis eam legibus & conditionibus contineri dicimus.

XII. *Becanus* etiam audiamus. Ille *l. 5. Manualis c. 19. q. vlt. §. 3.* sic ait: Statuendum est, Reges & Principes Christianos nullo modo in suis regnis ac prouincijs debere admittere libertatem fidei ac religionis, si impedire eam possint. Hæc enim libertas plane illicita, & doctrinæ Christianæ contraria est. Nam multa in Euangelio sunt, ex quibus constat Christum vnam fidem mandasse, variam ac multiplicem prohibuisse. Ac primo, voluit vnam tantum esse Ecclesiam, vnum ouile, vnum pastorem. Hæc autem sine vnitatis fidei consistere non possunt. Secundo, voluit discipulos suos attendere a falsis prophetis, at in multiplici religione necesse est, alios esse veros, alios falsos prophetas. Ergo, si hi excludendi sunt, fides vna retinenda est, varia explodenda. Tertio, voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes inferiorum potestates resistere non possint. At perpetua esse non potest, si vna omnium fides nõ sit. *Luc. 11. 17. Rom. 16. 17. Gal. 1. 8. 1. Cor. 1. 10. & 14. 33. Eph. 4. 5. Heb. 13. 9.* Vides quam solite & grauitur horretur Apostolus, vt vnitatem fidei retinea-

mus. Hinc *Augustinus epist. 66.* ait: Quæ est peior mors animæ, quam libertas erroris.

XIII. *Resp. 1.* Recte dicit *Becanus*, Principes non debere admittere libertatem fidei, si impedire eam possint. Et hoc quoque nos dicimus. Quid vero, si non possit eam impedire? Tum vtique debet permittere. Atque hoc est, quod idem *Becanus d. l. c. 16. §. 10.* ait: Principem Catholicum in tribus casib. posse permittere seu tolerare hæresim in sua prouincia: primo, quando non potest impedire: secundo, quando ex permissione speratur maius bonum: tertio, quando ex permissione euitatur maius malum, quod aliter euitari nõ potest. 2. Torus discursus *Becani*, vt & *Bellarmini*, eo tendit, vt religio Pontificia stabiatur. 3. Christus & Apostoli non debuerunt mandare libertatem religionis, sed illius vnitatem. Nam hæc, & non illa cadit sub præceptum: quia nempe permitti potest, præcipi non debet. 4. Perpetuitas Ecclesiæ non periclitatur, si libertas religionis ita permittatur, vt diximus. 5. Libertas credendi non est libertas errandi, si certis legibus adstringatur.

XIV. Porro *Bellarmin. c. 19.* disputat contra *Georgium Cassandrum*, qui in libro de officio pij viri docet, debere Principes inuenire rationem pacis inter Catholicos, Lutheranos, & Calvinistas. Sed interim dum nõ inueniunt, debere permittere vnicuique suam fidem, modo omnes recipient Scripturæ & Symbolum Apostolicum. Hanc sententiã refutat *Bellarminus*, his rationibus. 1. non possunt conciliari Catholici, Lutherani & Calvinistæ, in articulis fidei. 2. symbolũ nõ in verbis, sed in explicatione est positum. 3. Lutherani & Calvinistæ non possunt appellari membra Ecclesiæ: quia etiam si in Symbolo nobiscum conueniant, tamen ab ipsis impetrari non possent, vt Pontificem Rom. habeant pro capite Ecclesiæ, id quod profus est necessarium: nam præter fidem veram requiritur subiectio illa. 4. dissident tres illi in fundamento salutis, non solum in ritibus. 5. Patres docent, vt omnia, etiam minuta dogmata fidei inuolata seruemus. 6. quia si libertas credendi concedatur in vno dogmate, pari ratione concedenda est in omnibus. 7. Symbolo creditur propter Ecclesiam, quia illa dicit esse Apostolicum. E. Ecclesiæ in reliquis quoque est credendum. 8. opinio ista est noua. 9. opinio ista facit Ecclesiam occultam & inuisibilem: imo ex folis adulatoribus, & simulatoribus constat. *Resp. 1.* sane non possunt conciliari: est enim bellum inter Catholicos Romanos, & Catholicos reformatos. Sed hinc non sequitur, libertatem religionis non recte permitti. 2. vera explicatio symboli est vigenda. 3. subiectio illa est Antichristiana: quia solus Christus est caput, cui subiciuntur Christiani. 4. est in fundamento dissidens: tamen pax politica potest esse inter nos. 5. Patres loquuntur de idea. 6. libertas credendi non est licentia petulans, & prodigiola, & illimitata. 7. symbolo creditur nõ propter Ecclesiam sed propter Scripturam, quia et illius quoddam compendium. 8. opinio ista iam olim fuit recepta, vt probauimus §. 8. & 9. Et vero si noua esset, quid tum? Nam alia iam sunt tempora. 9. simulationem prohibemus, libertatem conscientiarum probamus.

XV. Vltima huius capituli pars est de libris hæreticorum. Vbi nos ita sentimus. Est minime negamus, libros manifeste impios, puta notorie blasphemos, famosos, magicos &c. e medio tollendos esse, præsertim a fidelibus sua sponte id facientibus: minime tamen illam Pontificiorum tyrannidem probamus, qui quousis, ipsorum opinione, hæreticos libros, etiam inuitis possessoribus eripiendos, & palam, auctoritate magistratus, abolendos, publicèq; incendendos esse cõtendunt. Argumeta pro hac sententiã fere sunt hæc. 1. Quia hoc factõ libertas illa Christiana, omnia probandi, quam Christus & Apostoli nobis tantopere commendarunt, iniuste supprimitur. 1. *Theff. 5. 1. Ioh. 4.* Nisi enim omnia legere, & perpẽdere liceat, certe libertas hæc vsurpanti nullo modo poterit. 2. Quia experientia hæcenus euidenter docuit, eos, qui libertate illa moderata vsi sunt, neque sibi ipsis, neque alijs, vllum hinc detrimentum attulisse: sed potius Ecclesiæ & reip. multum profuisse: vt qui hac via veritatem antea diu oppressam, denuo in lucem eruerint. Vide exempla in historia Eusebij. 3. Contra vero docet eadem experientia, incendiarios illos, qui sine delectu libros hæreticorum, vt illi vocant, exurere solent, plerumque malam causam hæcenus defendisse, & lucem diuinæ veritatis istis artibus defugere voluisse: imo etiam, quod tyrannorum proprium est, ipsam ecclestem veritatem hoc pacto extinguere cupuisse. Exempla vide *Ier. 36. 1. Maccab. 4.* & in historia Berengarij, Wiclef, & aliorum; quorum doctrina cum ab Aduersariis solide refelli non posset, scripta tamen ipsorum publice ab iisdem combusta fuerunt.

XVI. Contra *Bellarmin. l. 3. de Laicis c. 20.* libros hæreticorum iure interdicti, & exuri, probat duobus argumentis. 1. ex antiqua & perpetua consuetudine, non solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum. Refert enim *Valerius Maximus l. 1. c. 1.* cum Romæ essent reperti libri quidam, qui non nihil videbantur soluere religionem, illos ex auctoritate Senatus per prætorẽ urbanum in conspectu populi fuisse crematos. Ita *Cicero l. de nat. deorum* auctor est, Athenienses Proragoram Abderitem vrbe eiecisse, quod libros religioni noxios scripsisset, illoque libros in concione fuisse combustos. Sic Apostoli *Act. 19.* combusserunt libros curiosos & vanos. *Clemens l. 1. Constit. Apost. c. 7.* dicit, Apostolos prohibuisse initio libros Gentilium, & pseudoprophetarũ Concilium Nicænum libros Arii igni adiudicauit: Constantinus M. id executioni mandari iussit, proposita pœna capitis, si quis libros Arii occultasset. Epiphanius in synodo Cypri coacta veruit libros Origenis legi. Concilium Carthagenense III. can. 16. permittit solis Episcopis, vt tempore necessitatis libros hæreticorum legant. Libri Nestorij in Concilio Ephesino interdicti fuere, & a Theodosio Imp. exuri iussi. Et extat adhuc lex Theodosij L. Damnato C. de hæreticis. Circa idem tempus prodit lex Honorij & Theodosij, qua iubentur Mathematici omnes suos libros, in quibus aliquid est aduersum Catholicam religionem, in oculis Episcoporum cremare. L. Mathematicos C. de Episcopali audientia. Pari ratione in Concilio Chalcedonensi damnantur libri Eutychetis, & ab Imp. Valentiniano & Martiano seuera lege prohibetur ne vllus eos legeret, aut habere audeat, sed omnes diligentissime quæsitri crementur. Atque hæc consuetudo semper in Ecclesia obtinuit. Accedit etiam in argumentum huius rei, quod nulli fere extent libri veterum hæreticorum, vt Valentini, Marcionis, Arii, Nestorij &c. 2. Colloquia hæreticorum sunt periculossima, & ideo diligenter vitanda. ergo multo magis sunt libri eorum noxij, & pestilentes, & vitandi. *Rom. 16.* Perdulces sermones seducunt. 2. *Tim. 3.* Hos deuita. *Tit. 3.* Hæreticum deuita. 2. *epist. Ioh.* Nolite recipere in domum, nec Aue eis dixeritis. *Cyprianus l. 1. epist. 3.* ait: Declinent foriter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba, & colloquia eorum,

eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Neque valent obiectiones: in libris hæreticorum esse multa bona: omnia esse probanda: & Ecclesiam tolerare libros Iudæorum, Gentilium, Turcarum, & veterum etiam hæreticorum, ut Tertulliani, Origenis, Eusebij &c. Nam veritas non est discenda ab hæreticis, & ex illorum libris petenda: propter periculum seductionis. Deinde Apostolus loquitur de scriptis, quæ nondum constat, an sint bona, vel mala, & talia non vult reici, nisi prius examinata. Libri porro Iudæorum & Turcarum sunt melioris conditionis, quam hæreticorum: illi enim sunt aperti hostes Christianorum, nec fallunt sub nomine Christiano, ut hæretici faciunt. Sed & illi libri prohibentur. Denique Tertulliani, Origenis &c. libri permittuntur, quia hæreses illæ extinctæ sunt & libri profunt propter antiquitatem.

XVII. *Resp. 1. in genere.* triplicem à nobis distinctionem adhiberi. 1. inter libros notorie impios, falsos, pestilentes, blasphemos &c. quos magistratus prohibere, & abolere debet: & libros hæreticos quidem, sed sine blasphemia, & cum modestia scriptos; & denique libros opinione hæreticos. 2. inter lectores; quorum alij sunt docti, alij non item: & illis prioribus lectionem librorum hæreticorum non esse prohibendam. 3. inter hæresim incipientem (quæ in ipsa herba extinguenda est, si fieri possit) & iam gliscentem; cuius dogmata utique sunt cognoscenda iis, qui eam refutare & compescere debent. *In specie Resp. 1.* Ut ethnici libros suæ religioni noxios: ita & Christiani eosdem suæ religioni noxios comburere debent, si hoc fiat in principio, & ita, ut oēs semel & simul aboleantur. 2. Libri ab Apostolis combusti fuerunt magici. 3. Apostoli prohibuerunt libros falsorum prophetarum: quia fideles erant in incunabulis doctrinæ Christianæ. 4. Concilia ita sanxerunt, & fecerunt; quia in ipso ortu hæreses illas hoc modo extrinxerunt. 5. Leges civiles prohibent libros blasphemos, magicos, & similes. 6. Sane libri hæreticorum, æque ac ipsorum colloquia, sunt vitandi incipientibus & simplicibus. 7. Veritas non est discenda ex libris hæreticorum, sed ipsorum errores inde sunt cognoscendi & refellendi. 8. De hæreticis veris, & blasphemis, & qui inter scribendum delectantur maledictis & conuictis, concedimus illorum libros esse deterioris conditionis, quam libros Iudæorum & Turcarum. 9. Et si hæreses Origenis, & aliorum sunt extinctæ: tamen si lectio librorum hæreticorum simpliciter est mala & noxia, illi quoque libri non fuerint legendi. 10. Apostolus iubet omnia explorare, etiam illa, quæ sunt ab aliis damnata: ut ne cæco impetu iudicij feramur ad pronuntiandam sententiam de his & illis, vel contra eos.

CAPVT XV.

An magistratus possit & debeat hæreticos, propter solam hæresim, pœna capitis punire.

I. **G**rauiissima iam sequitur disputatio de hæreticis, An princeps illos possit propter solam hæresim pœna capitis punire? Cuius quaestionis negatiuam nos defendimus: Papiæ affirmatiuam. Sententiam vero nostram ita explicamus. *Principio* aliquis est hæreticus vel vere & proprie iudicio bonorum & sapientum Christianorum, vel opinione, & præiudicio malorum, vel indoctorum, vel vulgi siue plurimorum. Proprie hæreticus est is, qui elegit sibi aut sectatur doctrinam, Scripturæ propheticæ & Apostolicæ aduersantem, eamque pertinaciter & obstinate contentis omnibus admonitionibus reuertitur. Itaque recte dicunt, ista tria facere hæresim & hæreticum: errorem, conuictionem, & pertinaciam. Hinc *in iure Canonico caus. 24. q. 3. capitulo* Dixit Apostolus *ista leguntur*: Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaciam in solitate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errore lapsis parentibus acceperunt, quarunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. *Citatur ex Augustini epist. 162.* Et, quemadmodum *in eadem causa & quest. c. 31.* dicitur: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque sapient, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. *Ex Nouella Imperat. Iustiniani 315. c. 3. §. Si quis,* planum est, hæreticum esse, qui non est Catholica fidei, nec in sacrosancta Ecclesia communicat, in qua omnes beatissimi Patriarchæ vna conspiratione & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quarum Synodos, Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem amplecti noscuntur. *Deinde* simpliciter errantes ab hæreticis sunt distinguendi: ut patet ex dictis. Et *Augustinus in præfatione libri de hæresibus ad Quod vult Deum,* ait: Non omnis error hæresis est. Et *libro de utilitate credendi ad Honoratum c. 1.* inquit: Si mihi, Honorate, vnum atque idem videretur esse, hæreticus & credens hæreticis homo, tam lingua quam stylo in hac causa mihi conuiescendum esse arbitrarer. Nunc vero cum inter duo hæc plurimum intersit: quandoquidem hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur: ille autem qui huiusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus. *Tertio* hæretici alij sunt incorrigibiles, alij corrigibiles. *Postremo* hæretici sunt vel quieti, qui dicuntur communi nomine hæretici; vel turbulentis, qui dicuntur hæresiarum. Illi dicuntur errantes, erronei, & seducti: hi turbantes, turbones, seducentes, authores apostasiæ. Quibus ita præmissis dicimus, hæreticos vere & proprie dictos, a pio magistratu esse coercendos, ne venenum suum, pro arbitrato suo, sparsim disseminent; esse item instituendos, & si doceri recusent, carcere, vel alia pœna arbitraria, castigandos. Quod vero attinet ad turbulentos, qui sunt vel blasphemii, vel seditionis Ecclesiæ aut reip. turbatores, illi à magistratu, pro qualitate delicti, sunt puniendi, etiam pœna capitis, si mereantur. Negamus itaque omnes hæreticos, vulgo ita dictos, hoc est, quosuis in religione errantes, continuo pœnis politicis, præsertim corporalibus, subiiciendos esse: quin doctores potius, quam tortores adhibendos esse statuimus, & argumenta hic plus valere quam ferramenta credimus, moti sequentibus argumentis.

II. *Primum* petitur ex iis Scripturæ locis, quæ generatim ipsam veræ re-

ligionis, seu fidei naturam, ita describunt, ut eam plane voluntariam, & ab omni violenta coactione prorsus alienam, denique gratuitum Dei donum esse ostendant: ad quam proinde nemo tyrannico terrore, aut minis adigendus, siue metu supplicij alicuius (nisi forte quid aliud accedat) per magistratum cogendus; sed omnes potius amice huc inuitandi, & argumentis, non armis; verbis, non verberibus; stilo, non pilo, adducendi sunt. *Rom. 1. & 10. Eph. 2. 1. Thess. 1. & 2. & alibi passim*: vbi de origine, & progressu veræ fidei, deque medijs ad eam necessarijs agitur. Confer cum iis, quæ *cap. præced.* diximus §. 8. & 9. Ergo simpliciter errantes, quatenus tales, à magistratu puniendi non sunt. *Secundum* argumentum ducitur à natura Ecclesiæ, & proprietatibus verorum Christianorum, hoc est, ex illis Scripturæ locis, quæ naturam Ecclesiæ Christianæ ita nobis depingunt, ut ab eius æquitate, mansuetudine, & lenitate, seu materna charitate, prorsus alienum esse doceant, aliorum conscientijs vllam externam vim inferre; seu, quenquam ob diuersam religionem, hostiliter insectari, nedum accidere, aut corporali supplicio afficere. *Matth. 5. & 7. Ioh. 13. Rom. 12. & 14. item Esa. 11. 9. Luc. 9. 54. Matth. 18.* Dic Ecclesiæ *Tit. 3. 10.* Ergo Christiani ab hac vi abstinerere debent. *Tertium* petitur ab adiuncta rei difficultate, imo impossibilitate; quam plerumque etiam perniciosi euentus, tum in Ecclesia, tum in Rep. consequuntur. Nam præterquam quod stultum, adeoque impossibile est, armis carnalibus hostem spirituale expugnare; aut morbos animorum internos (quales certe hæreses & errores sunt) externis remedijs profligare velle, magnum etiam periculum vere credentibus hac ratione creatur, ut qui sæpe à cœcutiente mundo pro hæreticis haberi solent. Ita porro & *Resp. sæpe* bonis ciuibus orbatur, & facile turbis ac bellis inquietatur. Vide *Matth. 4. & 22. 2. Cor. 10. Eph. 6.* de spiritualibus armis, aduersus Satanam, & hæreticos exferendis. Vide etiam *Matth. 13.* parabolam de zizanijs, non temere euellendis: quam Chrysostomus Ambrosius, & alij veteres huc accommodare solent. Confer *1. Cor. 11.* Oportet hæreses esse. *Quartum* sumitur ex illis S. Scripturæ testimonijs, quæ passiuam persecutionem, pro veræ Ecclesiæ nota, actiuam vero pro Antichristianæ synagoga certissimo indicio, habendam esse docent. Vide vniuersam V. & N. T. historiam, & nominatim *Hebr. 11. per totum. Gal. 4. sub finem. 1. Thess. 2. 2. Tim. 2. & 3. Apoc. 2. & 3. & 6. & 11. & 12. & 13. & seqq.* Deprehēdes in his locis impios quidem & hypocritas alij in causa fidei vniuersi intulisse, pios vero nihil tale fecisse. Ergo veræ Ecclesiæ neminem, ob diuersam religionem, si nihil accedat, occidit aut persequitur. *Quintum* sumitur à generali praxi, & communi consensu omnium veterum; quales aliquot seculis ab excessu Apostolorum floruerunt: nempe Tertulliani in Apologetico, Iuliani & Athenagoræ in scriptis apologeticis, Lactantij libro 5. Instit. diuin. c. 20. Hilarij, Nazianzeni, & aliorum orationibus aduersus Arianos scriptis: qui omnes istam simplicium hæreticorum, siue in religione simpliciter errantium, insectationem, ac laniationem simpliciter improbant: ut *cap. præced. §. 10.* videre est. *Quin* etiam constat ex historia Ecclesiastica Eusebij, Socratis, & reliquorū, horū aut primis illis seculis nihil durius aduersus summos etiam hæreticos, licet maxime pertinaces, statutum fuisse: quæ quod ab Ecclesiæ communione, simulq; ab officio Ecclesiastico reuicerentur: tamen si deinde, progressu temporis, relegatio in exilium, & similes aliæ pœnæ iisdem irrogari cœperunt; donec tandem, sub aperto Antichristi regno, ad effusionem sanguinis deuentum est. Pertinet huc, quod B. Martinus apud Sulpitium lib. 2. sacre hist. circa finem, vehementer redarguit Idacium, & Ithaciū Episcopos, qui procurabant mortem Priscilliani hæretici apud Imperatorē, Eisdem etiam tanquam ingentis criminis reos propter eandem causam Sulpitius accusat. *Sextum* sumitur ab experientia; quæ testatur non profici terroribus, exilijs, equuleis, gladio. *Septimum*, & postremum est à pari. Ecclesia tolerat Iudæos. E. & hæreticos tolerare debet.

III. Hæc sunt argumenta nostra, numero plurima, sed ad pauucas classes reducta, memoriæ causa. Nunc videamus, quid Bellarm. l. 3. de Lais. c. vlt. & Becanus in *Manuali lib. 5. c. 17.* ad illa excipiant. 1. Fides ita est donum Dei, ut etiam sit actus liberi arbitrij, sicut & aliæ virtutes: & tamen recte puniuntur homicidæ, adulteri, & alij, qui coguntur iuste & caste viuere. Sapientia quoque est donum Dei: & tamen virga & correptio tribuunt eam. Similiter correptio est ex illis medijs, quæ fidem, donum illud Dei, conseruant. Deinde, fides plane est libera, quantum ad actum elicium, seu actum internum credendi: sed non semper est libera, quantum ad actum imperatum, seu quantum ad externum exercitium. Denique fides est libera, scilicet à coactione, sed non ab obligatione. Obligamur enim credere Deo in Ecclesia. 2. Subordinata sunt, inuitare ad fidem gladio oris, & adducere ad eandem ore gladij. 3. Est contra mansuetudinem Ecclesiæ, si mallet parere lupis, quam ouibus. Debet itaque blanda hæc mater misereri liberorum. Deinde Ecclesia expeditur omnes alias rationes, v. g. admonitionem, excommunicationem &c. antequam ad vltimum supplicium inferendum accedat. 4. Ecclesia habet gladium spirituale. Sed quando manus dextera non potuit gladio spirituali hæreticum conuertere, Ecclesia inuocat auxilium brachij sinistri, id est, euertat hominem incorrigibilem. 5. Deus *Esa. 11.* prædicat, fore ut Gentiles, qui tunc instar pardorum & leonum insectabant Ecclesiam, in N. T. aggregentur ad Ecclesiam, ideoque non amplius persequantur ipsam. Hinc non potest concludi, publicos fidei & iustitiæ perturbatores non esse occidendos. 6. Christus *Luc. 9.* in Apostolis reprehendit vindictæ cupiditatem, non vero zelum & seueritatem spiritus: quippe qua Christus & Apostoli crebro sunt vsi. Nam ita Christus eiecit ementes & vendentes ex templo, *Matth. 21. Ioh. 2.* Petrus Ananiam & Sapphiram occidit, *Act. 4.* Paulus Corinthium tradidit Satanæ. 7. Christus *Matth. 18.* & Apostolus *Tit. 3.* neque præceperunt, neque prohibuerunt istis locis, occidere hæreticos. Sic neque vsipiam Christus & Apostoli iusserunt adulteros, homicidas &c. puniri: & nihilominus tam recte puniuntur. 8. Fides & religio propagantur & conseruantur armis tum spiritualibus, tum corporalibus. Deinde Apostolus non scribebat Principi politico, qui gladio corporali, sed Episcopo, qui gladio spirituali, id est, excommunicatione vti debebat. 9. Per zizania *Matth. 13.* non intelligitur soli hæretici, sed omnes mali, qui sunt tales vsque ad finem vitæ. Nobis autem in hac vita non constat, qui bene vel male sint morituri, ac preinde etiam non constat, qui sint zizania, & qui triticum. Hoc primum constabit in die iudicij. Et hæc causa est, cur Christus in hac vita nolit nos plane eradicare zizania, ne scilicet erremus iudicio. Deinde, quando constat probabiliter, hos vel illos esse zizania, semper dispiciendum est, an id possit fieri sine detrimento bonorum, ut eradicentur. Atq; ita homicidæ, adulteri, & alij eradicantur: itaq;

& hæretici eodem pacto eradicari possunt, debeat. 10. Sicut in horto oportet malas herbas esse, & tamen illas nihilominus eradicare oportet hortulanum peritum. Ad eundem modum oportet hæreses esse, & nihilominus tamen illas tollere oportet peritum magistrum, videl. vel ore gladij, vel gladio oris. 11. Tollere hæreticos, id vero non est persequi Ecclesiam. 12. In primitiua Ecclesia hæretici non puniebantur pœna corporali; quia Ecclesia non poterat hoc facere propter potentiam infidelium, & paucitatem Christianorum. Imo iudicabat non expedire propter scandala, quæ tunc facile potuissent oriri. Postea paulatim puniti sunt: nunc exilio, *L. Ariani C. de hæreticis*: nunc multa pecuniaria, *L. cuncti hæretici ibid.* nunc amissione omnium bonorum, *L. Manichei*. Tandem, propter nimiam ipsorum insolentiam, & pœnarum istarum contemptum, accessit pœna capitis, quam Valentinianus & Martianus decreuerunt *L. Quicumque, eodem Codice*. Itaque ratio puniendi hæreticos est mutata pro necessitate temporis. Porro Episcopi illi duo, Idacius & Ithacius, merito accusantur à S. Martino, & Sulpitio, quia causam Ecclesiasticam ad Imperatorem deferebant, & assumebant officium accusatoris in causa sanguinis: non quod errauerint in eo, quod senserint hæreticos morte afficiendos esse. 13. Experientia docet, Donatistas, Manichæos, & Albigenfes armis esse extinctos. 14. Iudæi non conantur peruertere Christianos: id quod faciunt hæretici.

IV. His exceptionibus ista opponimus. 1. Sane fides vera potest & debet duris interdum mediis propagari & conseruari: verum ita, vt conscientia vis nulla inferatur. Itaque hæretici simpliciter errantes sunt instituendi primo; & compellendi vt frequentent puras conciones, ex verbo Dei desumtas; & si nolint, coercendi sunt pro exigentia circumstantiarum. Sunt etiam prohibendi, ne venenum suum spargant. Porro hæresiarum sunt e medio tollendi, vel exilio, vel supplicio, si sint incorrigibiles. Sed quæstio est, an propter solam hæresim aliquis pœna capitis sit afficiendus? Eam nos negamus, hoc argumento: quod fides sit persuadenda, tanquam virtus à Dei gratia pendens. Non vult autem Deus benedicere illegitimis mediis, quæ homines ex suo cerebro adhibent, vt fidem propagent. 2. Subordinata sunt ista duo, gladius oris, & os gladij, quando suo loco & ordine vsurpantur. Hinc vero non inferitur temeraria gladij corporalis vsurpatio in trucidandis quibuslibet hæreticis. 3. Ecclesia non debet parcere hæreticis: sed illos coercere & punire prudenter & fraterne, vt potius materne, vt ita dicam. Est enim certum quod dicitur vulgo: *Qui parcat malis, nocet bonis*. 4. Si Ecclesia imploret auxilium brachij corporalis, quando & quomodo decet, vtique facit ex officio, quod debet. 5. Ex loco Eiaia recte concluditur natura & indoles Ecclesiæ: cum qua non potest consistere promiscua, temeraria, inhumana, & periculosa quorumuis hæreticorum persecutio. 6. Christus ita reprehendit in Apostolis cupiditatem vindictæ, vt spiritum mansuetudinis simul commendet omnibus. 7. Christus *Matth. 18.* docet, gradatim procedendum esse in correptione & correctione Ecclesiastica. Id vero non fit in temeraria illa hæreticorum pœna. Deinde Apostolus prescribit Tito officium Ecclesiasticum, quod in casu necessitatis coniungendum est cum politico, saluis vtriusque finibus, & personis distinctis. 8. Conceditur ista propagatio, si arma spiritualia & corporalia dextre vsurpentur. 9. Christus prohibet temerariam zizaniorum eradicationem, non vero quamuis. Et hanc nos vel maxime probamus. 10. Locus ex *1. Cor. 11.* à nobis adducitur, vt ostendatur impossibilitas rei: fieri nempe non posse, vt per supplicia tollantur omnes hæreses. 11. Tollere hæreticos cœco impetu & zelo qui non est *spiritus inquit*, id demum est persequi Ecclesiam. 12. Fatemur, Ecclesiam primitiuam non potuisse implorare magistratus opem, quia nullus tum temporis erat. Sed & hoc nobis est dandum, ex quo tempore Ecclesia nacta est reges & principes nutritios, temerariam & promiscuam hæreticorum pœnam non fuisse vel semel vsurpatam, nisi sub Antichristo. Deinde verba Sulpitij hæc sunt: *Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos, quam actores displicere. Certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse defensio: fuit enim audax, loquax, impudens, sumtuosus, ventri & gula plurimum impertiens. Hic sultitia eo vsque processerat, vt omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare ieiunij, tanquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen arceseret. Ausus etiam miser est, ea tempestate Martino Episcopo, viro plane Apostolis conferendo, palam obiectare hæresim insamiam.* 13. Experientia docet, qualdam hæreses armis extinctas esse; sed plures, verbo Dei. Deinde, Albigenfes non recte accensentur hæreticis. 14. Hæreticos seductores omnino puniendos esse arbitramur. Atque ex his patet, Bellarminum & Becanum committere perpetuam fere ignorantem elenchi. Neque enim nos in iis sumus, qui negant hæreticos esse coercendos à magistratu ciuili.

V. Argumenta aduersaria sententiæ sequuntur. Constituit autem Bellarminus *l. d. c. 21.* hanc thesin. Nos breuiter ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia reuocari, & à secularibus potestatibus, temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte mulctari. *Probatur primo Scripturis*. Nam Scriptura *V. T. Deut. 13. & 17. & 18.* docet falsos prophetas seductores esse e medio tollendos. Et reipsa legem hanc seruauerunt Elias, Iosias, Iehu, & alij, qui falsos prophetas plurimos interfecerunt, *3. Reg. 18. 4. Reg. 10. & 23.* In *N. T.* Christus *Matth. 18.* docet, Ecclesiam posse eos, qui obedire nolunt, à se reuocare, tanquam ethnicos & publicanos, ac proinde permittere eos magistratui seculari, qui non sine causa portat gladium, *Rom. 13.* Porro Christus & Apostolus hæreticos comparauerunt lupis & furbus, *Matth. 7. Actor. 20. Iohan. 10.* quibus haud dubie ferro & igni est occurrendum. Vnde Christus *Iohan. 2.* flagello vtritur: & Petrus *Actor. 4.* Ananiam & Saphiram occidit: & Paulus *Actor. 13.* falsum prophetam cœcitate percussit. *Probatur secundo sententiis & legibus Imperatorum*. Nam Constantinus M. ad petitionem Concilij Nicæni Arium cum aliquot sociis in exilium relegauit, & Donatistas supplicio affecit. Deinde Theodosius, Valentinianus, Martianus, & alij religiosissimi Imp. tulerunt leges in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio & verberibus, interdum vltimo supplicio affici voluerunt, vt patet *Cod. de hæreticis, L. Manichæos, L. Ariani, L. Quicumque*. *Probatur tertio ex legibus Ecclesiæ: cap. ad abolendam, cap. Excommunicamus, extra de hæreticis & c. Probatur quarto testimoniis Patrum*. Nam Cyprianus *lib. de martyrio, cap. 5.*

postquam retulerat ex *Deut. 13.* necandos esse pseudopphetas, subdit: Si hoc in *V. T.* fiebat, nunc magis faciendum esse. Hieron. in *Gal. 5.* docet fermentum à massæ vicinia semouendum secandas putridas carnes, & scabiosum animal à caulis repellendum esse; ne tota massa, corpus, & pecora, corrumpantur, putrescant, & intereant & c. *Probatur vltimo ratione naturalis*. 1. Hæretici excommunicari iure queunt: ergo & occidi. Nam excommunicatio est maior pœna, quam mors temporalis. 2. Experientia docet, non esse aliud remedium, nam Ecclesia paulatim progressa est, & omnia remedia experta: primo solum excommunicabat; deinde addidit multam pecuniariam; tum exilium: vltimo coacta est ad mortem venire. 3. Falsarij omnium iudicio merentur mortem: at hæretici sunt falsarij verbi Dei. 4. Augustinus epist. 50. ait: Grauius est non seruare fidem hominem Deo quam sceminam viro. Sed hoc morte punitur; cur non illud. 5. Tres sunt rationes, propter quas ratio docet, homines occidendos esse: prima est, ne mali bonis nocent, neue innocentes à nocentibus opprimantur: secunda est, vt paucorum supplicio multi corrigantur: tertia, vt homines, qui occiduntur, non fiant peiores, sed vel ad sanam mentem reuertantur cum vident mortem instare, vel non grauius supplicium animæ incurrant. Hæ autem rationes omnes suadent, hæreticos esse occidendos: vt patet consideranti.

VI. Ad omnia hæc Bellarmini argumenta generalis quædam & breuis responsio sufficere potest. Nam in omnibus illis argumentis, vel ignorantia elenchi, vel petitio principij, vel consequentis paralogismus quidam occultatur. Et primo quidem pleraque verum statum quæstionis non attingunt, sed vel subiectum, vel prædicatum ipsum non leuiter immutant: quatenus videl. simplices errores pro seditiosis turbonibus, & vice versa hi pro illis substituuntur. Deinde quædam *N. T.* propria, vt pote ad politiam eius temporariam pertinentia, in medium adferuntur. Tertio exempla quædam dissimilia, quippe vel heterogenea, vel plane singularia id est extraordinaria, siue respectu personarum agentium, siue ratione patientium in medium adducuntur. v. g. cum Elias, Iosias, & Iehu, qui veros idololatrias, ex Dei mandato, legitime mulctauerunt, ad defensionem apertæ tyrannidis aduocantur: cumque prædictus Elias, imo etiam ipse Christus & Apostoli, eorumque extraordinaria, & miraculosa facta pro regulis quibusdam, ordinario magistratu perpetuo seruandis proponuntur.

VII. Claudat nobis hoc caput Becanus: *quid d. l. & c.* summam ita disputat: Duo in hæresi spectari possunt. Primo, quod sit peccatum & hoc illi commune est cum aliis peccatis. Secundo, quod perturbet pacem, & tranquillitatem Reip. Hoc non est illi commune cum omnibus, sed tantum cum aliquibus, vt cum homicidio, furto, adulterio, rebellionem, & similibus. Priori modo non punitur à magistratu pœna capitis: sed posteriori. Et quidem iuste. Quod dupliciter ostendo. Primo, quia in *V. T.* pœna mortis affecti sunt idololatriæ, falsi prophetae, blasphemæ, inobedientes, & qui similia peccata, quæ temp. turbare solent, perpetrassent. Nam Moses occidit iussu multa millia Israelitarum, eo quod adorassent idolum vituli, & reliquo populo secessionem fecissent. *Exod. 32. 27.* Similiter Elias interfecit prophetae Baal, *3. Reg. 18. 40.* Idem fecit Iehu, *4. Reg. 10. 25.* Denique Mathathias trucidauit quendam Iudæum sacrificantem idolis, *1. Maccab. 2. 24.* Neque solum vsitata fuit hæc pœna, sed etiam à Deo præcepta, *Leuit. 24. 16. Num. 25. 5. Deut. 13. 6. cap. 17. 12.* Hinc concludo: Si in *V. T.* iuste statuatur pœna capitis in idololatrias, & apostatas à fide; etiam in *N. T.* statui posse in hæreticos, quatenus communis concordia Christiana turbatores sunt. Secundo, hæretici, præsertim pertinaces, de quibus proprie hic agimus, non minus perturbant pacem & tranquillitatem Reip. quam homicidæ, fures, raptores, adulteri. At hi iuste puniuntur pœna capitis. E. & illi, & quidem cœo magis, quod priores turbant pacem duntaxat politicam, at hæretici turbant vtramque pacem, politicam & Ecclesiasticam. Nam primo & per se turbant pacem Ecclesiæ, quæ consistit in vnitatem fidei, *Eph. 4. 5.* Deinde consequenter, pacem Reipublicæ, quæ sine vnitatem fidei conseruari non potest. Vbi enim est publica animorum dissensio, quam introducunt hæretici; ibi pax publica esse non potest. Hoc testatur Christus, cum ait: *Omne regnum in se diuisum desolabitur*. Testantur exempla hæreticorum. Quas turbas toto oriente excitauit Ariani: quas in Graecia Macedoniam; quas in Africa Donatistæ & Circumcelliones; quas in Imperio Rom. Iconomachi & Albigenfes; Hussitæ in Bohemia? Taceo præsertim rebelliones, & conspirationes. Et quid mirum? Nulla vniquam familia fuit, in qua dissentiens religio pacem non turbaret. Exemplo sit discordia inter Isaac & Ismaelem in familia Abraham: inter Iacob & Laban, in Mesopotamia: inter Mosen, & uxorem eius Zipporam, dum proficiscerentur in Ægyptum. Quomodo ergo in toto regno, prouincia, ciuitate, pax & concordia sperari potest, vbi religionis ac fidei summa est discordia? Quare cum hæretici magis perturbent pacem Christianam, quam homicidæ, fures, adulteri, multo magis quam illi puniendi sunt pœna capitis: vt pote illis perniciosiores; quia nempe turbant pacem Christianam vtramque, puta Ecclesiasticam, quæ consistit in vnitatem verbi & sacramentorum, & politicam, quæ consistit in externa iustitia & tranquillitate.

VIII. Ad hæc Becani argumenta, quantum attinet ad primum; eadem est solutio, quæ ad argumenta Bellarmini eiusdem notæ §. 6. est allata. Nā proceditur ab extraordinariis exemplis, itaque à legibus politicæ Mosaicæ propriis, ad officium magistratus ordinarium & perpetuum in *N. T.* In altero argumento est ignorantia elenchi: quia distinguimus inter errantes, & turbantes. Quæ fallacia etiam in quibusdam locis Scripturæ ad argumentum primum allatis locum habet. e. g. *Deut. 13.* agit de pseudoppheta, qui suadet apostasiam. Denique, negamus, omnem hæresim turbare pacem politicam: imo neque omnis hæresis turbat pacem Ecclesiasticam, prout illam Becanus considerat. Multi enim sunt hæretici, qui se gerunt vt ciues bonos, neque etiam vnitatem fidei & sacramentorum sciunt, sed sibi viuunt, suaque duntaxat curant.

Q

CAP.

CAP. XVI.

Vtrum leges magistratus civilis obligent conscientiam, & quatenus obligent?

I. Officium magistratus in rebus politicis sequitur: vbi vnica solum quaestio inter nos & Papistas, vel potius Bellarminum, est controuersa. Sic enim ille noster ait *lib. 3. de Laicis. cap. 9.* Secundus error Caluini est, qui etiam *lib. 4. Inst. c. 20.* probat contra Anabaptistas, in Ecclesia debere esse leges civiles, iudicia, & gladium, tamen *lib. 4. inst. cap. 10. §. 5.* asserit leges civiles non obligare in conscientia, quod ante illum docuerat *Iohannes Gerson de vita spirituali. lect. 4.* & *Almain. de potestate Ecclesiastica, quasi. 1. cap. 10.* Rationes haec sunt. 1. quia potestas temporalis est politica. ergo nihil ei cum conscientia. 2. quia finis legum civilium est pax externa. 3. quia princeps non iudicat de internis. 4. quia princeps non potest inferre poenam spiritualem. ergo nec ad illam obligare. 5. quia princeps non potest absolueret. ergo nec ligare. 6. quia bis puniretur idem peccatum, semel hic, semel in alio seculo. 7. quia princeps vltimum non intendit immediate obligare ad culpam. 8. quia potius debemus prauariari grauissimam legem civilem, quam leuissimam diuinam.

II. His verbis Bellarminus accumulauit sententias diuersas. Neque enim Caluinus sentit cum Gerson, & Almaino. Nam *lib. 4. Inst. c. vlt. item in comment. ad Rom. 13.* in summa docet, humanis etiam legibus ex animo, & quidem ratione conscientiae obtemperandum esse; nempe, quatenus in diuinis legibus ipsae fundantur: cum alioqui conscientia immediate, & per se, Deum solum respiciat; vtpote quae nihil aliud sit, quam sensus diuini iudicij, de nostris ipsorum factis. Vnde sequitur, conscientiam immediate, primo, directe, proxime, solum Dei imperio subiectam esse: homines autem de externis tantum rebus statuere, ac discernere posse; & proinde illam non nisi mediate, secundario, indirecte, & consequenter, vti dictum est, humanis ac politicis legibus obligari. Facit itaque Bellarminus Caluino iniuriam, quatenus omnem obligandi vim a legibus politiciis magistratus per illum remouerat.

III. Grauius autem ipse errat, quando *d. lib. c. 11.* hanc propositionem defendendam suscipit: Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex diuina; etsi minus firma & stabilis haec sit quam illa. Contra hanc sententiam ita disputamus. 1. Solum Deus ius habet in hominum conscientias *Rom. 1. 32. cap. 2. 15. 1. Cor. 7. 35. Iac. 4. 12. 1. Petr. 4. 19.* & alibi. Ergo nulla lex nisi diuina proprie, & immediate, & perfecte conscientiam obligat. 2. Legi humanae saepe propter conscientiam non est parendum, *Dan. 3. & 6.* At legi diuinae semper propter conscientiam est parendum. E. non inest vtrique eadem vis obligatoria. 3. Leges conscientiae, primario sic dictae, mutari non possunt, vt nec conscientia, nec Deus. At leges humanae variae & mutabiles sunt. E. 4. Potestas politica est temporalis, & de rebus externis. E. spirituales effectum producere non potest, id est, obligare conscientiam. 5. Potestas politica non potest inferre poenam spiritualem, nec ab illa absolueret. E. nec spiritualiter conscientiam obligare. 6. Si leges Ecclesiasticae per se non obligant conscientiam, tum multo minus civiles. At illud est. E. & hoc. Probatur assumptio: quia leges Ecclesiasticae humanam habent auctoritatem, sed multo maiorem, quam politicae, propter maiorem affinitatem cum legibus diuinis. 7. Si non minus obligarent leges civiles, quam diuinae, tum non minus humanis legibus obediendum esset, & nemo ab humanarum legum obseruatione, & poenis se eximere posset; quia nemo potest se a diuinis eximere. vbi enim par ratio est, ibi ius idem obtinere debet. At posterius falsum esse docent Papistas, vbi pro immunitate clericorum disputant. 8. Presbyteri & Diaconi Ecclesiae Romanae ad Cyprianum, quem Papam vocant, *epistola 31. inter epistolas Cypriani sect. 1. C. alias libro 2. epist. 7.* ita scribunt: Geminata sunt laude condigni, qui cum conscientiam sciant soli Deo se debere iudici, actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari.

IV. Sed videamus argumenta Bellarmini. 1. Vis obligatiua est de essentia legis: & obligare est effectus necessarius legis. Ergo omnis lex a quocumque feratur, siue a Deo, siue ab angelo, siue ab homine, & homine, siue Episcopo, siue rege, siue patre, eodem modo obligat. Probatur consequentia; quia illa quae sunt essentialia, aequaliter insunt, vt rationale & risibile in homine. 2. Si lex obligaret solum, quia diuina, omnes leges diuinae aequaliter obligarent. nam eadem esset ratio obligationis in omnibus. At hoc est falsum. nam magis obligat lex, Non occides, quam lex, Non furaberis. 3. Illa lex diuina magis obligat, cuius violatio est magis contraria fini legis, id est, charitati. ideo enim peius est occidere, quam furari, quia magis contra charitatem. Sed lex humana etiam habet pro fine charitatem, & ordinat media ad hunc finem, *1. Tim. 1. 5.* & semper est determinatio, seu conclusio legis diuinae moralis. Igitur eadem est ratio diuinae & humanae legis, quantum ad obligationem. 4. Lex diuina positiua ideo obligat ad peccatum, quia constituit actum, quem praecipit in genere virtutis, cum ante non esset. e. g. non comedere carnem suillam est indifferens. At lex diuina facit ex actu isto indifferente actum virtutis. Hoc idem est in lege humana; quippe quae aequo actu indifferente potest constituere in genere virtutis. 5. Lex diuina, & humana ita differunt, vt lex regis & proregis: quia reges sunt ministri Dei. At istae obligant eodem modo, & solum differunt firmitate. Ergo & illae. 6. Videtur implicare contradictionem, posse principes obligare ad poenam, & non ad culpam, si quidem culpa & poena sunt relativa. At culpa obligat conscientiam. E. & lex humana. 7. Apostolus *Rom. 13.* iubet parere magistratui propter conscientiam; quia nempe est illa potestas a Deo; & qui ipsi resistit, ordinationi Dei resistit, ideoque acquirit sibi damnationem. Dicit etiam, nos esse subditos necessitate. Idem confirmatur *1. Petr. 2.* Subiecti estote propter Deum.

V. Respond. 1. Est petitio principij. Neque enim omnis lex habet vim obligandi intrinsecam & essentialem: sed illa dumtaxat, quae a Deo est pro-

fecta, non vero ista, quae hominem habet authorem. Isti enim vis obligatoria est extrinseca & accidentaliter, quatenus nempe conformis est legi diuinae. Solum Deus habet ius in conscientiam. E. ipsius leges solae obligant conscientiam primo & per se. 2. Omnes leges diuinae aequaliter obligant conscientiam ratione legislatoris: inaequaliter ratione materiae: quia hoc respectu vna plus obligat, quam alia. Ideo prima tabulae praecipit magis obligant, quam secunda. *Matth. 22. 38.* vbi fit mentio maximi mandati. 3. Charitas est finis legis diuinae, & humanae: sed inaequaliter. Illa enim ordinat sua media ad hunc finem perfecte, absque errore: ista imperfecte, & saepe cum errore crassissimo. Itaque charitas immediate attingitur a lege diuina; ab humana mediate, quatenus ordinatur ad diuinam, & ab illa suam accipit *ἐν τελειότητι*. 4. Non omnis lex diuina versatur circa actum indifferente, vt illum constituat in genere virtutis. Nam v. g. Deum colere fiducia & timore est actus, quem moderatur lex diuina. At iste actus non est indifferens. Deinde lex diuina constituit actum in genere virtutis per se: humana, per accidens. Aut enim ibi est actus virtutis interior, aut exterior. Illo modo lex humana per se non praecipit virtutem, sed per accidens, id est, mediante lege diuina: hoc modo non obligat conscientiam, quia actus illi exteriores sunt probabiles, & non referuntur ad Deum, sed ad *τὸ κοινὸν* civilem. 5. Negatur propositio maior; quia etsi magistratus est vicarius Dei, non tamen ideo lex ab ipso lata aequaliter potest ligare, atque lex Dei. Deinde lex proregis ideo obligat, quia promulgat consentanea legi diuinae. Et ideo quoque obligat lex regis. Neutrius autem leges obligant conscientiam, cum promulgant ea, quae sunt contraria legibus diuinis, siue in natura, siue in Scriptura expressis. 6. Culpa vtrique est, si quis transgrediatur praecipitum regis iustum. At culpa ista non est aequalis illi, qua quis violat praecipitum summi regis. 7. Apostoli loquuntur de auctoritate magistratus in genere, non vero respectu omnium & singulorum legum; quia necessitas obseruandi non consistit in rebus praecipitis (illae enim possunt esse illegitimae) sed in auctoritate, quam magistratus habet a Deo, & in conformitate legum humanarum siue civilium cum legibus diuinis.

CAP. XVII.

Vtrum magistratus summus a Papa possit iure excommunicari?

I. Eminentia magistratus ita est, tum in religionis negotio, tum in rebus politicis: iam erit ipse subiectio itidem in religionis negotio, & in rebus politicis. Ibi quaeritur. An magistratus summus possit excommunicari a solo Papa; hic, An idem sit subiectus Papae, quantum ad iurisdictionem & dignitatem suam: Nos vtrumque negamus: Papistas vtrumque affirmant. Quod attinet ad primam quaestionem, tria ista distincte sunt euoluenda: An summus magistratus excommunicari possit: an a solo Pontifice Romano id fieri possit & debeat: an excommunicatio illa secum trahat imperij abdicationem?

II. Sunt, qui negant summum magistratum posse excommunicari; quod sit fidei defensor, nutritus Ecclesiae, pater patriae, & vicarius Dei in republica. Absurdum itaque & periculosum esse dicunt, si ille excommunicetur. Sed ego existimo distinguendum esse inter excommunicationem minorem, & maiorem. Illa dicitur ablatio, haec *ἡ ἐξοχή* excommunicatio. Itaque summus magistratus, si est ciuis & membrum Ecclesiae, iisdem quoque tenetur legibus Ecclesiasticis. Nam potestas clauium ita data est Apostolis, vt ligatio & solutio sine discrimine concernat omnes in gremio Ecclesiae constitutos. *Matth. 16. & 18.* Quodcumque ligaueris & c. *Iohan. 20.* Quorum remiseritis peccata & c. Subiacent ergo & ipsi principes centuribus Ecclesiasticis. Verum quia dantur gradus personarum delinquentium, & censura Ecclesiastica, prudentia Christiana exigit vt illi rite obseruentur. Quare cum princeps sit eximia persona in domo Dei, sic est temperanda excommunicatio, vt vere quidem ille sentiat fulmen, sed ne conuulsio aliqua Ecclesiae vel politica inde existat. Atque sic interpretor illa veterum: quale primo est illud *Eusebij lib. 6. hist. Eccles. cap. 25.* Gordiano, cum per sex annos Romanum gubernasset imperium, Philippus vna cum filio Philippo succedit. De hoc traditum nobis est, quod Christianus fuerit, & in die Paschae, id est, in ipsis vigiliis, cum interesse voluisset, & communicare mysterijs, ab Episcopo loci non prius esse permissum, nisi confiteretur peccata sua, & inter poenitentes staret, nec vlllo modo copiam sibi mysteriorum futuram, nisi prius per poenitentiam culpas, quae de eo ferebantur plurimae diluisset. Ferunt igitur, libenter eum, quod a sacerdote imperatum erat, suscepisse. Sic *Chrysostomus homil. 26. ad populum Antiochenum* ait: Si quis hoc mandatum praestare negat, velut tuba quadam per sermone prohibeo Ecclesiae limina talem adscendere, licet princeps, licet ipse sit diademate redimitus. Et in *Matth. 26. homil. 83.* Non parua nobis imminet poena, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensae participationem permittatis. Sanguis enim eius ex manibus requiritur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatus, indigne accedat, cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem. *Theodoretus libro 4. hist. Ecclesiae cap. 5.* In occidentem profectus (*Valentinianus Imp.*) illius regiones praclaris instruxit legibus, exordiumque a verae pietatis praedicatione cepit. Nam cum Auxentius, Ecclesiae Mediolanensis Episcopus, labe Ariana infectus, & in multis Concilijs abdicatus, e vita exiisset, Imperator iste, accersitis ad se Episcopis, sic apud eos verba facit: Est vobis, vtpote sacris & diuinis literis institutis, explorata cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad Episcopatum gerendum delectus: & quod necesse sit gregem suum non doctrina solum, verum etiam praecleara viuendi ratione moderari, & se cuiusque virtutis exemplar ei praebere, suaque disciplinae rectam vitam & morum institutionem testem habere. Quare hominem ita instructum in sede & gradu Episcopali iam collocat, vti & nos, a quibus hoc gubernatur imperium, ei vere & ex animo capita inclinamus,

mus, & illius reprehensionem (nam cum simus homines, errare ac labi necesse est) velut medicinam animorum cupide amplexemur. Idem Theodoretus lib. 5. cap. 17. author est Ambrosium Theodosio Mediolanum redeunti occurrisse, & dixisse, *Suscipe vinculum, quo ut ligeris, Dominus omnium celitus sententiam datus est*; de quo tunc dicitur in *Deo* *zōnē ai sū. Anpō*, *Suscipe vinculum, quod Deus suo suffragio approbat*. Sed, inquis, excommunicatio ista Theodosij fuit maior: quippe qui menses octo a sacris cœtib; & amplius abfuit. Et facinus quoque ipsius hanc pœnam merebatur.

Respondeo. Historiæ non expresse meminerunt fuisse Theodosium ab Ambrosio excommunicatum. Sed quia ex ijs, quæ in historiis hæc de re traduntur, non obscure colligi potest, omnino statuendum est, excommunicationem illam fuisse minorem. Nam si maior fuisset, proculdubio historici formulam, vel saltem actum ipsius & processum adnotassent. Rursus obiicitur, *Euagrius* l. 3. c. 34. in fine scribere de Anastasio Imp. cum *de inuentione cœ Chalcedonensis synodi iudicantes ex sacris tabulis exemerunt*: imo addit, quod Hierosolymis *anathema ei fuit denuntiatum*. Itaque non solum maior, sed maxima excommunicatio hic fuit adhibita. *Resp.* Hic non sine causa quis dixerit, *Excessit medicina modum*. Nisi velimus dicere, rarum hoc esse exemplum, ideoque non imitandum.

III. Sed excipit Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 16. loca Scripturæ generaliter & promiscue loqui de pœnis Ecclesiasticis: vt *Deut.* 17. Qui superbiuit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. *Matth.* 16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Generaliter loquitur Dominus: nec dicit, *Quemcunque*, sed, *Quodcunque* ligaueris. *Iohan.* 21. Pasce oues meas. Vt iuxta regem vocabulo, nimirum *ποιμαίνω*. *Iohan.* 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. In quem locum Chrysostrmus: *Suum eis*, inquit, *reliquit ministerium*: & Theophylactus: *Opus*, inquit, *meum suscipite*. Dominus ergo reliquit Apostolis locum suum, ac vt sua fungerentur autoritate, in regno suo gubernando voluit. Quod etiam confirmatur ex *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Denique nullum fere est Concilium, quod non aliquid præcipiat, vel interdicit, sub pœna anathematis, vel depositionis. *Resp.* 1. Moses non loquitur de excommunicatione, sed de exterminatione per mortem. Deinde lex illa fuit singularis in politia Mosæica. 2. Concedimus, excommunicationem generaliter esse sancitam a Christo, & ideo principem ab illa non esse eximendum simpliciter, sed secundum quid: quia dantur gradus excommunicationis. 3. Pasce est vocabulum regium & humile. Hoc in loco non est regium; quia notat curam pastoralem humilem, quæ in magistratu est regia. Vide quæ *cap.* 13. §. 13. lib. diximus. 4. Apostoli & eorum successores sunt *πολιτευόμενοι*, eoque superiore magistratu ciuili. Sed hinc non sequitur, immensa ipsorum potestas. 5. Conciliorum anathemata & depositiones cum certa moderatone interpretari & exequi oportet.

IV. Patet ergo, summum magistratum, v. g. Imperatorem, aut regem, non eximi ab excommunicatione Ecclesiastica. Sed cuius tandem est, vinculum illud adhibere vel laxare? Non sane Papæ Romani, sed cuiuslibet Episcopi, qui curat salutem animæ Principis, adhibito Presbyterio vel Concilio. Nam primo Christus ait *Matth.* 18. Dic Ecclesiæ. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. q. d. abtque Ecclesiæ iudicio nihil hic fieri debet. Et excommunicatio est censura quædam diuino iure sancita, quæ non ad Rom. solum Pontificem pertinet, sed ad omnes præterea, quibus clauum iurisdictionis commissa est. Illa vero omnibus Episcopis & Pastoribus, non soli Papæ, est commissa. Deinde, ratio ipsa hoc docet. Si enim priuata personæ excommunicatio, nõ a solo Episcopo, sed a toto presbyterio, & requirente rei necessitate & grauitate, a toto cœtu, sine totius cœtus consensu, peragi debet, ne medicina salubris peccantium, per tyrannidem in perniciem animarum vertatur; neque quod Ecclesiæ edificanda seruire debet, eam destruat: multo magis in excommunicatione summi magistratus id fieri debet. *Tertio*, veteres hoc idem docent: vt *Tertullianus* in *Apologetico aduersus gentes* cap. 39. Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplina unitate, & spei cœdere. Coimus in cœtum, & congregationem. *Et mox*: Ibidem etiam exhortationes, caligationes, & censura diuina: nam & iudicatur magno cū pondere, vt apud certos de Dei cōspectu, summumq; futuri iudicij præiudiciū est, si quis ita deliquerit, vt a cōmunicatione orationis, & cōuentus, & omnis sancti commercij relegatur. Præsertim probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: *Cyprianus* *epist.* 28. *sect.* 2. seu lib. 5. *epist.* 3. in editione *Manutij*: Legite vero has easdem literas & collegis meis, si qui aut præsentis fuerint, aut luperuenerint, vt animas & contordes ad fouenda & sananda lapsorum vulnera consilium salubre teneamus, tractaturi plenissime de omnibus, cum conuenire in vnum per Domini misericordiam cœperimus. *Et mox*: Desideratis quoque, vt de Philumeno & Fortunato hypodionis, & Favorino acolutho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur rescribam. Cui rei non potui me solum iudicem dare, cum multi adhuc de clero absentes sint, nec locum suum vel sero repetendum putauerint, & hæc singulorum tractanda sit & limanda plenius ratio, non tantum cum collegis meis, sed & cum plebe ipsa vniuersa. Expendenda enim moderatone libranda & pronuntianda res est, quæ in postetum circa ministros Ecclesiæ constituat exemplum. *Quarto* praxis veterum hoc ostendit. Ambrosius excommunicauit Theodosium, vt paulo ante ostendimus. Et Babylas Antiochenus Episcopus excommunicauit Imperatorem, vt author est *Chrysostrmus* libro *contra Gentiles*. Si ergo Episcopus Mediolanensis id potuit, & Episcopus Antiochenus, & alij: tum certe quilibet Episcopus, in cuius Ecclesia moratur Imperator, id potest facere. Nam & Chrysostrmus ex Babylæ exemplo cuiuslibet Episcopi officium præscribit. Sic enim ait: *Orbis eorumque quæ in urbe sunt magis præfectus est* *ἡμῶν ἡγεμὼν λαχὼν*, *is cui sacerdotium obtigit, quam qui purpuram gestat*. Neque minuenda est autoritatis magnitudo: quin vna potius quam dignitate cedendum. Porro Episcopi excommunicarunt Anastasium Imp. vt modo §. 2. ex *Euagrio* diximus. Ergo non est Papæ proprium excommunicare Imperatorem.

V. Contra, hoc esse ipsius proprium, ita probat *Bellarminus* lib. 2. de Pontif. cap. 19. Innocentius I. cum audiuisset mortuum esse Chrysostrmum excommunicauit Imp. Arcadium & Eudoxiam uxorem eius; vt est apud *Ni-*

cephorum lib. 13. cap. 34. Deinde Gregorius III. Leonem Imp. Græcum excommunicauit, teste Zonara in vita Leonis Isauri: Nicolaus I. excommunicationem minatus est Lothario regi, & re ipsa excommunicauit concubinam eius, necnon Archiepiscopos Coloniensem, & Treuirenses. Sed habemus exemplum illustrius & antiquius. Nam cum Pius I. decreuisset, vt Pascha non celebraretur cum Iudæis decima quarta die primi mensis, sed Dominica sequente, & Asiani nolent acquiescere, eos omnes Victor Papa excommunicauit circa annum Domini 190. Cæterum non obici potest, quod etiam Ambrosius, qui summus Pontifex non erat, Imperatorem excommunicauerit. Nam Ambrosius id fecit in sua Ecclesia, cum Imperator Mediolani sedem haberet. at excommunicare aliquem extra Mediolanensem diocœsim, Ambrosius nunquam ausus fuisset. Innocentius autem etiam Imperatores Constantinopolitanos, & Constantinopoli existentes, excommunicauit. Similiter Gregorius Leonem Imp. Græcum excommunicauit.

VI. *Respondeo*. Innocentius non excommunicauit Arcadium. Eri enim hoc haberetur in epistola Innocentij apud Nicephorum loco, quem allegauit Bellarminus: tamen illam epistolam non esse Innocentij facile probari potest. Nam neque Socrates, neque Sozomenus, neque Theodoretus vllam mentionem faciunt huius excommunicationis, qui tamen de Chrysostrmo ab Arcadio deturbato multa scribunt. Deinde idem adnotant, Eudoxiam eodem anno mortuam esse, quo Chrysostrmus in exilium est pulsus; & Chrysostrmum tertio exilij sui anno mortuum esse. Itaque non potuit Innocentius excommunicare Eudoxiam mortuo Chrysostrmo, quia Eudoxia ante mortua est. 2. Exemplum Gregorij est recentius. Vixit enim anno 730. Nos vero antiqua exempla volumus. 3. Hoc exemplum est superiore recentius. Iam enim Antichristus summum in Ecclesia principatum obtinuerat. Vnde de Nicolao isto sic scribit *Rheginol.* 2. Regibus ac tyrannis imperauit, eisque ac si dominus orbis terrarum esset, autoritate præfuit. 4. Victor Asianus non excommunicauit, sed conatus tantum est excommunicare. Sic Eusebius, *in epistola*, *tentauit excommunicare*. Sic Nicephorus lib. 4. cap. 38. scribit, in animo habuisse excommunicare, & literis in eos inuectum esse, & a cōmunionem excludendos minatum. Fecit nempe Victor, quod nullo modo facere debuit. Hinc omnium fere Episcoporum literis reprehensus fuit: vt est apud *Eusebium* lib. 5. cap. 25. §. 5. tñ Ambrosius excommunicauit Theodosium, cum esset Mediolani, tamen propter crimen non Mediolani, sed Thessalonica commissum excommunicauit. Deinde iam ante docuimus ex *Euagrio*. Imperatorem Anastasium ab alio quam a Pontifice Romano etiam extra diocœsim suam excommunicatum esse. Nam anathema ipsi denuntiatum est Hierosolymis. Itaque adhuc manet nostra thesis, excommunicationem Principis, quippe partem iurisdictionis Ecclesiasticæ, omnibus Episcopis, Pastoribus, Ministris commissam esse, non soli Pontifici Romano.

VII. Restat vt inquiramus, an excommunicatio Principis necessario coniuncta sit cum priuatione imperij. Nos negamus; quia Apostoli a Christo acceperunt claves regni cœlorum, non vero regni terreni. Itaque excommunicare est spiritualiter punire, non vero regem ab officio suo deponere, & regno atque imperio priuare. Deinde nullus veterum Episcoporum hoc fecit: sed Episcopus Rom. hanc potestatem sacrilego ausu sibi vendicauit. Neque enim iure diuino, vel humano ista potestas nititur. Quid vero ad hæc Papistæ? Plurima hic accumulunt, quibus efficere conantur, Papæ habere ius vtriusque gladij. Qua de re iam disputabimus cap. seq. vnde petes argumenta ipsorum, & nostram solutionem.

CAP. XVIII.

An magistratus ciuilis Pontifici Romano sit subiectus?

I. **C**amarinam hoc loco mouere oportet. Nam Canonistæ, & alij cinistones curiæ Romanæ docent, Romanum Pontificem esse dominum, non tantum orbis Christiani, sed etiam totius orbis terrarum, ita vt iure diuino habeat plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in Ecclesiasticis, tum in politicis. Quidam etiam ex ijs vltius progrediuntur, & docent, per Christi aduentum omne dominium principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam & residere in summo Pontifice, vt vicario summi & veri regis Christi, & ideo posse Pontificem regna infidelium iure suo donare, quibus voluerit fidelium. Sed plerique Papistæ mitius hic videntur sentire, qui nempe docent, Pontificem, vt Pontificem, non habere directe & immediate vllam temporalem potestatem, sed solum spirituales; tamen ratione spiritualis habere saltem indirecte potestatem quandam, eamque summam in temporalibus. Ita sentit *Bellarmin.* l. 5. de Rom. Pontif. c. 1. & alij multi, quos ibi recenset.

II. Primam sententiam refutat *Bellarminus* d. l. & probat ista tria Papam non esse dominum totius mundi, cap. 2. neque totius orbis Christiani, cap. 3. neque etiam vllius prouinciæ aut oppidi, iure diuino, cap. 4. Argumenta contraria soluit, cap. 5. Et ita quidem videtur *Bellarminus* recte sentire. Verum ex sequentibus patebit, sententiam Canonistarum a *Bellarmino* & eius similibus tantum dicis causâ, siue ad simplices fallendum, impugnari: ne videlicet, primo statim aspectu factitas & turpitudine sententiæ Papisticæ conspiciatur. Ideo dicunt, Papam non habere dominium aliquod temporale directe, sed tantum indirecte. Verum enim uero res eodem tandem redit, siue directe (quod faciunt ingenui Papistæ) siue indirecte (quod faciunt Iesuitæ) supremum orbis vniuersi, inprimis vero Christiani, dominium, & supremâ potestatis in rebus secularibus, Romano Pontifici attribuitur: ita vt *Bellarmini* sententia reuera profus eadem sit cum sententia Canonistarum; nisi quod non nihil interpolata, & fucio quodam circumlita est. Nos itaque primo probemus, temporale dominium nullo modo, neque directe neque indirecte, Romano Pontifici conuenire: & postea soluamus argumenta *Bellarmini*.

III. *Primum argumentum* hoc est: Quæ sententia confundit dominium

spirituale, regno Christi proprium, & dominium temporale, itemque officium pastorum verbi, & regum huius seculi: ea toti religioni Christianae aduersatur. Atque sententia, quae Episcopo Romano tribuit dominium aliquod temporale, ita se habet. E. Probatum assumptio. Siue Pontifex Romanus totius orbis Christiani dominus constituitur directe, siue indirecte, semper hoc manet, ipsum esse dominum secularem, seu principem temporalem: quod est contra naturam ministerij sacri. Potest enim Papa disponere de rebus temporalibus omnium Christianorum, ut sunt verba Bellarmini *d.l.c.6.* Neque ipsum iuuat, quod ibidem ait: Pontificem, ut Pontificem, etsi non habeat ullam mere temporalem potestatem, tamen habere in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum. Nam qui ita disponit de regnis, ille utique directe illa regit. Haec itaque Bellarmini thesis contradicit sibi ipsi. Dicit enim, Pontificem esse supremum dominum in temporalibus, & non esse: & esse quidem indirecte, non esse directe. At qui disponit de omnibus, habet in illa dominium directum. Sed paulo pluribus persequamur hoc argumentum, ut potest, praecipuum. Vtraque illa sententia confundit duas iurisdictiones plane diuersas; idque sub praetextu pietatis & religionis; contra quam *Rom. 13.1. Petr. 2.1. Cor. 12. Eph. 4. Hebr. 13.* & alibi passim, facere iubemur. Ut enim temerarium atque impium esset, si principes idcirco se spirituali iurisdictioni eximerent, quia temporalem iurisdictionem ipsi obtinent: ita patitur iniustum & tyrannicum est, Episcopos praetextu religionis secularem potestatem usurpare, & iugum magistratus politici excutere velle. Itaque non solum ista confusio aduersatur naturae regni Christi, sed etiam est impia, quatenus magistratus politici auctoritatem labefactat.

IV. *Secundo sic argumentamur.* Si dominium Papae in temporalibus nullo nititur mandato diuino, non est iuris diuini. Sed antecedens est. E. Ratio consequentiae est: quia ut Christus instituit ministerium N. T. ita quoque instituit hoc dominium, si aliquod esse debuisset. Probatum assumptio; quia duo illa argumenta, quae solent ex S. literis adferri a Canonistis, ex *Matth. 28.* Data est mihi omnis potestas &c. & ex *Luc. 22.* Ecce duo gladij hic: refutantur a Bellarmino, *c. 5.* & postea *c. 7.* ait, suam sententiam probari rationibus, & exemplis. Nulla hic adducit testimonia Scripturae, si excipias illud *Ioh. 21.* Pasce meas oues.

V. *Tertio*, haec sententia aduersatur testimonijs Scripturae. Nam qui solas clauis regni caelorum accepit a Christo, non accepit etiam clauis regni terreni. Sed Petrus accepit solas clauis regni caelorum. E. non accepit clauis regni terreni, neque directe scilicet neque indirecte. Nam plane non accepit. Deinde Apostoli iussi sunt dare Caesari, quod Caesaris est, *Matth. 22.* Et omnis anima iubetur obedire seculari potestati, etiam propter conscientiam, *Rom. 13.* At summa illa potestas Papae in temporalibus, siue directa, siue indirecta, eximit ipsum ab obligatione illa. Ergo, Denique Christus discrete testatur *Ioh. 18.* regnum suum non esse de hoc mundo. At vicarius ipsius obtinet regnum aliquod mundanum: quia alij dicunt temporale dominium ipsi directe competere, alij indirecte.

VI. *Quarto*, Christus nullam prorsus potestatem temporalem vlla ratione usurpauit. Ergo vicarius eius non debet aliquam sibi sumere. Neque enim legitimus est vicarius, qui suum principalem non repraesentat. Similiter Petrus nullam iurisdictionem temporalem habuit, vel usurpauit. Itaque nec ipsius successor debet aliquam sibi sumere.

VII. *Quinto*, veteres Episcopi Romani Imperatorem agnouerunt dominum suum. Ergo eius auctoritati fuit obnoxius. Probatum antecedens. *Gregorius M. l. 3. epist. 61.* ipsum appellat serenissimum suum dominum, se vero indignum eius seruum fatetur. *Idem lib. 4. epist. 31.* Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur. *Et 34.* In omnipotente Deo confido, quod longam pijs Dominis vitam tribuet, & nos sub manu vestra secundum misericordiam suam disponet.

VIII. *Sexto*, Romanus Pontifex olim fuit subditus Imperatori. Nam olim creditum fuit a Christianis, supra Imperatorem non esse nisi Deum, ut ait *Opratus l. 3.* Deinde, Imperatores cum conuocabant Concilia oecumenica, solebant Episcopum Rom. vocare, & que ac reliquos per totum orbem Episcopos. Tertio a Pontifice Romano fuit olim appellatum ad Imperatorem. Hic itaque illo est maior. Quarto, cum agerent apud Imperatorem Episcopi Romani, etiam de causis Ecclesiasticis, humiliter supplicabant. Quinto, Imperator Episcopum Rom. ad se, cum libebat, accessere solebat. Sexto, Imp. auctoritate sua confirmabant, vel infirmabant electum Rom. Pontificem. Septimo, Constantinus M. delegauit Melchiam Rom. Pontificem, vna cum alijs, iudicem in causa Caecciani contra Donatum. Vide *Chamieru tom. 2. l. 14. c. 13. & nostrum librum 3. de Concilijs passim.*

IX. *Septimo*, veteres Episcopi, etiam Romani, saltem ad septimum vsque seculum, spirituali tantum iurisdictione contenti fuerunt; nec huius praetextu temporalem vnquam exercuerunt. Imo discrete, Ecclesiae ministris eam a Christo interdictam esse tradiderunt: sicut in *Apologeticis scriptis Tertulliani, & Visini Martyris*, item in *varijs epistolis Athanasij, Ambrosij, Augustini, Gregorij M.* & aliorum videre est. Itaque indirectam illam Bellarmini potestatem non agnouerunt. Pertinent huc illa seqq. *Nicolaus I. Papa in epist. ad Michaellem Imp.* ait: Quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, sic actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit propria, volens medicinali humilitate hominum eorda sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi: ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret in curibus; & ideo militans Deo minime se negotijs secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus diuinis praesidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus. *Gratianus caus. 23. q. 8.* Cui (potestati seculari) omnis etiam anima subdita esse debet; omnis, inquam, qui praeter auctoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.

X. *Octauo*, postquam vtraque potestas a Pontifice usurpari coepit, non pauci eam usurpationem acriter reprehenderunt: in primis *Bernhardus* in libris de consideratione ad Eugenium Papam. Imo *Ecclesia Gallicana* superbam illam Extrauagantem epistolam, de maiestate & obedientia &c. quae incipit, *Vnam sanctam*, semper haec tenus reiecit, eique pragmaticam sanctionem constanter opposuit. Vide quoque *Marfilium Patavinum*, & alios eiusdem notae scriptores.

XI. *Nono, & ultimo*, experientia iam seculis aliquot testata est, per hanc indirectam temporalem potestatis usurpationem, omnia in orbe Christiano bellis & homicidijs repleta fuisse: nec ipsam vlllo modo ad Ecclesiae salutem, sed plane ad eiusdem perniciem & vastationem spectasse. Ex quibus fructibus apparet, non Christum, sed Antichristum, huius usurpationis auctorem esse: & proinde illam esse signum Antichristi: quemadmodum iam olim *Marfilium Patavinum, Dantes Aligerius, Franciscus Petrarca, Laurentius Valla, &* plures alij viri doctissimi, in ipso etiam Papatu, palam asseruerunt.

XII. Sententiam suam Bellarminus explicat, *cap. 6.* probat rationibus, *cap. 7.* & exemplis, *cap. 8.* denique *cap. 9.* probat, non repugnare verbo Dei, ut vnus homo sit princeps Ecclesiasticus, & politicus simul. *Explicatio* est talis. Ut se habent in homine spiritus, & caro, ita se habent in Ecclesia duae illae potestates spiritualis & secularis: ut est apud Gregorium Nazianzenum in orat. ad populum timore percussum. Nam caro, & spiritus sunt quasi duae respublicae, quae & separatae, & coniunctae inueniri possunt. Similiter duae illae potestates aliquando inueniuntur separatae, ut olim tempore Apostolorum, aliquando coniunctae, ut nunc. Quando autem sunt coniunctae, vnus corpus efficiunt, ideoque debent esse connexae, & inferior superiori subiecta, & subordinata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotijs, sed sinit omnia procedere, sicut antequam essent coniunctae, dummodo non obstat nisi spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest, & debet coercere temporalem omni ratione, ac via, quae ad id necessaria esse videbitur. *Rationes* sunt numero quinque. 1. Potestas civilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraque pars est eiusdem reip. Christianae, ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim superior potest imperare suo inferiori. Quare cum Pontifici suprema potestas spiritualis a Christo sit data, respectu modo dictae subordinationis etiam summa potestas temporalis eidem attributa est, quatenus nempe haec ab illa continetur in officio. 2. Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Tales enim sunt omnes respub. bene instituta. Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum. Sed necessaria est ad finem spirituale, potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus: quia alioqui possent mali principes impune fouere haereticos, & euertere religionem. 3. Non licet Christianis tolerare regem infidelem, aut haereticum, qui ipsos seducere conetur. At Christiani cogentur saepe eiusmodi infidelem aut haereticum admittere Principem, nisi Pontifex ipsis opem ferret. Nam iudicare, an Rex pertrahat ad infidelitatem, vel haeresim, nec ne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis. E. Pontificis est, iudicare regem esse deponendum, vel non deponendum. 4. Quando reges, & principes ad Ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptrum sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturus, & defensuros, etiam sub poena regni perdendi. Ergo quando haeretici fiunt, aut religioni obstant, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi a principatu. 5. Cum Petro dictum est, *Pasce oues*, Iohan. vlt. data est illi facultas omnis, quae pastori est necessaria ad gregem tuendum. At pastori necessaria est potestas triplex, nimirum, vt lupos arceat, arietes cornu peras recludat, oues pascat. Itaque pastor Ecclesiae debet lupos abigere, & si aliter coerceri non possint, occidere; arietes, h. e. reges, taquam gregis duces, seorsim recludere, si forte reliquum gregem infestent; denique oues nutrire. *Exempla* sequuntur numero XII. *Ozias rex 2. Paral. 26.* cum sacerdotum officium usurparet, a Pontifice fuit de templo eiectus, & propter idem peccatum a Deo lepra punitus. *Ioiada* Pontifex reginam Athaliam ab officio remouit, & Ioas regem fecit. *2. Paral. 23.* *Ambrosius* excommunicauit Theodosium. E. ipsius causam cognouit, & proinde fuit iudex Theodosij. Imo coegit Imperatorem, vt legem politicam ferret. Itaque potestate temporalis est vnus. *Gregorius I.* in fine epistolae ait: Si quis regum, antistitum, iudicum, vel quarumcunque secularium personarum, huius Apostolicae auctoritatis, & nostrae praecceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit honore suo priuetur. *Gregorius II.* Leoni Imperatori Iconomacho, a se excommunicato, prohibuit vestigia solui ab Italis, & proinde multauit eum parte Imperij. *Zacharias*, rogatus a primoribus Francorum, Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum regem creari iussit. *Leo III.* Imperium transtulit a Graecis ad Germanos. Itaq; Imp. qui fuerunt a tempore Caroli M. Pontifici debent suum Imperium. *Gregorius V.* sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germania Principes: quae vsque ad hanc diem seruatur. *Gregorius VII.* Henricum IV. Imp. deposuit, & alium eligi iussit: quod & factum est. *Innocentius III.* Othonem IV. similiter deposuit. *Innocentius IV.* deposuit Fridericum II. *Clemens VI.* Ludouicum IV. Imp. a Iohanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum deposuit. Porro non pugnat cum verbo Dei, vt vnus homo sit princeps ecclesiasticus & politicus simul, probatur primo exemplis sanctorum, qui inueniuntur reges & principes fuisse: vt, Melchisedec, fuit rex & sacerdos, *Gen. 14.* Noe, Abraham, Isaac, Iacob praefuerunt suis tum in religione, tum in vita politica. Moses fuit summus princeps temporalis, & summus Pontifex; quippe qui adoleuit Domino incensum, *Leuit. 8.* & consecrauit Aharonem in sacerdotem, sanctificauit tabernaculum &c. vnde a Philone, Nazianzeno, & alijs appellatur, rex, legislator, pontifex, propheta, principum princeps, sacerdotum sacerdos: Heli fuit & summus Pontifex, & iudex politicus, *1. Reg. 1. & 4.* Maccabaei denique, inde a Iuda vsq; ad Herodem simul & Pontifices & Duces fuerunt. Deinde probatur rationibus. 1. Potestas Ecclesiastica & politica non sunt contrariae. Ergo possunt simul esse in eodem. 2. Magis diuersa sunt pax & bellum, quam bona temporalia & spiritualia. At vnus & idem rex simul praesidet Senatui & exercitui. Ergo multo magis vnus poterit praesidere in temporalibus, rebus, & spiritualibus. 3. Potest vnus rex gubernare diuersissima regna, quae diuersos mores, ritus, leges, consuetudines habeat. Et pari ratione potest vnus Episcopus regere quae plurimas Ecclesias: vt patet de Patriarchis antiquis. Ergo etiam poterit vnus homo regere vnum Episcopatum, & vnum principatum. Hoc enim est longe facilius, quam duo illa priora. 4. Qui donauerunt Episcopo Romano, alijque Episcopis principatus temporales, pij homines fuerunt: vt Constantinus Magnus, Carolus M. Ludouicus Pius &c. Contra, qui eiusmodi principatum auferre conati sunt, vt Henricus IV. & V. Otho IV. Fridericus I. & II. ab omnibus historicis, vt impij, & sacrilegi notantur. 5. Etsi absolute forte praestaret, Pontifices tractare solum spiritualia, & reges temporalia: tamen propter malitiam temporum

porum experientia clamat, non solum vtiliter, sed etiam necessario, & ex Dei providentia donatos fuisse Pontifices, aliosque Episcopos temporalibus principatibus. Si enim in Germania principes Episcopi non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permanissent. Sicut ergo in V. T. diu fuerunt Pontifices sine Imperio temporali, & tamen tempore Maccabæorum non poterat religio consistere, & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent: ita quoque accidisse videmus Ecclesiæ, vt quæ primis temporibus ad maiestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessario indigere videatur. Talia sunt Bellarmini argumenta; quibus nostra antidota opponemus.

XIII. *Antidotum ad explanationem.* 1. Caro & Spiritus, seu corpus & anima necesse est vt intime vniantur, si suppositum siue personam debeant constituere. At huiusmodi connexio potestatis spiritualis, & temporalis est impossibilis, & inutilis, minimeque necessaria. 2. Caro & Spiritus sua natura ordinantur ad vnionem personalem in homine. At hic finis non est propositus duplici isti potestati, vt in vno concurrat subiecto. 3. Vt Apostolorum tempore fuerunt distinctæ hæc duæ potestates: ita semper in Ecclesia debent manere distinctæ. Nam potestas Apostolis data est idea potestatis Ecclesiasticæ in N. T. 4. Potestas spiritualis debet sane coercere potestatem temporalem, si exorbitet, sed non nisi armis spiritualibus.

XIV. *Antidotum ad rationes.* 1. In hac ratione falsum assumitur; dum asseritur, potestatem temporalem ita spirituali subiectam esse, vt hæc illam, sicuti aberret, externa etiam armorum vi, coercere debeat; cum huius tantum sit, verbo & disciplina Ecclesiastica corrigere: illius autem, gladio & vi externa compescere exorbitantes. 2. Resp. Christi, seu Ecclesiæ, est perfecta etiam absque externa illa & coactiua potestate. Quod autem attinet media, quæ ad perfectionem istam ducunt & conducunt, illa sunt vel interna, vel externa; & hæc rursus, Ecclesiastica, vel politica. Media interna semper administrantur à Spiritu sancto: media externa Ecclesiastica semper administrantur à piis pastoribus: media externa politica tum demum administrantur à magistratu, quando Deus Ecclesiæ dat huiusmodi nututios. Itaque media illa non semper sunt in Ecclesia. 3. In hac ratione falsum assumitur; quasi scilicet populus Dei bona conscientia principi infideli aut hæretico non possit esse subiectus: aut quasi Ecclesia Christi in hac vita non experiatur persecutionem à principibus. 4. Hic partim petitur principium, partim fallacia consequentis admittitur: cum neque Christus ista potestate Principes in Ecclesiam suam recipi iusserit; & longe aliud sit, omnia sua Christo & Ecclesiæ subicere, idque vltro, & animo spontaneo: aliud, inuito alicui res suas eripere. 5. Aliud est, Ecclesiam verbo pascere, ac disciplina spirituali regere; aliud reges & principes in Ecclesia, aut ab Ecclesia alienos, regnis suis spoliare. Neque enim hoc Christus mandat, sed prius illud. Deinde similitudo ista nimis extenditur: quanquam si recte explicetur, extensio illa potest admitti; vt nempe pastores Ecclesiæ, oues suas conuenienti pabulo nutriant, lupos armis spiritualibus abigant & confodiant, arietes disciplina Ecclesiastica coerceant.

XV. *Antidotum ad exempla.* 1. Ozias rex non potestate aliqua temporali, sed tantum spirituali à sacerdote Azaria est coercitus. Et ipsius percussio fuit diuina, miraculosa, & extraordinaria, a Deo inmissa ob *πολυπρεπὴς μωσῶν*. 2. Ioiada id fecit extraordinarium; neque solus id fecit, sed ex optimatum, &

totius populi consensu. Sunt, qui dicant, ipsum hoc fecisse, non vt sacerdotem, sed vt consiliarium regni. 3. Ambrosius non vltus est gladio corporali, sed spirituali. Nihil enim fecit, quod excederet censuras ecclesiasticas. Deinde Ambrosius fuit iudex Theodosij sed non in foro temporali: neque in foro conscientie interno, sed externo seu Ecclesiastico. Denique non coegit Theodosium ferre legem, sed fuit author ferendi. 4. Diploma priuilegij istius Gregoriani, mera est fabula: vt probat *Chamierus tom. 2. l. 15. c. 13.* vbi vide. 5. In hoc & seqq. exemplis sunt meræ allegationes propriæ turpitudinis; quippe quæ factum duntaxat humanum, imo factum iniustum & tyrannicum continent, non autem ius aliquod diuinum, de quo solo nunc querimus. Nam si Pontifices illi officij sui meminissent, nunquam his negotiis sese immiscuissent. Sed quia viderunt Imperatorum auctoritatem pessundatam, impune ipsis fuit hæc talia perpetrare. 6. Romanus Pontifex neque solus, neque præcipuus est author translationis Imperij a Græcis ad Germanos. Nam Carolus M. partim iure belli, vniuersam pene Italiam, & quasdam alias occidentis provincias, occupauit; partim vero à Senatu populoque Romano, & aliis Italiæ proceribus, testanda gratitudinis, & obseruantie ergo, ad Imperij fastigium euectus, & à Leone III. Romæ solenniter inauguratus est. Deinde, etiam si fortasse solius Papæ auctoritate translatio illa Imperij facta fuisset: nullo tamen iure diuino defendi posset. Negamus itaque & factum, & ius. 7. Pontifex neque solus, neque primarius fuit author sanctionis de Imperatore eligendo per septem Electores Germaniæ. Nam præcipui authores huius negotij fuerunt Imperator, Otho Tertius, & Principes Imperij: accedente tamen consensu Gregorij V.

XVI. *Antidotum quarta classis.* 1. Exempla ista sunt propria V. T. & quædam etiam extraordinaria. Propria quidem sunt illa patriarcharum, qui fuerunt patres familias, prophetae, reges, sacerdotes; quia tum nondum erat constituta politia Ecclesiæ. Deinde, Melchisedec & Moses fuerunt typi Christi. Tertio, Moses fuit sacerdos extraordinarius, h. e. ad breue tēpus, iussu diuino. Quarto, Heli fuit sacerdos & iudex, vnus inter tot iudices, tempore status turbati & declinationis proximi. Itaque hoc exemplum est singulare. Quarto, Maccabæorum tempore, & deinceps populus fuit turbatus in populo Dei. Quare hæc exempla male in consequentiam ab ordinariis ministris N. T. trahuntur. 2. Est hæc duæ potestates non sunt contrariæ: tamen reipsum distinctæ sunt, si spectes legem Dei ordinariam in N. T. & propriam Ecclesiæ Apostolicæ conditionem; 3. Pax & bellum sunt duo obiecta officij Principis: non item bona temporalia & spiritualia sunt obiecta pastoris Ecclesiæ. 4. Potest vnus rex regere plura regna; quia regere regna terrena est officium eius. Similiter potest vnus Episcopus regere plures Episcopatus; quia manet in terminis vocationis suæ. Sed vnus Episcopus non potest regere vnum Episcopatum, & vnum principatum; quia hæc est *πολυπρεπὴς μωσῶν*, prohibita & noxia. 6. Donatio Constantini M. prout in iure Canonico describitur, plane commentitia est. 7. Donationes Principum vere factæ non necessario Episcopis attribuantur immediatum & perpetuum vtriusque iurisdictionis exercitium. 8. Miseros esse illos Episcopos necessum est, qui sine Principatu seculari, neque hæreticos debellare, neque gradum suum in Ecclesia retinere possunt; cum Apostoli, & legitimi illorum successores absque illis praesidiis, & dignitatem suam conseruare, & hæreticos expugnare, & salutem Ecclesiæ longe lateque propagare potuerint.

FINIS LIBRI QVARTI

LIBER QVINTVS

DE

IURISDICTIONE ECCLESIAE MILITANTIS. ECCLESIA
Triumphante, vt & Falsa.

Caput Primum

An soli Papæ iurisdictio Ecclesiæ sit concessa immediate, reliquis Episcopis mediate per Papam?

Res sunt partes ministerii Ecclesiastici, doctrina verbi, dispensatio sacramentorum, & iurisdictio Ecclesiastica; de qua nunc erit nobis sermo. Duo autem constituimus vniuersæ disputationis huius capita: vnum, Cuiusnam iurisdictio Ecclesiastica competat; alterum, quot sint ipsius partes. Quod attinet ad primam questionem, concedit Bellarminus lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 22. potestatem ordinis, & iurisdictionis interioris immediate à Deo habere omnes Episcopos, eque ac ipsi summi Pontificem; sed potestatem iurisdictionis exterioris à Papa immediate deriuari in Episcopos. Quam sententiam probat septem argumentis.

II. Et primo quidem ex figuris V. T. Nam Num. 11. legimus, quod cū Moses non posset solus regere totum populum, Deus iussit adesse LXX. Seniores, Tom. V.

& auferens de spiritu Moysi dedit illis, vt vnâ cum Mose populum regerent. Ista vero ablatus Spiritus Moysi non significat diminutionem Spiritus in Mose (vt obseruat *Augustinus quasi. 18. in b. lib.*) quia tunc nihil profuisset Moysi habere adiutores, si propterea ipse debilior factus esset; sed deriuationem virtutis Seniorum à Moysi virtute. Voluit enim Deus ostendere, in Mose residere totam auctoritatem, alios autem, si quam habent, à Mose habere. Constat autem, Pontificem in Ecclesia eum habere locum, quem habuit Moses in populo Iudæorum. Resp. 1. Multi sunt, qui ab Augustino dissentiunt, & putant Moysen propter ingratitude aliquid Spiritus amisisse. 2. Sensus verborum hic est. Deus non dicit, *Seponam de Spiritu tuo; sed, Seponam de Spiritu qui est super te*, id est, communicabo cum illis de eodem Spiritu, de quo ante tecum communicavi, non ergo minuitur donum Moysi sed de plenitudine illius Spiritus, de qua Moses hauserat, etiam in senioribus illos se defusurum Deus pronuntiat. Eleganter itaque *Mariana super b. l.* adnotat, vocē Hebraicam *וְיָרְדוּ* non tantum significare *auferre*, quomodo LXX. & Hieron. vertunt; sed etiam *communicare, appropinquare*, vt ex vnâ lucerna accenduntur alie; & hoc secutus Chaldaus dixit, multiplicabo Spiritum tuum, dona tua, prophetiæ Spiritum cum illis comunicabo. Sic ille. Quia itaq; Spiritus Moysi fuit,

fuit Spiritus Dei, nempe Spiritus gratiae, dicit Deus, se accepturum de Spiritu Moysi, & illis de eo tantum ad mensuram, ut possent Moysi esse adiumento. Quare non à Moysi, sed à Deo fuit LXX. istorum Seniorum autoritas: quia ut Moysi suum, ita & Senioribus suum dedit Spiritum. 3. Mystica illa significatio de Spiritu Moysi ficticia est; quia Pontifex nihil quidquam cum Moysi hac in re commune habet. 4. Res illa fuit extraordinaria, & semel gesta. Itaque inepte inde extruitur res ordinaria, & perpetua. 5. Officium illud, ad quod vocati fuerunt illi LXX. erat civile. Perperam itaque accommodatur ad iurisdictionem Ecclesiasticam, & quidem externam. Non enim ad hanc, & ad officium civile requiruntur dona eadem.

III. *Secundo*, inquit Bellarminus, regimen Ecclesiasticum est monarchicum, ergo omnis autoritas est in vno, & ab illo in alios deriuatur. Sic enim se habent omnes monarchiae. *Respond.* 1. Ut monarchia vera tantum respectu Christi in Ecclesia locum habet: ita & subordinatio, atque deriuatio illa se habet. 2. *Bellarminus d. l. c. 23.* probat, omnes Apostolos à Christo immediate accepisse iurisdictionem suam omnem. At ubi sunt multi iurisdictione aequales, ibi non est monarchia.

IV. *Tertio*, probatur ex illis quatuor similitudinibus, quibus vtitur *Cyprianus lib. de vnit. Eccles.* ubi sedem Petri comparat capiti, radici, fonti, soli. Nam in omni corpore virtus membrorum deriuatur à capite, in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice, in omnibus riuus aqua fluit ex fonte, omnium denique radiorum solarium lux est à sole. *Resp.* Cyprianus ibi loquitur de vnitae Episcopatus, cuius à singulis pars tenetur. Intelligit autem Episcopatum non Petri, sed Christi, hoc est, ipsius monarchiam. Ab hoc enim Episcopatu, ut à fonte, reliquorum Episcopatum autoritas oritur.

V. *Quarto*, probatur ex inaequalitate iurisdictionum. Nam si Deus immediate conferret Episcopis iurisdictionem, omnes Episcopi haberent aequalē iurisdictionem, sicut habent aequaliter ordinis potestatem. At modo vnus Episcopus habet vnum oppidum, alius centum oppida, alius multas prouincias; quia nempe ita placuit ei, qui iurisdictionem dedit, h. e. principi totius Ecclesiae. *Resp.* 1. Iurdictio propria Episcopi est peccata remittere, excommunicare, ordinare alios Episcopos, dispensare sacramenta, synodum conuocare si non sit magistratus Christianus, aut in officio cesserit &c. Hæc autē iurdictio aequaliter omnibus Episcopis inest, ex natura rei, hoc est, si spectetur officium. At ex conuentione, ordinis causa, constituuntur gradus, ita nempe ut aliae partes iurisdictionis aliis demandentur: ut, ordinare ministros, superioribus; baptizare inferioribus, &c. prout commodum & decorum videtur. 2. Iurdictio non fit inaequalis, formaliter, etiam si ille magnum, iste paruum populum regit. quæ est inaequalitas accidentalis, profecta ab arbitrio Ecclesiae.

VI. *Quinto*, si haberent Episcopi à Deo suam iurisdictionem, non posset Pontifex illam auferre, aut mutare. *Resp.* Quia partes quaedam excellentiores iurisdictionis alijs tantum conceduntur; non mirum est, quod illi potestatem habent, partes quaedam iurisdictionis mutandi, aut auferendi. Sic v. g. pastor superior habet hanc iurisdictionem, ut possit inferiorem promouere ad locum superiorem, vel alium ex loco superiore detradere. Cur vero habet hanc potestatem? Quia scilicet ita constitutum est à synodo, vel presbyterio, ut sit vnus aliquis ordine primus, qui mutet, vel auferat iurisdictionem, prout videbitur ipsi expedire.

VII. *Sexto*, si iure diuino Episcopi habent suam iurisdictionem, ostendere debent aliquod verbum Dei, in quo hæc eorum iurdictio fundetur. At nihil adferunt, nec adferre possunt Aduersarij, nisi verba Domini dicta ad Apostolos: illis autem verbis datur Apostolis amplissima iurdictio in vniuersam Ecclesiam, quam certe non concedent Episcopi Aduersarij. *Resp.* 1. Testimonia Scripturæ iam iam recitabimus. 2. Apostoli non acceperunt iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam (hæc enim est solius Christi) sed in Ecclesiam indefinitam, tanquam D. d. oecumenicam.

VIII. *Septimo*, accedant grauissima testimonia duorum veterum, sanctissimorumque Pontificum. *Innocentius I. in epist. ad Concilium Carthaginense:* A Petro, inquit, ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis huius emerit. *Leo epist. 89.* Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab eo ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet. *Resp.* 1. Sunt hæc testimonia à syn. 2. Scriptura contrarium docet. Omnes enim Apostoli fuerunt pariter pares, ut ita dicam, ratione officij, & iurisdictionis. Imparitas fuit ratione ordinis, vocationis, donorum. Intellige ordinem externum & politicum. Nam si spectetur potestas ordinis, ut vulgo vocant, fuerunt aequales. 3. Hæc testimonia contradicunt Bellarmino, quando contendit, Apostolos à Christo omnem iurisdictionem suam accepisse. quæ quidem sententia vera est. Quod si omnes Apostoli fuerunt aequales, unde illa Petri prerogatiua, apud Innocentium & Leonem?

IX. Probemus nunc contrarium, videlicet omnes Episcopos, siue ab Apostolis, siue ab Ecclesia vocatos, suam iurisdictionem habere à Christo. I. Apostoli suam iurisdictionem à Christo immediate habuerunt: ut Bellarm. recte probat ex illis Scripturis, *Ioh. 20.* Sicut Pater me misit, & ego vos mitto. *Act. 1.* ubi Matthias sorte diuinitus fuit electus, non vero ab Apostolis constitutus. Et Paulus *Gal. 1.* expresse docet, se autoritatem ac iurisdictionem suam habuisse à Christo. Denique, Apostoli à Christo solo sunt facti. *Luc. 6.* *Eph. 4.* Apostoli ergo à Christo iurisdictionem omnem acceperunt. At Episcopi succedunt Apostolis. Ergo Episcopi autoritatem & iurisdictionem suam habent ab eo, à quo Apostoli. nam successor autoritatem habet, à quo prædecessor. Probatur assumptio: quia Episcopi ita succedunt Apostolis, ut Papa Petro; ut est apud *Augustinum in psal. 44.* & *Cyprianum epist. 42.* item in *Concilio Florentino in instructione Armenicorum, & Concilio Tridentino sess. 23. c. 4.* Hinc patet, sententiam Bellarmini seipsam destruere. II. Scriptura docet, Episcopos à Spiritu sancto constitutos & datos esse Ecclesiae, *Act. 20. 28. 1. Cor. 12. 28. 1. Petr. 5. & Eph. 4. 11.* quem postremum locum Bellarm. allegat, ut probet Apostolos à Christo immediate esse constitutos. Quare cum ibidem dicatur, Christum dedisse etiam Pastores, utique illi suam iurisdictionem ab ipso quoque acceperunt. Neque refert, quod Apostoli immediate, hi mediate illam habent. Id enim iurisdictionem, eiusque collationem principale non mutat: quia perinde est, siue aliquis ab ipso Christo immediate, siue à eodem per Ecclesiam eiusque ministerium accipiat iurisdictionem. III. Episcopi sunt oeconomi Dei. At oeconomus ab eo solum habet autoritatem,

cuius est oeconomus. E. IV. Paritas Apostolorum, & ratio successionis omnino exigat, ut omnes verbi ministri à solo Christo, utpote S. ministri auctore, iurisdictionem suam non minus, quam ipsi Apostoli obtineant. V. Si Episcopi non habent suam autoritatem & iurisdictionem à Deo, quia ab hominibus ordinantur; tunc sequeretur, nec Papam habere suam autoritatem & iurisdictionem à Deo: quia & ille ordinatur ab hominibus. At posterius dicitur esse falsum. E. & prius. VI. Si nullo vnquam tempore Christus vniuersam Ecclesiam iurisdictionem in vnum contulit, tum eam non potest habere Papa. Sed prius est. E. & posterius. Probatur prius: quia neque in prima institutione illud est factum: omnibus enim Apostolis aequalem dedit iurisdictionem, *Ioh. 20.* neque postea, quia tum procul dubio vnus aliquis eam exerceret. At nihil tale legitur in vniuersis. Apostolis esse factum. VII. Si Episcopi à Pontifice habent suam autoritatem & iurisdictionem, ergo mortuo Pontifice cessat Episcoporum autoritas. VIII. Ad ordinem Episcopatus exercendum necessaria est iurdictio. E. Deus, qui confert ordinem, confert etiam iurisdictionem. IX. Summus Pontifex Episcopos vocat fratres, & collegas. Igitur ab vno communi Patre Deo, Ecclesia præficiuntur. X. Si debent omnes Episcopi à Pontifice accipere iurisdictionem, ergo plurimi Episcopi non fuerunt veri Episcopi. nec enim omnes Episcopos, præsertim in Asia, & Africa, creauit Romanus Pontifex. XI. Testimonia veterum id ipsum confirmant: quæ vide §. 13. *cu. finem huius cap.*

X. Excipit Bellarminus, ad argumentum 1. magnum esse discrimen inter successionem in locum Petri, & aliorum Apostolorum: quod Romanus Pontifex succedat Petro, non ut Apostolo, sed ut Pastori ordinario totius Ecclesiae; Episcopi autem non succedant proprie Apostolis, sed per quandam similitudinem & proportionem. Ratio prioris est; quia Apostoli fuerunt D. d. extraordinarij, qualibus non succeditur. Ratio posterioris est; quia sicut Christo in terris viuente, primi sub Christo erant apostoli duodecim, deinde LXXII. discipuli: ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri &c. Ita vero succedere, & non aliter, Episcopos Apostolis, probatur. nam nullam habent partem veræ Apostolicæ autoritatis. Apostoli poterant in toto terrarum orbe prædicare, & fundare Ecclesias, & fundare scribere libros canonicos: habuerunt donum linguarum & miraculorum: habuerunt iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam. Nihil vero istorum est in Episcopis. Præterea non succeditur proprie nisi præcedenti. At simul fuerunt in Ecclesia apostoli, & Episcopi, ut patet de Timotheo, Tito, & alijs. Si igitur Episcopi apostolis succedunt, cui apostolo successit Titus, cui Timotheus. *Resp.* 1. Petrus non fuit pastor ordinarius totius Ecclesiae: quia solus Christus est oecumenicus Pontifex & Pastor suæ Ecclesiae. 2. Ut reliqui apostoli, ita quoque Petrus dicitur oecumenicus doctor Ecclesiae: quia scilicet omnes illi sunt *militi ei & dno in vniuersa*, non vero aliquis ex ipsis præfectus est Ecclesiae oecumenicæ. 3. Papa non succedit Petro: tū quia Petrus non fuit Episcopus Romæ tum quia Pontifex successit à doctrina Petri. 4. Quo pacto Pontifex succedit Petro, eodē Episcopi succedunt tum Petro, tū apostolis. Par enim est ratio omnium Episcoporum, siue sit ille Romanus, siue Alexandrinus &c. 5. Apostolis succeditur, non ut Apostolis, hoc est, ut ministris extraordinarijs: sed ut Pastoribus. Duob. enim illi modis considerantur: singulariter, & cōmuniter. Sic v. g. hoc est cōmune, *Ite, docete, baptizate: illud proprium, Signa vos sequentur.* 6. Apostolis succeditur; quatenus illi vocantur & ordinantur episcopos. 7. Non huic vel illi apostolo debuit succedere hic vel ille Episcopus: sed in apostolorum locum succedunt omnes Episcopi indefinite. 8. Apostoli certis locis præfecerunt certos Episcopos, & his alij successerunt.

XI. Ad locum *Act. 20. & Eph. 4.* Bellarm. excipit, episcopos constitutos esse à Spiritu sancto non immediate, sed mediate. Quia apostoli constituerunt episcopos. Deinde, *Eph. 4.* exprimitur generalis ordo Ecclesiae, qui sine dubio de iure diuino est. Deus enim est, qui instituit, ut in Ecclesia essent apostoli, Pastores &c. et si non omnibus immediate autoritatem ipse dedit. *Resp.* 1. Satis nobis est, quod Bellarm. hoc loco concedit, Episcopos constitutos esse à Spiritu sancto, & Christo. Neque enim refert, an sint constituti immediate, vel mediate. 2. Hac quoque ratione Papa est constitutus, videlicet mediate. 3. Probe notanda sunt illa Bellarmini verba *c. 2. 5. h. l. Romanus Pontifex succedit Petro, non ut apostolo, sed ut ordinario totius Ecclesiae pastori; & ideo ab illo habet Romanus Pontifex iurisdictionem, à quo habuit Petrus.* Eadē prolixius ratione nos dicimus: episcopi succedunt apostolis, non ut apostolis, sed ut Pastoribus; & ideo ab illo habent Episcopi iurisdictionem, à quo habuerunt apostoli.

XII. Ad rationem 7. excipit Bellarminus, Episcopalem iurisdictionem semel collatam, non amitti moriente, qui dedit, sed moriente, qui accepit, aut auferente, qui potest auferre. *ad 8.* Deum conferre vtrumque, ordinē & iurisdictionem; illum immediate, hæc mediate; quia potestas ordinis requirit characterē, & gratiam, quam solus Deus potest efficere; at iurdictio requirit solum superioris voluntatem. *ad 9.* Pontificē vocare Episcopos, suos fratres ratione ordinis Episcopalis, in quo sunt aequales; & ratione iurisdictionis, qua assumuntur à Pontifice ad suum ipsius onus sustinendum. *ad 10.* non esse opus, ut Pontifex creet Episcopos immediate, sed satis esse, si mediate, id est, per Patriarchas, & Archiepiscopos. Itaque initio Petrus constituit Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, qui à Pontifice autoritate accepta toti ferre Asia, & Africa præerant, & Archiepiscopos creare poterant, qui postea crearent Episcopos. *Resp.* 1. Si Episcopi omnem suam iurisdictionem habent à Pontifice, sane mortuo Pontifice perit fundamentum iurisdictionis: sicut moriente rege expirat autoritas vicarij. Deinde, Episcopalis iurdictio semel collata non amittitur, nisi vel vitio & abusu, vel morte illius qui accepit: quia nempe is, qui accepit, est minister Christi. Quamdiu itaque manet minister Christi, retinet illam iurisdictionem. 2. Potestas ordinis non requirit characterem aliquem, sed gratiam gratis datam & vocationē: quæ vtraque est à Deo, illa immediate, vel mediate; hæc sermo nunc temporis mediate. Deinde, iurdictio illa, de qua diximus pendere à cōuentione Ecclesiasticorum, requirit solum superioris voluntatem: ut quando ita conuenit inter Pastores, ut vnus aliquis reliquis præeat, eosque ordinet, in officio cōtineat, è loco inferiori ad superiorem promoueat. 3. Omnes Episcopi sunt pares, ratione officij. Nullam Episcopus Rom. allegare hic potest prerogatiuam. 4. Falsum est, patriarchas orientales à Pontifice Rom. accepisse suam autoritatem.

XIII. Solent & nostri suam sententiā cōfirmare testimonijs Patrū. Nā *Ignatius epist. ad Smyrneses* ait, laicos subesse diaconis, diaconos presbyteris, presbyteros Episcopo, Episcopum Christo. *Et ibidem* ait, In Ecclesia nemo maior est Episcopo. *Dionysius cap. 6. de hierarch. Eccles.* dicit, Episcoporum hierarchia

etiam immediate terminari in Iesum, sicut inferiores ordines Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum terminantur in Episcopum. *Cyprianus lib. 3. epist. 9.* dicit, Episcopos à Christo fieri, a quo Apostoli creati sunt: Diaconos autem ab Apostolis, non à Christo esse institutos. *Hieronymus epist. ad Eua- grium* ait, Episcopos esse eiusdem meriti, & Sacerdotij. *Bernhardus lib. 3. de consideratione:* Erras, inquit, si ut summam, ita & solam à Deo institutam æstimas vestram Apostolicam potestatem. Vide etiam *Hieron. in Matth. 23. c. & ad Titum 1. Augustinum epist. 119. & alibi passim.* Ex quibus perspicuum euadit, Patres fictitiam illam Pontificis Romani monarchiam, & quæ inde pendet, subordinationem Episcoporum, minime agnoscere; verum vti ordinem, ita & iurisdictionem omnem, à solo Christo manare docere: & ius eligendi ministros, vti & deponendi, non vni alicui Pontifici, sed toti Ecclesie, seu Presbyterio Ecclesiam representanti, adscribere.

XIV. Bellarminus quædam ex his testimonijs ita eludit, vt dicat *Dionysium* loqui de ordine Episcoporum, non de iurisdictione: *Cyprianum* hoc velle, ordinem Episcoporum à Christo ipso institutum esse, Diaconorum vero ab Apostolis excogitatum esse: denique *Bernhardum* loqui eo modo, quo loquitur *Paulus Rom. 13.* cum ait. Non est potestas, nisi à Deo. Sed logi sunt. Nam *I. Dionysius* simpliciter dicit, Episcoporum hierarchiam terminari immediate in Iesum: scilicet ita, vt non ab hominibus, sed à Iesu habeant omnem suam perfectionem, ratione nempe ordinis & iurisdictionis. Id eo enim *d. lib. ait,* Iesum esse omnis hierarchiæ, tum sanctitatis, tum diuinæ actionis principium. *Et rursum:* Iesus est omnium hierarchiarum author atq; perfectio. *2. Cyprianus d. l. epist. 65. ait:* Episcopos & præpositos Dominus elegit. *Et mox:* Deus Episcopos facit. *3. Bernhardus* refutat illos, qui prærogatiuam sedis Apostolicæ allegant, quo vterque argumento: quia illa non est sola instituta à Deo q. d. hoc enim ipsi est commune cum alijs ecclesijs. Quare nos concludamus hanc controuersiam duobus illis testimonijs *Hieronymi:* qui *epist. ad Eua- grium* de Episcopis ait, Omnes sunt successores Apostolorum. *Et epist. ad Heliodor. dicit,* Episcopos stare loco *Pauli,* & tenere gradum *Petri:* Quare vero hoc? Quia potestas clauium omnibus Episcopis à Christo immediate est concessa. Ista autem potestas est tum ordinis, tum iurisdictionis. Est enim potestas clauium duplex; doctrinæ, & disciplinæ. Memineris autem coronidis loco, vtrumque illud recte dici, Episcopos, id est, omnes pastores habere iurisdictionem suam immediate à Christo, & quosdam habere illam mediate. Nam prior propositio collectiue intelligitur, quia Christus potestatem illam toti Ecclesie, seu vniuersis ipsius ministris contulit immediate, toti, inquam corpori. Sed quidam ex illis ministris vocati sunt ab ipso Christo immediate, quidam mediate. Ibi sunt Apostoli, hic ipsorum successores. Illis delata est iurisdictione, absque hominum ministerio; his defertur, mediante hominum ministerio. Itaque falsum est, iurisdictionem ecclesiasticam soli Pontifici Romano esse collatam à Christo immediate. *ὁμοῦ ἐξ ἐκείνου.*

CAPVT II.

Quenam sit potestas Ecclesie in iure condendo?

I. Iurisdictionis Ecclesiasticæ partes duæ sunt; quarum altera consistit in potestate iuris condendi; altera versatur in administratione disciplinæ Ecclesiasticæ. Quod attinet ad potestatem iuris condendi negamus ecclesiasticam, Concilia, Papam, vel Episcopos, sua auctoritate posse leges ferre, quæ in conscientia obligent. Fatemur autem posse Episc. & Christianos magistratus leges in ecclesia constituere, quæ ad decorem & vtilitatem spectent; & eas quidem omnino esse obseruandas, sed aliter quam illas leges, quas Deus præscribit; non vt his conscientia implicetur, nisi solum propter scandalum, & contemptum legitime auctoritatis; alias res ipsas esse medijs generis. Si ergo contemptus appareat, aut scandalum, aut vtrumque, tum peccare illos dicimus, qui has leges violant: sed negamus has leges conscientiam attingere, vt si ab his scandalum, & contemptus superiorum, peccet contra Deum, qui aliter fecerit.

II. Tota itaque iuris condendi potestas, quam habet Ecclesia, & quæ exercet vel in Concilio, vel in Presbyterio, est occupata circa ceremonias Ecclesiasticas; quas reuocamus ad quatuor capita. Sunt enim hæc necessariæ, & omnium Christianorum communes ceremoniæ: Sanctificationes locorum, in quibus verbum Dei publice promulgetur, & sacramenta administrantur: sanctificatio temporum, quibus populus Christi conueniat: certa administratio verbi, & sacramentorum: denique cura pauperum, quæ constat sacris oblationibus, & earum distributionibus.

III. Et primo quidem certa oportet Christianos habere loca, sacris cœtibus deputata: quæ nullis alijs vsibus, nisi summa cogat necessitas, debent parere. Quod Dominus nos admodum grauitur docuit *Matth. 21.* cum templo eiecit, qui tamen non nisi hostiarum mercatum in eo instituerant, quo copiam facerent omnibus sacrificandi; & mensas numulariorum, quibus peregrini item adiuuabantur ad faciendum sacrificia, & offerenda munera. Sed nec vñ ullum patiebatur per templum deferri, *Marc. 11.* Quamobrem præscæ ecclesiæ, templa semper clausa tenuerunt, quando nulli in eis publica religionis actio exhibebatur; nisi aliud postulasset aliqua Christiani populi necessitas. Quinetiam sacrum cleri ordinem Ostiariorum in hunc vsu instituerunt. Horum enim munus erat, temporibus quibus sacra peragebantur, cauere, ne vel indigni se sacro cœtui admiscerent: neue quisquã aliquid non consentaneum religioni Christi, in cœtu sacro faceret. Hi post publice administratam Euangelij doctrinam, priusquam sacra Domini cœna inciperet administrari, primum Catechumenos, deinde & pœnitentiam agentes, per diaconum iustos discedere, templis educabant, eaq; dum mysteria peragerentur, claudabant. Hæc testata legimus, partim in adhortatione Episcoporum ad Ostiarios, in eorum ordinatione: partim apud *Chrysostomum homil. 18. & 24. in Matth. & homil. 18. in 2. ad Corinth. & multis alijs locis.* Quibus itaque curæ est, vt Christi regnum apud se viget; hos certe necesse est probe perpendere, & des huiusmodi, religiosi & sacris Christi cœtibus consecratos, vocari in Scripturis domus Dei, & domus orationis: atque hinc agnoscere, quam horrendam iij faciant diuinæ maiestati contumeliam, qui loca illa sancta non sanctificant, sed profanant deambulando, garrindo, &

alijs indignis modis, siue inter cultus diuini administrationem, siue extra illam hoc faciant.

IV. Altera communis Christianorum ceteronia est, vt sicut certa loca, ita etiam certa tempora Christianis cœtibus sanctificent. Est quidem Dominus celebrandus a nobis, & inuocandus omni tempore, sicut etiam in omni loco dominationis eius, *Psal. 34. & 103.* sed quoniam hoc, fidelium cœtu coacto, & maiore subinde religione faciendum est, visum est Domino, vt ad hanc rem haberent fideles eius quædam singulariter consecrata, sicut loca, ita & tempora. Proinde in V. T. consecrauit vnum singulis septimanis diem, quo ipius cultui singulariter vacarent. Præter duo etiam sacra, quæ mane & vespere voluit exhiberi, alios dies festos instituit. Quibus omnibus è medio sublatis, vel à Christo, vel ab Apostolis, Dominicus dies est substitutus. Quod institutum præscæ Ecclesiæ religiosissime obseruauerunt. Constantinus quoque Imperator illud grauisima auctoritate sancit, vt testis est *Eusebius orat. 4. de illius vita.* Quem in eo & alij Imp. secuti sunt; *Theodosius, Valentinianus, Arcadius, Leo, & Antoninus;* a quibus feuerissimis prohibitum est pœnis, exhibere hoc die spectacula, aut voluptatibus dare operam: vt in eorum legibus videre est, quæ habentur in Codice de ferijs. Quod autem primum septimanæ diem potius, quam septimum Apostoli religiosi actionibus dedicauerunt, duæ causæ adferuntur. 1. quod eo testari voluerunt, Christianos non teneri pædagogia *Mosis. 2. vt memoriam resurrectionis Christi, eo die factæ, hoc modo celebrarent.* Dominicus diebus adiecta sunt postea & alia quædam festa: vt festum Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniarum, obseruationem Quadragesimæ: Quin & memorijs martyrum quæ certi passim in Ecclesijs deputati sunt: & singulis quoque septimanis veteres, quarta & sexta septimanæ, conuentus sacros & ieiunia celebrant. Idem fecerunt, quoties singularis aliqua Ecclesiæ vel premebat necessitas, vel recreabat Dei beneficentia: aut sollicitam tenebat institutum aliquod magni momenti. Eamque ceremoniam vel pij Principes indicebant, vel Episcopi. Quoniam autem in in dicendo sacras ferias, id vnum spectandum sit, vt Christi populus in religione melius instituat, & ad omnem pietatem amplius inflammetur; elaborandum in primis erit, vt Dominici diei religio solide reuocetur, & obtineat. Consentaneum tamen est nostræ pietati, & alias certas ferias rememorijs sanctificare præcipuorum operum Dei, quibus nostram perfecit redemptionem: vt diem Natiuitatis eius, Circumcisionis Epiphaniarum, Supplicij siue Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes. Sed non tam curandum est, quam inultræ sacre ferie instituantur; quam vt Domino, quæcunque fuerint institutæ, vere sanctificentur. Quadragesimæ obseruationem quod attinet, sunt qui ab Apostolis institutam credunt: sunt qui existimant postea introductam. Illud autem ex scriptis veterum est manifestum, eam obseruationem non omnes ecclesias pariter seruasse, sed alias vnum duntaxat diem ante Pascha, alias septem, alias plures, alias pauciores ieiunasse. Quas Ecclesias tamen, alia quæ Quadragesimam solidam obseruabant, ob id non condemnauerunt: eum nec ex suis hominibus, quæquam ad ieiunandum compulerunt, sed pijs vñ exhortationibus inuitarunt. Singulis quoque septimanis vno die, alia quinto, alia septimo, ieiunium remiserunt. Ceteris quidē dieb. ad nonam diei horam, h. e. sub vespere, verbū Dei, & sacramenta ministrabant: post quæ sacra, ij qui ieiunabant, cibum primum sumebant. Interim tamen consolabantur S. Patres, & laudabant etiam eos, qui cum propter corporis imbecillitatem cibum antea sumerent, nihilominus ad sacrum cœtum venirent, & verbum Dei audirent. Antichristianum itaque est, ieiunium Christianis, tanquam ad salutem per se necessarium indicare. Dominus enim, & Apostoli, quamquam ieiunij ceremoniam magnopere commendauerunt: liberam tamen eius obseruationem Christianis reliquerunt: sicut nec pte præstari ieiunium potest, nisi vltro eo Spiritu suscipiatur. Quare Antichristus Romanus ceremonias illas veterum, pio consilio institutas, reuera conuertit ad contumeliam Dei: quando ieiunia ad salutem necessaria, immo meritoria esse prædicat, & non veram rationem ieiuniorum præscribit, sed potius Deo illudere videtur, dum ieiunium non-ieiunium celebrat. Nos itaque imitemur præscos ecclesiarum *Dd.* qui quanquam pijs, non superstitiosum ieiunium, etiam die Dominico fieri posse probarent: tamen ne quid eo Manichæorum viderentur deferre amentia, ieiunare die Dominico, vt rem scandali, vterentur. Imitati sunt hac in re Apostolos, qui ne viderentur aliquid cum Iudæis congruere, qui sabbathi *Mosaici* necessitatem vigeabant, ob id non septimum, sed primum ad rem hanc deputarunt. Quamquam ex appellatione huius diei videtur colligi, ipsum à Christo esse institutum. Etenim vt S. cœna appellatur *δὴ τὸν νομαρῶν, 1. Corinth. 11.* quia nempe à Christo est instituta: ita videri queat *ἡμέραν νομαρῶν, Apoc. 1.* dicit, quæ à Domino Iesu est præcepta. Sed vt redeam ad propositum. Si Apostoli & præsci Patres noluerunt aliquid commune habere cum Iudæis & Manichæis: quanto iam magis nos decet defugere speciem omnem consensus cum Antichristis, vt in ceteris rebus, ita etiam in delecta ciborum, & dierum discrimine.

V. Tertia communis Christianorum omnium ceteronia, est sacramentorum in sanctis Christi cœtibus actionum, vt administrationis verbi & sacramentorum, & disciplinæ Christi, precum & psalmorum, cuiusmodi ratio & moderatio, vt illa cuique populo religiose, decenter, & ordine, ad veramque fidei ædificationem exhibeantur, & administrantur. Quæ in re ecclesijs Christi sua quoque est permittenda libertas, quo vnaquæque eum præstinet modum, & rationem, sacrarum lectionum, interpretationum Scripturarum, Catechismi, administrationis sacramentorum, precum, & psalmorum; item publicæ peccantium reprehensionis, ad agendam pœnitentiam ligationis, atque eorum qui agendo pœnitentiam ecclesijs satisfecerunt, reconciliationis, quam possit quælibet ecclesia considerare suis populis maxime eo conducturam, vt ex his actionibus ad veram viuamque pœnitentiam commoueantur, & in fide Christi confirmantur, atque prouehantur. Quæ tamen in eadem gente vel regno ecclesiæ sunt, cum ibi hominum ingenia non tantopere variant, non pulchrum modo, verum ad augendam sacrorum Christi existimationem, plerisque admodum commodum est, vt quantam possint, in his rebus obseruent conformitatem.

VI. Quarta communis omnium ecclesiarum ceteronia, & regni Christi propria, est procuratio pauperum, & egenorum. Diserte enim vult Dominus, ne quem populus suus apud se pateretur egere, *Deut. 15.* Quod ea religione, prima Christi ecclesia Hierosolymis obseruauit, vt ex collatis

in commune à fratribus elemofynis, unicuique tribueret, quantum cuique ad bene pieque viuendum opus eſſet : adeo vt nemo omnino apud illos e- gens reperiretur, *Ath. 2. & 4.* Vtque hæc pauperum curatio rectius perfece- retur, præferunt ei Apoſtoli, Eccleſiæ totius ſuffragio, adhibitis quoque precibus, & impoſitione manuum, viros ſeptem, probatos omnium bono- rum teſtimonio, *Ath. 6.* Quam religionem Eccleſiæ vſque ad inuectam il- lis per Antichriſtos diſſipationem, per quam ſancte obſeruarunt: & admini- ſtros huius rei, quos etiam ſacra ordinatione ad munus hoc initiauerunt, eccleſiarum Diaconos vocauerunt, more & nomine Apoſtolico. Hi quan- quam ad eſſe etiam Presbyteris debebant, & miniſtrare in ſacramentorum diſpenſatione, conſeruandaque & exercenda Chriſti diſciplina: tamen hoc præcipuum eorum munus erat, vt egenos Chriſti in Eccleſijs omnes habe- rent conſcriptos, & cuiuſque vitam & mores exploratos, atque ex commu- nibus fidelium oblationibus cuique darent, quantum cuique ad vitam recte & pie degendam ſufficeret. Qui enim, cum poſſunt, quærere ſua in diſciplina & laboribus vitæ neceſſaria detrectant ij Eccleſia exterminandi ſunt atque re- publica. Qui enim non laborat, non manducet, inquit Apoſtolus. *1. Theſſ. 3.* Quapropter, quicumque de republica vnquam ſapienter ſcripſerunt, mendicos non ferendos eſſe in rep. cenſuerunt. Qua de re extat etiam in Codice Iuſtiniani, lex Valentiniiani de mendicantibus validis.

VII. Et hæc quidem ſunt ceremoniæ communes omnium eccleſiarum, circa quas occupatur poteſtas iuris condendi in Eccleſia: quam ideo docti quidam viri appellant diſciplinam ceremoniarum, cui opponunt diſcipli- nam vitæ ſue morum, & pœnitentiæ. Quæ quidem methodo facile cum noſtra conciliari poteſt. Sed iam redeamus ad quæſtionem, quæ hoc loco inter nos & Papiſtas agitur. Aiunt illi, Romanum Pontificem eſſe in tota Eccleſia verum Principem, qui poſſit ſua authoritate leges ferre, quæ in conſcientia obligent: ideoque leges Pontificis ad conſcientiam pertinere, vt omitti non poſſint ſine violatione conſcientiæ: denique eundem Ponti- ficem habere poteſtatem coactiuam, qua poſſit iudicare, & punire tranſgre- ſſores: vt *Bellarminus diſputat lib. 4. de Pontif. cap. 15. & ſeqq.* Nos, etſi con- cedimus, legitimos Eccleſiæ paſtores, ſiue potius ipſas Eccleſias, poteſta- tem magnam & amplam habere, puta poteſtatem promulgandi verbū Dei, adminiſtrandi ſacramenta de rebus externis ſiue ritibus adiaphoris aliquid conſtituendi, peccatores pœnitentes abſoluendi, impœnitentes vero ligandi, hoc eſt, vel excommunicandi, vel à S. cœna ſuſpendendi, quam poteſta- tem omnem Chriſtus eccleſiæ ſuæ dedit: etſi, inquam, hoc omne concedi- mus; tamen nouas aliquas leges, vere & proprie dictas, inque conſcientia vere obligantes, ſiue neceſſario ad fidem, vel vitam Chriſtianam pertinentes, ab Episcopis vlio diuino iure conſtitui poſſe; aut denique maiorem hæc in parte Romani Pontificis, quam aliorum Episcoporum, authoritatem eſ- ſe; hoc demum illud eſt, quod conſtanter pernegamus.

VIII. Hanc noſtram theſin ſequentibus argumentis, numero XVI. confirmamus. I. Chriſtus mandat Apoſtoliſ ſuis *Matth. 28. 20.* vt doceant homines ſeruare omnia, quæ mandauit ipſis. Non itaque hominum manda- ta in eccleſia poſſunt obligare conſcientiam noſtram. II. Iudæis non li- cuit addere quidquam ad Legem & Scripturam Vet. Teſtam. *Deut. 4. 2. & 12. verſ. vltim.* E multo minus licet Chriſtianis ad N. T. addere: quippe quod veteri longe eſt perfectius. III. Solus Deus eſt index, legifer, & rex noſter, *Eſa. 33. 22. Iac. 4. 12.* Itaque nullus Episcopus eſt legiſlator noſter perinde vt nullus eſt rex noſter. IV. Deus improbat omnem cultum, qui in man- datis hominum conſiſtit, *Eſa. 29. ver. 13. 14. Matth. 15. 9. Marc. 7. 7.* Ergo cum nulla mandata hominum habere debeant opinionem religioſi cultus, ſequi- tur nullis hominum mandatis obſtringi conſcientias hominum. V. Adepti ſumus in Chriſto libertatem, *2. Corinth. 3. 17. Gal. 4. v. vltim. cap. 5. 1.* E. debemus illam retinere & defendere. VI. Deus voluit nos eſſe liberos à ce- remonijs Iudaicis, & alijs poſitiuis V. T. legibus, *Ath. 15. 10.* Ergo multo magis à ceremonijs & traditionibus Pontificijs. VII. Exempla habemus eorum, qui Deum voluerunt colere in uentionibus cerebri ſui, ſed hæc ratio- ne Deum offenderunt, & à Deo fuerunt reiecti aut puniti. Nam Acha rex, & Vrias Pontifex, qui nouum altare erexerunt, & in templo Hieroſolymitano collocarunt; quod Deo diſplicuit, *2. Reg. 16.* Illi, quos tranſtulit rex Aſ- ſyriorum de Babylone in Samariam, à feris dilaniati ſunt, quod Deum nouis ſuis ceremonijs colerent, *2. Reg. 17.* Manaſſe in eo præcipue peccaſſe legitur, *2. Reg. 21. v. 3. 5.* quod in templo extruxit aras, quas Dominus non præceperat. VIII. Apoſt. *Cor. 7. 23.* vetat nos ſeruos fieri hominum, quod pretio redempti ſumus. Itaque palam docet, nos liberrimos eſſe, & nullius, præterquam vnius Dei legibus obſtringi, quoad conſcientiam. IX. Conſcientia ad ſolius Dei forum pertinet. E. homines non poſſunt iuriſdictionem in conſcientiam exercere. Atque hæc etiam cauſa eſt, quod nullus homo po- teſt quenquam ad inferos damnare. Vnde aliud argumentum naſcitur, hoc modo. Homo non poteſt quenquam ad inferos damnare: quia hoc poteſt ſolus Deus, qui habet dominium in conſcientiam: non ergo quenquam al- ligare poteſt ad legem ſeruandam ſub pœna mortis æternæ. Nemo enim obligat ad pœnam, quæ non poteſt inferre. Si ergo nullus homo poteſt pœnam infligere conſcientijs propter violationem aliquarum legum, ſequitur nul- lum hominem poſſe conſcientijs aliquas leges præſcribere. X. Si humanæ leges obligant in foro conſcientiæ ad pœnam mortis æternæ, tum leges hu- manæ non minus ſolicite ſunt obſeruandæ, quam diuinæ; imo nihil intereſt inter diuinæ, & humanas. Sed hoc eſt falſum. E. & illud. Conſequentia pa- ret; quia ſi legum humanarum tranſgreſſio æque trahit ſecum pœnam mor- tis æternæ, atque diuinarum, æque omnino tenemur illis parere atque his. Aſſumptio probatur: quia impium eſt, leges diuinæ & humanas æquare; ita vt recte dixerit *Hieronymus in Epitaph. Fabiola epiſt. 30.* Aliæ ſunt Caſarum, aliæ Chriſti leges: aliud Papinianus, aliud Paulus præcipit. XI. Qui leges conſcientijs præſcribunt, ij dominatum & iuriſdictionem in conſcientias habent. Nam leges præſcribere, eſt dominatum habere. At nullus Episcopus habet dominatum in conſcientiam. *1. Pet. 5. 3. 2. Cor. 1. verſ. vltim.* Apo- ſtoli non erant domini fidei: ergo nec conſcientiæ. Multo itaque minus Ep- iſcopi. Nimirum, qui conſcientiam nouis decretis vt neceſſarijs ad ſalutem onerant, ij domini fidei ſunt: cogunt enim credere aliquid eſſe neceſſarium, quod Dominus neceſſarium non fecit, & ſubinde fidem huc atque illuc fle- ctunt, prout ipſi voluerint. XII. Apoſtolus *1. Tim. 4. 8.* docet pietatem in externis ceremonijs non conſiſtere. Ergo ſuperſtitioſum eſt, cultum diui- num in ijs ponere, illaſque præſcribere tanquam neceſſarias ad ſalutem. XIII.

Poteſtas inferior non poteſt imponere legem in iudicio poteſtatis ſuperio- ris; quia nullum ius in eam habet. At iudicium conſcientiæ eſt diuinum, & conſcientiæ forum ad ſupremam poteſtatem pertinet, nempe ipſius Dei. Ergo homo non poteſt in eo iudicio legem imponere. XIV. Summi etiam Sacerdotes non raro leges qualdam impias, & verbo Dei contrarias tulerunt, *2. Reg. 16. & 17. Matth. 15. & 23. Iohan. 9. & 11.* & alibi paſſim. E. noſtriſ idem accidere poteſt. XV. Apoſtoli ſua ipſorum authoritate non tulerunt leges vniuerſales, & perpetuas: ſed conſilia ſua à præceptis Domini manife- ſte diſtinxerunt: immo quæ in rebus adiaphoris ad tempus ordinauerunt, ea nonnunquam, cauſis ac circumſtantijs mutatis, ſenſim aboleri paſſi ſunt. *1. Cor. 7. & 11. & 14. Ath. 15. & 21.* E. multo minus Papa hanc authoritatem ſibi arrogare debebat. XVI. Patres pro hæc conſcientiæ libertate, aduerſus ſeruilem illam eccleſiæ ſubiectionem, ac ſpiritualem præſulum tyrannidem hinc inde pugnant. Sic enim *Iuſtinus Martyr. in dialog. cum Tryphone ait:* Αἰώνιος ἡμῖν νόμος ὁ περὶ τῆς ἀρχαίας ἐδόθη, ὃς ἂν ἀδύνατον εἴη, ἢ ἀβύτητος πρὸς τὴν ἐκείνου φύσιν, οὐκ ἐπινοήθη, οὐκ ἐπὶ λόγῳ, id eſt, Chriſtus nobis datus eſt lex æterna & vltima, & fœdus fidele, poſt quod nulla lex, nullum mandatum, nullum præceptum. *Origenes comment. in Matth. 20. homil. 12.* de Episcoporum iuriſdictione lo- quens ait, Principatum eorum in dilectione ſubiectionum debere eſſe poſi- tum, non in timore corporali. *Chryſoſtomus in iſta Cœnæ l. 2. c. 3. ait,* paſto- rem pecudum poſſe ouem ægram vincire, à pabulo arcere, vrere, ſecare; ſed Episcopum, paſtorem hominum, id neque poſſe, neque debere facere. I- plius enim eſſe, non *βιβάσκει* vi cogere, ſed *πειθεῖν*, perſuadere. Ergo eccleſia non habet poteſtatem coactiuam. *Idem in Matth. homil. 52. ait,* Pharifæos fuiſſe ceu legumlatores. Itaque hoc non conuenit Chriſtianis Episcopis. *Bernhardus de conſid. lib. 1. ait:* Sterile lego iudicandos Apoſtolos, ſediſſe iudicantes non lego. *Baſilius ſerm. de fide ſcribit,* fidelis miniſtri proprium eſ- ſe, vt quod in conſuetis diſpenſandum (*εἰς ἰσοουίαν*) ab optimo Domino concredendum habet; hoc illis ſeruet purum & ſincrum. E. miniſtrorum non eſt nouas leges præſcribere: quia nempe ſunt œconomi. At œconomus non poteſt leges nouas præſcribere familiæ, ſed patris familias leges conſeruare, & iuxta eas omnia facere debet. *Auguſtinus contra Fauſt. l. 2. c. 27.* peccatum definit factum, dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam. Et *Ambroſius lib. de paradifo cap. 8.* ſimiliter, quid eſt peccatum, niſi præuarica- tio legis diuinæ, & cœleſtium inobediencia præceptorum? Quam defini- tionem omnes Scholaſtici probant. Quare ſi vera eſt hæc definitio, tranſ- greſſio legis humanæ in ſe, & per ſe peccatum non eſt. *Thomas 12. quaſt. 92. art. 4. & quaſt. 100. art. 9.* docet, leges humanas ſe extendere tantum ad actus exteriores. Et *12. quaſt. 96. art. 4. ait,* leges humanas iuſtas habere vim ob- ligandi in foro conſcientiæ, à lege æterna, à qua deriuantur. Itaque non ex ſe. *Auguſtinus Anconitanus de poteſt. Eccleſiaſt. quaſt. 4. 4. art. 3. ait:* In foro conſcientiæ homo tenetur parere ſoli Deo. Celebre quoque eſt illud *Maximi- liani I. Imp.* eos arcem cœli inuadere, qui volunt dominari conſcientijs ho- minum. Et illud *Stephani Bathorei regis Polonia:* Tria ſunt homini impoſſi- bilia; creare aliquid ex nihilo, prædicere futura, & dominari conſcienti- æ.

IX. Hæc argumenta memoriæ cauſa poſſunt reuocari ad 7. claſſes. In prima claſſe ſunt argumenta à natura & perfectione Scripturæ ſacræ; quæ non patitur ſibi aſſui mantillam mandatorum humanorum, quod omnia ip- ſius mandata ſint diuina, perfecta, omni exceptione maiora. In ſecunda claſſe ſunt argumenta à natura Dei; qui ſolus eſt legifer noſter; & ad ipſius ſolius forum pertinet conſcientia. In tertia claſſe ſunt argumenta à natura conſcientiæ; quæ nec vere & ſpiritualiter, niſi verbi Dei, cuiuſque authoritate, cogi poteſt: nec hominum pœnis ſubiaceret. In quarta claſſe ſunt argumen- ta à praxi eccleſiæ veræ; quæ nunquam hoc ſibi arrogauit. In quinta claſſe ſunt argumenta à priuilegijs Chriſtianorum; qui ſunt liberi à iugo manda- torum cum verbo Dei pugnantium. In ſexta claſſe ſunt argumenta à natura hominum, qui errare poſſunt in ſuis mandatis; & à natura mandatorum hu- manorum, quæ in religionis negotio non placent Deo. In ſeptima claſſe ſunt teſtimonia varia.

X. Exceptionibus Bellarmini iam occurrere nos oportet. Illæ autem ſunt hoc ordine, *lib. 4. de Pontifice, cap. 17. 1.* In ijs, quæ mandauit Dominus, illud etiam eſt, vt ſeruentur præcepta prælatorum. Dominus enim ait: *Qui vos audit, me audit.* 2. Scriptura non prohibet additionem præcepti ad præ- ceptum (quia ſubinde varia præcepta à Deo fuerunt addita) ſed additionem ad opus præceptum. Deinde, prohibetur additio corrumpens, non vero perficiens. Tertio, prohibetur additio legum contrariarum. Quarto, non eſt eadem ratio V. & N. T. Nam quia lex V. T. fuit data vni tantum populo, & ad certum tempus, nempe vſque ad Chriſti aduentum, poruit facile deter- minare omnia in ſpeciali. At lex Euangelica datur toti mundo, id eſt, di- uerſiſſimarum nationum populis, & duratura eſt vſque ad finem mundi. Itaque Deo melius eſſe iudicauit, ſi in Euangelio traderet communiffimas leges, & ſpeciales relinqueret conſtituendas, & promulgandas Apoſtoliſ & eorum ſucceſſoribus. 3. Solus Deus eſt legiſlator primarius: Pontifex, ſecundarius. 4. Deus reijcit mandata hominum, hoc eſt, quæ omnino ſunt humana, vt nec Deo iubente, nec inſpirante, nec eius authoritate vilo modo conſtituta ſint, eoque ſint vel contraria diuinis mandatis, vel vana & proſus inutilia. Sed mandata Pontificis & Eccleſiæ hoc modo non ſunt humana. 5. Libertas Chriſtiana non conſiſtit in liberatione ab obediencia prælatorum ſed in liberatione à ſeruitute peccati, legis moralis, & legum Moſaicarum tum ceremonialium, tum iudicialium. 6. Sumus liberati à ce- remonijs Moſaicis, quia illæ erant figuræ rerum futurarum: & à legibus fo- renſibus Moſaicis, quia illæ pertinebant ad politicam iſtius populi. Sed hinc non ſequitur, nos debere nullas habere leges politicas, & Eccleſiaſticas. Ne- que vcrum eſt leges Pontificias & numero, & grauitate ſuperare leges Mo- ſaicas. Nam leges Pontificiæ, abſolute impoſitiuæ omnibus Chriſtianis; vix inueniuntur aliæ quam quatuor, nimirum, de ſeruandis feſtis, & de ſeruandis ieiunijs, de Confeſſione ſingulis annis ſemel faciendâ, & de ſacra com- munionem habenda in Paſchate. Et quod attinet ad grauitatem, nulla eſt ex quatuor iſtis legibus, quæ non ſit potius determinatio iuris diuini, quam noua lex penitus. 7. Achaz, Manaſſe, & Babylonij non peccarunt in eo, quod ceremonias inſtituerint à Deo non præceptas, ſed quod polluerunt ſe idolo- latria. 8. Paulus eo loco præcipit, ne ſeruiamus hominibus, præcipue pro- pter homines, ſed propter Deum, ita vt magis Deo in hominibus, quam i- plis hominibus ſeruiamus. 9. Conſcientia pertinet ad forum ſolius Dei, non quod

quod solus Deus præceptis suis obligare possit conscientiam (nam omnes qui legitime imperant, conscientiam obligant) sed quia ille solus videt hominum conscientias, & iudicat de actibus internis. Deinde, conscientia est superior omnibus humanis iudicijs, quia bona conscientia non curat, quid homines iudicent. Denique, lex humana, quæ est iusta, obligat sub pœna mortis æternæ, quatenus violatione legis humanæ offenditur Deus. 10. Origenes non excludit à Principe Ecclesiastico potestatem coactiuam, sed tantum monet eiusmodi principes officij sui. Deinde, Chrysostomus hoc vult; difficiliorem esse curationem ouium rationalium, quam irrationalium; quia illa curari possunt, etiam si nolint, at hæc non, nisi velint. Tertio, Augustinus hoc vult, omnem transgressionem; siue omne peccatum esse contra legem Dei, non positiuam, sed æternam. Omnis enim iusta lex, siue à Deo, siue ab homine detur, ab æterna lege Dei deriuatur. Est enim æterna lex, vt malum sit violare regulam. Denique Bernhardus loquitur de iudicio in causis ciuilibus. Adde, quod Bernhardus non tam disputat; an liceat, quam an conueniat Pontifici de terrenis litibus iudicare.

XI. Ad has argutias replico: 1. Christus non reliquit Apostolis suis auctoritatem noua mandata tradendi, sed sua mandata docendi. Et id dum faciunt Prælati, omnino ipsis obedire oportet. 2. Sane multa præcepta accesserunt. Verum ostendatur, vllum præceptum à quoquam homine cum necessitate salutis propositum esse, quod non in Mosaicis contineatur. Deinde, quæuis additio, quæ necessitatis opinionem habet, corrumpit legem Dei. Tertio, leges istæ Pontificiæ omnino sunt contrariæ diuinis legibus; quia sancunt meritum, nescio quod. Denique, multitudo hominum variat illa quidem ritus Ecclesiasticos, sed non ipsas leges diuinas. 3. Solus Deus est legislator in ecclesiâ; non vero ille est primarius legislator, & Papa secundarius. Si enim ita liceret distinguere, Deo nihil relinqueretur; quia ille erit rex primarius, iudex primarius &c. 4. Mandata Pontificia vere & mere sunt humana; tum quia neque à Deo sunt, neque ad Deum, neque de Deo, hoc est, Deus illa non constituit, & diuinis mandatis sunt contraria, & in rebus vanis occupantur. 5. Si præpositi ea præcipiant, quæ Deo & eius verbo sunt contraria, vtique liberi sumus ab illorum mandatis. 6. Veteres ceremoniæ sublatae sunt, & quia figuræ fuerunt, & quia multæ & molestæ nimium fuerunt. Cur itaque Papistæ ceremonias & figuras infinitas habent? Cur constitutiones decuplo plures habent, quam apud Mosén occurrunt? Id enim patet ex ipsorum Decretis, & apparatu ceremoniarum Misæ. Denique, si vel vnica duntaxat esset Constitutio Pontificia, illa onerosior esset omnibus ceremonijs Mosaicis, quatenus coniunctam haberet necessitatis, ino meriti opinionem. Iam vero omnes Pontificis leges ita sunt comparatæ. Onus itaque ipsarum est intolerabile. 7. Achaz peccauit, nouum altare in templum inducendo. Similiter Manasse. Itaque non solum peccarunt idololatry. Deinde Babylonij illi coluerunt Iehouam, & deos suos, hoc est, cum Dei cultu peregrinum cultum coniunxerunt. 8. Paulus non loquitur ibi de seruitute corporali & externa (neque enim ab illa homines per Christum sunt liberati) sed de seruitute spiritali, siue interna quæ est conscientiarum. Quare spiritu nullius serui sumus, nisi Dei & Christi. Serui autem hominum esse mus, si illorum legibus conscientia nostræ teneretur. At Christus hoc modo nos suos tantum seruos fecit. Ergo nec Papæ, nec hominis cuiusquam leges conscientias nostras attingunt. 9. Lex diuina est anima & vinculum omnium legum humanarum. Itaque si leges humanæ conscientiam cum lege Dei, obligant conscientiam. Tum & hoc quoque nomine illæ ipsæ humanæ leges obligant conscientiam, quia Deus præcepit obedire magistratui. Est ergo verum est, posse hominem præcipere quidquam, quod qui non facit, se male facere in sua conscientia intelligat: tamen hoc non ideo fit, quia his legibus per se obligatur conscientia, sed quia non parat legi Dei iubenti obedire magistratui. Atque ita quoque, peccat, qui violat leges ab Episcopo latas de ordine & decore in Ecclesiâ seruando: quia nepe Deus iussit seruare ordinem. Manet itaque nostrum argumentum: Conscientia est peculium solius Dei: ergo solus potest ei leges præscribere. Deinde, cum lex humana violatur, quam superiores recte sanxerunt, ipse Deus offenditur: quia nempe generalis illa lex Dei violatur, Obedite præpositis vestris. 10. Origenes confert Principes seculares cum Episcopis, & hoc inter ipsos ponit discrimen, quod illi cogunt, & eorum subditi necessitate, non voluntate parent; contra his voluntate, non necessitate parendum esse. non ergo hi cogunt. Chrysostomus similiter comparat Episcopum cum Principe; & ait, hunc cogere posse, Episcopum non posse, sed tantum *πειθεσθαι*, id est, persuadere. Augustini locum illustrat Bellarminus, & illustrando seipsum ingulat. Respondet enim, omnem legem iustam à lege æterna Dei deriuari: est autem æterna lex, malum esse regulam violare: ergo non propter vllam aliam causam malum est legem humanam transgredi, nisi propter legem illam æternam: ergo non est malum leges humanas propter se violasse. Bernhardus satis nouit illo tempore, quo Apostoli in viuus fuerunt, non potuisse illos iudicia ciuilia exercere.

XII. Quod diximus de onere Ecclesiæ Romanæ, illud grauius esse onere ecclesiæ Iudaicæ, propter ceremoniarum apparatus, paucis illustrare oportet. Eriperunt Pontifices Romani populo Christiano sacram communionem, verbum Dei, verum cultum numinis, rectum vsum sacramentorum, & precum: dederunt autem nobis de suo, quibus nos interim oblectaremus, sales, aquas, ampullas, sputa, ramusculos, bullas, iubila, indulgentias, cruces, suffitus, imagines, & infinitum numerum ceremoniarum, & ludos, vt Plautus ait, ludificabiles. In his illi rebus omnem religionem collocarunt: his rebus docuerunt Deum rite placari posse, his abigi demones, his confirmari hominum conscientias. Hæc videlicet sunt pigmenta & myrothecia religionis Christianæ. Hæc Deo sunt grata & accepta, quia Romana Ecclesiâ ista decreuit. Syluester enim Prieras ait, Ecclesiam Romanam esse normam & regulam veritatis, sacras Scripturas ab illa & auctoritatem, & fidem accipere.

XIII. Superest argumenta Bellarmini soluere, quæ ille reuocat ad tria genera. Probat enim suam sententiam ex sacra Scriptura, ex traditione Patrum & ratione. Ac ex Scriptura quidem duodecim locos adfert, hoc ordine. Deut. 17. 12. capitis pœna plecti iubetur, qui superbitur nolens obedire sacerdotis imperio. Matth. 16. 19. ligandi potestas tribuitur Petro. Iohan. 21. 16. Christus vtitur regio vocabulo, Pasce. Iohan. 20. 21. Christus ait, Sicut misit me Pater, & ego vos mitto. Act. 15. ver. 28. 29. Apostoli condunt nouam

legem. Rom. 13. 1. Omnis anima iubetur esse subdita potestatibus sublimioribus, & quidem *vers. 5.* propter conscientiam. 1. Corinth. 4. 21. Per virgam intelligitur potestas iudicialia puniendi peccatores. 1. Tim. 3. 2. Apostolus legem statuit, ne bigami ordinentur. 1. Tim. 5. 19. docetur, Episcopum habere suum tribunal. Luc. 10. 10. Qui vos audit, me audit. 1. Corinth. 11. 2. Apostolus laudat Corinthios, quod seruent ipsius præcepta: quem locum confer cum 1. Thess. 4. 2. & 2. Thess. 3. 14. Ad extremum Hebr. 13. 17. Obedite præpositis vestris, & subiaccere eis.

Respondeo ad 1. Non hic agitur de legibus condendis, sed de litibus & actionibus ciuilibus & Ecclesiasticis; quas Deus iubet deferre ad summos iudices, vt illi iudicent secundum legem ipsius. Quod si aliquis superbe resistit sententiæ iudicium legitimæ, & ipsos contemserit, iubetur morte affici. Quid vero hæc ad Papam, qui sibi arrogat potestatem ferendi leges, quæ per se obligent conscientiam? ad 2. Non soli Petro, sed omnibus Apostolis, præcipitur, vt ligent incredulos & impœnitentes, non legibus nouis, sed ministerio verbi. ad 3. *vt* Pascere sua natura non est regum vocabulum, sed seruire, vt ita dicam, & ministeriale: Tribuitur vero regibus interduum, vt intelligant, se aliorum vtilitati & commodo seruire. Atque hoc quoque loco notat curam pastorem, quæ impendenda est Ecclesiæ. ad 4. Christus his verbis Apostolos facit suos legatos, qui coruscant radijs legantis. Non itaque absolutam & regiam potestatem condendi leges ipsis tribuit; sed solum subdelegatam, vt nempe suscipiant ipsius ministerium, prædicando verbum, & administrando sacramenta. ad 5. Apostoli non ferunt hoc loco nouam legem, sed propter rationem scandali veterem legem renouant, & regulam vniuersalem de vitando scandalo ad sua tempora accommodant. ad 6. Hic locus non potest intelligi, nisi de magistratibus duntaxat politicis, quorum præcepta obligant conscientiam, non quod hinc legibus in particulari conscientia mea irretitur (non enim singulæ leges, quæ à magistratu feruntur, ad interiorem animæ gubernationem pertinent, nec Dei cultus in his ponendus est, aut vitæ regula) sed quia generale præceptum habemus, quo auctoritas magistratum commendatur; & quia leges istæ ad generale finem referuntur, id est, pacem & dilectionem proximis; & denique quia consentaneæ sunt legi diuinæ, vel saltem cum ea non pugnant. Atque hoc modo leges ab Episcopis latæ possunt etiam ligare conscientiam: hoc tamen obseruato discrimine, leges Principum politicas magis obligare, quam Ecclesiasticas Episcoporum constitutiones: Nam in legibus Ecclesiasticis *vt* *regia* tantum spectatur: si ergo nihil contra *vt* *regia* feceris, non teneris illis: at in politicis legibus spectatur publica vtilitas, quam nos non possumus semper æstimare, prout oportet: nostrum ergo est facere, quod iubemur, aut pœnam subire: in Ecclesiasticis, si *vt* *regia* & contemtus, & scandalum absint, non peccamus: in ciuilibus non licet etiam sine contemtu leges quoddam magistratum violare, sed aut obedientiam, aut pœnam præstare oportet. ad 7. Apostolus per virgam intelligit partim censuram Ecclesiasticam: partim potestatem miraculorum. Illa est ordinaria, & consistit in reprehensione, obiurgatione, comminatione, excommunicatione: hæc ita erat comparata, vt Apostolus, si res postularet, pœnam corporalem posset infligere. ad 8. Lex illa non est positua, & Ecclesiastica, sed æterna & diuina. Probat enim *πολυτροπιον*. ad 9. Episcopus habet suum tribunal, non in quo leges nouas cudad instar dictatoris, sed diiudicet controuersias Ecclesiasticas. ad 10. Sicut qui legatū principis audit, ipsum Principem audit, quatenus non excedit legationem suam: ita qui ministros Christi audit, Christum ipsum audit, quatenus illi sunt ministri Christi, hoc est, proponunt ipsius mandata. ad 11. Apostolus laudat Corinthios, quod seruent traditiones, id est, instituta ecclesiastica, spectantia *vt* *regia* & decorum. Deinde, Thessalonicensibus dedit præcepta Christi, non sua ipsius. Denique eosdem Thessalonicenses iubet primo notare, secundo excommunicare, tertio fugere illos, qui repugnant ijs, quæ à Domino acceperat & ipsi traderat. ad 12. Apostolus flagitat obedientiam, sed in Dño: si nempe præpositi nihil suum tradant, sed Domini sui mandata proponant & exponant.

XIV. Atque hæc ex Scripturis: secundo probat suam sententiam ex traditione Patrum: ac in primis ait nullum fere esse Concilium, quod non aliqui præcipiant; vel indicat, sub pœna anathematis, vel depositionis. Pari ratione plenæ sunt epistolæ Pontificum, quæ vel in tomis Conciliorum, vel in iure Canonico legi possunt, præceptis & censuris. Denique, quod lex ieiuniorum Quadragesimæ, vel quatuor temporum, aut Vigiliarum, sit plene positua & Ecclesiastica, fatentur aduersarij; quod autem ea obliget in conscientia fideles, etiam citra contemtum, docent omnes veteres. Canon 68. Apostolorum, iubet Clericum deponi, & laicum excommunicari, si ieiunia indicta soluerit. Concilium Gangrense can. 19. iubet excommunicari eos, qui indicta ieiunia sine necessitate soluunt. Ambrosius serm. 25. Non leue, inquit, peccatum est, indictam fidelibus Quadragesimam violare &c.

Respondeo, 1. In Concilijs rum generalibus, tum specialibus, occurrunt leges duum generum, Ecclesiasticæ, & diuinæ: illæ de ritibus, hæc de dogmate. Licet itaque Concilijs ferre leges, quæ ad *vt* *regia*, & ad externam Ecclesiæ politiam spectant. Et deponendi sunt, qui eas non seruant. Sed conscientia nostræ non obligantur istis legibus, nisi contemtus accesserit, aut scandalum. Atque in ipsis Conciliorum canonibus has fere exceptiones reperiemus: Si quis contra præsumserit, si quis pertinaciter resistit, si quis contumaciter contra fecerit, anathema sit. Quibus verbis declarant, nullos esse reos culpæ, nisi qui contumaciter illa decreta contemserint, solui vero à pœna anathematis sunt, qui citra contemtum aut scandalum illa violauerint, vel potius non seruauerint. Et hi canones non nisi ad externam Ecclesiæ *πολυτροπιον* & *vt* *regia* pertinent. At si quis in Conciliorum canonibus occurrat simplex anathematismus, illi Canones sunt de insigni aliqua hæresi, qua conscientia vastatur; & huiusmodi hæresin tenentibus anathema iure denuntiarur. At huiusmodi leges non Ecclesiasticæ, sed diuinæ sunt: & hic anathematismus diuinus est. Sic Paulus 1. Cor. 16. 22. anathema denuntiat huiusmodi hominibus. 2. Lex de ieiunijs in Ecclesiâ N. Test. est mere positua, & nõ imposta est conscientijs hominum, sed sancita, vt homines ad cultum Dei paratiores redderentur. Atque huiusmodi ieiunia commendant veteres. Cum ijs vero nihil commune habent Papistarum ieiunia. Nam neque illa sunt vera ieiunia (nam v. g. in Quadragesima est delectus ciborum,

ciborum, non vero abstinentia à cibis) neque media cultus diuini, quia in ipsis ponitur cultus spiritualis.

XV. Tertio Bellarminus probat sententiam suam *ratione* huiusmodi. Sunt necessariae aliquae leges ad Ecclesiam bene gubernandam, praeter leges diuinas & ciuiles. Omnis autem vera lex habet potestatem coactiuam. Est enim lex regula quaedam humanarum actionum à Deo immediate, vel mediate constituta; deuiare autem à regula, peccare est. Itaque essentia legis in hoc posita est, ut vim habeat cogendi & ligandi, ita ut sit peccatum aliter agere. Quod item ostendit definitio peccati apud Apostolum *si uelitis in uoluptate*.

Respondeo, 1. Sane praeter diuinas leges requiruntur Ecclesiasticae sanctiones & constitutiones: quae nempe spectant ad *uirtutes* & decorum, ut, iuxta Apostolum, omnia in ecclesia fiant decenter & ordine. Nam si modestia & grauitas in omni ciuili societate requiritur, quanto magis inter Christianos in Ecclesiastico cœtu, tanquam in familia Dei, ordo adhibendus est? Tum ritus decori, & quadam ueneratione pleni nos ad pietatem iuuant & excitant: contra confusio de decorat omnia, & ministerium contemni facit. Et uult Deus in ecclesia esse formam administrationis, ne cuius liceat quod libet; & paci ac tranquillitati ecclesiae consuli: sine ordine enim omnia sunt confusa, & tumultuose ac turbulente geruntur. Rationem ergo aliquam & formam obseruari oportet propter pacem ecclesiae, & propter decorum. Decorum autem dicimus non esse inane pompam, aut inutilem elegantiam, aut luxum & apparatus magnificum, aut gestus superuacaneos, cuiusmodi Papistae in suis sacris adhibere solent, omnia ad splendorem, & stuporem, & oblectationem referentes: haec enim non adiuuant, sed obruunt pietatem, & religionem omnem perturbant. Nam homines tot in his rebus occupati, fidem, iustitiam, religionem negligunt, & pietatem à mente ad sensus reuocant: quod contra fieri oportuit. Sed nobis illa decora sunt, quae ad sanctam quandam dignitatem referuntur, quaeque fines illos respiciunt, quos diximus. Eiusmodi sunt, quod nudo capite precamur, quod sacramenta cum quadam dignitate administramus, quod horae statæ precibus deputantur, itaque sacris concionibus, & actionibus mysticis; & eiusmodi alia. Non haec Christus sigillatim mandauit, nec sunt leges de his particulares in Scripturis, sed haec legibus ecclesiasticis sunt sancitae: & ista pendunt à conditione temporum: & non necessaria est una in omnibus ecclesijs forma: & mutari possunt: & non sunt ad salutem necessaria. Haec igitur per se nec sacra, nec diuina, nec necessaria sunt; non enim in rebus ipsis est pietas aliqua: sed tamen quoad generale praecipuum, & finem rerum sacrarum iudicanda sunt, nec contemni possunt sine peccato. At si contemtus, & scandalum ab sit, abest peccatum. Non enim u.g. peccat, qui inter precandum genu non flectit, si quid impediatur: nec si quis ieiunus ad Eucharistiam accedat, quia non potest aliter accedere sine periculo ualitudinis, & similia. Tota ergo religio est in fugiendo scandalo, & uitando contemtu. Sed cauendum sine dubio est, ne quid temere contra ecclesiae consuetudinem faciamus. Nam certe grauius est peccatum, quam quidam putant, ordinem tolerabilem in Ecclesia sancitum non seruare, si non ob aliud, tamen propter contemtum, & offensionem, & pacis publicae perturbationem: quae omnia utique peccata sunt. Quis enim ordo reliquus erit, si cuius liceat mutare quod displicet in ritibus Ecclesiasticis? nunquam eadem omnibus placebunt: ergo habeat ecclesia auctoritatem condendi leges quoad decorum; & nostrum est obedire: sed quod ad res ipsas libera semper est conscientia, at nullo modo contemtum, aut superbe, aut fastidiose uiolandae haec leges sunt. Item igitur, ecclesiam posse huiusmodi ritus constituere: sed tamen in istis quae uiam necessariae cautiones obseruanda sunt. *Primo*, ne quid introducat contra uerbum Dei. *Secundo*, ut haec constitutiones non habeant in se partem aliquam cultus diuini, aut iustificationis, quasi in ijs posita sit remissio peccatorum, & uita aeterna. *Tertio*, hi ritus non debent esse infiniti, aut nimis multi, neque difficiles. *Quarto*, non debent obstrudi cum opinione perpetuae cuiusdam necessitatis. *Quinto*, non sunt conscientijs imponendi, quasi quis lethali peccet, qui de tanto scandalo non obseruat. In his omnibus Papistae peccarunt; & nos illis dissimiles esse oportet. 2. Omnes leges iustae habent vim coactiuam, sed non uno modo. Nam leges diuinae cogunt conscientiam, primo, immediate, per se, omni modo: leges humanae, siue ciuiles sint, siue Ecclesiasticae cogunt conscientiam secundario, mediate, per accidens, secundum quid, seu aliquo modo, si nempe ad generalem regulam respiciamus, ut si accesserit contemtus, aut offensio, aut schisma, ex culari non possit illarum uolatio. Sed si quis huiusmodi legibus oneretur & illaqueet conscientiam, quasi per se sint obseruandae, negamus aliquam vim coactiuam illis inesse. Atque ita Papistae quot leges habent, totidem fere laqueos habent, quibus illorum conscientiae irretiuntur, etiamsi nullum scandalum accesserit. Haec immanis carnificina est, & terra coactio. 3. Discedere à mente legis, est peccare. Sed mens legum Ecclesiasticarum non alia esse debet, quam ut liceat aliter facere, si nullum scandalum fuerit: nam quae leges aliam mentem habent, ut Pontificiae; iniustae sunt & tyrannicae. 4. Peccatum est transgressio diuinae legis. Sed leges humanae non seruare, non est peccare, modo id non cum contemtu, & scandalo fiat: nam tum Dei lex uiolatur.

CAPVT III.

De disciplina Ecclesiae, sententia nostra.

I. Sequitur altera pars iurisdictionis Ecclesiasticae, quae consistit in *sanctae disciplinae*, quae fideles sine exceptione omnes attingit, & est institutio, & correctio fraterna ex uerbo Dei; quae fideles sese mutuo ad officium faciendum adigere student, atque adeo alij aliorum salutem procurant, *Mat. 18. uer. 15. 16. 17. 1. Corinth. 5. 11. 2. Thess. 3. 15. 2. Timoth. 3. 6.* Est autem disciplina ecclesiae aut communis, cui Christiani omnes sine discrimine subesse debent, quae *uoluntate* dicitur disciplina ecclesiae, seu Ecclesiastica aut propria, quae ad solos Ecclesiasticos, quos uocant, seu ministros ecclesiae pertinet; quaeque alias Clericalis dicitur. Rursus disciplina communis est duplex: una uita; & morum; altera poenitentiae, si quis grauius deliquerit.

II. *Disciplina uita & morum* in eo sita est, ut non publico modo Ecclesiarum ministri (quanquam hi praecipue sed singuli etiam Christiani, coram proximorum suorum gerant; ac quisque proximos suos ex auctoritate & magisterio Domini nostri Iesu Christi, tanquam eius discipulos, in fide & cognitione, eius, ubi ubi possit, confirmet & prouehat, atque ad progrediendum in uia Dei hortetur. Ac si qui labantur, siue in errorem doctrinae, siue in aliquod uitae & morum uitium, ut talis quicumque ualeat, ab omni & falsa doctrina, & prauis actionibus summo studio reuocet, cum ad doctrinae Christi sinceritatem, tum ad sedulam uitae omnis ad placita Dei conformationem.

III. Huius disciplinae occurrit necessitas, & administratio, *Necessitas* patet ex praecipuo diuino. Si peccauerit, ait Christus *Matth. 18.* in te frater tuus, uade, & argue eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Quae sententia tamen si loquitur de offensa proximi: tamen, quia Christianus homo id solum in se peccati ducit, quod peccatur in Deum; potest sane, & uero debet, ad omne peccatum extendi. Consideremus igitur in his uerbis, cum maiestatem praecipientis, tum diuinum operae pretium, quod obediendo huic praecipuo Domini facinus. Nam ait Dominus: Si audierit te frater tuus, lucratus es eum; ad salutem nimirum, & uitam aeternam. Hinc praecipit & Spiritus sanctus *Gal. 6.* Fratres, si homo praecipuus fuerit aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, instaurate huiusmodi, & reconcinate, *uocati* spiritu mansueti. *Et 1. Thess. 5.* Propterea adhortamini uos inuicem, & instaurate quisque alterum, quem admodum & facitis. *Et paulo post:* Adhortamur uos, fratres, corrigite, & instituite eos qui uiuunt inordinate, consolamini eos qui pusillissimi sunt animis, tolerate, & sustinete infirmos. Etenim Christus, magister & gubernator noster, uiuit atque in Christianis singulis, in singulis igitur, & per singulorum ministerium, quaerit quod perijt & saluum facit. Quamobrem necesse est, ut quicumque Christi uere sunt, ex ipsius auctoritate & magisterio, fratrum eorum gerant vigilantissimam, atque ad officium assidue quoscunque possint, exhortentur: a peccatisque omnibus, pro uirtutibus arceant, uel retrahant, in calpafos. Perinde necessarium est, ut qui à fratribus, iuxta praecipuum Domini, aduocentur & corriguntur, agnoscant in illis, & suscipiant Christi ipsius auctoritatem, & magisterium: admonitionemque eiusmodi & correctionem, ut ueros Christi decet discipulos, excipiant grati, & studiose sequantur: nec dubitent, se Christum ipsum aspernari, si quem ex uerbo Domini aduocentem & corrigentem contemserint; audireque Christum ipsum, cum pie reprehendentibus atque adhortantibus auscultauerint. Dicta Patrum de necessitate & antiquitate huius disciplinae uide *cap. sequen. §. 13.*

IV. *Administratio huius disciplinae* fieri debet ab omnibus; in primis à praefectis ecclesiae, & magistratu politico. Et primo quidem, quoniam priuati Christiani in hac Christi disciplina exercenda plerumque non parum cessant, in officio est praefectorum siue curatorum Ecclesiae, id est, totius Presbyterij, studiose hac in re facere, quod à priuatis fuerit neglectum. Ac proinde pastores in primis operam dare debent, cum per se, tum per seniores & diaconos Ecclesiarum (quorum propterea numerus pro cuiusque plebis multitudine augendus est) ut singulos suae curae commendatos, habeant probe cognitos: & diligenter obseruent, quid quisque in uita Dei proficiat, quid in ea remittat: quo in tempore in fratribus, sanctis corrigant admonitionibus, quidquid delicti deprehenderit. Quia in re tanto maiorem debent adhibere hi curatores animarum diligentiam, quam ulli adhibere possunt praecipuos humanarum disciplinarum, in formandis discipulorum ingenijs: quanto potius, & magis necessaria est, scientia salutis aeternae, quam uilla sint artes & scientiae. Cogitent igitur sedulo, quoscunque ouibus suis praefecerit Dominus, ex ipsorum manibus requirendas esse, quaecunque ipsorum negligentia perierint. Perpendant probe, quae illis dixit & inuicem est Dominus per Ezechielem Prophetam, *cap. 3.* Speculatorem te dedi domui Israelis &c. Sanguine illius de manu tua requiratur. Probe etiam considerent, atque ponderent, quae Dominus per eundem uatem *e. 34.* quaeritur de pastoribus, qui oues debiles non confirmant, & aegras non sanant, & contractas non obligant, & a grege depulsas non reducunt, quaeque perierunt, non requirunt. Insonet animis eorum semper & grauissima illa Pauli admonitio, facta ad Presbyteros Ephesinos, *Act. 20.* Attendite uobis ipsis, omnique gregi &c. Item illud *Ti. 2.* Haec loquere, & ex his adhortare, & reprehendere, cum omni auctoritate, tanquam tibi subiectos. Hocque beneficium Christi debent, ut summe necessarium & salutare, gratissimo animo amplecti, quibus illud impenditur: ad quod adhortatur Apostolus *1. Thess. 5.* Rogamus uos fratres ut agnoscat is eos qui inter uos laborant, & praesunt uobis in Domino, & corrigant atque instituunt uos: abundantiore charitate complectimini eos propter opus ipsorum. *Et Hebr. 13.* Obtemperate praepositis uestris, & obedite: ipsi enim uigilant pro animabus uestris, ut rationem reddituri, quo cum gaudio hoc faciant, non ingemiscetes.

V. Porro *magistratui* quoque *Christiano* cura & administratio huius disciplinae incumbit. Praeterquam enim quod Principi fidei à Deo mandata est cura utriusque tabulae, ut intelligat ad officium suum non ciuilem tantum rem, sed etiam sacram & Ecclesiasticam, pertingere: Deus saepe reges, ac diserte iubet lucos succidere, idolorum statuas & aras euertere, librum legis sibi deferbere, & esse patronos atque nutritios ecclesiae. Atque hinc est, quod ex historijs, & optimorum temporum exemplis uideamus, pios principes procuracionem ecclesiarum à suo officio nunquam putasse alienam. Nam Moyses Aharonem episcopum de aureo uirulo, & de uiolata religione, vehementer & grauitate castigauit. Iosua, cum primum inauguraretur, & praeficeretur populo, accepit mandata nominatim de religione, deque colendo Deo. Dauid rex, cum iam omnis fere religio, ab impio rege Saule profusa esset dissipata, reduxit arcam Dei, hoc est, religionem restituit: nec tantum adiuuit ut monitor aut hortator operis, sed etiam psalmos & hymnos dedit, & classes disposuit, & pompam instituit, & quodammodo praefuit Sacerdotibus. Salomon rex aedificauit templum Domino, habuit egregiam orationem ad populum de religione, & cultu Dei, & Abiathorum Episcopum submouit, inque eius locum Sadocum surrogauit. Idem constituit officia sacerdotum & Leuitarum. Cumque postea templum Dei factum in modum esset sacerdotum uitio & negligentia contaminatum, Ezechias rex iussit illud à rudibus & sordibus repurgare, accendi lumina, suffitus adoleri, & ueteri ritu sacra fieri: & neum etiam serpentem, qui cum à populo impie colebatur,

CAPVT. IV.

De Disciplina Ecclesiae; sententia Papistarum.

I. Sententiam Papistarum de hoc doctrinae capite considerabimus. Primo in genere, quantum ad disciplinam ipsam attinet, hoc est, ipsius naturam. Deinde in specie agemus de disciplina poenitentiae, & morum. Pleraque autem certis comprehendemus propositionibus & quaestionibus; quarum aliae sunt de huius disciplinae legitima observatione, aliae de administratione, aliae denique de modo & partibus ipsius. Primo enim acerrime inter nos disputatur, penes quos sit illa disciplina: deinde, a quibus eam administrari conueniat; postremo, quibus constet partibus, quisque singularum partium debeat esse modus. Hanc itaque methodum sequemur.

II. *Prima propositio.* Sola Romana ecclesia, ut est vera Christi Ecclesia, ita legitimam quoque habet ecclesiae disciplinam. Hinc est, quod Papistae dicunt, nos esse homines impios, & gigantum more Deo ipsi bellum facere, & prorsus sine omni numinis cura cultuque vivere: nos omnia recte facta despiceret; non virtutis vlla disciplina vti, non legibus, non moribus: non fas, non ius, non aequum, non rectum colere: ad omnia flagitia laxare fræna, & populum ad omne genus licentiae atque libidinis prouocare; idque eo quod solennia vota Deo facta rumpamus, & ne fiant prohibeamus; quod homines de aeterna salute certos faciamus, atque ea de re, Deum nec timentes, nec curantes, dissoluti viuamus, doctores iuxta & discipuli; quod ieiunia nihili faciamus; quod sola fide hominem iustificari doceamus; quod confessionis & absolutionis sacramenta tollamus; quod ordines ministrorum ecclesiae contemnamus; quod leges Ecclesiae stocci faciamus &c. Id enim nihil est aliud, quam omni nequitiae frænos permittere. *Hardingus contra Iulianum c. 2. diuis. 4. Ep. seq.*

III. Grauisimum certe hoc est, quod Aduersarij dicunt esse nos homines impios, & omnem religionis curam abiicisse. Sed non debet nos hoc mouere. Nam Elia, Christo, & Apostolis hoc idem accidit. Et Iustinus Martyr author est, eum primum Euangelium coeptum esset publicari, & Christi nomen patefieri, Christianos omnes dictos fuisse ab eis. Cumque Polycarpus staret pro iudicio, populus his vocibus incitauit proconsulem *aisa rous abbeus*, hoc est, tolle de medio istos homines impios, qui Deum non habent. Non quod Christiani Deum reuera non haberent, sed quod laxa & stipites, quæ tum pro dijs colebantur, non adorarent. Verum orbis terrarum satis iam videt, quid nos, nostrique ab ipsis, religionis & vniuersi Dei nostri causa, perpeffimus, & adhuc dum perpetuimus. In carceres, in ignes, in aquas, abiicerunt maiores nostros, & in nostro sanguine adhuc voluntantur; non quod illi maiores nostri, aut nos adulteri essemus, aut latrones, aut homicidæ: sed quod Euangelium Iesu Christi ex sola Scriptura, non vero ex lacunis traditionum humanarum petendum esse doceremus. Verum isti, cum viderent doctrinam nostram non posse recte accusari, maluerunt in mores nostros inuehi: nos omnia recte facta damnare: ad licentiam & libidinem fores aperire: & populum ab omnifudio virtutis abducere. Et certe ea est, semperque fuit hominum omnium, etiam piorum & Christianorum vita, ut semper, etiam in optimis & castissimis moribus, tamen aliquid posses desiderare: eaque propensio omnium ad malum, eaque omnium procliuitas ad suspicandum, ut quæ nec facta, nec cognita vniquam fuerint, audiri tamen & credi possint. Vtque in candidissima veste facile exigua notatur labes: ita in vita candidissima, facile leuissima turpitudinis nota deprehenditur. Neque nos, aut eos omnes, qui hodie amplexi sunt doctrinam Euangelij, angelos esse arbitramur, & prorsus sine vlla macula, vel ruga viuere: aut istos vel ita cæcos, ut si quid in nobis notari queat, non possint id vel per tenuissimam rimam animaduertere: vel ita candidos, ut quidquid velint in meliorem partem interpretari: vel ita ingenuos, ut oculos suos velint in se reflectere, & mores nostros de suis moribus aestimare. Quod si rem ipsam ab initijs velimus repetere, scimus temporibus ipsis Apostolorum fuisse homines Christianos, propter quos nomen Domini blasphemaretur, & male audiret inter gentes. Quaritur apud Sozomenum Imperator Constantinus, multos postquam ad religionem Christianam accessissent, euasisse deteriores. Et Cyprianus lugubri oratione describit corruptelam sui temporis. Disciplinam, inquit, quam Apostoli tradiderant, otium iam, & pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore, ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Et ante illum Tertullianus, ô miseros, inquit, nos, qui Christiani dicimur hoc tempore! Gentes agimus sub nomine Christi. Postremo, ne omnes commemoremus, Gregorius Nazianzenus de miserabili statu suorum temporum ita loquitur. Vitiatorum, inquit, nostrorum causa, odio iam laboramus inter gentes. Spectaculum etiam iam facti sumus, non solum angelis, & hominibus pijs, sed etiam omnibus impijs. Hoc itaque locus erat Ecclesia Dei, cum primum lucere coepisset Euangelium, cum nondum rabies tyrannorum refrixisset, aut gladius a Christianorum hominum ceruicibus ablatum esset. Scilicet non est nouum, homines esse homines, etiam si appellentur Christiani.

IV. Sed quia vitam impiam, quam plurimi apud nos viuunt, ex doctrinae genio & genere promanare dicunt, age de hoc videamus. Dicunt, nos solennia vota Deo facta rumpere, & ne fiant, prohibere. At nos vota superstitiosa ipso iure nulla esse docemus, & legitima substitui volumus. Dicunt, nos homines de salute aeterna certos facere, eoque ianuam aperire ad omnem generis licentiam. At nos è Scripturis docemus, neminem posse certum esse de salute sua, nisi qui bona opera statuit esse viam regni caelestis, & illam viam vnice ingreditur, inque illa progreditur. Dicunt, nos ieiunia nihili facere. At nos, ieiunia damnamus, in quibus opus operatum dicitur esse cultus meritorius. Substituimus autem vera ieiunia, quæ non posita sunt in

ciborum delectu, sed abstinentia, & quæ sint adminicula pietatis, non vero pietatis pars. Dicunt, nos docere hominem iustificari sola fide. At nos, fidem solam non virgemus, id est, separatam à bonis operibus, sed solam esse, quæ apprehendat iustitiam Christi, eamque nobis applicet, cum Apostolo docemus. Dicunt, nos confessionis & absolutionis sacramenta tollere. At nos, superstitionem circa hæc duo sacramenta, id est, mysteria, notamus: confessionem & absolutionem vel maxime requirimus. Dicunt, nos contemnere ordines ministrorum ecclesiae. At nos, distincte loquimur de ordinibus, qui nituntur iure diuino, & humano. Dicunt, nos contemnere leges Ecclesiae. At nos leges Ecclesiae veneramus, si modo illæ venerentur leges diuinas, hoc est, cum illis consentiant.

V. Sed quando vobis placuit, impiam nostrorum vitam ipsi doctrinae acceptam referre, ut par pari referamus, non dubitamus asserere, vestram doctrinam ita esse comparatam, ut sit nutritrix impiæ vitæ. Quid enim? Quia docetis, sanctos ut intercessores esse colendos, sit ut plurimi diuos diualesque non aliter venerentur quam Deum. Vnde *Bodinus in method. hist. cap. 5.* ait: D. Antonius à plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe maiore metu colitur, quam Deus immortalis. Rursus, quia Iesuitæ vestri æquiuocationis artem defendunt, probant, laudant, docent; magistratus in iuramentis illudunt, veritas è conuersatione tollitur, omnis generis flagitia hoc modo occultantur. *Toletus vester lib. 5. Instruct. sacerdotalis cap. 13.* ait: Si quis desideret habere pollutionem ob bonum finem, ut ob sanitatem, aut ad leuandas tentationes carnis, quibus interdum affligitur, non est peccatum. *Angelus de Clauisio in summa, in dictione Papa,* ait, Pontificem posse dispensare contra præcepta Decalogi. *Canonista* docent, simpliciter fornicationem non esse peccatum. Sic enim legere est *Isai. 34.* Qui vxorē non habet, & p vxore habet concubinā, à communionē non repellitur. *Panormitanus,* Canonistarum maximus, ad varietatem temporum, inquit, debent mutari statuta humana: ideo hodie ex simplici fornicatione Clericus non deponitur. Et ad decreta *Extra. de Consanguinit.* Non debet *Abb.* adnotatur hoc modo: Communiter dicitur, quod pro simplici fornicatione Clericus deponi non debet, quia pauci sine illo vitio inueniuntur. *Campegius, Pighius, Costerus,* & alij complures docent, sacerdotem illum multo sanctius, & castius viuere, qui alit concubinam, quam qui vxorem habeat in matrimonio. Hæc de re *Claudius Espensæus Episcopus in comment. ad Tit. 1.* sic conqueritur: Turpissimum est, quod Officiales permittunt Clericos cum concubinis, meretricibus, & pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt, accepto ab ijs certo quotannis censu, atque adeo alibi à continentibus: nam habeant, a iunt, si velint. Porro multa millia sunt Romæ meretricum, ex quibus Papa in singulos annos vestigal amplum colligit. Neque valet effugium, quod Hardingus & alij adferunt, communi more id receptum esse in calenibus illis terræ partibus, ne impurum id genus hominum abdicent, non quod facile serant, ut remper se laudabilem, sed ad grauiorem pestem euandam. Quasi nimirum, ea, quæ formaliter & intrinsece sunt mala, liceat permittere, ut eueniant bona. Hanc turpitudinem obseruauerunt *Cardinales delicti*, qui in suo Concilio, tom. 3. *Concil. pag. 823.* ita scribunt: In hac enim vrbe meretrices, ut matronæ, incedunt per urbem, seu mula vehuntur, quas assistantur de media die nobiles, familiares Cardinalium, Clericique. Nulla in vrbe vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac, omnium exemplari. Habitant etiam in signis ædes.

VI. Sic itaque illi nostri Aduersarij cum ita odiose nos accusant, nihil de se cogitant. Cur quæso illi, quibus tam procul spectare, & quid in Germania, quidque in remotioribus locis agatur videre otium est, aut oblitri sunt, aut videre non possunt, quid Romæ agatur? An nos ab illis accusabimur, de quorum vita nemo potest satis honeste & verecunde commemorare? Nos quidem non sumimus id nobis hoc tempore, ut ea quæ vna cum ipsis sepulta esse oportebat, in lucem & conspectum proferamus. Non est id religionis; non est verecundiæ; non est pudoris nostri. Illi tamen, qui iam olim disciplinam istam sanctam sanctæ Romanæ ecclesiae dolentes notarunt, omnino hæc adducendi sunt, ut planum fiat, num illis, an vero nobis disciplinæ Ecclesiasticæ laus saltem aliquatenus tribui queat. *In reuelationibus Brigittæ cap. 51.* de sede Romana dicitur, illam esse inuersam & immutatam, ita ut in illa pro humilitate sit superbia; pro obedientia, propria voluntas; pro iustitia, amor pecuniæ; pro misericordia, ira & inuidia. *Adrianus VI. Papa in Instructione, Francisco Cheregato Episcopo Aprutiensi, legato ad conuentum Noribergensem data, anno 1525.* fatetur à planta pedis ad verticem vsque capitis nihil esse sani in toto corpore Ordinis ecclesiastici. *Cardinales delicti in suo Consilio de emendanda Ecclesia,* inter alia sic aiunt: Abusibus tanquam pestiferis morbis ecclesiam Dei iam pridè laborare, præsertim curiā, manifestum est, quibus effectu tum prope, ut paulatim ac sensim ingrauefuerit his pestiferis morbis magnam ruinam traxerit. *Pontificum Romanorum* magia, scortationes, adulteria, seditiones aduersus Imp. avaritia, & similia peccata passim sunt obuia. *De Cardinalibus* ita scribit Nicolaus de Clemangis lib. de ruina & reparat. Ecclesiae: Artificem, si velit simulacrum superbiæ effingere, nulla congruentius id ratione facere posse, quam Cardinalis effigiem inuentum oculis obiectando. *Platina in vita Marcelli I.* sic scribit: Vita nostra eo creuere, ut vix apud Deum misericordiæ locum nobis relinquunt. Quanta sit avaritia Sacerdotum, & eorum maxime qui rerum potiuntur, quanta libido vndique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius tum doctrinæ Christianæ, quam parua religio, & simulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis hominibus, quos seculares vocant, detestandi, non attinet dicere: cum ipsi ita aperte & palam peccent, ac si inde laudem quaererent. *Hugo Cardinalis* in quadam glossa scribit: Diabolum duas habere filias, Auaritiam & Luxuriam: illam Iudæis, hanc Ethnicis olim elocasse; nunc vero Clericos & Sacerdotes vtramque suis viris eripuisse, & tanquam proprias habere. *Author libri, Stella Clericorum, dicti,* sic exclamat: ô Domine, pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui deberent esse sobrij, quoti die sunt ebrij; qui Prælati, Pilati; qui casti, incesti; qui pastores, impostores. *In libro, cui titulus Onus Ecclesiae,* ita legitur: Sunt nonnulla Monialium monasteria adeo propatula, ut ipsa loca Veneris prostibulo sine similia, quam Dei sacratio: hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacrarum. Hi nempe sunt fructus doctrinæ de prohibitione coniugij: Quem admodum parricidia regum ex doctrina Iesuitarum sequuntur. Sic enim *Mariana in libro de Rege & Regis institutione lib. 1. cap. 6. 7. 8.* docet, ius falsque esse

esse subditis, reges, Principesque, quibus viri graues & eruditi hæreseos crimem impeggerint, quacunq; ratione è medio tollere: præscribit etiam, quomodo venenum conficiendum sit, quomodo vestibus, Chirotheecis, gladium capulis, aut etiam ephippijs illinendum, vt non minus præfens præceptum sequatur exitium, quam si ferro vrgerentur. Egregiam profecto doctrinam! Sed finis sit. Summa enim huc redit, doctrinam impiam de omnipotentia Pontificia, de remissione peccatorum ex rebus nihili speranda, de fide hæreticis non seruanda, de ludendo æquiuocationibus, de opere operato, nec necessario secum trahere similem vitam.

VII. *Secunda propositio.* Administratio disciplinæ Ecclesiasticæ non est committenda laicis, puta principibus, & hominibus de vulgo. Nam ciuiliū Principum munus in ciuilibus negotijs, Episcoporum autem in spiritalibus versatur. Neque vero exempla superioris capituli §. 5. ad rem sunt. Nam Moses fuit & ciuilibus magistratus, & sacerdos; Dauid, Propheta & rex; reliqui fecerunt, quod bonos reges facere decet: veram videlicet religionem tueri, & falsam affligere sibi proposuerunt. *Respondeo.* 1. Non confundimus ista munera: sed distinguimus. Sunt enim quædam officia Episcoporum propria, vt docere verbum Dei, administrare sacramenta, ordinare alios Episcopos &c. quædam communia; vt præesse disciplinæ. Nunquam à Principibus nostris usurpata sunt munera Episcoporum, sed ab Episcopis Papistarum usurpata sunt vtique munera Principum. 2. Moses ad breue aliquod tempus gessit sacerdotis munus. At ordinario nullo sacerdotio præditus fuit (nam neque natus, neque factus fuit Sacerdos) nec diutius, quam duarum, aut trium horarum spatio Sacerdos erat, quoad Aharonem, & filios eius inaugurasset. 3. Dauid non vi Prophetiæ, sed regiæ potestatis iure ista gessit, quæ ibi commemorauimus. 4. Nimirum hoc est, quod volumus; pij regis esse veram religionem tueri, falsam affligere. Sed quomodo? Ita nempe, vt cessantibus in officio sacerdotibus, illos excitent, aut alios substituunt, quod fecerunt pij reges in V. Test. quoties sacerdotes omnia in religione miscuerant; & vt sacerdotibus diligenter facientibus officium suum adfint beneuolentia & præsidio suo; denique illis vtantur tanquam oculis & manibus in instituendis, restituendis, amplificandis, fouendis ecclesijs.

VIII. Laicos quoque vulgares, seu de plebe, non esse idoneos administratos disciplinæ, sic probant. Sunt illi ouium loco, & discipulorum, & subditorum, & auditorum. Itaque contra naturam est, vt vna cum pastoribus, præceptoribus, præfectis, & doctoribus suis regant Ecclesiam. Adde, quod sunt homines simplices, & omnium rerum ignari. Constat autem non solum peritiam, sed etiam prudentiam requiri in quolibet regimine. *Respondeo.* 1. Priuata disciplina ecclesiæ non pertinet ad pastores, sed ad omnes Christianos. 2. Publica disciplina ecclesiæ aut communiter pertinet ad totum Presbyterium, vel Concilium: aut singulariter ad pastorem ecclesiæ: Ibi quidam prudentes & periti deliguntur, & in comunione speciale assumuntur: hic pastor retinet suam relationem solus. 3. Non quilibet de plebe adhibetur ad publicæ disciplinæ exercitum, sed quidam videlicet idonei. 4. Sæpe numero accidit, vt quidam Laici superent ipsos pastores & peritia, & prudentia.

IX. *Tertia propositio.* Sancta inquisitio est præcipua pars disciplinæ Ecclesiasticæ. Hac enim ratione optime omnium prospicitur ecclesiæ, ne falsa doctrina, vel impia vita corrumpatur. Id quod experientia tot annorum confirmat.

Respondeo. Vt in scholis & rebus publicis bene constitutis censura instituitur, magno bono scholæ & reip. & non sine ratione: ita in Ecclesia Christi idem merito obseruatur. Verum enimvero opera est danda sedulo, ne censura vertatur in carnificinam conscientiarum, & psychotyranidem intolerabilem: id quod factum est in Papatu.

X. *Quarta propositio.* Disciplina pœnitentiæ necessario requirit contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, tanquam actus pœnitentiæ; & absolutionem, vel ligationem sacerdotis. *Respondeo.* 1. Ad pœnitentiam (late sic dictam) requiruntur ista tria: videlicet contritio, fides, & noua obedientia. Sic enim passim in Scripturis conuersio hominis explicatur. 2. Contritio cordis, quatenus est dolor secundum Deum, *Psal. 51. 2. Cor. 7.* oritur partim ex lege, partim ex Euangelio. Nam nisi accedat Euangelium, contritio per se nec salutaria, nec Deo gratia esse potest. 3. In contritione requiritur summus dolor, quantum scilicet homo concipere potest. Is vero non consistit in desperatione, vel proportionem inter contritionem & peccata perpetrata, sed in odio & vltione sui ipsius. 4. Contritio est via: siue conditio, siue qua non peruenitur ad remissionem peccatorum: sed non est causa ipsius, necum causa meritoria. 5. Confessio peccatorum simpliciter est necessaria coram Deo, *Psal. 51. & 1. Iohan. 1.* coram hominibus, siue illi sint pastores, siue non, est necessaria secundum quid, quatenus nempe aut illos iniuria & scandalo offendimus, aut illorum solatio vel consilio in quibusdam conscientiarum casibus indigemus, *Iacob. 5.* Atque huc pertinet exomologesis eorum, qui ab ecclesia excommunicati, post actam pœnitentiam recipi desiderant. 6. Confessio auricularis, omnium delictorum, coram Sacerdote, est impossibilis & inutilis. 7. Satisfactio operis coram Deo nulla est, coram ecclesia potest esse aliqua, immo perfecta: quia nempe ipsi potest satisfieri complemento pœnæ, pro delicti qualitate impostæ, & æqua pœnitentiæ restitutione. Quamquam non raro de pœna ad probationem pœnitentiæ imposta, ab ecclesia aliquid remittitur peccatori, quod venit nomine indulgentiæ: si nempe ille serio dolorem suum testetur, & ostendat fructus pœnitentiæ dignos.

XI. *Quinta propositio.* Disciplina ecclesiæ tota pendet à nutu Pontificis Romani. Is enim est supremus pastor ecclesiæ. *Respondeo.* Solus Christus est supremus & vnicus ecclesiæ suæ pastor: author vt doctrinæ, ita quoque disciplinæ. Quamquam non est par vtriusque ratio. Nam doctrinæ nihil potest aut debet addi. At disciplina ecclesiæ tametsi quantum ad fundamentum exprimitur in S. literis: tamen circumstantiæ faciunt, vt multis opus sit constitutionibus de ordine & decore in ecclesia seruando. Istæ vero constitutiones præscribi possunt, & vero debent à Presbyterio, vel Synodo, communi nempe consensu, & auctoritate publica.

XII. *Sexta propositio.* Excommunicatio, quæ fit à Pontifice Romano, est eo loco habenda, quo ipsius Christi vox. Id patet ex *Matth. 16. & 18.* vbi Petro tributa est hæc potestas. Papa autem est Petri successor, & Christi vicarius.

Resp. 1. Omnes pastores sunt Vicarij Christi, & successores Petri, quatenus spectatur officium Christi Propheticum, & cura pastoralis, quam Petrus cum alijs Apostolis habuit communem. 2. Nos multa desideramus in excommunicatione Papæ. Nam vana & irrita est excommunicatio, quæ fit vel à iudice non competente, vt sunt falsi sacerdotes, hæretici, excommunicati, laici: vel non propter certa & manifesta & graui peccata, quæ excommunicationem mereantur: vel propter iniuriam priuatam & propriam; vel ex præcipiti & indiscreto zelo: vel aduersus pios & innocentes: vel aduersus vitam hæc functos: vel aduersus infideles: vel si ordine ac modo legitimo destituta fuit, nempe non vocatis seu citatis, non auditis, non conuictis, non recusantibus contumaciter excommunicatis: vel si excommunicatio Ecclesiastica secum trahat & inuoluat depositionem à magistratu summo &c. Talis autem fere est excommunicatio, quam Romanus Pontifex vibrat in Evangelicos, itemque in reges & Principes. Hac de re placet adscribere sententias quasdam fere ex Iure Canonico. *Gratianus caus. 24. quæst. 1. capitulo Audiuimus, ait:* Sin autem ex corde suo nouam hæresin confixerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia non potest quenquam deijcere, iam prostratus. Ligandi namque vel soluendi potestas veris, non falsis sacerdotibus à Domino tradita est. Apostolis enim dicturus; Quorum remiseritis peccata &c. præmisit: Accipite Spiritum sanctum: vt euidenter cunctis ostendat, eum, qui Spiritum sanctum non habet, peccata non posse tenere, vel remittere. Porro, Spiritum sanctum nemo, nisi intra Ecclesiam accipit. *Eadem caus. & quæst. cap. 35.* sic scribit Nicolaus Papa Michaeli Augusto: Ait Cælestinus Papa, orientalibus Episcopis scribens: Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab alijs, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus; vel exutus est, seu antilitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra comunione & duralle, & durare manifestum est: nec iudicamus eum remotum. Quia non poterat quenquam eius remouere sententia, qui iam se præbuerat ipse remouendum. *Caus. 1. quæst. 3. cap. 41.* Concilium Meldenense citatur hanc in sententiam: Nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa comunione priuet Ecclesiastica. Sub Anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum, nullum præsumat ponere, nisi vnde Canonica docet auctoritas; quia anathema est æterna mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. *Caus. & quæst. eadem capitulo 42.* Nullus sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à comunione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceci iusserint ab Ecclesia committentes. *Causa 23. quæst. 4. capitulo Inter querelas, ita scribit Gregorius ad Ianuarium Episcopum:* Inter querelas multiplices Isidorus vir clarissimus à fraternitate tua frustra se excommunicatum, anathematizatumque conuictus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum à clero tuo; qui præsens erat, volumus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod te iniuriauerit, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit. Quod si ita est, nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas: dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cætero omnino esto circumspectus, atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo ne præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias vindicandum. Hinc (*Subijcit Gratianus*) idem in homilijis ostenditur, quod peccata quæ in Deum, vel proximum committuntur, à nobis puniendâ sunt: eâ vero, quibus in nos delinquitur, patienter vel toleranda, vel potius dissimulanda sunt. *Causa 24. q. 3. capitulo Si quis citatur Hieronymus in Leuiticum:* Si quis non recto iudicio eorum, qui præfunt ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur, si ipse non antea exijt, hoc est, si non ita egerit, vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, vt interdum ille, qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui intus retineri videtur. *Ibidem citatur Origenes super Leuiticum homilia 14. ad cap. 24.* Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à charitate, exit de castris ecclesiæ; etiam si per Episcopi vocem minime abijciatur: sicut è contrario, dum aliquis non recto iudicio foras mittitur, scilicet si non ante exierit, id est, si non egerit, vt mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est; & qui foris est, intus retineri videtur. *Causa 11. quæst. 3. cap. 45. citatur Augustinus super Mathæum:* Ridiculum est, vt cum mundum esse dicamus, qui vinculis peccatorum suorum ligatus est propter hoc solum, quod Episcopus dicitur habere huiusmodi potestatem, vt solui ab eo, solui sint in cælo, & ligati in terris, ligati sint in cælo. *Idem epist. 37. ad Clerum Hipponensem:* Quid obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viuorum non delet eum iniqua conscientia. *Gelasius Papa in commoitorio, Fausto magistro, fungenti legationis officio apud Constantinopolim, caus. 24. quæst. 2. capit. Legatur, ait:* Mortuos suscitasse Christum legitimus in errore mortuos absoluisse non legimus. Et qui certe hoc faciendi habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat Apostolo: Quæ ligaueris super terram &c. Super terram, inquit. *Eadem causa quæst. 1. capitulo Audiuimus, ait idem Papa:* Eos, qui foris sunt, Dominus iudicabit. De his autem, qui intus sunt, nobis iudicium commisit. Ex his apparet, non nisi fidelem excommunicandum. *Lombardus 4. sent. dist. 18.* Aliquando sacerdotes ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum; & pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel soluunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solui vel ligari postulant. Tunc enim sententia Sacerdotis iudicio Dei & totius cælestis curiæ approbatur & confirmatur, cum ita ex discretione procedit, vt reorum merita non contradicant. Quosunque ergo soluunt, vel ligant, adhibentes clauem discretionis reorum meritis, soluuntur vel ligantur in cælis, id est, apud Deum; quia diuino iudicio sententia Sacerdotis sic progressa approbatur & confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia ecclesiæ percellit, lædit; & illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia ecclesiæ non læditur. Porro iuxta ipsius Romane ecclesiæ iura deponi & excommunicari tubentur: Quicumque prelati, siue Clerici sunt, & domicilia feminarum frequentant: Qui aleis, ac inhonestis ludis, & crapulis ac ebrietatibus inferiunt: Qui mercimoniam & vsuram exercent: Qui tabernas, & alia inhonesta loca tenent: Qui in adipiscendo beneficio vsus est regio fauore, vel seculari potestate: Qui consentiunt, vel tolerant fornicationes clericis suis: Qui assumunt cutas & negotia secularia: Qui Simoniam committunt: Qui publica incon-

tinencia laborant: Qui peierauerint, aut in homicidio, aut in alio quouis magno crimine inuenti fuerint: Qui in alienis ecclesiis officium aliquod pastoris vsurpauerint: Qui res Ecclesiasticas, quæ sunt bona pauperum, & in pauperes distribuendæ sunt, dilapidauerint. Vide *distinct. 63. omnis. 16. quæst. 7. distinct. 83. Si quis. dist. 88. Episcopus quæst. 1. dist. 50. qui semel distinct. 81. &c.*

XIII. Sed concludamus hoc de disciplina Ecclesiastica in genere, dictis Patrum, quibus ostenditur eius necessitas & utilitas. *Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes cap. trigesimo nono.* Fidem sanctis vocibus pascimus, ipem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigaciones, & censura diuina. Nam & iudicatur cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegatur. *Idem de præscript. cap. 30.* Marcion eiectus est cum ducentis sectarijs suis, quæ ecclesiæ intulerat, in perpetuum discidium relegatus. *Cyprianus lib. de disciplina & habitu virginum:* Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cælestia & diuina præmia peruenire. Hanc & sectati salubre est, & auersari ac negligere lethale. *Idem epist. 28.* Interea si quis immoderatus & præceps siue de nostris Presbyteris vel Diaconibus, siue de peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, à communicatione nostra arceatur. *Presbyteri & Diaconi Romana Ecclesia Cypriano Martyri, quem ipsi Papam vocant, sic scribunt epistol. 21. inter epistolas Cypriani:* Idem enim omnes credimus operati, in quo deprehendimur eadem omnes censuræ & disciplinæ consensione sociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam seueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu semper erret necesse est, & huc atque illuc varijs & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos, vt appareat non aliter salutem Ecclesiasticam consuli posse, nisi si qui contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus repellantur, & disciplina ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur. Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est; nec hæc apud nos aduersus improbos modo superuenerunt repentina subsidia, sed antiqua apud nos hæc seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua.

XIV. Iam ex professo agendum est de Contritione, & Confessione auriculari, quæ censentur in tribus partibus pœnitentiæ, adeoque disciplinæ pœnitentiæ, vt patet ex §. 10. De satisfactione, parte ipsius tertia, vide *Chamierum tom. 3. lib. 25.* Rursus de Pœnitentiâ, vt dicitur esse sacramentum, vide eundem *tom. 4. lib. 4.* Partiemur autem totam hanc disputationem in tres sectiones. I. de partibus, & speciebus pœnitentiæ. II. de contritione & attritione. III. de confessione auriculari.

XV. Tribus partitionibus, inquit *Bellarminus libro primo de pœnitentiâ cap. 15.* diuidi solet pœnitentiæ sacramentum. Prima sumitur ab essentia, quæ duabus partibus constat, materia & forma, id est, actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis. Secunda à materia, seu à parte materiali, quæ tres partes comprehendit, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Tertia à ritu; quæ est etiam trimembris, alia enim est pœnitentiâ priuata, alia publica; & hæc rursus, aut solennis, aut non solennis. Sic *Bellarminus.* Ex his partitionibus primam simpliciter rejicimus, vt pote nimis absurdam & ineptam. Rationes hæc sunt. I. Pœnitentiâ nihil est aliud, quam actio pœnitentis, hoc est, conuersio peccatoris ad Deum. Quod & vocabulum Hebræum תשובה, hoc est, reuersio; & Græcum ἀποστρέφω, hoc est, Resipiscencia; imo & ratio naturalis, dum internam pœnitentiæ naturam contemplantur, aperte docet. Itaque absolutio Sacerdotis non potest esse ipsius forma: quia alterius actio non potest esse forma huius vel illius actionis. 2. Absolutio ministri, quod quidem attinet ad ordinem & modum respondere debet diuinæ absolutioni. Hæc autem sequitur pœnitentiâ, fatentibus, ipsi aduersarijs. Ergo & illa sequi debet. At forma nunquam sequitur suum formatum: sed potius antecedit, quippe causa. Non igitur absolutio est forma, sed effectum pœnitentiæ. Vide *Esa. 1. Exech. 18. Act. 2. & 3. & alibi passim.* 3. Adde, quod Scholastici hic aperte inter se dissentiunt, dum alij aliud, aut materiam, aut formam pœnitentiæ sacramentalis esse volunt: sicut ex ipso *Bellarmino* satis apparet. Ergo incerta saltem & dubia est ipsorum opinio. De secunda partitione quid dicam, vel potius quid non dicam? Papiæ ea, quæ veteres de pœnitentiâ Ecclesiastica pronuntiarunt, ad pœnitentiâ in genere transfulerunt. Itaque dicimus, contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes pœnitentiæ Ecclesiasticæ, seu canonicæ, vt vocant, quæ nempe ab ecclesiâ imponitur iuxta certos canones. Sed coram Deo, siue in foro conscientie interno, aut auricularem confessionem, aut satisfactionem operis, esse necessariam, aut possibilem, inficiamus. Alia enim est ratio pœnitentiæ, quando versamur in foro conscientie interno, alia quando in externo. *Vltima partitio,* quam *Bellarminus* persequitur *d. lib. c. 21. & 22.* hoc sensu admittimus. Pœnitentiâ priuata est, qua peccatum confitemur vel soli Deo, vel alij quoque, in primis pastoribus ecclesiæ. Illa debet esse ordinaria & quotidiana: hæc cum enormis lapsi sumus. Pœnitentiâ publica est, quæ fit vel ab vno in loco publico, vel à multis simul: eaque est vel ordinaria, id est, non solennis, vel extraordinaria, id est, solennis, quam *Augustinus* humillimam vocat; quæque pro grauissimis duntaxat criminibus fieri solet. Ritus istius pœnitentiæ solennis olim consistebant in habitu, loco, tempore, & pœnis. Habitus pœnitentium erat fere pulla vestis, cilicium, caput deorsum, exceptis fœminis. De loco diximus cap. præced. vbi hallucinationem *Bellarmini* philologicam notauimus. Quod attinet ad tempus, imponebatur pœnitentiâ publica feria IV. ante primam Dominicam Quadragesimæ. Et quauis tempus pœnitendi alij longius, alij breuius præscriberetur, vt triuim, septena, decem, aut plurium annorum: tamen singulis annis in V. feria maioris hebdomadæ omnes reconciliabantur, & communicabant. Pœnæ deniq; pœnitentium multiplices erant & variæ. Prima communis, & grauissima, vt à communione abstinerent. Secunda, vt pœnitentes non promouerentur ad Clerum. Tertia, vt abstinerent à nuptijs. Indulgebatur tamen interdum adolecentibus, vt ad vitandam scortationem vxores ducerent. Quarta, vt ad

militiam secularem non accederent, sed soli Deo seruirent. Quinta, vt non essent susceptores in baptismo &c. Sed sæpe indulgebatur, hoc est, certæ pœnæ remittebantur ab Ecclesia.

XVI. Nunc pluribus examinanda est partitio pœnitentiæ, quæ partes ipsius materiales siue integrales recensentur. Hic quinque propositiones à *Bellarmino* propositas *lib. d. c. 19.* breuiter percurramus. Prima propositio est. Terror animo incussus à lege, quem Lutherani Contritionem, siue Mortificationem appellant, non recte inter partes pœnitentiæ numeratur. Nam Scriptura distinguit terrorem à pœnitentiâ. *2. Corin. 7.* quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiâ in salutem stabilem operatur. *Resp.* Mortificatio quam nos vrgemus, non est dolor nudus, sed fuga peccati. Deinde tristitia secundum Deum dicitur operari pœnitentiâ, i. e. displicentiam & fugam peccati, ita vt hæc duo sint distincta vt causa & effectum. Nihil vero noui est, vt hæc duo interdum promiscue sumantur. Secunda propositio, Fides non est pars pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessario requiratur. Præcedit enim ipsam tanquam causa.

Respondeo. Pœnitentiâ accipitur vel late & improprie, videlicet vna cum sua causa; vel striete & proprie. Ibi sunt tres partes pœnitentiæ; puta contritio, fides, & noua obedientia: hic sunt duæ, mortificatio carnis seu veteris hominis, & viuificatio Spiritus seu noui hominis, siue fuga peccati, & studium iustitiæ. Quarta propositio. Non recte ponuntur partes pœnitentiæ, Mortificatio & viuificatio, ad eum sensum, quo à *Caluino* & *Beza* accipiuntur. Quinta propositio. Tres sunt partes pœnitentiæ, Contritio, Confessio, & satisfactio. Hæc duæ propositiones continent arcem causæ. Itaque paulè accuratius inspicere oportet.

XVII. Quintam propositionem *Bellarminus* probat tribus argumentis. I. Pœnitentiâ præcedit iustificationem, quia est via ad illam, *Terem. 18. 8. Exech. 18. 27. & 38. 19. Luc. 3. 3. & 13. 3. & 24. 47. Act. 2. 38. & 3. 19. & 5. 31. & 8. 22. & 11. 18.* Quod si ergo pœnitentiâ præcedit iustificationem, multo maiori ratione præcedet mortificationem & viuificationem illam, quæ, opinione *Aduersariorum*, fructus est fidei iustificantis, & iustificationem ipsam consequitur. 2. Pœnitentiâ in Scripturis non dicitur, nisi à peccatis, seu ab operibus mortuis, *Heb. 6. 1. E.* viuificatio noui hominis non est pars pœnitentiæ. 3. Dominus dicit *Luc. 13. 7.* iustos non egere pœnitentiâ. *Respondeo ad 1.* Pœnitentiâ, vt est effectum fidei, quod præcedit dicit *Bellar.* ita & iustificationem. Deinde pœnitentibus promittitur vita: at non iustificatio. Aliud enim est vita, aliud iustificatio. Tertio, pœnitentiâ est via ad vitam, non vero illius causa proprie dicta. Quarto, non propter pœnitentiam remittuntur nobis peccata, sed per pœnitentiam magis & magis intelliguntur esse remissa. Deniq; cum pœnitentiâ in S. literis ponitur priori loco, & remissio peccatorum posteriori, est progressus ab effectu ad causam, vt *Mar. 1. 15. Act. 20. 21. ad 2.* Imo *Apostolus d. l. docet,* pœnitentiam non solum esse auersionem à malo, sed etiam conuersionem ad bonum. *ad 3.* Christus ibi loquitur de illis, qui opinione sua iusti sunt, qui se sibi videntur non opus habere pœnitentiâ. *Confirmemus* iam nostram illam sententiam; quam *Bellarminus* impugnavit, de duabus partibus pœnitentiæ salutaris & Evangelicæ. I. Sacræ literæ plerumq; has duas partes inculcant, cum de serua hominis conuersione agunt: vt *Psal. 34. 15. Esa. 1. 16. Hof. 6. 1. Rom. 6. 6. & 8. 13. Eph. 4. 22. Coloss. 3. 9.* vbi de malo fugiendo, & bono faciendo, itemque de veteri homine exuendo, & nouo induendo, agitur. 2. Ipsa nomina, quibus Hebræi & Græci pœnitentiam appellant, docent, illam esse abscissionem à malo, & accessionem ad bonum. Vide paulo ante §. 15. 3. Recta etiam ratio docet, vt qui vere cogitat respicere is & malum fugiat, & bonum operari in animum inducat: quia alterum sine altero non sufficit. Si quidem plena conuersio notat auersionem à peccato, & conuersionem ad iustitiam. 4. Ipsi Scholastici, vt *Gratian. dist. 3. & Lombard. l. 4. d. 4.* pœnitentiam ita definiunt, vt nihil aliud sit, quam commissa peccata desistere, & desistenda non amplius committere: item, esse mala præterita plangere, & plangenda non iterum committere. 5. In omni mutatione sunt duo termini, a quo & ad quem. E. & in pœnitentiâ. Illa siquidem est vera mutatio. 6. Pœnitentiâ est restitutio quedam imaginis Dei. Illa vero posita erat in eo, vt primus homo se abstinere à malo, & faceret bonum. 7. Mortificatio veteris, & viuificatio noui hominis veram pœnitentiam distinguunt ab hypocritica. E. essentia veræ pœnitentiæ in his partibus est posita.

XVIII. Propositionem quintam *Bellarminus* confirmat his argumentis. I. Scriptura ordinarie tres istas partes in vere pœnitentibus exigit: videlicet cordis contritionem. *Deut. 4. v. 29. 30. Ps. 51. 19. Iob. 2. 13.* oris confessionem, *Num. 5. v. 6. 7. Psal. 32. 5. Mat. 3. 6. Act. 19. 18. 1. Iob. 1. 9.* operis satisfactionem, *2. Esdr. 9. Dan. 4. Iob. 2. Mat. 11.* quibus locis fit mentio ieiunij, cineris &c. 2. Exempla sanctorum hoc ipsum confirmant: vt *Dauidis, 2. Reg. 24. Nineuitarum, Ion. 2.* Publicani, *Luc. 18.* quibus locis fit mentio contritionis seu internæ humiliationis, confessionis seu clamoris, & satisfactionis seu humilitatis externæ. 3. Patres harum quoque partium meminerunt: vt *Chrysostr. in ser. de pœnit.* In corde eius est contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas; hæc est perfecta & fructifera pœnitentiâ. *Aug. tr. in Ps. 146.* Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipso punientes. 4. Ratio ducta ex ipsa natura pœnitentiæ idem docet. Nam in vera pœnitentiâ requiritur, vt non tantum sit vindicans, sed etiam reconcilians. Proinde primo opus est, vt qui peccauit, doleat se peccasse, & amicitiam cum Deo violasse: deinde, vt se subijciat pœnæ ad arbitrium Dei, qui iustus est. Quia vero locum Dei tenent ministri; cui necesse est subijci per confessionem, & satisfactionem. Ad hæc tria ista, natura duce, quotidie adesse videmus, cum aut liberi cum parentibus, aut serui cum dominis, aut vxores cum maritis in gratiam redeunt. nam & signa doloris ostendunt, & peccatum fatentur, & te castigationi subijciunt, aut certe indulgentiam petunt. Docent. S. literæ, Deum erga homines & patris, & domini, & sponsi locum tenere: proinde non absimilem esse debere pœnitentiâ & conuersionem hominum ad Deum, illi, quæ est filij ad parentem, serui ad dominum, vxoris ad maritum. *Esa. 63. Ps. 122. Ter. 3.* Postremo, neque illa congruentia contemnenda videtur, quod quemadmodum sunt tria instrumenta peccandi, cor, lingua, manus, peccamus enim corde, ore, & opere: ita par est, vt tria sint velut instrumenta pœnitentiæ; & aduersus peccatum cordis, contritio; oris, confessio; & operis, satisfactio pugnemus, vt hac ratione iuxta *Apostolum Rom. 6.* sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ, ita nunc exhibeamus eadem seruire iustitiæ.

Resp. ad 1. Est mera petitio principij. Nam quod attinet ad contritionem, certum est, illam in Scripturis proponi, tanquam partem pœnitentiæ. Sed

alium ibi est silentium de confessione auriculari, & satisfactione coram Deo, proprie dicta. ad 2. Eadem est responsio. Nam in illis exemplis neque confessio, neque satisfactio Papistica monstrari potest. ad 3. Impropria Patrum phrasim male pro regula recte sentiendi & loquendi citantur. Deinde, quæ Patres interdum de penitentia Ecclesiastica docent, ea perperam ad aliud genus detorquentur. ad 4. Verum est, hæc tria sunt in penitente, sed non ut volunt Papistæ. Illi enim aut fructus penitentia, cum ipsa penitentia, aut diuersas penitentia species, prout vel ad Deum, vel ad homines refertur, inter sese temere confundunt. Sic v. g. punitio, qua aliquis se ipsum vlciscitur ob peccatum admissum, est effectum penitentia, & appellatur satisfactio canonica. Sic confessio coram Deo est effectum penitentia, & confessio coram sacerdote, ut loquuntur, pertinet ad penitentiam Ecclesiasticam. Vbi memineris, omnia bona opera esse fructus penitentia. Sed probemus, tres istas partes non esse legitimas. 1. Hæc tria possunt esse in hypocritica penitentia, puta Achabi & Iudæ, 2. Reg. 21. Mat. 27. E. non sunt proprie partes penitentia vera. 2. Confessio oris, & opera laboriosa sunt tantum externa, & sæpe fallacia, seu ficta, penitentia signa, atque indicia. Non igitur sunt verae partes. 3. Partes vnius speciei non recte statuuntur partes alterius speciei, vel etiam ipsius generis. Atqui tria ista sunt partes penitentia Ecclesiastica. Non igitur sunt partes penitentia, quæ fit coram Deo. 4. Verae partes verae penitentia sunt auersio a malo, & conuersio ad bonum: sicut in peccato est auersio a bono, & conuersio ad malum. Hæc itaque sola diuisio est probanda.

XIX. De contritione & attritione Bellarminus disputat toto libro 2. Capita disputationis summam sunt de natura, necessitate, ordine, quantitate, & effectu contritionis, & denique de attritione. Videamus de singulis. *Natura contritionis* Bellar. explicat c. 2. & seqq. vsq; ad 8. eam videlicet esse, non meram passionem, sed actionem bonam, & liberam, atque ad Euangelium pertinentem, c. 2. nec posse haberi sine speciali auxilio Dei, c. 3. in ea includi odium ac detestationem peccati præteriti, cap. 4. s. itemque propositum recte viuendi, cap. 6. 7. Quæ omnia nos concedimus de contritione Euangelica. Nam quod attinet ad contritionem legalem, illius ratio est diuersa. Ut enim penitentia legalis est noxia; Euangelica, salutaris: ita quoque contritio se habet. Etsi interim verum est, contritionem ex lege oriri, quatenus nempe ex lege est cognitio peccati. Sed non oportet hic subsistere. Nisi enim ex Euangelio accedat fiducia misericordiae diuinæ, contritio per se non est salutaris, neque Deo grata, ut in Iuda videtur. Hæc si oblerentur, facile constabit, quid respondendum sit Bellarmino, ubi quaedam nostrorum sententias in hac disputatione exagitat. Nimirum caudor ipsi defuit; quia dissimulauit occasiones, & circumstantias, quibus illi ad ducti, verissime hæc sua omnia de eadem quidem contritione, sed diuersimode tamen considerata, enuntiarunt. Id quod nemini mirum videri debet: cum Spiritus sanctus ad eundem modum, de vna eademque re (puta de lege, aut circumcissione) quædam omnino diuersa, imo contraria, sed tamen diuerso respectu sæpe pronuntiet. Vide Roman. 2. & 3. & 4. Gal. 4. & 5. Sed hoc iam transeat. Cui fere simile est, quod de contritionis necessitate & ordine sequitur cap. 8. & 9. De hac enim asserit, contritionem omnino necessariam nobis esse ad iustificationem, necessitate mediæ, simul & præcepti: ac proinde priorem esse iustificatione. Vbi nos vltro fatemur, initialem aliquam penitentiam, ex ordinatione Dei, omnino necessariam esse ad obtinendam veniam peccatorum, & salutem æternam; & proinde ordine naturæ etiam his priorem esse. Sed quod nostri docent, penitentiam esse posteriorem fidei & iustificatione, intelligunt penitentiam in specie sic dictam, id est resipiscenciam, quæ consistit in fuga peccati, & studio iustitiæ. Itaque subinde ingeminant illam distinctionem penitentia, quod sit initialis, vel consequens. Illa est, quando quis primum è regno Satanæ ad Christi Ecclesiam accedens se pristina vitæ penitere testatur, qualis est illorum Act. 2. hæc est, quando quis veram religionem professus, veraque fide præditus, ob commissa peccata dolet secundum Deum, 2. Cor. 7. Prior est generale quoddam instrumentum, seu medium, & conditio, obtinendæ fidei & iustificationis: posterior est effectum fidei iustificantis & iustificationis. De mensura, seu quantitate contritionis, asserit c. 10. & 11. contritionem perfectam requiri, quæ ex toto corde fit, & ita comparata, ut sustineat examen sex istarum propositionum. 1. Non requiritur ad contritionem, ut æqualis sit magnitudini iræ diuinæ. 2. Dolor de peccatis debet esse summus appetitiue. 3. Non est necesse, ut contritio sit summus dolor intensiue. 4. Non requiritur certus gradus intentionis, neque mora vlla temporis, ad veram contritionem. 5. Neque illud exigitur, ut tot sint actus contritionis, quod sunt peccata: modo de omnibus, quæ post examen menti occurrunt, ex animo doleamus. 6. Vtilissimum tamen est, peccata singula amarissime, & longo tempore ita desere, ut contritio non solum appetitiue, sed etiam intensiue, ut loquuntur, summa dici possit. Has propositiones admittimus sano sensu; idque eo magis, quod doctrina Scoti, & aliorum Papistarum, aperte hic damnatur; qui eiusmodi perfectam contritionem requirunt, cuiusmodi vix in vll'o homine reperiri potest: imo cui incepta persuasio, vel supbos hypocritas, vel desperabundos Epicureos tandem efficiat. Nam si illa conscientia carnificina tollatur, de perpetua sufficientis penitentia incertitudine: nos totam illam Bellarmini doctrinam de seriat, & perfecta contritione, admittimus. Perfectam dico, non perfectione gradus simpliciter intensi & excellētis, sed secundum quid, qui nobis videatur summus. Atque hoc sensu vltimam propositionem admittimus. Obserua hic, summum dolorem intensiue dici, quando voluntas summo conatu detestatur aliquid: summum autem appetitiue, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicuius mali, quam cuiuscumque boni consecutionem, aut alterius mali euitationem. Itaque magnitudo doloris intensiue, attenditur ex parte subiecti; magnitudo appetitiue, ex parte obiecti: ut Bellarminus cap. 11. explicat. De effectu contritionis sequitur cap. 12. ad 12. ubi tres sunt quæstiones: videlicet. An contritio sit causa remissionis peccatorum, cap. 12. tum, An contritio ante absolutionem sacerdotalem peccata remittat, c. 13. 14. denique; utrum omnia peccata per veram contritionem, siue penitentiam, deleantur, c. 15. 16. *Primum quæstionem* Bellar. affirmat, & tribus modis probat. Primo ex Scripturis: ut Ezech. 18. v. 25. 27. 30. 31. Ion. 3. 11. Ps. 57. 19. Dan. 4. 27. Luc. 7. 47. Deinde, ex Patribus. Sic enim Tertullianus lib. de penit. Penitentia, inquit, Dominus mitigatur. Origenes hom. 11. in Leuit. 20. Purgatio peccati per penitentiam constat. Chrysost. lib. 2. de compunctione cordis: Sola est compunctio cordis, quæ sicut ignis, omne anime vitium perurit, & adimit: & quantacumque in ea reperit mala abstergit vniuersa, & delct

penitus. Denique; adferri etiam potest duplex ratio. Prima: Oratio peccatoris penitentis non est inanis apud Dominum, sed eum placat, & veniam impetrat, Luc. 18. multo igitur magis conuersio. Secunda: Actus penitentia à Spiritu sancto est, ut concedunt aduersarij, & ad iustificationem disponit: ergo suo modo est causa iustificationis. *Respondeo ad 1.* Scripturæ loca recitata argunt vel de sanctificatione, & glorificatione; vel de peccatorum temporalium remissione: vel de signis iustificationis; vel de antecedente aliquo iustificationis, hoc est, de ipsius via, & conditione. Nam penitentia est causa quædam sanctificationis, illam videlicet constituens; & causa sine qua non, glorificationis; & causa impellens; ut Deus remittat peccata temporales. Sed non est causa iustificationis, sed vel ipsius antecedens, vel effectum & signum: Deinde Dan. 4. Nebucadnezar iubetur redimere peccata elemosynis, nempe ratione hominum: Quamquam vox Chaldaica non significat redimere, sed abrumperé, auferre. Itaque iubetur rex, ut desinat male agere, ad 2. Patres loquuntur vel hyperbolice, vel catachrestice. ad 3. Est ignoratio elenchi. Nam ut oratio, ita quoque penitentia impetrat remissionem peccatorum, non efficiendo in se, sed illam in cordibus nostris ratam efficiendo. Deinde penitentia initialis potest appellari dispositio ad iustificationem, nempe ex parte Spiritus sancti. Concedimus itaque, contritionem esse causam sine qua non, id est, viam & conditionem, sine qua non perueniatur ad iustificationem. Sed negamus esse causam eius meritoriam, aut quæ suapte vi & facultate eam efficiat: cum remissio ista sit plane gratuita, & nostri respectu indebita; quæ proinde in nostris meritis fundari non possit. Quæ de re vide tom. 3. Chamieri: ubi etiam satisfactum est argumentis Bellarmini. *Secundam quæstionem* quod attinet, Bellarminus ait, Contritionem, si perfecta sit, & votum sacramentum baptismi, aut absolutionis adiunctum habeat, omnino reconciliare hominem Deo; & peccata remittere, etiam antequam sacramentum re ipsa percipiatur. Sed hic duplici nomine errat: tum quod contritioni nimium adscribit, quæ de re vidimus quæstione præcedente, tum quod sacramento suo, hoc est, Sacerdotali absolutioni, nimium quoque tribuit: quasi contritio, quantumuis seria, & veræ fidei coniuncta, absque istius absolutionis saltem voto, & promissione salutare illum effectum haudquaquam producere possit: idque contra omnia illa Scripturæ loca (quorum imple non pauca citauit) ubi vere contritis, & ad Deum serio conuersis, per Christum omnino omnino peccatorum remissio promittitur. Vbi non est silentio prætereundum, Aduersarios hic secum pugnare: ut qui sacramentorum votum hic sufficere statuunt; cum alias salutificam Dei gratiam ita illis includant, ut illa præcise esse necessaria ad salutem statuunt.

In tertia quæstione consentimus; nullam videlicet esse peccatorum multitudinem, vel grauitatem, quæ per veram penitentiam propter Christum non expiari possit. Atque hic est effectus contritionis: ubi facile inter nos & Aduersarios conuenire potest, si contritio vera recte accipiatur, hoc est, cum verâ fide coniungatur; & præterea omnis opinio meriti separetur; denique necessitas sacerdotalis, seu priuata absolutionis, omittatur. Namque hoc demum sensu, in locis ab Aduersarij citatis, venia peccatorum seriæ contritioni, seu potius integre conuersioni, perspicue tribuitur. Superest dicere de attritione, quæ est imperfecta, seu inchoata contritio, ex solo metu peccati, seu timore seruuili profecta: de qua Bellarminus cap. 17. & 18. docet, eam non modo bonam & vtilem esse, sed etiam per modum meriti ad penitentiam præparare; quia *Proverbiorum* 1. & *Psalm.* 111. hic timor vocatur initium sapientie: item, quia *Deuterom.* 32. *Esai.* 33. *Malach.* 1. *Matth.* 10. & passim, Deum timere, eiusque iudicia formidare iubeamur. Addit tamen, hanc attritionem sine actuali sacramento, hoc est, sacramentali absolutione, item auriculari confessione, & operis satisfactione non iustificari: cum sacramento autem iustificare, & virtute clauum in veram contritionem mutari, & defectum eius quasi compensari. Sed hic nihil est sani. Nam timor seruuili; etsi per se & simpliciter, quatenus est pura peccati diuinæ formidatio, est aliquid indifferens: tamen propter fidei & charitatis defectum est inutilis, immo noxius. Neque vero in locis citatis agitur de seruuili timore Dei, sed de filiali. Neque etiam Sacerdotalis illa absolutio, & auricularis confessio eam habet vim, ut ex timore seruuili filialem, & ex inchoata diathesi seu dispositione verum habitum, hoc est, ex leuiter attrito vere contritum, & porro iustum coram Deo efficere possit.

XX. De confessione sequitur: ubi Bellarminus libro tertio tota ista quinque tractat. Primo loco refert errores circa Confessionis necessitatem, cap. 11. deinde sententiam suam ex diuinis literis confirmat, cap. 2. ad 5. tertio profert decreta & sanctiones Conciliorum, c. 6. quarto testimonia veterum Patrum inde ab anno 1000. ad 1200. c. 6. ad 11. quinto rationes varias, cap. 12. postremo, argumenta Aduersariorum proponit, & dissoluit, c. 13. ad 21. *siue vltimum.* Hunc itaque ordinem sequemur: ubi prius illud monuerimus, in plerisque argumentis Bellarmini vel ignoracionem elenchi, vel fallaciam homonymia, aut figuræ dictionis latere. Nam confessio peccatorum alia fit soli Deo, alia proximo, alia pastoribus. Quæ fit soli Deo, est publica, ut *Leuitic.* 16. 21. *Nehem.* 9. 2. *Dan.* 9. 5. vel priuata, ut *Psalm.* 32. 5. *Proverb.* 28. 13. 1. *Iohan.* 1. 9. Et vtraque est vel generalis, omnium peccatorum, *Luc.* 18. 13. vel particularis, *Psalm.* 19. 13. & 25. 7. & 51. 7. Confessio quæ fit proximo, dicitur fraterna estque duplex. Alia enim fit nostra causa, ut ab alijs iuuemur consolatione & consilio, *Iac.* 5. 16. alia fit proximi causa, ut illum à nobis læsum placemus, *Matth.* 5. 23. Confessio quæ fit pastoribus, est vel generalis, siue fiat publice siue priuatum, vel particularis, quorundam videlicet peccatorum, 1. *Sam.* 12. 13. *Luc.* 7. 38. & 19. 8. *Act.* 19. 18. *Mat.* 3. 6. Porro ut penitentia est ordinaria, vel extraordinaria, ita quoque confessio. Vide *Neh.* 1. 7. 2. *Cor.* 2. Hæc, inquam, sunt varia genera, siue potius modi confessionis, quam Scriptura nobis commendat. Sed cum his nihil commune habet confessio illa Papistarum secreta, priuata, specialis, distincta, quam vocant sacramentalem & auricularem; quamque illi, tanquam alteram penitentia partem, præcise necessariam esse, ad obtinendam veniam eorum peccatorum, quæ post baptismum committuntur; & necessariam quidem esse de iure diuino, quippe quo sacramentalis illa confessio, qua Sacerdoti omnia peccata lethalia, siue mortalia, distincte cum omnibus circumstantijs explicatur. Hoc est dogma Catholicum Bellarmino; nostra vero sententia, qua confessionem illam, qualis hæc tenet in Papatu viget, non diuino, sed humano, & quidem Pontificio iure niti, eoque nec necessariam, nec vtile esse contendimus, sed noxiam potius, & absurdam, verboque Dei

contrariam pronuntiamus, eidem est hæretica, cap. 1. Videamus itaque vtra sententia sit Catholica, hoc est, fidei Catholicæ, quam vniuersa V. & N. T. ecclesia semper tenuit.

XXI. Confessionis suæ necessitatem ille probat ex Scripturis, non vno modo. Constituit enim tres classes. In prima classe sunt testimonia ex Evangelio; eaque tria præcipua, vt ait, ex quibus iudiciaria illa potestas demonstrari potest. Nam Christus *Matth. 16. 19. & 18. 18. Iohan. 20. 23.* Apostolis eorumque successoribus clauas suas commouit, hoc est, veram potestatem ex autoritate iudiciaria soluendi, & ligandi. In secunda classe sunt variae figuræ Vet. Testam. quæ confessionem sacramentalem præcesserunt & præfigurant. Et quidem ante legem latam typi confessionis sunt in Adamo & Eua, *Gen. 3. & in Caino, Gen. 4.* à quibus Deus confessionem exegit, & quidem per Angelum, id est, ministrum suum. Deinde sub lege Mosaica iudicium lepræ committebatur solis sacerdotibus, & cogebantur leprosi se sacerdotibus sistere, & prodere, ac iuxta eorum arbitrium, vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reuerti, *Leuit. 13. & 14.* vt nempe significaretur, ad Sacerdotes Nou. Testam. iudicium lepræ spiritualis pertinere. Tertia figura est confessio, quam Dens instituit *Leuit. 5. & Numer. 5.* Et cui adiungi voluit loco cuiusdam satisfactionis, oblationem sacrificij. Quarta figura est *Matth. 3. & Marc. 1.* Vbi peccata sua confessi dicuntur, qui ab illo baptizabantur. Quinta figura est *Iohan. 11.* vbi Christus Lazarum à morte excitatum, & fascijs circumligatum, solui iubet per discipulos; videlicet significans eos, qui Spiritu aliter vinculis peccatorum constructi tenentur, & à morte peccatorum reuiuiscunt, similiter à verbi ministris soluendos esse. In tertia classe sunt varia loca Nou. Testam. quæ agunt de vsu, commendatione, atque exhortatione, quæ institutionem confessionis consecuta sunt, vt figuræ istam institutionem præcesserunt. Eiusmodi loca sunt quatuor. Primus est *Act. 19.* vbi de credentibus dicitur illos Paulo Apostolo annuntiasse actus suos, id est, peccata sua, & quidem distincte; idque haud dubie sæpius. Secundus est *2. Corinth. 5.* vbi Apostoli dicuntur legati Christi &c. At profecto qui mittuntur legati cum potestate reconciliandi inimicos regis cum ipso rege non possunt recte munere suo fungari, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quam grauer regiam maiestatem læserint, quam satisfactionem persolvere sint parati. Tertius est *Iacob. quinto.* Confitemini alterutrum peccata vestra. Quartus est *1. Iohan. 1.* Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat &c.

Respondeo ad primam classem. 1. Status questionis non attingitur: quia ad exercendam illam clauium potestatem, probabilis & generalis aliqua peccatorum sufficit; quam partim ipsa communis fama, & vniuersalis experientia, partim vero generalis & libera, siue priuata, siue publica, partim denique specialis, itidem priuata, vel publica confessio eorum, qui vel absoluendi, vel ligandi sunt, præstare potest: præsertim cum Pastores non tam ipsi hic iudicare, quam sententiam, à Deo præiudicatam, solenniter promulgare, eoque potestatem illam non absolute, sed conditionaliter exercere debeant. 2. Tametsi Apostoli, & eorum successores constituti essent iudices: non tamen ideo omnium peccatorum enumeratio illis facienda esset; quia hoc neque præceptum est, neque possibile. 3. Sententia absolutionis vel retentionis pronuntiat à Sacerdote ex Evangelio, quod pronuntiat, omnib. pœnitentibus & credentibus gratis propter Christum dari remissionem peccatorum. Itaque sententia illa est vox Evangelij, cuius præcones sunt sacerdotes. Et licet in absolutione sit necessaria contritio, & bonum propositum: tamen absolutio non nititur contritione nostra, & bono illo proposito. 4. Sacrificuli vt non sunt successores Apostolorum, qua Sacrificuli: ita neque quatenus sunt ministri pœnitentiæ sacramentalis. Nam vt sacrificuli, itaque hoc sacramentum istud Apostolis fuit incognitum. 5. Pastores sunt iudices sub Christo. Ergo non promiscue, & pro suo libitu debent omnia soluere & ligare, sed præeunte Christo in verbo suo. At hoc non faciunt. 6. Christus afflauit discipulos suos, non quod Spiritum sanctum insufflando dederit: sed vt hoc symbolo se dare & amplius daturum confirmaret. Non itaque absolutio Sacerdotis se habet, vt insufflatio illa Christi, quasi videlicet extinguat peccata, vt Christus flatu suo extinxit nebulas Apostolorum. Nam Spiritus sanctus illas nebulas sustulit, non flatus ille symbolicus.

Respondeo ad secundam classem. 1. Ab allegorij humanitus inuentis non debent confirmari dogmata fidei. 2. Dissimilia exempla, Dei & hominum, item rei externæ & internæ, deniq; V. & N. T. perperam confunduntur. 3. Falsum est, iuxta arbitrium sacerdotis leprosus extra castra mansisse; quia tenebatur ex lege ceremoniali eos mundos declarare. 4. Lex illa figurauit lepram spirituales, quæ non nisi tollitur per Christum; ad quem omne sacerdotium est translatum. 5. Confessionis species diuersæ confunduntur. Et, quatenus in locis citatis de secreta, & distincta, coramq; ministris necessario peragenda, peccatorum confessione agi cõtenditur: principij petitio cõtenditur: cui illic vel de sola confessione coram Deo; vel de generali & libera confessione coram Ecclesia, eiusue ministris; vel deniq; de mutua piorum instructione, & consolatione tantum agatur. 6. Frigida est allegoria illa Lazari excitati à mortuis. 7. Falsum est confessionem Adami, Eua, & Caini, factam fuisse Angelo. Deus enim immediate locutus est. *Respondeo ad tertiam classem.* 1. Illi in actis non quotannis, neque in aurem, neque in specie omnia sua peccata confessi sunt. 2. Deus in reconciliatione per Evangelij ministros non exigit impossibile istam singulorum peccatorum confessionem, sed eiusmodi, quæ fieri potest, & debet, non tanquam res necessaria & meritoria, sed vt signum pœnitentiæ & fidei. 3. Iacobus reciprocam exigit confessionem, id est, fraternam. 4. Quoad eius fieri potest, debemus omnia peccata nostra Deo confiteri. 5. Promissiones de remissione peccatorum, ijs qui confitentur faciendæ, non ad solam remissionem quæ fit per sacerdotem sunt referendæ.

XXII. Testimonia Conciliorum, qua generalium, qua particularium etiam si non aperte contineant, confessionem esse iuris diuini, continent tamen antiquam consuetudinem, & sæpe etiam indicant necessitatem confitendi peccata Sacerdotibus. Habemus autem testimonia Ecclesiæ orientalis, & occidentalis siue Latinæ. Vide *c. 5. Resp. 1.* Bene habet, quod Bellarminus illa siue prolepsi, siue protestatione vitur. Neque enim ad rem faciunt pleraque testimonia, quæ adfert. 1. Publica siue Ecclesiastica confessio eorum, qui publice lapsi erant, in priuatam, omnibusque fidelibus communem confessionem inepte commutatur. 3. Concilia non præiudicant Scripturis.

XXIII. Testimonia Patrum Græcorum & Latinorum, qui omnib. ætatibus in Ecclesia floruerunt, confirmant necessitatem confessionis. Nam in primo seculo, ab an. 100. ad 200. habemus Irenæum, & Tertullianum. Ab an. 200. ad 300. habemus Origenem, & Cyprianum. Tertio seculo, siue ab an. 300. ad 400. habemus Lactantium, Athanasium, Hilarium; Basilium, Ambr. Gregorium Nyssenum, & S. Pacianum. Quarto seculo, siue ab anno 400. ad 500. habemus Chrysost. Hieron. Innocentium I. Papam, Augustinum, Leonem Papam, Sozomenum. Ab an. 500. ad 1200. habemus Gregorium I. Iohan. Climacum, Cæsarium, Bedam Venerabilem, Theodorum Studytem, Rabanum, Nicephorum Chartophylacem, Radolphum Flauiacensem, Petrum Damianum, & Bernhardum. Habemus igitur testimonia Patrum, partim Græcorum, partim Latinorum, ad 30. qui omnes ante Innoc. III. tempora floruerunt; ex quib. aperte conuincitur eorum omnium error, qui confessionem non à Christo, sed ab Innocentio III. institutam esse docent. *Resp.* Confessio apud veteres Patres est vt plurimum confessio coram Deo, vel publica exomologesis publicorum criminum, excommunicationem incurrentium, in cœtu Ecclesiastico. De huius necessitate sæpissime loquuntur. Quamquam *Orig. in Ps. 37. hom. 2. & Cypria. serm. 5. de Lazaro*, populum etiam hortantur, vt de occultis, & paruis peccatis, & de attentione sceleris, publicam exomologesis faciant. Sed *Beda in Iacob. 5. ait*: Grauioris lepræ immunditiam iuxta legem, Sacerdoti pandamus. Et veteres vbi vrgent specialem illam confessionem, non docent eam esse de necessitate salutis, neq; vt medium omnibus necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum præcipiunt; sed libere proponunt vt commodum & vtile medium, ad consolationem percipiendam. Quid quod confessionis etiam Laicis factæ meminerunt? Nam Patres Ægyptiorum monachorum Laici erant, & tamen absoluebant. Serapioni furtum confitenti Theones dicebat: Confide puer, absoluit te à captiuitate tua, etiam me tacente, confessio tua. Ergo confessio secreta, in qua ab omnibus necessario requiritur enumeratio omnium mortalium delictorum, vna cum circumstantijs speciem mutantibus; in qua etiam soli sacerdotes Confessionarij sedent, vt iudices spirituales, & pro ratione delictorum satisfactiones confitentibus imponunt; non fuit recepta nisi posterioribus seculis.

XXIV. Post autoritatem Scripturarum, traditionem Conciliorum, & testimonia Patrum, suum etiam locum in confirmandis dogmatibus obtinent rationes; quæ quidem hoc loco possunt esse quatuor. Prima ducitur ab antiquitate confessionis. Nam quæ sunt iuris humani, ea reperiuntur initium habuisse ex Concilio alicuius œcumenici, aut summi Pontificis decreto. Confessionem autem peccatorum in Ecclesia fuisse ante omnia Concilia Pontificumue decreta ex Irenæo, Tertulliano, &c. probauimus. Secunda sumitur à difficultate confessionis: quæ tanta est, vt nullo modo credibile sit, aut ecclesiæ præfides ausuros fuisse legem eiusmodi ferre, aut populis persuadere potuisse, vt eiusmodi legem acciperent, & tot iam seculis obseruarent, nisi diuinum imperium, diuina institutio, diuina promissio accessissent. Carerem difficultas confessionis est in eo, qd viri Principes, regesq; potentissimi, Sacerdotibus, qui & ipsi homines sunt, peccata sua omnia detegere, quamuis arca, quamuis pudenda, quamuis turpia, quamuis horrore ipsi etiam confitentia adferentia, & eorum Sacerdotum iudicio stare, ac multam ab illis subire tenentur. Tertia ducitur ab vtilitate. Nam ad Pastores animarum magna redit vtilitas, ad Ecclesiam & rempublicam vniuersam, & ad singulos qui confessionem recte obeunt. Illi enim (pastores) morbos suarum ouium cognoscunt, & eo modo conuenientia remedia singulis applicare possunt: ista nanciscuntur ciues frugi: hi in gratiam cum Deo redeunt. Quarta sumitur à miraculis, quibus varijs temporibus Deus testatus est, veram esse fidem illam, quam Ecclesia Catholica de confessione habet. *Respondeo.* 1. Est petitio principij; cum origo ex historijs ostendi possit. 2. Deus immittit efficaciam erroris, vt Antichristus *in ant. 2.* sua nihil non velit, ac possit. 3. Experientia testatur, confessionem esse carni gratam, quia facilis hæc est via ad remissionem peccatorum; & hominibus inuicem & noxiam esse, quia ita fiunt mancipia alienæ libidinis, & sæpe Ecclesiam aut rempubl. exponunt grauissimis periculis, confitendo eiusmodi peccata, quæ sanis fuisse perpetuo silentio sepeliri. 4. Aut falsa miracula pro veris adferuntur; aut verus illorum finis studiose supprimitur; aut potius fallaciæ eorum, qui ista commenti sunt, dissimulantur.

XXV. Nostrorum argumenta, Caluini videlicet quinque, & tria Chemnitij, hæc modo soluit Bellarminus, *cap. 13. & seqq.* I. Confessio non est iuris diuini: quia etsi vetustissimus est ipsius vsus, tamen ille olim fuit liber. Neque enim vllam de eo statam legem, aut constitutionem, ante Innocentij III. tempora aduersariorum quoque Annales narrat. Verum (inquit Bellarminus) nos probauimus, extare legem Christi. Et Innocentius III. aut Lateranense Concilium, Confessionem simpliciter imperauit, sed solum tempus determinauit, quo ea faciendæ esset; quemadmodum etiam Concilia supra citata. II. Luculenta veterum testimonia extant tum in historijs, tum apud alios antiquos Scriptores, quæ docent, hanc politicam fuisse disciplinam, ab Episcopis institutam, & à Nectario abrogatam non legem à Christo, aut Apostolis positam. Sed mirum est, ait Bellarminus, eum tam audacter iactauerit Caluinus, luculenta illa in historijs extare testimonia; si vnum Sozomenum proferre ad medium constituerat. Neque enim ignoramus Sozomenum in historia multa esse mentitum, teste Gregorio, lib. 6. epist. 31. & neque antiquitate, neque doctrina cum multis eorum comparandum, quos nos citauimus. Deinde Nectarius abrogauit publicam, non vero priuatam Confessionem. III. Chrysostomus *homil. in psalm. 50. ait*: Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confundens alicui dicere, quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua: non dico, vt confitearis consensu tuo, qui exprobet; dicito Deo, qui curat ea. Respondet Bellarminus, Chrysostomum ibi loqui de confessione publica, ex qua exprobratio sequi solebat. IV. Enumeratio peccatorum est impossibilis: & ideo neque à Deo fuit imperata, neque ab Ecclesia iure imperari potuit. Respondet Bellarminus, nostros sibi contradicere, quia dicunt, in Confessione, quæ Deo fit, non satis esse generatim confiteri, & dicere, Peccator sum: sed oportere, quantum in nobis est, singula peccata accurate confiteri. Si ergo enumeratio peccatorum, quæ Deo fit, est possibilis, etiam illa, quæ homini fit. V. Non alia est nunc peccatorum remissio, quam semper fuit. Quotquot autem remissionem peccatorum à Christo obtinuisse leguntur, non in aurem Sacrificuli cuiusdam confessi sunt, &c.

Respondet

Respondet Bellarminus, etiam baptismum non semper fuisse: & Christum eo tempore admodum in hunc sacramentum Confessionis. VI. Christus ad generationem confessionem impertiebatur absolutionem. E. hæc sufficit Bellar. negat non fuisse quia Christus poterat sine sacramentis iustificare. At Apostolis per scriptum sacramentum confessionis. VII. Confessio publica abrogata fuit, & mutata in priuata ab episcopis, tempore Decij Imperatoris, & postea; Confessio a priuata abrogata fuit tempore Nectarij. Ergo nec publica, nec priuata confessio est necessaria iure diuino. Neque n. sancti illi viri ius diuinum tollere fuissent ausi. Respondet Bellar. totum hoc argumentum ex imperitia Chemnitij coagmentatum esse. VIII. *Cassianus coll. 2. c. 8. ait: Quod si verecundia retrahente reuelare coram hominibus, erubescis; illi, quem latere non possunt, confiteri iugi supplicatione non desinas, qui & absque vilius verecundia publicatione curare, & sine improprio peccata donare consuevit.* Respondet Bellar. hæc verba in eundem sensum esse accipienda, vt illa Chrysostomi n. præc. 3. IX. Hæc Confessio est sacrificia conscientia; quæ nullum in S. literis præceptum, vel exemplum habet; nullam item promissionem; & præterea Euangelium transformat in legem, dum statuit remissionem pendere ex enumeratione; & insuper gratuitæ condonationi substituit meritum enumerationis, & satisfactionis; ad hæc, conscientiam adducit in dubitationem & desperationem, scrupulosa illa enumeratione; & postremo exigit rem impossibilem, iuxta illud, Delicta quis intelligit? Respondet Bellar. hæc omnia falsa esse, quod ex S. literis contrarium supra demonstraerit; & non statim Euangelium conuertat in legem, qui conditionem operis exigit.

XXVI. Exceptiones nostræ, vel potius replicæ, ad istas Bellarmini exceptiones breuiter hæc sunt. *ad 1.* Omnia, quæ in S. literis de confessione peccatorum leguntur, ad species supra §. 2. a nobis positas, & vltro a nobis receptas, referri possunt: nec quidquam vsquam de auriculari Papistarum confessione legitur. Non igitur est iuris diuini. Deinde confessio ista, vt nunc est in vsu, ratione substantiæ & circumstantiarum, ante Innocentium I. non fuit recepta. *ad 2.* Nimirum Sozomenus alibi bonus, hic malus est & fabulosus. Sed inspiciamus, an ita sit. Refert Sozomenus, fuisse hanc Episcoporum constitutionem, diligenter obseruatam in Ecclesijs occidentalibus, præsertim Romæ. Vnum autem episcopio peculiariter destinatum fuisse, qui huic muneri præficeret. Subijcit deinde, eum quoque morem Constantinopoli fuisse, donec matrona quædam, confitentem simulans, ea specie consuetudinem, quam habebat cum Diacono, prætexiisse deprehensa esset. Ea de causa Nectarius, vir & sanctitate & doctrina clarus, illius ecclesiæ Episcopus, & Chrysostomi antecessor, confitendi rationem abrogauit. Quid amabo hic est, quod fabulam sapiat. Conuenit enim hæc Sozomeni narratio cum S. literis, dum dicitur esse constitutio episcoporum. Neque n. in S. literis illa consuetudo est sancita. Deinde, quod ait de vno aliquo, qui muneri isti sit præfectus, egregie conuenit cum recenti consuetudine, qua Pœnitentiarius & Confessarius peculiarem habent in Ecclesia Romana. Denique historia illa de matronæ & Diaconi consuetudine plurimas habet similes: quas ego. Sed st. Quod vero dicitur, Nectarium abrogasse publicam, non vero priuatam confessionem, id facile refellitur ex historia. Neque enim publica erat illa confessio matronæ. Et priuata illa Papistarum confessio tum temporis nondum erat in vsu; præsertim in Ecclesijs orientalibus. *ad 3.* Chrysostomus in genere loquitur de confessione, quæ fit coram hominibus: vt patet consideranti verba citata. *ad 4.* Nostrum requirunt non supputationem & enumerationem distinctam omnium & singulorum peccatorum in confessione coram Deo, sed accuratissimam, quoad eius fieri potest. Hæc vero accuratio frustra vrgetur in confessione coram Sacerdote. Manet autem fundamentum nostrum, specialem, distinctam, & perfectam peccatorum enumerationem esse rem simpliciter impossibilem. *ad 5.* Non est alia ratio vere pœnitendi, adeoque nec confitendi in N. T. quam olim fuit in V. T. neque tempore Apostolorum fuit alia, quam tempore Christi: neque nunc debet esse alia quam tempore Apostolorum. Iam vero in V. T. sufficiebat confessio eiusmodi, quæ erat libera, generalis, aut etiam particularis testificatio coram Deo, proximis offensis, vel Sacerdote, *Leuit. 5. c. 6. & 16. Deuter. 4. c. 30. Ezech. 18. c. 33.* Et Christus semper contentus fuit eadem testificatione, cum pœnitentes absolueret, *Matth. 9. Luc. 7.* Neque etiam pœnitentiæ rationem Apostolis suis prædicandam commisit. Denique Apostoli non istam auricularem, & clanculariam confitendi rationem, sed alteram illam, liberam nempe, a suis exegerunt in foro conscientia, *Act. 2. c. 3. & 8. c. 19. 2. Cor. 2. c. 7.* Confessio itaque vna & eadem semper fuit in V. & N. T. ita vt Bellar. peccet elencho comparatorum, quando baptismum & confessionem inter se confert. Porro Christus plane non instituit sacramentum confessionis, neque ante, neque post ascensionem suam. *ad 6.* Christus, vt i. Apostolos sibi substituit legatos, consideratur vt propheta. Atque ita remisit peccata, annuntiando. Quare idem minus imposuit Apostolis: non vero ita ipsos constituit, vt insufflando ipsis daret Spir. S. & efficaciam physicam ipsorum ministerio imprimeret. Moralis n. est actio, totum ministerium verbi & sacramentorum. Adhibuit quidem Christus insufflationem, sed tanquam symbolum istius beneficii: non vero, vt Spiritum S. daret insufflando. Id n. est impossibile, & indignum maiestate Dei. *ad 7.* Est ambiguitas in vocabulo publica. Ita n. significatur vel vnus alicuius confessio publicæ & solenniter facta, vel vnus aut plurium, publice quidem facta, sed non solenniter. Prior illa fuit abrogata tempore Decij: non hæc posterior. *ad 8.* Cassian. loquitur generaliter, vt supra Chrysost. *ad 9.* Confessio illa auricularis non fuit demonstrata ex S. literis: & ne potest quidem. Næc necessaria esse fingitur, & dicitur venia peccatorum ex opere operato mereri, & iubetur esse plane specialis & distincta: quæ oia verbo Dei repugnant, & libertatem Christianam omnino violant, & gratiam Dei in Christo exhibitam obscurant, & conscientias anxias & pplexas reddunt. Deinde, conditio alicuius operis meritorij plane transformatur legem in euangelium. Facillat itaque confessio illa auricularis, & longum facillat, hoc etiã nomine, quia securitate carnalem alit & peccandi licentiam auget, & tota ad sacrificiosam auaritiã, & ambitionem (ne de libidine aliquid dicam) explenda, artificiose est comparata. Sane de istis pœnitentiæ antistitibus, vt supra potest illud *Augustini l. 10. confes. cap. 3.* Quid mihi ergo est cum hominibus, vt audiatur confessiones meas, qui ipsi sanaturi sunt linguas meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desideriosum ad corrigendam suam. Quid a me querunt audire, qui sim, qui nolunt te (Deus mi) audire qui sint? Et vnde sciunt, cum a me ipso de me ipso audiunt, an verum dicam, quando quidem nemo scit hominum, quid agatur in homine; nisi spiritus hominis qui in ipso est?

XXVII. Superest disciplina vna in Ecclesia Romana, in specie expendenda. Vbi sequemur methodum Bellar. tom. 4. controu. generali 3. & reuocabimus hanc disciplinam partem ad ceremonias & leges orationis, ieiunij & elemosynæ. Quia vero Chamierus suo loco tractauit de ieiunio, nolimus actum agere. De oratione ita disserit Bellar. vt primo septem ista capita generatim exponat. Quid sit oratio, Quotuplex, An sit necessaria vel utilis, Quid sit in oratione petendum, Cuius sit petere, a quo, & pro quibus sit petendum, Quomodo sit petendum, vt quod petimus impetremus: deinde in specie tractet de certa illa forma precum, quæ est propria Sacerdotum & Monachorum, & horarum canonicarum nomine appellari solet. Et hæc persequitur lib. 3.

XXVIII. *Definitio orationis* proponit ex Thom. quod sit actus rationis practicæ voluntatis desiderij explicantis, & ab alio aliquid postulantis. Quæ definitio generalis est. i. propositam & expositam, facile est accommodare ad specialem orationem, quæ refertur ad Deum. c. 2. *distribuit orationem*, primo in publicam & priuatam; deinde, in mentalem, & vocalem, quæ simul sit mentalis; tertio, in deprecationem mali, & petitionem boni; quarto, in interpellationem; & vltimo, in gratiarum actionem, ex 1. Tim. 2. & Phil. 4. quam diuisionem, vt pote Apostolicam, plurib. explicat. Cap. 3. disserit de necessitate & utilitate orationis: vbi primo confutat errorem Ethnicorum, & hæreticorum, quibus nimis multum orationi tribuebant: deinde perstringit errorem contrarium eorum, qui nimium extenuant fructum orationis; postremo in nos inuehitur, quod præcipuum orationis fructus negemus, puta satisfactionem, meritum, & impetrationem, ita vt duos priores funditus tollamus, tertium mutilemus.

XXIX. Quæ disputantur c. 1. & 2. facile admittemus. Sed quæ 3. in nos dicit merito refutamur. Et primo quidem nullum bonum opus est satisfactorium, & meritorium, vt Chamierus to. 3. plurib. demonstrat. Ergo nec oratio. Deinde per calumniam nobis imponit Bellar. quod orationem vix & ne vix quidem faciamus impetratoriam. Nam si oratio fiat ex vera fide, & pœnitentia, omnis generis bona, etiam remissionem peccatorum, a Deo reuera impetrat. Sed, inquit disputator ille hoster, ex ijs bonis, quæ precibus impetrantur, præcipuum est remissio peccatorum, ac iustificatio. Hunc a fructum omnes huius temporis hæretici orationi detrahunt, cum illam soli fidei, quæ orationem præcedit, attribuant. Reliqua bona fatentur orationibus impetrari, si oratio fundatur ex fide: sed quia per fidem intelligunt fidem illam suam specialem, quæ vnusquisque certo credere debet, se gratum esse Deo, sibi; non imputari peccata: quæ fides reuera haberi non potest, inde fit, vt conditionem plane impossibilem ad impetrandum requirant, ac per hoc nihil omnino orationi relinquunt. *Respondeo 1.* Iustificatio est actiua, vel passiuæ, vt loquuntur. Iustificatio actiua fit in mente Dei, qui nobis applicat iustitiam Christi: passiuæ fit in mente nostra, dum & nos ipsi nobis applicamus illam iustitiam, per veram fidem. Quia vero fides nostra est infirma, opus est illam magis & magis confirmari & stabiliri. Petimus itaque a Deo, vt augeat nobis fidem, & cordibus nostris obignet indices remissionem peccatorum. Hoc itaque sentio precatio ex vera fide profecta (neque enim aliter a Deo exauditur) impetrat remissionem peccatorum. 2. Fides illa specialis est fundata in S. literis, & vniuersali experientia omnium sanctorum. Itaque non est conditio impossibilis. Itaque calumnia est Bellarmini, quod necessitatem & utilitatem orationis a nostris enervari dicit.

XXX. Iam vero quid sit in oratione petendum, non possumus (inquit Bellar.) breuius & plenius explicare, quam si Dominicam orationem plenissime exponamus. Igitur orationem Dominicam ex Patrum sententia explanat, præmissis nonnullis de excellentia orationis Dominicæ, & numero petitionum. *Excellentia* collocat in autoritate, breuitate, perfectione, ordine, efficacitate, & necessitate, quæ oratio Dominica præstat omnibus alijs formis orandi, c. 4. Vbi per omnia consentimus. Numerum & ordinem petitionum explicat c. 5. Quod attinet ad numerum, dicit, commune esse sententiam veterum & recentiorum, septem esse petitiones orationis Dominicæ. Excipit tamen Tertullianum, & Caluinum, qui sex tantum esse contendunt. Septenarium istum probat tribus argumentis. 1. quia veteres ita tradunt. 2. quia si verba illa, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*, non habeantur, pro vna petitione, oratio Dominica non erit breuissima & plenissima; quoniam res eadem bis repetitur, nec petemus nos liberari a malo præterito & futuro, culpæ & pœnæ. Tentatio n. ita quam petimus nos non induci, non est malum præteritum, sed futurum, nec malum pœnæ, sed culpæ. 3. quia omnino congruit, vt tot sint petitiones orationis Dominicæ, quot sunt dona Spiritus S. quandoquidem hæ petitionibus illa dona respondent, vt demonstrat *Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte*. Porro soluit duas obiectiones; vnâ Caluini ex particula aduersatiua sed; alteram aliorum, quod *Luc. 11.* non habeatur sententia illa: *Sed libera nos a malo*. Respondet 1. particulam *Sed* non esse positam hoc loco ad explicandum, sed ad aliquid maius significandum, hoc modo: *Et ne nos inducas in tentationem, sed potius libera nos ab omni malo*. Quomodo si debitor creditori dicat, *Ne quæso repetas nummos, quos mihi mutuo dedisti, sed adde potius adhuc aliquos*. 2. in Latinis codicibus apud Lucam, duas illas petitiones, *Fiat voluntas tua, & Libera nos a malo* deesse incuria librorum; vel omittas esse a Christo, quod tum temporis orationem illam præscripsit discipulis minoribus: vel denique, quod duæ istæ petitiones in præcedentibus contineantur; quia, vt est apud Augustinum, petitiō tertia est repetitiō quædam primæ & secundæ, & septima est tanquam vna cum sexta. *Respondeo 1.* De numero petitionum non valde laboramus; modo ipsæ recte intelligantur, & deuote recitentur. Tametsi nihil dubitamus, eorum sententiam, qui sex tantum petitiones distinguunt, meliorem esse; sicuti tum res subiectæ, tum verba postremæ petitionis aperte docent: cum liberatio a malo, tanquam altera pars axiomatis discreti, exegitice cum priore parte connectatur. 2. Non itaque est repetitiō odiosa, sed expositiō insignis. 3. Argumentum a congruentia non tenet. 4. Particula aduersatiua sed, non significat aliquid maius per se, verum sua natura res diuersas indicat. Res, inquam, diuersas, quæ ratione seu definitione distinguuntur, non vero re ipsa. 5. Prima causa vera est, nimium duas illas sententias apud Lucam deesse incuria librorum; quia non solum in Syriacis & Græcis exemplaribus, vt Bellar. obseruat, sed etiam in Gothico, vt Mariana tradit, habentur. Reliquæ duæ causæ sunt ineptæ. 6. Tentatio non solum est malum culpæ, sed etiam malum pœnæ, quatenus Deus peccata peccatis puniit.

XXXI. *Ordinem petitionum* Bellar. explicat ex Augustino, Iansenio, & Thoma. *Augustinus in Enchiridio c. 115.* docet, tribus prioribus petitionibus peti res

æternas, quatuor posterioribus temporales. *Iansenius in Concordia Euangelica* scribit, primo peti bonorum largitionem, secundo malorum remotio- nem: & in bonis primo bonum Dei, *Sanctificetur nomen tuum*; secundo, bonum nostrum summum, *Adueniat regnum tuum*: tertio bonum nostrum me- dium, id est, gratiam implendi mandata, *Fiat voluntas tua*: quarto bonum nostrum infimum, id est, subsidia temporalia, *Panem nostrum*. In malis, pri- mo peti remotioem mali præteriti, *Dimitte nobis debita nostra*: secundo, mali futuri, *Et ne nos inducas in tentationem*: tertio, mali præsentis, *Sed libera nos à malo*. *Thomas in 2. 2. q. 83. art. 9.* ita digerit. Quoniam oratio interpres est desiderij: desiderium autem actus est charitatis, qua diligimus Deum in se, & nos in Deo: ideo

Primo petimus gloriam Dei, ut sanctificetur nomen ipsius; quæ peti- tio nascitur ex amore, quo diligimus Deum in se. Secundo beatitudinem nostram, quam habebimus, cum adueniet regnum Dei; & hæc petitiō ori- tur ex amore, quo diligimus nos in Deo. Tertio medium principale & per se ad beatitudinem: id vero est obedientia legis, *Fiat voluntas tua*: nam per obedientiam legis meremur beatitudinem. Quarto medium per se, sed in- strumentarium, id est, panem tum spiritalem verbi & sacramentorum, tum etiam corporalem. Quinto medium per accidens, id est, remotioem præ- teriti, quod proprie excludit à regno, & opponitur primo nostro bono. Sexto aliud medium per accidens, id est, remotioem peccati futuri, ne vide- licet superemur à tentatione, quæ impedit, ne Dei præcepta seruemus, quod erat bonum nostrum secundum. Septimo aliud medium per accidens, id est, est, remotioem mali præsentis, omnium videlicet huius vitæ miseriarum, quatenus impediunt sufficientiam temporalium bonorum, quæ suo modo ad vitam æternam consequendam, vel necessaria, vel vtilia sunt. Quare ma- la ista quæ in postrema petitione remoueri cupimus, opponuntur tertio no- stro bono, quod in petitione quarta à Domino postulamus. De tribus hæc sententijs breuiter ita sentimus. 1. Transeat numerus septenarius; quando diximus nos de illo non valde laborare. 2. *Iansenius* admodum eleganter, & populariter ordinem istum digerit. 3. Verba ista, *Libera nos à malo*, non solum præsentis, sed etiam futuri mali sunt deprecatio. 4. *Thomas* subtili- ter digerit ordinem. Sed errat, quod ait nos mereri beatitudinem, & quidem per obedientiam legis; & quod in peti. quarta per panem *spirituale* intelligit spirituales & temporales simul. Nam *spirituale* est, qui pertinet ad

XXXII. *Cap. 6.* exponit *Bellarminus* orationem Dominicam, vbi breuiter ista præcipue desideramus. 1. quod in petitione quarta coniunctim petamus panem corporalem & spirituales: cum ipsa phrasit ostendat, ser- monem esse de huius vitæ subsidijs, ut *Iansenius* recte obseruauit. 2. quod in petitione quinta potissimum petamus remissionem peccatorum venialium: cum nulla peccata in foro poli sint venialia. Et vero si aliqua essent, in primis deberemus petere remissionem peccatorum mortalium. 3. quod ait clau- sulam illam, *Quia tuum est regnum &c.* non esse de textu Euangelico, sed in- ferta fuisse à Græcis ex consuetudine, quam habent ea verba recitandi post orationem Dominicam in sacrificio Missæ. Nam Latini etiam antiquissimi, & Græcæ linguæ periti, ut *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambr. Hieron. August.* nullam horum verborum mentionem faciunt. *Resp.* At Græci codices habent istam clausulam: & *Chrysost.* *Theophylactus*, & *Euthymius* explicant ipsam in suis Commentarijs: & sententia ipsa est pia, & orationi Dominicæ pon- dus aliquod adiecit, quia breuiter colligit argumenta fiducie.

XXXIII. *Cap. 7.* docet, solius creaturæ rationalis esse orare. *Cap. 8.* contra *Wiclefium* asserit, non solum generatim, sed etiam in specie pro cer- tis hominibus orandum esse. Quod omne nos probamus: si excipias, quod *cap. 8.* docet illos recte facere, qui certos reditus legant Ecclesijs, ut singulis diebus, vel hebdomadibus sacra fiant, aut preces fundantur pro ipsorum a- nima. Nam etsi ditiorum legata, pro vrbibus Ecclesiæ, aut pauperum susten- tatione, nequaquam improbamus: tamen preces mercenarias, & speciatim orationes pro defunctis, ad quos ista legata plerumque respicere solent, plane inutiles ac superstitiosas esse pronuntiamus.

XXXIV. *Cap. 9.* differit de modo orandi legitimo, ut aliquid im- petremus orando. Et primo distinguit, inter meritum, & impetrationem; quorum illud tribuit solis iustis & viatoribus; hanc vero etiam peccatori- bus, & comprehensoribus. Atque hinc colligit, orationem aliquando tan- tum esse impetratoriam; aliquando tantum meritoriam; aliquando vtrum- que simul effectum habere. Verum enimvero nos cum Scriptura nullum ag- noscimus meritum, nisi Domini nostri Iesu Christi, quod est Catholicum & totale, ita ut iuxta vel infra se non possit pati vllum nostrum meritum. De- inde octo conditiones ad infallibilem impetrationem requirit: quorum pri- ma est fides; qua credamus, Deum, non quidem absolute facturum id quod petimus; sed id posse facere, & scire modum faciendi, & velle etiam facere, si non sit defectus ex parte nostra, *Matth. 9. & 11. Rom. 2. & 10. Iac. 1. & alibi.* Altera est spes, & fiducia impetrandi; qua diuinæ benignitati inhaeremus, or- ta ex fide perfecta, *Psal. 91. Matth. 9. Hebr. 4.* Tertia est charitas, seu iustitia inherens. caritas enim est ipsa Christianorum vera, perfecta que iustitia. *Esa. 1. & 18. Iohan. 9. 1. Iohan. 3.* Quarta est humilitas, qua is qui orat non in iusti- tia sua, sed in benignitate Dei confidat. *Esa. 66. Dan. 9. Luc. 18. Iac. 4.* Quinta est deuotio, seu studium attente & diligenter orandi; ne verbis tantum, seu labijs, sed & vero cordis affectu, cum precibus ad Deum accedamus. *Esa. 29. Matth. 15.* Sexta est perseverantia; ne facile hic sequeamur. *Luc. 11. & 18. & 21. 1. Thess. 5.* Septima est, ut pro se quisque petat; nec aliorum intercessioni- bus nimium fidat, *Iohan. 14. & 16.* quia non semper ij, pro quibus oramus, di- gni sunt vel idonei, ut accipiant, *Matth. 10.* Octaua est, ut petantur necessaria, vel vtilia ad salutem, hoc est, voluntati Dei consentanea, *1. Iohan. 5.* Has con- ditiones, à *Bellarmino* assignatas libenter admittimus: licet naturam fidei, & iustitiæ aliter, atque hic factum est, explicemus. Nam ex 8. literis didici- mus, veram fidem esse specialem fiduciam misericordiæ Dei in Christo per- petuæ; & iustitiam nostram, qua consistimus coram Deo, esse ipsissimam Christi iustitiam quatenus illa nobis per veram fidem, bonis operibus scer- tam & plenam, applicatur; ita nimirum ut nos credentes & Christus censeamur & simus vna persona, ille caput, nos membra.

XXXV. De horis canonicis, seu diuino officio, quinque capita tra- ctanda sumit; & primo quidem de nomine, & definitione officij diuini, seu horarum canonicarum differit, *cap. 10.* Nomen officij diuini extare ait in Concilio Aquigranensi & Lateranensi: nomen horarum canonicarum a-

pub Bedam. Dicuntur autem hæc preces, & laudes diuini officij, quoniam in ijs continetur id, quod facere debemus erga Deum, siquidem orare, & laudare Deum, proprium est officium Christianorum, & præsertim eorum, qui Clerici, vel Monachi dicuntur. Hinc enim Dominus per *Esaïam* cap. 56. *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Dicuntur autem eadem laudes, & preces, horæ canonicæ, quia certis horis recitari debent iuxta canones, & regulas sanctorum Patrum. *Definitio* itaque diuini officij hæc fuerit: Diuini officij est certa ratio publice laudandi, precandique Deum, mente simul & voce, autoritate præsulum ecclesiæ instituta. Nos vero his, quantum ad præcipuam rei substantiam, hoc est, ad exercendum publicum Dei cultum, siue preces & cantiones Ecclesiasticas; item ad cer- tum quendam ac decentem ordinem, tum in publicis, tum etiam in priuatis precibus seruandum attinet; profus assentimur: ut qui & ipsi certis diebus, & horis, ad cultum illum exercendum conuenire, & in eo certas agendi for- mulas vsurpare, denique priuatim etiam stata precandi tempora, & certum orandi modum obseruare soleamus. Quæ vero hic superstitionem mani- festam continent, & verbo Dei contraria sunt, ea demum merito reprehendi- mus: uti sunt ista sex. 1. *alligatio* superstitiosa diuini cultus ad certum ho- minum otiosorum genus, itemque ad certum locum, certas horas, certas- que preces, hymnos, & lectiones. 2. *usus lingua peregrina*, in diuino officio perfoluendo. 3. *religiosa inuocatio Mariae, & aliorum sanctorum*, passim illis precibus inserta. 4. *opinio præcisa necessitatis*; cum res illa tota pertineat ad po- litiam Ecclesiæ, utpote quæ, latente *Bellarmino*, nititur autoritate Præsu- lum Ecclesiæ. 5. *opinio cultus, ac meriti*, in opere operato. 6. *usurpatio*, seu inepta & ridicula imitatio sanctorum virorum, & exemplorum. Sed de his mi- nutatim vide in sequenti tractatione.

XXXVI. Secundum caput est de partitione diuini officij, & de ca- nonico tempore singularum partium, *cap. 11.* Partes autem alia sunt maio- res, numero octo, quæ à tempore vulgo dicuntur Nocturni, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera. Completorium: alia minores, numero decem, videlicet Psalmi, Hymni, Lectiones, Cantica, Antiphonæ, Responsorija, Li- tania, Versus, Capitula, Collectæ. Ex his enim totum officium constat. Por- ro antiqua & rationalis institutio horarum canonicarum (quod est tertium caput dissertationis *Bellarminianæ*) ita demonstratur *cap. 13. 14. 15.* Principio ad horas canonicas quod attinet, habemus (inquit *Bellarminus*) exempla Prophetarum, & Apostolorum; testimonia veterum Patrum, & antiquæ Ecclesiæ consuetudinem; rationes denique & causas huius institutionis. *Exempla* sunt partim in genere, partim in specie. In genere habemus exem- plum *Dauidis*, qui septies in die laudem dicebat Domino, *Psal. 118.* De singulis horis in specie sunt ista exempla. De nocturna oratione est exem- plum *Dauidis*, *Psal. 118.* Christi, *Luc. 6.* Pauli & Silæ, *Act. 16.* De laudibus matutinis, *Psal. 5. & 62. & 118.* De prima, tertia, sexta, & nona, *2. Esdr. 8. Da- niel. 6.* ut exponunt *Cyprianus*, *Beda*, *Hieronimus*. De hora tertia, *Act. 2.* de hora sexta, *Act. 10.* de nona, *Act. 3.* de officio vespertino, *Psal. 54. & 140.* Ex Patribus sunt *Clemens*, *Cyprianus*, *Athanasius*, *Ambros. Basil. Hieron. Augustinus*, *Cassianus*, & alij viri doctissimi grauisimique, qui singularum horarum canonicarum tempora, & mysteria explicant: ut *Isidorus*, *Amala- rius*, *Rabanus* &c. *Rationes* quoque variæ adferuntur, è quibus hæc tres sunt præcipuæ. 1. Ut in honorem sanctissimæ Trinitatis tertia quoque hora Deum laudemus. Nam horæ canonicæ antiquissimæ sunt, tertia, sexta, nona, duo- decima, quæ totum diem in quatuor ternarios horarum diuidunt; quibus addebantur quatuor vigilæ nocturnæ, quæ terminabantur hora tertia, se- xta, nona, duodecima noctis, & noctem totam in alios quatuor horarum ternarios diuidebant. 2. ut beneficiū creationis consemoremus; & conditori rerum omnium pro eo gratias agamus. Ideo n. sunt horæ septē diurnæ, quon- iam septē dieb. creauit Deus cælum, & terram, & omnia quæ in ijs continentur. Additur autem hora octaua, id est, officium nocturnum, pro spe resurrectionis; noctu futura, *Luc. 17. Matth. 25.* 3. ad memoriam redemptionis conser- uandam, quæ ratio est potissima. Nam præcipua redemptionis mysteria his horis completa esse noscuntur. Hora vespertina (in de enim officium Eccle- siasticum sumit initium) Christus cenam cum discipulis suis fecit, pedes eo- rum lauit, sacramentum Eucharistiæ instituit. Hora completorij post oratio- nem in horto; & sudorem sanguinis comprehensus ab inimicis, atque ad *Annam* & *Caipham* ductus, varijs modis illusit fuit. Hora matutina in Con- cilio Pontificum, & Phariseorum initum est consilium de ratione perden- di Christum. Hora prima ductus est Dominus ad *Pilatum*, atque inde ad *Herodem*, & rursus, reductus ad *Pilatum*. Hora tertia crucifixus est voci- bus Hebræorum, flagellis cæsus, & spinis coronatus à militibus. Hora sexta crucifixus reipsa, atque à terra exaltatus, maximum Deo Patri pro totius mundi salute obtulit sacrificium. Hora nona Spiritum emisit, ad inferos de- scendit, regnum Satanæ destruxit. Rursus hora vespertina de cruce deposi- tus, & in sepulchrum illatus est. Hora Completorij, dum ipse quiesceret in tu- mulo sepulchrum ipsum ab inimicis signatum fuit, & militum custodij se- ptum atque munitum. Hora matutina, id est, sub auroram, resurrexit. Hora prima apparuit sanctis mulieribus. Hora tertia descendit Spiritus sanctus super Apostolos &c. Atque hæc est antiquitas & ratio horarum canonicarum. Quod attinet ad ea, quæ in ipsis horis canuntur aut leguntur, breuiter ita habent. *Psalmi, & Cantica* reprehendi non possunt, cum habeantur omnia in 8. literis, excepto Canticis, quod incipit, *Te Deum laudamus*. Fuisse autem in vsu apud Christianos ab ipsa exordio nascentis Ecclesiæ: ut in conuenti- bus Ecclesiasticis psalmodia primum locum haberet, cognosci potest ex 1. *Cor. 14.* *Tertulliano*, & Concilio *Laodiceno*. De hymnis superadditis habe- mus testimonium *Apostoli Col. 3. Eph. 5.* Lectiones leguntur ex Scripturis, ho- milijs Patrum, & vitis sanctorum. Est autem antiquissimus lectionum vsus in Ecclesiæ &c.

XXXVII. In hoc *Bellarmini* discursu multa merentur obeliscum. 1. Veteres obseruauerunt horas varie, & libere. Et certe obstringi omnes ijs- dem & totidem horis, tyrannicum & superstitiosum est. Et *Walfridus* ali- quoties repetit longo tempore post Apostolos, eas institutas esse. Sciendum est, inquit, multa post reuelationem Euangelij tempora transisse, antequam ita ordinarentur, quarundam per diem & noctem horarum solennia, sicuti nunc habentur, *cap. 25.* Et purior Ecclesiæ non nouit septem horas canoni- cas. Nam prima hora, nec *Athanasius*, nec *Basilius*, nec *Hieronimus* memi- nerunt, sed *Cassianus*, qui primæ officij suo tempore institutum asserit, *l. 3. de instit. canob. cap. 4.* *Sotus de iure & iustit. l. 10. quaest. 5. art. 1.* Falsum ergo

est, quod dicit Baronius, de quatuor diurnis horis saepe agere Chryso-
stomum, & Basilium. 2. Veteres aequae nocturnas, atque diurnas praeficiunt
horas. Et praeter septem horas canonicas, nocturnale officium, & nocturnas
vigilias praescribunt. *Amalarius in Eccles. offic. lib. 4. cap. 2. & d. ad 11. Rupertus
de diuinis officiis lib. 1. cap. 1. & d. ad 8. Radulphus in obseru. can. prop. 14. Cassianus
lib. 2. cap. 4.* Nominatim Hieronymus ad Eustochium ait, Noctibus bis terque
surgendum. In primis vero mediam noctem obseruari voluerunt. *Athanasius de
virginitate, Basiliius quest. fusiis explicatis quest. 37. Hieron. ad Eustochium, Hugo
de S. Victore in speculo Ecclesiae cap. 3.* Has non obseruat Ecclesia Romana. 3. Al-
ligatio diuini cultus ad certum locum, & certas horas, libertati nostrae reli-
gionis plane est contraria, *Iohan. 4. Gal. 5. Col. 2.* Et si enim loca & hora de-
bent obseruari, partim ordinis & decori, partim exercitii causa: tamen opi-
nio praecise necessitatis, cultus ac meriti pugnat cum libertate Christiana. 4.
Loca Scripturae, quae minime huc pertinent, ad horas canonicas detorquen-
tur. Nam David v. g. septies, id est, saepius, de die laudauit Deum. Quid vero
hoc ad horas canonicas? Status V. & N. T. confunditur. In veteri siquidem
restamento fuit aliquarum horarum distributio pro ministerio cultus Leuitici.
6. Publicum verbi Dei ministerium, quod Apostoli certis horis peregerunt,
refertur ad officium horarum canonicarum, ab hominibus superstitiosis in-
uentum. 7. Principium itaque in multis exemplis, imo & locis tum S. Scri-
pturae, tum Patrum, hic peritur. 8. Certae preces, hymni, & lectiones, ab ho-
minibus successiue compilatae, & non sine tautologia digestae, male obru-
duantur Ecclesiae pro regula diuini officij. 9. Multiplex abusus verbi Dei cer-
nitur in his centonibus. Quae de re satis multa diximus in *supplemento tom. 4.
c. 14.* vbi vide. 10. Si in Ecclesia Christi locum habere debeat licentia quiduis
singendi sub praetextu congruentiae, quis amabo erit modus & finis *id est, om-
nis ad quod pertinet? 11.* Multa incerta afferuntur tanquam certa de horis passionis
Christi. 12. Quidquid sit, religiosa inuocatio Mariae in Antiphona, *Salue re-
gina*, & aliorum sanctorum, in precibus, & hymnis, & litanis, apertam ido-
latriam continet. Nam solus Christus est vita, dulcedo, & spes nostra. non
Maria, vt afferitur in Antiphona ista, *Salue regina*. Solus Deus in Christo est
Pater misericordiae: non vero Maria est mater misericordiae, vt ibidem vo-
catur. Neque est, quod Bellarminus dicat *cap. 15.* Mariae haec talia tribui, quo-
modo Apostolis, & eorum successoribus tribuitur, quod saluent homines.
Nam hoc pacto hominibus non adscribitur actio, aut titulus, aut proprietas
Dei; sed Deus & homines isti in conuersione aliorum hominum sunt causa
socii, ita vt Deus agat per ministerium suorum Apostolorum & pastorum.
At Christus est solitaria & totalis causa salutis. Itaque non potest Mariae at-
tribui propria Christi actio & dignitas.

XXXVIII. *Quarta pars* disputationis huius apud Bellarminum,
cap. 16. 17. & 18. est de modo rite officium persoluendi. Collocat vero istum
in his tribus. 1. in genere linguae. 2. in genere vocis. 3. in circumstantiis. *Lin-
guam* requirit Latinam. *Genus vocis* quod attinet, cantum Latinum, quem
Gregorianum vocant, vna cum organis Musicis, hic recte adhiberi, variis
argumentis probat. Et primo quidem ex *Scripturis* adducit exempla, & praec-
cepta. *Exempla*, inquam, angelorum, qui nato Christo magnis vocibus cla-
mabant, Gloria in altissimis & c. *Luc. 2.* item Patrum in V. T. nominatim Da-
uidis, qui psalmos plurimos composuit, & choros cantorum instituit: item
exemplum a Christo approbatum, *Hosanna & c. Matth. 21.* exemplum quin
etiam Christi & Apostolorum, *Matth. 26.* denique Pauli & Silae, *Act. 16.* vbi
phrasia illa *καὶ ᾄδον ὕμνον ᾠμῶν* significat cantum. *Præceptum* est partim Da-
uidis *Psalm. 150.* vbi hortatur, vt instrumentis Musicis Deum laudemus: partim
Apostoli, *Eph. 5. & Col. 6.* Deinde *testimonia Conciliorum, & Patrum* idem
confirmant. Postremo *rationes* idem suadent: rationes, inquam, ductae ab
utilitate eximia, quae in hoc instituto cernitur quintuplex. Nam pia cantica
accendunt animos audientium; & facilius atque libentius Deo laudes per-
soluantur, quando diuinum officium alioqui prolixum & graue, quodam
cantus iucunditate conditur; & hac ratione testamur Ethnicis, & haereticis,
non erubescere nos fidem nostram, quando quidem dogmata fidei, ab illis
irrideri solita, cantu, ac versibus celebrare non dubitamus; & hoc pacto tes-
tamur, legem diuinam nobis non esse grauem, & molestam, sed iucundam,
& suauem, nosque eam non ex timore, sed amore seruare; & denique hoc
modo perfectum Deo reddimus obsequium, & voto & voce, & corde &
chorda ipsum celebrando. *Circumstantiis*, siue conditiones, diuini huius of-
ficij, reuocat ad ista septem capita; videl. ad integritatem, ordinem, qualita-
tem, locum, tempus, attentionem, & deuotionem.

XXXIX. Variè hic peccatur à Bellarmino. Nam 1. Lingua pere-
grina in diuino officio persoluendo adhibetur contra expressum A-
postoli interdictionem, *1. Cor. 14.* de quo vide *Chamierum tom. 1. & nostrum sup-
plementum cap. 13. 2.* Turpis est ignorantia elenchi: quod nostrates hoc nomi-
ne resutandos suscepit, in cantu Ecclesiastico operose probando. Nam ne
organorum quidem usum simpliciter improbamus; si modo non degeneret
in abusum; & si quidem pro re adiphora semper habeatur: quippe qua
etiam Ecclesia ad 700. circiter annos plane caruit; sicut ex Polydoro Vergi-
lio, Platina, & aliis perspicue apparet. 3. Quae de cantu Leuitico V. T. in S. li-
teris occurrunt, non recte ad statum N. T. accommodantur. 4. Musica Chri-
sti, Apostolorum, & primitiuae Ecclesiae *δὲς ἁγίων* distat à Musica Ec-
clesiae Romanae. 5. Cantus Ecclesiasticus est vtilis, si non ponatur in ipso
pars aliqua religionis, aut meriti: & studeatur simplicitati spiritualis Musi-
cae, ne politica cum sacris misceantur. 6. Si ipsius officij substantia & funda-
mentum reformetur, non litigabimus de septem conditionibus; puta de in-
tegritate, quantum ad partes; de ordine, in singulis suo loco adhibendis; de
qualitate, in seruanda cuiusvis pronuntia; de loco honesto & publico; de tē-
pore ordinatio; de attentione ad verba & sententiam; & in primis ad Deum;
denique de deuotione externa, & interna.

XL. Restat *pars quinta* & vltima, de personis, quibus incumbit ex
proprio munere diuinum hoc tributum Domino reddere, id est, horas ca-
nonicas persoluere. Nullum vero est dubium, inquit *Bellarminus cap. 19. &
ultimo huius libri*, hoc officium ad Clericos, & Monachos, atque ad Clericos,
vel ratione ordinis sacri, vel ratione Ecclesiastici beneficii proprie pertine-
re. Ad solos autem Clericos, & Monachos ad hoc officium obligari tribus
argumentis probatur. 1. *exemplo Ecclesiae veteris vtriusque Testamenti.* Nam in
V. T. non totus populus, sed soli Leuitae psalmos ex officio publice decanta-
bant. *1. Paral. 15. & 16.* Et in N. T. Apostoli, rebus aliis relictis, verbo & ora-
tioni vacabant, *Act. 6. E.* & huic officio certae personae sunt deputandae. 2.

argumento ducto à simili. Nam si resp. temporalis habet milites suos, qui die
noctique ex cubant ad custodiam ciuitatis, cur enim non conueniat, vt resp.
spiritualis, id est, Ecclesia, habeat suos, qui similiter excubent contra spi-
rituales nequitias; easque clamando, id est, canendo & precando, exter-
reant, iuxta illud *Esai. 62.* Custodes super muros tuos non tacebunt. 3.
argumento itidem ducto à simili. Nam si ad cetera omnia munia certi ho-
mines destinantur, & non omnes ex officio debent, aut iudicant, aut hanc,
vel illam artem exercent; cur non par sit ad munus Deum laudandi, at-
que assidue precandi, certos homines destinari? praesertim, cum reli-
quus populus aliis rebus occupatus, neque tam frequenter, neque tanta in-
tentione, huic summo negotio vacare possit, quam eius dignitas, & necessi-
tas postulat.

XLI. De hac quaestione nos ita sentimus, omnes Christianis obli-
gari ad hanc diuini cultus partem, vt nempe Deum laudent psallendo & ca-
nendo. Id enim nobis omnibus mandatur, *Eph. 5. 19. Coloss. 3. 16.* Et huius rei
exemplum est *Matth. 26. 30.* vbi Apostoli representant totam Ecclesiam.
Quod vero attinet ad cultus diuini alligationem ad certum hominum gen-
us, hominum, dico, otiosorum, illa est superstitiosa, & dignitati omnium
Christianorum (de qua *1. Tim. 2. & 1. Petr. 2.*) plane contraria, & vniuersae
Ecclesiae ac Reip. noxia, quia reditus, ad pios vsus deputati, impenduntur
superstitiosis & ignauis hominibus. Neque vero argumenta à Bellarmino
allata sunt alicuius ponderis. Nam. 1. multa in V. T. sunt facta, quae iam mu-
tata sunt in nouo. 2. Leuitae in ordinario cantu aliis praebant, non soli canebat.
3. Similiter Apostoli *Act. 6.* precib. vacabant, & in publico cantu aliis inter-
orandum praebant. Inter orandum dico. Nihil enim ibi habetur de cantu. 4.
Sane in Ecclesia debent esse aliqui, qui excubias agant pro salute anima-
rum: pastores nempe verbi, *Hebr. 13.* Hinc profecto non sequitur: Ergo soli
Monachi & Clerici debent canere. 5. Alia est ratio cultus Dei, alia vero
aliorum munerum & artium. Omnes enim ad Deum colendum commu-
niter tenentur: et si alij aliis muneribus, nempe peculiaribus, praesunt, puta
praedicationi verbi, & administrationi sacramentorum. In communibus vero
Christianorum omnium officiis est cantus sacer. 6. Impedimenta non tol-
lunt officium.

XLI. *Eleemosyna* superest: de qua Bellarminus *lib. 3. de bonis operibus
in particulari* octo capita tractanda sumit: Quid sit eleemosyna. Quae sint, &
quot genera eleemosynae. Quis sit eius fructus & finis: Sicut praecceptum ali-
quot de eleemosyna facienda: Quibus ex rebus corporalis eleemosyna fieri
debeat: A quo sit eleemosyna facienda: Cur sit facienda: Qua ratione & mo-
do sit facienda. Et haec quidem capita persequitur tredecim capitibus. Nos
ordine videbimus singula: sed paucis. Ita enim est, vt Bellarminus ini-
tio *cap. 1.* ait: vix vlla inter Pontificios & nos de eleemosyna sunt contro-
uerfia.

XLII. *Definitio* eleemosynae *cap. 1.* est huiusmodi; quod sit opus,
quo datur aliquid indigenti ex misericordia. Vbi duo ista adduntur. 1. Quae-
uis eleemosyna sit actus elicitus misericordiae: tamen imperatur à charita-
te, & adiuuatur à liberalitate. 2. Et si eleemosyna sine charitate facta, atque vt
est actus solius misericordiae, quae est virtus moralis, vere proprieque elee-
mosyna dici potest: quia tamen virtutes morales sine charitate non sunt
omnino perfectae virtutes, quamuis verae virtutes esse possint; ideo non
dicitur eleemosynas facere, nisi materialiter, qui sine charitate eleemosynas
facit. Hic nihil est, quod magnopere desideremus, si pro charitate substitui-
tatur fides per charitatem efficacem. Haec enim facit, vt opus sit vere bonum,
& distinguit virtutem spiritualem à morali.

XLIII. *Partitio* eleemosynae proponitur *c. 2.* vbi septem species,
siue formae, eleemosynae corporalis; & totidem, eleemosynae spiritualis re-
cententur. Ibi sunt, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, ex-
cipere hospitium peregrinum, visitare aegrotum, redimere captiuum, sepelire
defunctum: hic sunt, orare pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere
delinquentes, docere imperitos, consilium imprudentibus dare, consolari
afflictos, tolerare alienam infirmitatem. Vide *Matth. 25. Tob. 12. Matth. 5. &
6. & 18. Rom. 15. Gal. 6. Eph. 4. 1. Thess. 5.* Ex his nihil est (inquit Bellarminus)
quod ab haereticis in controversiam reuocetur, excepta sepultura. Quod
postremum nos dicimus esse falsum. Et si enim sepulturam non habemus
pro opere meritorio: tamen illam inter opera misericordiae recensemus. Cæ-
terum & illud monemus, eleemosynam proprie dictam non satis recte in
XIV. istas species distribui; cum istae non omnes huius loci sint; & satis con-
stet, eleemosynam, in hac tam lata significatione acceptam, multo plura cha-
ritatis officia, quam hic recitata sunt, complecti v. g. protegere viduas & pu-
pillos, dotare virgines pauperes indotatas, gratis sanare aegrotos, soluere de-
bita pauperum & c. Ne quid de eo dicamus, quod *Augustinus in Enchiridio
cap. 76.* statuit, nos etiam animae nostrae eleemosynam dare debere; videl. ab-
strahendo eam à peccatis. Sed transeat iste geminus septenarius, duobus istis
versibus comprehensus:

*Visto, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.
Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.*

XLIV. *Tertium caput* de fructu eleemosynae Bellarminus persequitur
cap. 3. & 4. Et primo docet, non sufficere eleemosynas ad salutem sine fide,
spe, dilectione, poenitentia, aliisque ad salutem praesidiis. quod vehementer
probamus. Deinde sex fructus eleemosynae commemorat. 1. mereri vitam
aeternam. 2. esse satisfactionem pro peccatis. 3. augere fiduciam apud Deum,
& gaudium spirituale. 4. conciliare beneuolentiam multorum, qui pro bene-
factoribus Deum precantur, eisque vel gratiam conuersionis, vel donum
perseuerantiae, vel incrementum gratiae, & gloriae impetrant. 5. esse disposi-
tionem ad iustificationem, si eleemosyna fiat ab eo, qui poenitentiam agere
incipit, & ex Dei motione, & auxilio speciali. 6. esse causam maioris abun-
dantiae corporaliū bonorum. Ex his fructibus improbamus primum, se-
cundum, & quintum. Pro primo fructu adfert Bellarminus ex *Matth. 25.*
Esuriui enim & c. Sed ibi non redditur causa essentiae, sed consequentiae; id
est, particula enim est rationalis, non vero causalis. Deinde, opus fidei seu
fructus ponitur pro ipsa fide. Pro secundo allegat *Tob. 4.* Eleemosyna ab
omni peccato & morte liberat & c. & *Ecclesiastici 3.* Sicut aqua igne, ita elee-
mosyna extinguit peccatum. Sed isti libri sunt apocryphi: & istae duae sen-
tentiae sunt accipiendae *non in vobis*, itaque de eleemosyna, quae ex fide vera
proficitur. Pro tertio adducit *Proverb. 15.* Eleemosynis, & fide delicta pur-
gantur.

gantur. *Luc. 11.* Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. *Act. 14.* Eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam Domini. Verum ista loca non ostendunt, eleemosynam esse dispositionem ad iustificationem (illa enim antecedit omnia bona opera, iuxta illud Augustini, Bona opera non praecedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, sed arguunt iustificationem, tanquam effecta & signa: & insuper docent, eleemosynam non purgare, & Deo commendare quantum ad sanctificationem.

XLV. *Cap. 5.* Bellarminus veluti per appendicem addit; & docet magnitudinem eleemosynae potius ex animi promptitudine, & dignitate personae, quam ex rei donatae pretio apud Deum aestimari: sicut *Luc. 21.* de vidua, duo minuta in gazophylacium mittente, videre est. Atque hoc omne probamus.

XLVI. *Cap. 6.* disputat, esse praecipuum aliquod de eleemosyna faciendum, nempe generale, de diligendo proximo, *Leuit. 19. Matth. 22. Rom. 13. 1. Iohan. 3.* & illud non proprie ad decalogum pertinere, cum in decalogo non ponantur, nisi praecipua iustitiae, eleemosynae autem praecipuum charitatis sit, non iustitiae: tamen, quia theologi omnia praecipua moralia aliquo modo ad decalogum reuocant, eleemosynae praecipuum referri posse, & vero debere ad praecipuum, *Honora patrem & matrem*, ex mente Thomae; non vero ad illud, *Non furaberis*, ut vult Albertus. Ratio prioris est, quia *Tim. 4.* Pietas dicitur habere promissionem huius & futurae vitae. Itaque omnia opera pietatis, ut est eleemosyna, debent referri ad quintum praecipuum; quippe quod solum habet annexam promissionem vitae. Deinde praecipuum eleemosynae est affirmatiuum. In secunda autem tabula solum quartum praecipuum est affirmatiuum. Denique quartum istud praecipuum praecipit bona officia, reliqua vero omnia pertinent ad mala, quae cauere debemus. Itaque omnia bona, quae proximis debemus, in illis verbis, *Honora patrem &c.* continentur. Ideo autem parentum solum mentionem facit Scriptura, quoniam ipsi in proximis primum locum tenent, & magis elucet ratio iustitiae in eo, quod parenti, quam quod alij cuiquam debemus. Ratio posterioris est; quia si praecipuum eleemosynae ad septimum decalogi praecipuum, *Non furaberis*, seu ocuremus, id sequeretur, ut ad restitutionem obligandus esset, qui eleemosynam non fecisset. Quod certe a communi sententia Scholarum abhorret. In hac Bellarmini dissertatione multa dicuntur falso, & inepte. Nam 1. In decalogo, tanquam norma omnium operum, ponuntur praecipua & iustitiae, & charitatis. 2. Apostolus *1. Tim. 4.* non respicit ad ullam specialem legem decalogi, sed generatim ad omnia Dei praecipua, & ad omnes Evangelij promissiones, quae cum praecipuis decalogi coniungenda sunt, quantum ad fideles. Ipsorum enim obedientia est Evangelica, & habet promissionem huius & futurae vitae. 3. Praecipua decalogi sunt concepta synecdochice. Itaque ex praecipuo affirmatiuo negatiuum, & vicissim, debet intelligi atque colligi. 4. Omnia opera misericordiae implicite praecipuntur praecipuo sexto, *Non occides*; & octauo, *Non furaberis*. Neque vero absurdum est, vnum idemque opus diuerso respectu pertinere ad varia decalogi praecipua. 5. Non sequitur: Qui non dat eleemosynam, furatur; ergo tenetur ad restitutionem. Nam varia sunt furti genera. e. g. aliud in auferendo, aliud in non adferendo, ut ita dicam, est positum. Ibi, non hic aliquis obligatur ad restitutionem. Sed & haec transeant.

XLVII. Quaestionem quintam, Ex quibus nam rebus eleemosyna fit faciendum, Bellarminus *cap. 7. 8. & 9.* tractat. Summa huc redit. 1. Diuites iure diuino obligari ad ea pauperibus eroganda, quae sibi superuacanea sunt: videl. superuacanea tum naturae, tum personae respectu; ita ut sine iis, & salus naturae, tum ipsorum, tum familiae sustentari, & personae status, atque dignitas conseruari possit: haec inquam, omnia necessario in pauperes eroganda esse. 2. Ex bonis personae, vel status necessariis aliquando etiam eleemosynas esse faciendas quando videl. pauperes necessitatem naturae patiuntur. 3. Vitium esse, nulla urgente necessitate tantum elargiri, ut deinceps statum & vocationem tuam tueri non possis. 4. De male partis non posse dari eleemosynam, quando iustitia tantum est in acquirente, ut in fure, vel usurario: at posse tamen, ac debere eleemosynam ex iis dari, cum lucrum est iniustum, tam ex parte dantis, quam accipientis, ut in Simonia, proditione, iudicij subuersione &c. similiter ex iis, in quibus lucrum non tam est iniustum, quam turpes, quale est histriodum, meretricum &c. Hic consentimus, quantum ad tres priores propositiones. Nam exempla sanctorum, qui, cum ipsi pauperes essent, tamen alacriter sua erogarunt aliis, docent, non tantum superflua, sed & necessaria bona, saepe danda esse pauperibus. Vide *1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Luc. 21. Act. 2. & 4. & 20. 2. Cor. 8. & 9.* Nimirum charitas est optima eleemosynae largienda magistra, & moderatrix: ut non sit admodum necesse, gradus & momenta illa, vel superfluum, vel necessarium bonorum, scrupulose distinguere, vbi illa modo auditur. In male partis autem simpliciter virgemus restitutionem: aut, si haec forte commode fieri non possit, omnimodam inter pauperes erogationem consulimus; nisi forte extrema possidentium necessitas aliud suadeat. nam & hic charitatis ratio est habenda.

XLVIII. *Cap. 10. & 11.* Bellarminus contra Anabaptistas probat, diuitias non esse Christianis illicitas. Vbi, quantum ad rem ipsam attinet, consentimus. *Cap. 12.* quaerit, quis eleemosynam facere, & cui eleemosyna fieri debeat. Vbi etiam est plenus consensus. Nimirum illi tantum possunt, & debent eleemosynas dare, qui veram habent rerum proprietatem, & dominium: ij vero, qui domini non sunt, nec dum ius administrandi habent, sed in aliorum potestate sunt, id facere non possunt, nisi vel in extrema pauperum necessitate, vel ex consensu superiorum tacito, aut expresso, vel in certis aliis casibus. Deinde, omnibus pauperibus danda sunt eleemosynae, etiam iniunctis, & peccatoribus, licet non quatenus peccatoribus; sed maxime tamen piis, & fidei domesticis.

XLIX. *Cap. 13.* colligit quinque conditiones eleemosynae: nempe 1. ut fiat intentione placendi Deo; non vero ad captandam auram popularem. 2. ut fiat animo prompto; non autem differatur de die in diem. 3. ut fiat hilariter; non cum aliqua aegritudine, & difficultate. 4. ut humiliter, & citra iactantiam fiat. 5. ut fiat largiter, pro modo facultatum. Et hic quoque per omnia consentimus.

CAPVT. V.

De disciplina clericali, seu ministrorum Ecclesiae propria.

I. Atque haec de disciplina communi: disciplina ministrorum Ecclesiae propria, siue clericalis est, quae certis canonibus continetur, quos sibi veteres Episcopi suoque ordini imposuerunt. Quales sunt; Ne quis clericus venationi, ne quis aleae, ne quis comestioni vacaret: ne quis foenus exerceret, aut mercaturam: ne quis militiae operam daret: ne quis lasciuia saltationibus interesset: denique, ut omnia huius vitae negotia, quae impedimentum ipsorum officio adferre possent, studiose reuerent: & contra in vestitu, & conuersatione decorum in primis obseruarent. Vide *Canones Apostolicos 6. 19. 26. 41. 42. 44. 53. 80. 82. 1. placet authentic. interdicimus C. de episc. & clericis. §. interdicimus. Nouell. de sanctis episcopus coll. 9.* Hi vero canones examiuandi sunt ad vnum illum canonem Spiritus sancti, qui est *Act. 20. in epistolis ad Timotheum & Titum, & 1. Petr. 5.*

II. Quod autem postea in hanc clericalem disciplinam irrepserunt prohibitio coniugij, & votum perpetuae continentiae: iudicamus cum Apostolo, diabolicam esse legem, *1. Tim. 4. vers. 1. 2. 3.* ut pote expresso Dei verbo, *1. Cor. 7. vers. 2. & d. Hebr. 13. 4. 1. Tim. 3. vers. 3. 4. 5. Tit. 1. 6.* & purioris Ecclesiae moribus, *Histor. trip. lib. 2. cap. 14. & can. Apost. 5. & 50.* è diametro repugnantem: & de qua in primis iudicari debeat ex fructibus haecenus eam consecutis. Sed hac de re vide Chamierum prolixè disputantem.

III. Idem iudicandum de omnimoda & absoluta immunitate, quam sibi sumunt Clerici Romanenses: qui putant in eo positam esse Ecclesiae tum libertatem, tum dignitatem, si communibus iudiciis & legibus plane eximantur: cum tamen Apostolus iubeat *Rom. 13. 1.* omnem animam magistratui subditam esse. Quae verba Chrysostomus explicans comment. in *b. l. ait*, omnibus haec praecipui, sacerdotibus quoque & monachis, non iis solis, qui huius vitae negotiis occupantur. Et subiungit paulo post: Subiectio enim ista pietatem non euertit. Et sane veteres Episcopi prorsus politico magistratui subiecti fuerunt; exceptis causis mere Ecclesiasticis, quae in foro ciuili disceptandae non sunt. Sed hoc euentilauimus lib. praeced.

IV. Habemus itaque canones disciplinae clericalis; habemus abusum duplicem. Legantur etiam primorum Conciliorum canones hac de re: imo etiam quae congegit Gratianus ex Conciliis variis, & Patrum scriptis, à distinctione 23. usque ad distinct. 96. Admiscuit quidem ille pleraque commentaria, & superstitiosa, maxime de coelibatu Ecclesiae ministrantiu, de infinita potestate Pontificis Romani, deque aliis nonnullis reb. à pura Christi religione alienis: interim tamen adfert plurima lectu dignissima, & in Ecclesiae restitutu necessaria, quae SS. Patres ex ipso Spiritu sancti canone de sacris ministeriis desumpta, perquam commode explicarunt. Legatur quoque tertius liber Chrysostomi de dignitate sacerdotij, Apologeticus Gregorij Nazianzeni, Hieronymus ad Nepotianum & quae alij Patres de hoc munere scripserunt.

V. Quibus repugnant plurima in Ecclesia Romana: nominatim illud, quod Papa hodie est princeps secularis, & monarcha; quod Cardinales aut sunt regum & principum filij, aut principes à Papa facti; quod patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, abbates plerique, similiter sunt principes ciuiles; quodque omnes, quocumque incedant, magnifice sunt stipati, torquati, catenati. Amictum quidem habent illi interdum aliquem, cruces, columnas, galeros, tiaras, pallia; quam pompam veteres Episcopi, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, non habebant. Praeter ista vero quid docent, quid dicunt, quid faciunt, quid viuunt, quod deceat non tantum Episcopum, sed etiam hominem Christianum? An tanti est titulum inanem gerere, & mutata solum veste, appellari Episcopum?

VI. Sed responderet Hardingus contra Inellum *Apolog. 9. diuis. 3.* Quamuis & regum sit Papae imperium, & ducatus ac comitatus obtineant alij per orbem Christianum Episcopi, quamuis peditum equitumque comitatu bene stipati incedant, imo sint licet eorum aliqui, contra quam genus illud vitae decet, torquati, catellatique, et si alia habent ornamenta, & quae sua cuiusque dignitati desentur insignia: nihil tamen haec obstant omnia, quia Episcopi sint. Ut nihil doceant, nihil dicant, nihil faciant, nihil viuant, quod nec Episcopos deceat, nec etiam homines Christianos: tamen haec omnia si sint, Episcopi sunt illi quidem nihilominus, licet mali. Vsq. eo Apostolus erat Iudas, dum animam ei interclusit laqueus: nec propter impietatem illius, vel Stephano, vel Matthiae, vel discipulorum alij cuiquam sponte sua se in illius locum per superbiam ingerere fas erat.

VII. Sicine vero Hardinge? Tibi pergrata est spiritualis ista magnificentia. Sed audi veteres. *Concilium Macrense* ait: Ecce iam pene nulla est actio seculi, quam non sacerdotes administrent. Nempe eiusdem nota Episcopi sunt, quibus hanc notam affigit Chrysostomus in *Matth. homil. 35.* qui non credunt iudicium Dei, nec timent, abutentes primatu suo Ecclesiastico, seculariter conuertunt eum in secularem. Id genus Episcopos, *ἀποκοινους* esse dixeris, de quibus Hieronymus contra Luciferianos: Ipsi sibi & laici & Episcopi sunt. Et iterum in *Sophon. cap. 1.* Adorant Dominum & Melchom, qui seculo pariter & Domino putant se posse seruire, & duobus dominis satisfacere, Deo & Mammonae, qui, militantes Christo, obligant se negotiis secularibus, & eandem imaginem offerunt Deo & Caesari. Quam obrem Cusanus Cardinalis ait: Maxima ex hac re deformitas oritur, quod praelati tantum secularibus curis inuigilant. Quid? Ipsi legati Pontificis in Concilio Tridentino sub Paulo III. admonit. de habitu sacerdotali ita differunt: Nihil à laicis, praeterquam in vestitu genere, ac ne in hoc quidem differunt. Recte igitur Bernhardus in *Cantic. serm. 33.* Inde est, inquit, quem quotidie vides, meretricius nitor, histronicus habitus, regius apparatus; inde aurum in frænis, in felis, in calcaribus. Laurentius Valla de donatione Constantini M. sic inuicitur in Lautitiam illam spiritualem; Existimo, si qua inter Dæmones,

nes, qui aerem incolunt, ludorum genera exercentur, eos exprimendo clericorum cultu, fastu, luxu exerceri, & hoc scenici lusus genere maxime delictari. Quo pertinet, quod in *Paralipom. Vrsperg.* traditur, Bonifacium VIII. per magnum Iubilaei & Supplicationis solenne, Imperatorio vestitu ornatum processisse in publicum, imperatorio diademate redimitum, imperatoriae maiestatis insigni, gladio prelato, per omnia denique vt Imperatorem. Quis hic non exclamet cum *Bernardo de consideratione ad Eugenium lib. 1.* Dæmonum magis, quam ouium sunt hæc pascua: scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat. Quid vero illud est, Hardinge, quod ais: Vt nihil doceant, nihil dicant, nihil viuant, quod nec Episcopos deceat, nec etiam homines Christianos, Episcopi sunt quidem nihilominus? Quod si verum est, eadem ratioe lupus, si pedum sibi & peram sumserit, pastor erit. Cæcus item si in speculam semel pedem intulerit, postea vigil fuerit. At ô miseram miserabilem in modum oues, quæ ita pascuntur; miseramque illam arcem, quæ ita custoditur! Recte itaque *Augustinus in iure canonico, 8. quæst. 1.* Qui episcopatum: Episcopatus est, inquit, nomen operis, non honoris: vt intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prædesse. *Et rursus 2. quæst. 7.* Qui nec *August.* de huiusmodi Episcopo ait, Canis impudicus dicendus est magis, quam Episcopus. Neque refert quod Episcopos suos rite & legitimis auspiciis inaugurari narrat *Hardingus.* Respondet enim idem *Augustinus contra Donatist. lib. 6.* Ipse characterem multi & lupi; & lupis imprimunt. Sed concludamus hoc de clericali magnificentia, verbis *Bernardi de considerat. lib. 3. ad Eugen.* Habitu, inquit, milites, quæstu clericos, actu neutros exhibent. Nam neque vt milites pugnant, neque vt clerici Euangelizant. Cuius ergo ordinis sunt: cum vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt. Vnusquisque (inquit *Paulus*) in suo ordine resurgit. In quo isti? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Vereor, non alibi Ordinandus, quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

VIII. Porro quoniam *Hardingus d. l.* disciplinam clericalem Ecclesiæ Romanæ strenue defendere conatur, quando ipsis obiciuntur, leges Pontificias sancire, Ne clericus ob simplicem fornicationem summoueatur, videamus quomodo illud probet. Sic itaque ait: Vt a sacerdotio, cui præest, non summoueatur: potest tamen aliter in ipsum animaduerti. Verum ex præscripto legis, si quis forte Episcopus, si quis Presbyter, Diaconusue, post susceptum diaconatus gradum, fornicationis, adulteriiue esset cõuictus. Sacerdotij munere deiecto, & Ecclesiæ pulso, inter laicos pœnitentiam agere imperatum erat. Quod à Syluestro tandem, non sine misericordiæ laude est immutatum, decem annorum pœnitentia, quæ præfinito perageretur, imperata: quod nouo isti clero prædurum videretur, & nimis quam leuiter, ac restrictum. Etiam hoc amplius, impiæ Clericorum vitæ qui in hac causa sint, adeo nihil fauent leges Ecclesiasticæ, vt si quis Episcopus sacerdotum, diaconorumue qui ad diœcesim suam pertinerent, fornicationi, aut incesto, seu prece, seu precio adductus, annuisset, siue adeo per indulgentiam peperisset, aut pro Episcopalis imperij potestate, cuiusmodi parata flagitia debito supplicio non castigasset, quidquam ei pro Episcopo gerere interdiceretur. Atque hæc quidem attulimus, de sacerdote, non solum a præfectura ipsius, vel beneficio, vt loquuntur, sed ab ipso etiam sacerdotio, id est, ab omni sacerdotali munere ac procuratore summouendo. Quia isti in re facti criminis calumniam Ecclesiæ quam mendacissimam impegerunt. *Hardingus* Hardingus.

IX. Sed bonus ille vir se ostendit canonum factorum valde imperitum. Sic enim scriptum est *dist. 82. Presbyter:* Dicunt, neminem hodie propter fornicationem esse deponendum, nisi in ea perderet. Quin ad decreta ipsa *Extr. de consanguinit. & affinit.* Non debet *Abbas*, annotatum est in hæc verba: Communiter dicitur, quod pro simplici fornicatione clericus deponi non debet: quia pauci sine illo vitio inveniuntur. Et *Panormitanus* Canonistarum maximus, ait: Clericus concubiniarius in officiis vitandus non est, nisi sit notorius. At *Syluester*, inquit *Hardingus*, in eiusmodi re decem annorum pœnitentiam imperat. Hoc certe verum est, *Hardinge*: sed antiquis temporibus, apud seculum prius: verum erat circiter mille & ducentos abhinc annos. Perit prorsus ex hominum memoria *Syluester*, & cum *Syluestro* lex sua. Nam ad varietatem temporum, ait *Panormitanus*, debent mutari statuta humana: ideo hodie ex simplici fornicatione clericus non deponitur. Ideo in *iure Canonico de cohabit. clericor. & mulierum. Si autem Abb. & 2. quæst. 7.* Laici *dist. 84.* ita statutum est: Si Laicus, instigante diabolo, accuset Clericum incontinentiæ, statim repellitur. Laici in accusatione Episcopi audiendi non sunt. Laicus non potest Clericum de fornicatione accusare. Porro *dist. 82. Presbyter in glossa* dicitur: Fornicationis causa hodie nemo deponendus est: quia corpora sunt fragiliora. Quocirca de crudeli illo decem annorum ieiunio, *Syluestri* constitutione imperato, ita glossa ad eundem locum: Potest ieiunare per alium, vel potest dare nummum pro ieiunio. Ad eundem modum *Papa Pelagius dist. 34.* Defectus nostri temporis, inquit, quibus corpora ipsa hominum defecerunt, districtio illius non patitur manere censuram. *Oscho in Constitutione Legantina: de concubinis clericorum remouendis:* Remoueat ipsas (concupinas) intra mensem, inquit, vel ipsas, vel alias de cætero nullas detenturi. Ad quem locum *Glossa* adnotat: Detenturi scilicet per mensem. Alioqui diceremus, quod propter quamcunque momentaneam possessionis detentionem sequentem, hanc grauem pœnam incurreret: quod nimis esset rigorosum, attenda difficultate nostri temporis. Rursus idem *Oscho in eod. titulo:* Ordinamus, inquit, vt si contra hoc (per incontinentiam vitæ) præsumserint venire, ab officio, & beneficio sint suspensi. Sed *glossa Pontificia* addit: Rigorosa quoque esset hæc pœna, nisi esset pro adulterio, vel incestu (nam fornicationis pœnam persequi non oportet) etiam si Episcopus esset huiusmodi labens. Atque iterum in eadem *glossa:* Propter solam simplicem fornicationem, de benignitate canonica, non debet clericus deponi, vel priuari. Quia nempe, vt ait *glossa ad decretalia*, pauci sacerdotes sine vitio carnis inveniuntur. Itaque *Hardingus* ex suo cerebro canonem istum confinxit, de Episcopo conuiente, & sacerdotis hac in re impietatem dissimulante. Sic enim *Gregorius Extrauag. de iudiciis. cap. 4.* De adulterio, & aliis minoribus criminibus, Episcopus potest cum clericis post pœnitentiam dispensare. Sic *extrau. de bigamis in glossa:* Cum presbyteris habentibus plures concubinas, potest Episcopus dispensare, vt suum officium exequantur. Imperator *Ausbertus de orient. & semiss. collat. 3. cap. 5.* ait: Vnam concubinam qui habet, caste viuit. Ius canonicum etiam plures permittit.

Sic enim iterum legitur dicta *Extr. de bigamis:* Nota, quod plures concubinas habens non incurrit irregularitatem. *Panormitanus* denique, Canonistarum Rabbinus, ait: Episcopus non tenetur deponere clericum concubinarium. Eat itaque *Hardingus*, & nos calumniæ alliget.

X. Sed pergit *Hardingus*, & ait, fœdum esse & illud mendacium nostrum, quod ipsorum *Dd.* scribant, sacerdotem illum sanctius & castius viuere, qui alar concubinam, quam qui uxorem habeat. Ait enim, hoc ipsos velle, matrimonium esse peius fornicatione, si quis vori reus uxorem ducat. Videamus, an nostri mentiantur. Minus malum, communi loquentium consuetudine, vulgo maius bonum dicitur. Quo modo videmus Scripturam loqui *Ion. 4. 4.* Melior est mihi mors, quam vita. *1. Petr. 2. 21.* Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam postagnitionem retrorsum conuerti. Sic *Eccles. 4. 29.* dicitur, Melius est mori, quam indigere: & *cap. 4. 1. 14.* dicitur melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens. Hoc itaque sensu nostrates scripserunt, *Campegium*, *Pighium*, & alios ipsorum similes, scripsisse, fornicationem esse meliorem matrimonio; & sacerdotem illum sanctius viuere atque castius, qui concubinam alar, quam qui uxorem habeat in matrimonio: non quod absolute hæc ab iis dici putarint, sed in sensu comparato. Neque enim adeo amentes sumus, vt non possimus hæc discernere. Sic *Hulderichus*, *Augustæ* Episcopus, cum ante annos plus octingentos ad *Nicolaum* Papam contra veterum Sacerdotibus matrimonium scriberet, eundem, quem nos, loquendi modum vsurpauit, his verbis: Huius imperiine dicam an consilij, tam fatuam, tamque turpem addunt suggestionem, vt dicant, Honestius est pluribus occulte implicari, quam aperte in hominum vultu & conscientia cum vna ligari. Quod profecto non dicerent, si ex illo, & in illo essent, qui dicit, Væ vobis Phariseis, qui omnia facitis propter homines? Sed & contra *Hildebrandum* Papam scripsit aliquando Concilium *Wormatiense*, ob insignem ab eo sauitiam & tyrannidem, ad sacerdotes ab vxoribus diuellendos, excoitatum: *Scorta pudicis coniugibus; supra incestus, adulteria casto connubio præferat.* Doctor tamen ille vester, *Hardinge*, *Holius*, præses Concilij *Tridentini:* Turpis, inquit, *Philippo* videtur hæc oratio, *Catholicus autem honestissimus.* Quid in re tam manifesta pluribus opus est? *Tota* Ecclesiæ vestra disciplina clara id voce profertur, *Hardinge*, si quis uxorem ducat sacerdos, hunc suspensione afficitis; sacerdotum cõmuniõne pellitis, sacerdotio, id est, victu atque omni vitæ præsidio spoliatis, denique omnem vndique Ecclesiæ turba cõpletis & tumultu, qui si concubinam habeat, imo duas, aut etiam plures, a quo id animo toleratis, factum non dissimulare modo parati, sed etiam excusatione benigne obtegere. Illa enim sententia vestra est *Extr. de cohabit. cleric. & mulierum cap. fin. Abbas.* Clericus concubiniarius in officiis vitandus non est, nisi sit notorius. Illud in rubrica vestra adnotatum inuenies: Qui non habet uxorem, loco illius concubinam debet habere. Et *ibidem:* Is qui non habet uxorem, & pro vxore concubinam habeat, a cõmuniõne non repellatur. Ad constitutiones *Osbonis Legantini de concubinis clericorum remouendis* glossa sic adnotat: Numquid compelli potest clericus concubinam abiurare? Videtur quod non. Resolutio: Si clericus uxorem duxit de factò, eo casu iuramentum exigitur. Ergo quod *Augustinus* Manichæis olim, *l. 2. de moribus Manichæorum c. 18.* idem iam vobis nunc dicamus licet: Non concubinum, sed, vt longe ante ab *Apostolo* dictum est, vere nuptias prohibetis. Sed missum faciamus *Hardingum*, & de censura clericali dicamus.

XI. Ea in primis consistit in depositione, quam vocant, & suspensione canonica. Ibi aliquis remouetur ab officio: hic ad tempus interdicitur officium Ecclesiasticum. Principio autem illud omnium primum constituendum est: non esse parem omnium, qui ad munus aliquod Ecclesiasticum eliguntur, conditionem & rationem, etiam ex ipsa eorum institutionis & receptionis forma. Eorum enim qui eliguntur, vt Ecclesiæ seruiant, alij ad tempus tantum eliguntur, alij in perpetuum, nisi iusta causa deponendi, excusandique interueniat. Ad tempus eliguntur Presbyteri siue Seniores, item Diaconi siue Eleemosynarij. Pastores autem in perpetuum fere. Qui ad tempus tantum sunt electi, ij finito tempore abeunt munere suo, ac honestam missionem habent: licet in veteri Ecclesiæ Presbyteri & Diaconi in perpetuum eligerentur. Ante finitum autem tempus iidem nihilominus vel ex honesta causa excusari, vel ex turpi causa deponi possunt. Id quod in causæ cognitione positum est. Cæterum & qui ad tempus, & qui in perpetuum ad munus aliquod Ecclesiasticum eliguntur dimissi, si quidem ex causa honesta & rationabili sunt exonerati, retinent Episcopi *ὁμοῦ καὶ βαδμὸν, ἀέτιον, καὶ ἡμῶντες*, vt est in Synodo *Ephesina* statutum. Verum ex inhonestæ & turpi causa depositus Episcopus, ne locum quidem Presbyteri retinet, vt est in *Concilio Chalcedonensi cap. 29.* imo sæpe ne laici quidem, veluti si fuerit excommunicatus, vt in veteri disciplina continetur. Qui sunt in perpetuum electi, vt Ecclesiæ seruiant, etiam deponi ex iis causis debent, ex quibus, & propter quas vetantur a Paulo eligi. Eas autem causas copiose persequitur *Paulus 1. Tim. 3. & Tit. 1.* Sed & ex variis historiæ Ecclesiasticæ locis colligi etiam illæ causæ possunt. Porro hic à veteribus Synodis varia decreta sunt condita, & varie erratum. Decretum est, vt de causis Episcopaliibus coram suo Metropolitanò Episcopus accusaretur, non coram Iudice & Magistratu, vt voeant, Laico. *Constantinopol. synod. cap. 6.* Depositus, ne Imperatorem, sed Synodum appellaret, *Antiochen. Concil. cap. 12.* Accusatus, à quibus, & quorum, & quot testimonio damnari deberet, nempe testimonio LXX. testium, *can. placuit 2. quæst. 4.* Erratum est, quod *Carthaginens. concil. cap. 15.* iubetur, ne clerici, & eorum filij secularia iudicia subeant in vlla causa. Cæterum tria sunt, quæ in depositione Ecclesiæ pessundant. Temeraria pastorum mutatio. Est autem temeraria, si est duntaxat voluntaria, id est, si ex sola pastoris vel populi voluntate, nulla alia causa interueniente, fiat. 2. Dignitatum Ecclesiasticarum diminutio & venditio, quæ vulgo dicitur Simonia: nimirum, quando talia munera, quæ sunt ipsa per se sacrosancta, fiunt venalia per homines. *Euagrius lib. 5. hist. trip. cap. 1. & 39. 3.* Factio, coitio, ac potentia stultorum, itemque apud populum, vel magistratum gratiosorum hominum, qui curant hos vel illos præfici præponique Ecclesiis, vel deponi pro animi sui vitioso motu, & affectu: quod fecerunt olim in aula Græcorum & Germanorum Imp. aulici & Palatini. Hodie vero commune & vulgare est in Papatu id fieri. Ergo in summa institutio, ordinatio, & depositio personarum, quæ præsent Ecclesiæ, canonice, id est, ordine canonibus Ecclesiasticis sancito, fieri debet: non autem esse emta, gratiosa, mercenaria, vel vi facta. Eorum porro est deponere, quorum est eligere; quia electio

& deiectione, seu depositio, vnius potestatis diuersa sunt effecta. Sed quaeritur, Vtrum statim sint Pastores & Praepositi deponendi, atque officio suo non funguntur, vel omnino, vel non sincere? Respondemus cum *Caluino in Zachar. cap. 3. versic. 7.* purgandam esse Ecclesiam, quoad licet; sed vtendum tamen legitimo ordine. Ergo prius sunt monendi, quam loco mouendi, siue sint negligentes, siue omnino otiosi. Sed quaeritur & illud, Quid si maior pars Ecclesiae cupit habere Pastores, qui potius sibi sint gratiosi, vel mercenarij, quam veri pastores? Respondet idem ibidem, Tolerandos esse tunc etiam indignos, sed hac duplici lege, si neque puram Dei doctrinam & cultum adulterent, neque sua tyrannide Ecclesiam omnino opprimant.

CAPVT. VI.

De hierarchiis sanctorum Angelorum.

I. Peruenimus tandem ad eam Ecclesiae Catholicae partem, quae cum Christo in caelis triumphat. Ea constat sanctis Angelis, & beatis animabus. In angelis occurrit hierarchia, ministerium, & cultus. haec enim inter nos & Papistas disputantur. Circa animas beatas varia occurrunt: è quibus Chamierus suo loco disputauit de beatitudine, cultu, inuocatione, reliquijs, & imaginibus sanctorum: ita vt nobis hoc loco supersit disputare de festis, templis, & peregrinationibus, quae in sanctorum honorem instituantur, quibus praemittenda est disputatio de canonizatione sanctorum. Quatuor itaque futurae sunt partes huius tractationis: de Angelorum hierarchiis & ministerio, deque beatorum siue sanctorum canonizationum honore quantum ad festa & templa, itemque peregrinationibus ad loca ipsorum.

II. Atque vt hinc proficiscatur nostra disputatio, *hierarchia sanctorum Angelorum* sunt ordines sacri inter ipsos, imperijs & prouincijs certis distincti atque distributi. Hoc enim sonat vox *ἱεραρχία* q. d. sacrum imperium, sacer principatus, vt est in Veteri Dictionario. Nam *ἱεραρχία*, *hierarchia*, vt ibidem recte dicitur, est sacer princeps, tanquam *ἱεραρχία* non *ἱεραρχία*, more ceterorum Patrum. Atque haec differentiae causa dicitur ipsi *ἱεραρχία*, *hierarchia nostra*. Voce autem *hierarchia* & Latini quidam Patres vtuntur, vt Cyprianus de operibus cardinalibus. Atque haec de nomine.

III. Rem ipsam quod attinet, conuenit inter nos & Papistas, primo inter angelos ordinem esse à Deo constitutum; 1. quia Deus est author ordinis, non confusionis. 2. quia distinctio in rebus est res praestantissima & vere diuina. 3. quia in omnibus rebus à Deo conditis est ordo. 4. quia nulla societas absque ordine stare potest. 5. quia communis & tacita gentium consensus id docet. Qui enim de Angelis vnquam scripserunt, aliquid inter eos ordinem agnouerunt. Deinde & hoc vtrique constat, ordinem illum bifariam considerari; primo ante lapsum malorum angelorum, vbi omnes angeli fuerunt à Deo creati certo aliquo numero & ordine; deinde, post lapsum *τὸν λοιπὸν τῶν ἀγγέλων*, vbi sancti Angeli confirmati sunt in bono, atque adeo etiam in ordine suo pulcherrimo, mali vero ordinem confusionis plenum inter se constituerunt sub vno principe, quem Scriptura Diabolum appellat, *Matth. 25. 44. Eph. 6. 12.*

IV. Haec itaque certa sunt. Sed *καὶ ἐν ὁμοίῳ* in eo est, An tres sint hierarchiae sanctorum Angelorum, nouem ordinibus ceu choris distincti, ita vt in prima hierarchia, quae dicitur inde *ἱεραρχία*, sint Seraphim, Cherubim, & Throni; in secunda, quae dicitur *μετὰ ἱεραρχία*, sint Dominationes, Virtutes, & Potestates; in tertia & infima, quae *ὑπερῆρα* appellatur, sint Principatus, Archangeli, & Angeli. An, inquam, isti ordines ita se habeant: & quid inter se distent singuli ordines: & quod nam sit cuiusque officium? Hoc itaque pertinet ad cardinem huius disputationis: An haec ita se habeant in bonis angelis, & an haec à nobis sciri possint? Papistae affirmant, nos negamus.

V. Argumenta nostra sententia praecipua sunt. 1. Scriptura ordinem sanctorum Angelorum in genere describit, *Coloss. 1. 16.* Itaque certos veluti choros & gradus constituere praeter S. Scripturae fidem, est temerarium. 2. Ante quadringentos à Christo nato annos, nemo veterum dixit, nouem distinctos esse angelorum ordines. Imo aliquando distinctionem istam euerterunt. Sic enim ait *Theodoretus in Coloss. 1.* Existimo eum thronos dicere Cherubim, diuinum enim thronum super eos positum vidit propheta Ezechiel: dominationes autem, principatus, & potestates, eos, quibus fuerat credita cura gentium. *Augustinus in Enchiridio cap. 58.* ita scribit: Quomodo autem se habeat beatissima illa & superna societas: quae ibi sint differentiae personarum, vt cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur, sicut in epistola ad Hebraeos legimus, Cui enim Angelorum Deus dixit aliquando, Sede à dextris meis? Hoc quippe modo significauit omnes vniuersaliter Angelos dici: sint tamen illic Archangeli: & vtrum iidem Archangeli nominentur Virtutes, atque ita dictum sit, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, ac si diceretur, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Archangeli: Et quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo, Siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor. *Idem ad Orosium cap. 11.* ait: Et esse itaque sedes, siue dominationes, siue principatus, & potestates in caelestibus apparatibus firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contempnas, quem magnum putas esse doctorem, quoniam ista sint,

& quid inter se differant, nescio. Nec sane ea ignorantia periclitari me puro, sicuti non-obedientia, si Domini praecpta neglexero. Haec summa Augustini modestia nobis imitanda est. Magna enim Christianae sapientiae pars est, multa ignorare & velle, & posse. 3. Scriptores non consentiunt. *Hieronymus in Eph. 1.* quatuor genera seu differentias Angelorum statuit: Principatus, potestates, virtutes, & dominationes. *Cyrillus lib. 11. Theaur.* Minor est, ait, in Angelis cognitio Dei, quam in Archangelis, multoque etiam maior in superioribus virtutibus. *Bernhardus de festo Martini, & serm. 19. in Cantica aliter sentit.* Et omnino posteriores à prioribus discedunt, in primisque à Dionysio Gregorius & Bernhardus, & ab vtrisque Basilius Magnus lib. 3. contra Eunomium: vbi ait, Angelos omnes vnius esse inter se naturae: differre autem inter se, quatenus maioribus muneribus à Deo ad tempus praeficiuntur: veluti, Dignior est, inquit, angelus, qui nationi, quam qui vni tantum alicui priuato homini praefectus est à Deo, pro eo tempore, quo illud munus gerunt duo isti angeli. 4. Curiosa, vana, & Platonicorum atque Rabinorum dogmatibus conuenientiora, quam S. literis, sunt illa, quae ex Dionysio adferuntur, & apud Scholasticos hac de re occurrunt: puta, primam hierarchiam immediate à Deo cognoscere quae seipsum, & secundam patefacere Dei voluntatem; quam secunda tertia reuelat: Angelos esse praefectos singulis hominibus; Archangelos, prouincijs; principatus, toti humanae naturae; virtutes, corporibus; potestates imperium habere in daemones malos; dominationes vero curare bonos spiritus. Vide apud *Dionysium, Damascenum de orthod. fide c. de Angelis, Lombardum lib. 2. dist. 9. Aquinatem in 1. summa quaest. 108.*

VI. Argumenta Papistarum sunt tria. Et primo quidem nituntur iis Scripturarum locis, vbi varia Angelorum nomina commemorantur distincte; qualis in primis est ille *Coloss. 1. 16.* & vbi appellatio Archangeli occurrit. Deinde nituntur testimonio Dionysij Areopagitae, quem illum ipsam esse, cuius in Actis habetur mentio, omnes Pontificij scriptores acerrime tuerunt. Nouissimus autem omnium Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiae ita rigide illam sententiam defendit, vt solus qui aliter sentient, Lutheranus esse, aut scielos affirmarit. Postremo consensum & traditionem Ecclesiae allegant. Patres enim & Scholastici hanc sententiam Dionysij esse pronuntiant, eademque tuerunt: nominatim vero Augustinus, quando ita scribit: Vti luna stellas, sol lunam claritate excellit, sic quilibet superior ordo Angelorum inferiorem gloria, claritate, cognitione vincit. Angeli enim sunt superiores hominibus, & plus de Deo sciunt. Archangeli sunt Angelis superiores & plus quam Angeli de Deo sciunt. Cherubim & Seraphim sunt ipsis Archangelis superiores, & plus quam illi de Deo sciunt, penitus tamen Dei naturam non norunt. Vide etiam *quaestione 1. V. & N. T.*

VII. Ad nomina Angelorum quod attinet, infirmum sane argumentum inde ducitur. Nam 1. sunt in Scripturis multo plura ipsorum nomina, quam nouem. Itaque hinc concludere nobis licebit, multo plures esse Angelorum choros, quam nouem. Addendus enim fuerit illis nouem, etiam ordo militantium, seu exercitus caelestis, & quidem psallentis, *Luc. 2.* item ordo vigilum apud Danielem; ordo stellarum, matutinarum apud Iobum; ordo filiorum Dei apud eundem. Nihil itaque ineptius est, quam ex nouem quibusdam nominibus, quae de Angelis praedicantur, nouem constituere choros Angelorum; & quidem illos ita distribuere, vt sint tres hierarchiae, & terni ordines in singulis hierarchiis: vt iam nihil dicam de subordinatione & prouincijs, ex humano cerebro excogitatis. 2. Nusquam in S. literis nouem ista nomina semel & simul, vno aliquo in loco, occurrunt. 3. Angelus est nomen officij, & conuenit omnibus angelis, non igitur est certus ordo angelorum. 4. Archangelus videtur appellari ille, qui ad praecclarum, & arduum quoddam opus expediendum alijs praeficitur. Sic *Basilius libro 3. contra Eunomium* author est, archangelum dici, cum ab alijs angelis comitatus, eorum dux est, in opere sibi à Deo sigillatim demandato. Itaque vnus & idem potest fortiri nomen angeli & archangeli, pro ratione grauioris, vel leuioris muneris, quod Dei iussu obit. 5. Cherubim dicuntur à forma, qua fuerunt depicti in arca foederis. Nam placuit Deo innocentiam, robur, & velocitatem sanctorum angelorum pictura alati iuuenis ob oculos ponere. Vnde verisimile est vocem istam esse compositam ex *ἄσκη*, & *ἄγγελος*, à Chald. *ܐܨܟܝܢ* crescere. 6. Seraphim dicuntur à forma, in qua apparuerunt. Solebant enim boni angeli apparere igniti, tanquam incendiarij hostium Dei, & muri ignei pro populo Dei. 7. Reliqua nomina, Throni, Potestates, Domina, Virtutes, desumpta omnino esse videntur à rebus humanis per similitudinem; ad significandum tum dignitatem angelorum (sunt enim comparatione daemonum malorum, nostrique omnium; instar Principum & Regum potentissimorum) tum etiam officia illorum, & quam multas magnasque res Deus per hos efficiat in mundo & Ecclesia. 8. Apostolus quaedam ex his nominibus coniunxit propter sermonis *δευόμενος*: vt doceret, primum quidem quidquid sublime atque excelsum est in caelo, supra illud omne Christum esse exaltatum, qua homo est, eoque excelsiorem esse omnibus Angelis: deinde autem, quanta sit Dei prouidentia, qua nostri curam gerit, quantaque sit eius erga nos beneuolentia, qui angelos, creaturas tam nobiles, excelsas, & potentes, nostri causa creauit, colque nobis praeficit, qui tam vrbes ipsas & regna tueantur, quam etiam nos è periculis eripiant, & in medijs afflictionibus consolentur, & quaecumque necesse est ad salutem nostram fieri nutu Dei efficiant. Sic itaque statuamus, Apostolum appellare Angelos his nominibus & titulis honoratis propter officia & dignitatem ipsorum.

VIII. Secundum argumentum ita resoluimus. 1. Si maxime liber ille de caelesti hierarchia esset Dionysij Areopagitae, qui *Act. 17.* memoratur fuisse discipulus Pauli: tamen hinc sufficiens argumentum non posset extrui: quando Scriptura nihil tradit de istis rebus. 2. Non esse hunc librum istius Dionysij patet ex re ipsa, quae plena est curiositatis, temeritatis, & vanitatis. quorum certe nihil Dionysius ille didicit à praecptore suo Paulo. 3. Si haec talia fuissent Ecclesiae scitu necessaria, proculdubio Paulus, qui raptus fuit in tertium caelum, ista literis tradidisset. 4. Stilis huius auctoris est plane magnificus, & ampullatus: adeo quidem, vt in choris tragicorum Graecorum nihil sit ita turgidum, cui non possint huius scriptoris nonnulla comparari. Vnde manifestum est, illum neque stilum à Paulo hausisse, neque Athenis natum esse, nihil enim Atticum adhibet. 5. Idem auctor suo quodam instituto & consilio, voces in Ecclesia vtitas perpetuo refugit, & alias earum loco vsurpat, sibi proprias. Itaque videtur fuisse ex numero eorum, qui

qui ex Platonis schola prodierunt. Quod ipsum ex argumento libri patet. Nam reuera *πλάτων* hic Dionysius in angelorum ordinibus describendis. 6. Tres celebrantur Dionysij apud historicos Ecclesiasticos: puta ille Areopagita, de quo *Act. 17.* deinde Corinthius, Episcopus magni nominis. an. Chr. 166. *ov γαρ* Iustinus; denique Alexandrinus, Episcopus itidem celebris, Origenis discipulus, an. Chr. 217. Nulli vero ex his tribus ista opera adscribi possunt. Non primo; ob causas modo dictas, & plures alias mox dicendas. Non secundo; quia de hoc Dionysio, Episcopo Corinthiorum, multa scribit *Eusebius l. 4. c. 23.* & huius aliquot epistolas recenset; nullam vero horum librorum mentionem facit: quod certe non neglexisset, si horum ille fuisset author. Non tertio; quia Dionysij istius Alexandrini Episcopi libros idem *Eusebius l. 6. cap. 46.* commemorat, ut & Hieronymus; sed ne gry quidem de hierarchicis ibi occurrat. Ex his itaque relinquuntur libros illos de hierarchia cœlesti & Ecclesiastica esse recentiores Hieronymo. Sed excipit *Bellarminus libro de Scripturis Ecclesiasticis*, quod ante S. Gregorium nemo horum operum nomine sancti Dionysij Areopagite agnoverit, causam hanc videri, quod alicubi latuerint, ut multa alia sæpe longo tempore delitescunt, & circa tempora S. Gregorii reperta fuerint. Verum non est probabile tam insignè librum latuisse tanto tempore; quãdo videmus alios, minoris pretij, in apicem & lucem fuisse productos. Et absque hoc libro hierarchia Ecclesiæ fuisset imperfecta. Sed stilus, & argumentum satis conuincunt, non esse authorem discipulum Pauli; quippe qui simplici stilo aduevit sub hoc tanto præceptore, neq; ab illo didicit *ὁ λόγος*. 7. Si Dionysius Areopagita author esset horum librorum, proculdubio vel semel meminisset præceptoris sui, Pauli Apostoli. At illius loco nominat Hierotheum quemdam. Plura argumenta hæc in sententiam pete, si placet, ex Paratitulis nostris. Mihi ergo verisimile sit, sanctum aliquem virum, in schola Platonis educatum, composuisse hunc librum de cœlesti hierarchia, ut religio Christiana nihilo videretur inferior philosophia Platonica, quæ de Angelis multa proponebat.

IX. Vltimum argumentum à traditione & consensu Ecclesiæ nullum est. Nam ut dixi, Eusebius & Hieronymus non meminerunt huius Dionysij: & Patres, ut diximus §. 5. pugnantia scribunt de his Angelorum ordinibus. Sic *Basiliius de Spiritu sancto c. 20.* diferte de Angelis ait: Alij aliis non imperant. Et *Augustinus l. 11. de ciuit. Dei c. 19.* & *l. 15. de Trinit. c. 13.* scribit, omnes bonos angelos non aliunde, quam ab ipso Deo scire eius voluntatem, non autem de ea ab alijs edoceri. Et *Hieron. in Eph. 5.* ait, stultiloquium esse in Dei Ecclesia, si quis de Angelis imaginetur huiusmodi quædam, qualia in Dionysio isto occurrunt. Sed audiamus *Bellarminum*, quomodo consensum illum probet. Ad auctoritatem his operibus conciliandam satis esse debet, quod hæc opera probentur à S. Gregorio Papa homil. 34. in Euangelia; à sancto Martino Papa & martyre, in Concilio Romano; à sancto Agathone Pontifice in epistola ad Imperatorem Constantinum VI. & à Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imp. Item à Concilio generali VI. act. 4. & à Concilio VII. act. 2. denique à sanctis Dd. plurimis, qui in hæc opera, tanquam germana S. Dionysij Areopagite, commentaria scripserunt, ut à S. Maximo monacho, à S. Thoma & alijs. Ita *Bellarminus de Scripturis Ecclesiasticis ad an. Chr. 71.* Verum hæc ratione non probatur consensus Ecclesiæ præterea: quod nos volebamus. Deinde testimonia illa Pontificum sunt cœli. Quid enim mirum est, illos probasse hæc opera, in quibus fundamenta hierarchiæ suæ posita esse viderunt? Denique, Maximus & Thomas fuerunt dediti vanitatibus & superstitionibus plurimis. Nihil itaque mirum, quod similes habent labra lactucas.

CAP. VII.

De sanctorum angelorum ministerio.

I. **M**ultiplex est sanctorum angelorum ministerium. Ministrant enim Deo & Christo, ut domino; nobis, ut fratribus, & cœteris suis. De hoc posteriori ministerio inter nos & Aduersarios queritur. An singulis hominibus pijs destinetur à Deo Angelus vnus bonus, qui eos curet atque custodiat, an vero plures? Et rursus, An singulis hominibus deputentur Angeli minimum duo, vnus bonus ad custodiendum, alter malus ad tentandum?

II. Quod attinet ad primam questionem, respondeo cum Hieronymo Zanchio nostro, qui *l. 3. de Angelis c. 13.* hanc thesin ponit: Cuique electo ordinari certum propriumque Angelum, qui perpetuo sit eius custos & comes, iam inde à natiuitate, vsque ad finem vitæ à Deo assignari; extra ordinem vero plures etiam non nunquam ad eum pro Dei beneplacito, maioris consolationis causa à Deo mitti, verosimile est, & cum S. literis magis consentaneum. Prima pars huius thesios probatur ex Scripturis, Patribus, rationibus, & exemplis. Et primo quidem Christus docet *Matth. 18.* de pueris, Angelos eorum semper videre faciem Patris cœlestis. Ex quo loco sic argumtor. Angeli puerorum ipsis à Deo assignantur tanquam pædagogis & rectoribus. Ergo singulis pueris aut plures ordinari præsent, aut vnus. Non plures; quia nulla est huius rei necessitas, iuxta regulam: Quod commode potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. Et nulla est ratio, cur vni puero ad sint plures angeli ordinari. Relinquitur itaque vnus ordinarius custos. Atque ita hunc locum intellexerunt Patres: de quibus *seq. Deinde ex Act. 12.* citra controuersiam probatur, Iudæorum hæc fuisse sententiam, cuique fidelium suum certum assignatum fuisse Angelum. Fit enim ibi mentio Angeli Petri: Ea vero sententia haud dubie per manus fuit tradita. Tertio ex historia Tobias idem patet. Etsi enim ibi sunt multa fabulosa: tamen non sequitur inde, hoc quoque fabulosum esse, quod Tobias vnus aliquis Angelus præfuerit.

III. Testimonia Patrum multa sunt: e quibus vnus atque alterum adduxisse satis fuerit. *Origenes homil. 1. in Num.* ait, Apostolos singulos suis vti angelis, tanquam coadiutoribus, ad explendum suæ prædicationis munus, & opus Euangelij consummandum. Et mox: Sic enim dicebatur in Actis Apostolorum, quod angelus Petri esset, qui pulsaret ad ostium. *Chrysof. homil. 60. in Matth. 18.* docet aperte, singulos sanctos habere suos angelos. Idem docet *homil. 5. in Matth. 4.* Similiter *Basiliius in psal. 33. conc. 9.* Omni, inquit, credenti in Dominum, angelus affidet, si non ipsum nos per praua opera fugauerimus. Idem *l. 3. contra Eunomium*: Omnes angeli, sicut appellacionem vnã, sic etiam naturam omnino eandem habent: attramen alij ipsorum Genibus præsent, alij singulos credentes consequuntur, *οὗ δὲ ἰνὴς ἑστὶ τὸ πῆμα*.

Theodoretus in Dan. orat. 10. ex Matth. 18. confirmat, cuique nostrum vnus præcesse angelum: *Hieron. in Matth. 18.* Magna dignitas est animarum, ut vnaqueque habeat ab ortu natiuitatis, in custodiam sui, angelum delegatum. Idem in *Esa. 66.* multis docet, vnumquemque nostrum suum habere angelum custodem. Idem ad *Eustochium* dat Paulæ demortuæ, quæ Eustochij mater fuerat, proprium angelum; & ait, cum fuisse custodem, & comitem illius *August. l. mediat. c. 12.* sic alloquitur Deum: Maximum æstimo & illud fuisse beneficium, quod angelum pacis ab ortu natiuitatis meæ ad me custodiendum, vsque ad finem meum dedisti. *Bernhardus de consideratione l. 5.* Putamus angelos dici, qui singulis hominibus dari creduntur, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: de quibus Saluator: angeli eorum semper vident faciem Patris. Et celebre est illud eiusdem *Bernhardi serm. 12. in psal. 90. In quouis angulo habe honorem angelo tuo.* Ex his itaque patet, vniuersam Ecclesiam ita sentisse, cuique fideli ordinari certum aliquem angelum, tanquam custodem & curatorem assignari.

IV. Rationes pro hac sententia sunt istæ. 1. Singulis prouincijs ordinari præsent singuli angeli, *Dan. 10. c. 11. E.* verisimile est singulis quoque hominibus singulos præfici angelos. Neq; enim vlla ratio finit, ut prouinciæ amplæ, v.g. Persiæ præficiatur ordinari vnus angelus, & vni homini ordinari præficiantur plures angeli. 2. Consensio Gentium hoc idem confirmat. Nam ex Menandro, Ariano in Epistolum, & alijs Ethnicis scriptoribus constat, illos fuisse in hac sententia, Deum vnicuique homini simul ac natus est, præficere doctorem, & ductorem vitæ. 3. Sancti angeli sunt *πνεύματα λειτουργικά*, ut est *Heb. 1.* Iam vero *λαειτουργικά* notat ministerium ordinari: ut probari potest ex omnibus locis, vbi occurrit ista vox. 4. Vero est admodum simile, angelos, qui procurare debent salutem electorum, ordinari ipsis adistere, & illorum vitam dirigere, mores obseruare, & omnia in ordinem cogere. Quæ omnia non ita bene fierent, si subinde alij atque alij deputarentur. Itaque huius vicissitudinis seu alternationis nulla est necessitas. Quod vero vnus præsit ordinari, probatum est. §. 2.

V. Exemplum in S. literis passim obuia ut plurimum faciunt mentionem vnus angeli, qui familiariter egit cum hominibus. Nam angelus Agaram solatur, *Gen. 21.* angelus Balaamum a sine vectum gladio stricto inuauit, *Num. 22.* angelus Eliam e somno excitat, & cum fontana panem apponit, *Reg. 19.* angelus Iudam Maccabæum præcedit in prælio, *2. Maccab. 11.* Ex his, & similibus exemplis, probabiliter colligitur, angelum custodem fuisse, qui hæc talia peregit.

VI. Altera thesios pars facile probatur; tum quia Scriptura docet, plures angelos interdum vni homini pio adesse in periculis, ut *Elifæo, 4. Reg. 6.* lacobo, *Gen. 29.* vbi angeli Dei ascendunt & descendunt per scalam, quam Iacob vidit: Christo, *Matth. 4.* & *Luc. 16.* multi angeli leguntur portasse animam Lazari in sinum Abraham; tum quia nemo ex Patribus, aut Scholasticis, id vnquam inficiatus est.

VII. Secundam questionem cum eodem Zanchio d. l. nego. Nullus enim ex Scripturis adferri potest locus, vnde colligi possit, cuique destinatum esse à Deo angelum malum, a quo tentetur, & vexetur. Tentat quidem nos quibus malis angeli permittit Dei. Sed non cõuenit cum bonitate Dei, ut vnicuique; tentando certus aliquis veluti tortor & carnifex sit deputatus.

VIII. Et ita quidem hæc sententia, saluo meliore iudicio. Nihil itaque, dixerit quispiam, interest inter hanc sententiam, & Papistarum? Nihil, inquam ego, interest, quantum ad ministerium angeli custodis & tutelaris, quod *Ieremias Drexelius Iesuita in horologio auxiliariis tutelaris angeli* collocat in his duodecim partibus. Angelus tutelaris, inquit, nascentes nos in fidem suam recipit: suam nobis tutelam & fidem obligat: Solatur nos: cacodæmonis technas detegit: a cacodæmonis insultu defendit: ut fratres nos habet, ad eum tenere nos amat: in periculis omnibus, tuetur: alijs docet benefacere: ad omni-genas virtutes inducit: omni bonorum genere cumulat: in mortis luctu defendit: post mortem etiam inferuit. Quæ omnia si cum grano salis accipiantur, & nos admittimus: ita nempe, ut spiritus sancti custodia nihil decedat. Hæc itaque est consensus. Sed in eo dissentimus, quod ex ministerio S. Angelorum nobis exhibito illi eliciunt ministerium cultus religiosi illis vicissim à nobis exhibendi. Sic enim *Drexelius d. l. ait*: Cupiet fortassis, bonæ mentis homo, facili compendio nosse, quid operis quotidie fieri posset, sanctis angelis honorandis. Vt huic satisfiat, breuem ei tabellam exhibemus eorum, quæ singulis diebus, aut certe crebrius honori sanctorum angelorum præstanda. 1. Quotidie Dominicam orationem, & Angeli salutationem nouies attente pronuntiare. 2. Litanias, officium, aliasue preces sanctis angelis inscriptas, quotidie recitare. 3. Quotidie aliquid boni operis, aut aliquam sui victoriam, Angelis offerre. 4. Cum e Scripturis sacris constet, nouem esse Angelorum ordines, nouenarium numerum in pijs præsertim exercitijs, studiolus attendere. 5. Castitati, ab Angelis commendatissimæ virtuti impensius studere. 6. Cultum eorum & venerationem apud alios propagare. 7. Templis sacra frequentare, dies eisdem festos obseruare, præsertim octauum Maij, vigesimum nonum Septembris, & Dominicum diem Angelo custodi sacrum. 8. Odium atque inuidiam omnem, & quidquid in mente cõtra alios alienationis est, in gratiam illorum ponere. pleni namque diaboli sunt inuidia, amore Angeli. 9. Præsentiam illorum assidue; sæpissime saltem de die illam cogitare: in omnibus aduersis & periculis, Angelos atque Angelorum reginam Domini matrem, in subsidium ac patrocinium vocare.

IX. Ex his, opinor, perspicuum est, quid inter nostram, & Papistarum sententiam intersit. Nempe illi ministerium Angeli custodis ita agnoscunt, ut adorent; ita adorant, ut ministerium conuertant in magisterium. Nimum itaque tribuunt Angelo custodi, & nimium quoque cultum ipsi tribuunt. E contrario nos, ministerium Angeli custodis non nisi in Christo nobis applicamus; & illos affectu charitatis, & morum similitudine, non vero religione & deuotione animæ honoramus. Præterea illi ministerium Angeli custodis suspendunt à nostris bonis meritis: nos gratiæ Christi illud acceptum referimus. Ille enim est caput sanctorum angelorum: ille morte sua nobis conciliauit amicitiam sanctorum horum spirituum: ille nos vera fide & pietate donat, ut solida maneat pax inter ipsos & nos, tum in hac, tum in futura vita.

CAPVT VIII.

De sanctorum canonizatorum festis & templis.

I. EX inscriptione ac titulo pater, tres futuras huius capituli partes, quæ in diuiduo nexu inter se coherent. Festa siquidem instituantur ab aduersariis in honorem non quorumlibet sanctorum demortuorum, sed canonizatorum, & quidem in templis eorum cultui dicatis. Agit de his rebus *Bellarminus tom. 2. controuers. 4. generali;* & de canonizatione quidem *lib. 1. c. 7. 8. 9. 10. de festis in genere, lib. 3. c. 10. in specie, cap. 11. ad 17. de templis d. l. cap. 1. ad 8.*

II. De canonizatione sanctorum Bellarminus ista quatuor tradit, 1. Canonizationem istam, hoc est; publicam testificationem de certa sanctitate & gloria quorundam mortuorum, per quam videlicet publici honores iisdem decernuntur (ita ut reliquiæ, imagines, & statua ipsorum publice colantur; item templa, altaria, dies festi, vota, & alia huiusmodi ipsis constituantur, ipsique à nobis tanquam patroni nostri, palam adorentur & inuocentur) hanc, inquam, actionem esse piam & licitam, seu verbo Dei consentaneam. 2. Potestatem canonizandi sanctos esse Romani Pontificis, tãquam supremi Ecclesiæ pastoris, seu capituli vicarij. 3. Iudicium Pontificis esse infallibile, ac proinde credendum esse, Pontificem non errare in sanctorum canonizatione. 4. Sanctos non canonizatos priuatim posse coli, non publice.

III. *Primam thesin* probat quinque argumentis. 1. Quia Deus ipse voluit à sanctis scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam, & mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt: ut patet de Ecclesiastico, qui in *cap. 44. & seqq.* canonizauit plurimos sanctos, ut Enoch, Noe, Abraham &c. Item in N. T. S. Lucas in Actis canonizauit S. Stephanum, Iacobum maiorem, Petrum, Paulum, Barnabam, alios. Ergo est credibile, Deum eodem modo velle, ut deinceps fiat. 2. Tenemur sanctos laudare, & honorare; tum quia Scriptura hoc iubet, *Eccles. 44.* tum quia virtus ipsorum meretur huiusmodi præmium. At nisi sciamus, qui sint veri sancti, & qui non, non possumus eos colere, ut oportet. 3. Sancti sunt exempla quædam virtutum, & norma rectæ vitæ, & quasi lucernæ quædam à Deo accensæ, ut omnibus aliis præluceant, *Hebr. 13.* At non possumus accendi ad imitationem, nisi in particulari sciamus, qui sint imitandi, & quid illi egerint, aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet: id quod fit per canonizationem. 4. sumus membra vnius corporis, sancti in cælis & nos in his terris. Membra autem inuicem comparantur, & congaudent. Oportet igitur, illos nobis compati, & pro nobis sollicitos esse, & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum gloria Deo gratias agere. 5. Nisi iudicio Ecclesiæ certi sancti proponerentur colendi, facile fieri posset, ut populus sæpe erraret, & damnatos pro beatis coleret.

IV. *Respondet* 1. Est ignorantia elenchi, & petitio principij; quia loca Scripturæ profusè impertinenter ad hanc conclusionem siue thesin accommodantur, quippe in quibus nulla species illius cultus, de quo nos hoc loco controuertimus, inueniri potest. Longe enim differt recensio vitæ & mortis sanctorum in Scripturis à canonizatione Papiistica. Deinde, in V. & N. T. fit etiam mentio gloriosæ vitæ mortisque multorum impiorum: non tamen datur eorum canonizatio in Ecclesia. Ergo à recensione non sequitur canonizatio. 2. Tenemur sanctos honorare, videlicet imitatione, & celebratione, siue sancta memoria: at non cultu religioso. Deinde, non sequitur: Sancti sunt honorandi: ergo canonizandi. 3. Debemus imitari sanctos in iis, quæ sunt laudabilia, & notoria. Non itaque requiritur hic distincta & particularis notitia omnium & singulorum recte ab ipsis factorum. Deinde, *Hebr. 13.* agitur de pia memoria & imitatione pastorum nostrorum. Itaque hinc non recte concluditur canonizatio. 4. Communio siue coniunctio sanctorum in Ecclesia triumphante & militante neque illorum sollicitudinem particularem pro his, neque religiosam deuotionem horum erga illos infert. Nam sollicitudo illa est proprium Dei effectum, & religiosus honor est proprium eius adiunctum. 5. Papa æque potest errare in iudicio circa sanctos, atque alij, ut nempe sanctos pronuntiet, qui fuerunt non sancti.

V. Nos itaque, tametsi de beatitudine sanctorum, qui palam in S. literis commendantur, nequaquam dubitemus; imo hos ipsos ad imitandum, & nobis, & aliis, ubi res ita postulat, serio proponamus; & præterea omnes Christi fideles, etiam viuentes, pro vere sanctis, & suo modo beatis, habeamus, eosque omni honore ac veneratione, quæ quidem moderata sit & legitima, dignos existimemus: vere tamen & constanter negamus, vlli mortalium fas esse, quenquam hominem, seu viuum, seu mortuum, in peculiarem aliquem sanctorum catalogum ita referre, ut religiosus & publicus cultus eidem exhibeatur. Nam 1. Cultus ille soli Deo debetur. 2. Huius canonizationis nullum in S. literis extat præceptum, vel exemplum. Quare si Deus hoc nunquam fecit, cuius tamen hac in re, sicut in omnibus aliis potestas eximia & singularis agnoscenda est; & si hoc nusquam fieri præcepit: merito ab illo abstinemus. 3. Multi sunt hypocritæ, qui sancte viuunt in Ecclesia externe, de quorum pietate nulli mortalium vere constare potest. Ergo temerarium, & periculosum est ob sanctitatem externam aliquos canonizare. Recte enim dixit Augustinus: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum anima torquentur in gehenna.* 4. Solus Deus nouit, qui sint sui, iudicio veritatis. E. nemo hominum in particulari potest hoc definire, ideoque nec vere illos inter sanctos referre. 5. Iudicium Ecclesiæ publicum debet esse, quod qui vere profitentur Christum, sint sancti etiam in hac vita. Ineptè igitur canonizatio mortuorum tantum fingitur. 6. Quæ dicuntur de honore sanctorum canonizatorum, sunt impia: quippe superstitionis plena. E. canonizatio est explodenda. 7. Canonizatio ignota fuit Patribus ante Leonis III. tempora, circa an. Chr. 800. ut ipse Bellarminus fatetur *cap. 8.* Et, ut alij tradunt, Adrianus sibi hoc ius usurpauit circa an. 880. Quod Alexander III. postea c. 1. *Extra. de reliquiis sanctorum,* confirma-

uit. 8. Papa canonizauit parricidas propter parricidium: ut Iesuitam Gignardum, qui mortis Henrici III. regis Galliarum fuit reus: ut ex catalogo Martyrum Romæ impresso videre est.

VI. *Secundam thesin* probat duobus argumentis. 1. Ad summum Pontificem spectat proponere toti Ecclesiæ quid sit credendum, & quid agendum in iis, quæ sunt religionis. Ipse enim præest toti Ecclesiæ. 2. Summi Pontificis est declarare, qui sint hæretici, ita ut à tota Ecclesia pro talibus habeantur. E. ex contrario, declarare, qui sint sancti, & colendi, eiusdem erit summi Pontificis. *Respond. 1.* Solus Christus præest toti Ecclesiæ. E. ille solus potest proponere toti Ecclesiæ, quid sit credendum. Papa autem est minister Christi, aut ipsi aduersarius. Si illud; non debet ferre leges, sed accipere: Si hoc; neque fert, neque accipit leges veras, sed Antichristianas fert. 2. Est petitio principij. Neque enim iudicium Pontificis Rota. est infallibile.

VII. *Tertiam thesin* ita probat Bellarminus. 1. Insolentissimæ insanix est, dubitare & disputare an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit, ut sunt verba Augustini. 2. Pontifex non canonizat nisi eos, qui clauerunt miraculis. E. non potest errare in canonizatione. 3. In hoc nullus error vsquam vel vnquam est deprehensus. 4. Cum canonizatio alicuius sancti suscipitur, indicuntur ieiunia, & preces publicæ; res item ipsa diligentissime examinatur. Non est autem credibile, Deum non adesse Ecclesiæ suæ sic dispositæ, & supplicanti.

Respond. 1. Quod Romana Ecclesia facit, non facit tota Ecclesia. Deinde, quod tota Ecclesia facit secundum præscriptum & normam S. Scripturæ, de illo non est disputandum. At Ecclesia Rom. canonizat cõtra verbum Dei. 2. Non valet exemplum, quod licet lite resoluit, ut ait poeta. Disputatur adhuc de miraculis quæ Pontificij crepant. Itaque nullum est fundamentum, quod in illis ponitur. 3. Preparatio illa nõ est legitima; quia neque normam, neque formam, neque finem habet legitimum. 4. Imo vero exempla passim sunt obuia: videlicet Francisci, Dominici, Ignatij Loyolæ, & Gignardi, de quo paulo ante. Nullum enim est dubium, hos tales fuisse insignes hypocritas, & impostores; utpote qui præ se tulerunt eximiam sanctitatem meritoriam, & supererogatoriam, nouasque religiones, vniuersæ religioni contrarias, instituerunt.

VIII. *Quartam thesin* vnico probat argumento: Summus Pontifex c. 1. & 2. de reliquiis prohibet publicum cultum sanctorum non canonizatorum. ergo à contrario priuatum censetur permittere. *Resp.* Sanctis plane non debetur cultus religiosus. E. nec publicus, nec priuatus.

IX. De festis disputatio (ut & illa de templis) etsi commodiorem sortiri locum potuisset, ubi de disciplina Ecclesiæ fuerat actum, tamen quia Bellarmino visum fuit referre ad titulum de Ecclesia triumphante, ipsius vestigia sequi placuit: præsertim quia de methodo adeo anxie hic non laboramus, & vero nonnulla ratio methodi subest; quia nempe festa & templa sunt Papiistis eiusmodi res, quibus superna Ierusalem ab Ecclesia in terris peregrinante colitur. Hanc itaque hypothesin sequimur: & nostram de festis in genere sententiam paucis ita proponimus, & defendimus. Festa in N. T. tantum boni ordinis, & externæ disciplinæ causa sunt instituenda ab Ecclesia Christi, & in honorem Dei solius, reuerenter & sancte obseruanda sunt, non tanquam pars aliqua pietatis per se, sed ut sint adminicula cultus diuini. Quod ita patet. 1. Apostolus *Rom. 14.* clare docet, discrimen dierum in N. T. non secus ac delectum ciborum, omnino abrogatum esse: dum eos, qui discrimina ista obseruant, infirmos in fide; alios vero, qui non tenent, firmos appellat: imo dum discrimen dierum plane tollit, his verbis: *Alius quidem æstimat diem pro die &c.* Et tandem ita concludit: *Potius iudicate, ut non offendiculum fratri ponatur:* q. d. extra casum scandali discrimen dierum in N. T. per se minime curandum est. Ergo fieri non potest, ut Papiistica festorum obseruatio ipsos Apostolos habeat authores, vel approbatores. 2. Idem Apostolus *Gal. 4. & 5.* hoc dictum discrimen aperte numerat inter infirma & egena mundi elementa, hoc est, legis Mosæicæ rudimenta; quibus Christianos amplius obnoxios esse negat. Imo de iis, qui discrimen hoc, cum opinione cultus, ac præcisa necessitatis adhuc obseruant, ipse valde metuere se dicit, ne frustra fidem Christi profitentur. 3. Idem Apostolus *Coloss. 2.* eandem libertatem similiter nobis commendat; in quibus inter alia: *Nemo vos iudicet ob cibum, aut potum, aut respectu diei festi &c.* Vbi diserte docet, dierum pariter ac ciborum discrimen ad umbras legales pertinere. 4. Discrimen dierum pertinet ad ritus carnales, de quibus Apostolus *Hebr. 9.* hoc est, ad huiusmodi ceremonias, quæ tantum ad carnis puritatem ceremonialiter obtinendam, non vero in conscientia cultores suos perficere poterant. 5. Praxis Apostolorum clare docet, ipsos indifferenter, extra casum scandali, omnes dies habuisse; & occasione sic ferente, Iudaicis etiam festis sese accommodasse, *Act. 2. & 3. & 13. & 17. & 18. & c.* Similiter praxis Apostolica Ecclesiæ ostendit, ab initio nullum tale dierum discrimen in ea obseruatum fuisse; quippe quæ tunc quotidie ad diuinum cultum conuenisse, inque eo perdurasse dicitur, *Act. 1. & 2. & c. 6.* Christiana religio, utpote plane cœlestis ac spiritalis, alligationes istas ad certa loca, & tempora, aut alias obseruationes ceremoniales (si præsertim cum opinione necessitatis, ac diuini cultus, coniunctæ sint) nequaquam ferre potest: sicut tum ex locis modo citatis, *Rom. 14. Gal. 4. & 5. & Coloss. 2.* tum ex verbis Christi ad mulierem Samaritanam, *Iohan. 4.* de Deo in spiritu & veritate colendo; tum ex vniuersa huius religionis substantia perspicue colligi potest. 7. Antiquiores, & melioris notæ Patres docent, omnes dies Christianis esse æquales; sic ut natura sua & per se dies vnus non sit, nec reputari debeat alio sanctior; sed quod aliqui dies festi sunt, propter cultus diuini communionem id fieri. Sic enim ait *Hieronymus comment. in Gal. 4.* Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in vnum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa, qua conuenimus; sed quacunque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo, lætitia maior oriatur. Qui vero oppositæ quæstioni acutius respondere conatur: illud affirmat, omnes dies æquales esse. Alij quoque Patres hanc festorum adiaphoriam agnouerunt, & pro ea subinde satis acriter pugnarunt: ut videre est apud *Eusebium libro 5. hist. Eccles. cap. 23. & 24. & 25.* de Policrate Episcopo Ephesino, & aliis Asiæ Episcopis; item de Irenæo, & aliis Galliæ Episcopis, circa controuersiam de paschate celebrando. item *Socratem lib. 5. hist. cap. 21.* Insignis hæc

de re est locus apud Irenaeum in epistola ad Victorem Episcopum Rom. lib. 4. hist. Eccles. Eusebii cap. 24. Et illi omnes ante Soterem Presbyteri (sic nominat Episcopos Romanos) qui Ecclesiae, cui tu nunc praes, sacerdotium tenuerunt, Anicetum dico & Pium, Hyginumque & Telesphorum, & Xyltum, neque ipsi ita tenuerunt, neque hi qui cum ipsis erant, & tamen cum ipsi ita non obseruarent, pacem semper habuerunt cum illis Ecclesiis, quae hunc obseruantiam motem tenebant, cum utique & ipsis contrarium videretur, quod non etiam caeteri similiter obseruarent. Nunquam tamen ob hoc repulsi sunt ab Ecclesiae societate, aut venientes ab illis partibus non suscepti: imo potius & omnes presbyteri (sic iterum vocat Episcopos Romanos) qui fuerunt ante te, omnibus semper qui non ita obseruabant Presbyteris Ecclesiarum, Eucharistiam solemniter transmittentibus. Beatus autem Polycarpus, cum ad urbem Romanam venisset sub Aniceto, cumque de aliis nonnullis parum quid habuissent interesse, statim tamen coissent in pace, de hac quaestione ita egerunt, vt non vnusquisque sententiam suam obstinata contentione defendere. Neque enim aut Anicetus Polycarpo persuadere poterat, vt non obseruaret ea quae nouerat Iohannem discipulum Domini nostri, vel caeteros Apostolos, cum quibus semper fuerat, obseruasse: neque rursus Polycarpus Anicetum persuasit ea deserere, quae ille dicebat a se maiorum more seruari. Cumque haec ita inter se habuissent, communicarunt sibi inuicem, ita vt concederet Anicetus Polycarpo etiam sacerdotali ministerio, honoris duntaxat contemplatione, perfungi: & ita ab inuicem plena fide, pace integra, & firma charitate discedunt, vt omnes Ecclesiae, siue quae ita de Pascha, siue quae non ita obseruarent, inter se tamen concordiam cultu darent. Haec Irenaeus, agens nominis sui opus, pacem videl. Ecclesiarum Dei concilians, scribit. Haec ex Eusebio. Sic multi veteres Episcopi in Asia, Gallia, & alibi iudicauerunt, festorum dierum obseruationem esse debere adiaphoram, seu indifferentem, & liberam; nec propterea dissidium & contentione mouendam esse. Quid Bellarminus excipiat ad loca Scripturae hic allata, vide sequens.

X. Audiamus vero Bellarminum; qui lib. 3. de cultu sanctorum cap. 10. suam suorumque sententiam complectitur quatuor istis propositionibus. Prima sic habet: Nullo modo licet Christianis Sabbatum Iudaeorum, aut alias festas V. T. obseruare. Quam propositionem & nos docemus. Secunda: Festa Christianorum non solum ratione ordinis, & politiae, sed etiam ratione mysterij celebrantur; suntque dies festi vere aliis sanctiores, sacratiores, & pars quaedam diuini cultus. Hanc propositionem probat sex istis argumentis. 1. Dies Dominicus celebratur in memoriam resurrectionis Domini, ergo non solum ratione ordinis festa celebrantur, sed etiam ratione significationis mysticae. 2. Quia alioqui tollendi essent solennes dies natalis, passionis, resurrectionis, ascensionis Domini, & Pentecostes: quos de Apostolica traditione descendere, & in tota Ecclesia seruari, docent Patres. Nam certum est, hos dies non seruari ratione ordinis & politiae, sed ratione significationis. 3. Festi dies a Patribus dicuntur sancti, sacri, mystici, religiose colendi: quae cum caeteris diebus non sunt communia. 4. Si solum ratione ordinis diffinguerentur dies festi ab aliis, omnes dies festi essent aequales, nec vnus alio maior, at non ita est. Nam Ignatius vocat diem Dominicam, diem regalem, & eminentissimum omnium dierum: Leo diem Paschae vocat festum omnium festorum maximum: Nazianzenus dicit, Pascha esse festum festorum, & celebritatem celebritatum, tanto caeteris omnibus maiorem, quanto sol sideribus omnibus excellit: idem, Pascha diem dicit esse regem dierum: denique Chrysostomus diem natalem Christi vocat festum maximum, & festorum metropolim. 5. Obseruatio festorum, quae praecipitur Exod. 20. ad cultum Dei pertinet, nam est praecipitum Dei, & praecipitum prima tabulae. Sed illud praecipitum est aliquo modo naturale, & ad nos pertinet, vt aduersarij concedunt. Ergo etiam nos habere debemus aliquos dies, quorum obseruatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia festa, quam dies Dominicos, Pascha, Pentecosten, & similia: ergo horum obseruatio est cultus Dei, sancta, & religiosa. Licet enim determinatio huius aut illius diei facta sit ab hominibus: tamen ipsa substantia festi imperata est a Deo in prima tabula. 6. Christus nascens consecrauit locum, id est, praesepe; moriens consecrauit crucem, resurgens consecrauit tumulum, vnde exiuit: cur non etiam consecrauit tempus, id est, dies illos, quibus natus, passus, vel redditus nobis fuit deuicta morte? Praeterea, si templa & altaria dicuntur domus Dei, & loca sancta; quia Deo sacra sunt, nimirum vt in iis colatur Deus, cur non etiam sancti, & sacri erunt dies, qui cultui diuino sunt consecrati. Neque in contrarium concludunt argumenta quae adferuntur ex Rom. 14. Gal. 4. & 5. Coloss. 2. Nam Apostolus ibi loquitur de festis Iudaeorum tantum. Est autem magnum discrimen inter nostra festa, & Iudaeorum: nam in primis illa post Christum habent falsam significationem: nostra habent veram. Deinde, illorum finis primarius erat significare futura: nostrorum autem, agnoscere Dei beneficia, propter quae singula festa instituta sunt. Denique summa praecipitum in illis erat, non operari corporaliter, in nostris autem potissima praecipitum pars est, interesse diuino sacrificio; illis praecipiebatur, vacare ab opere corporali, nobis praecipitur solum, ne distrahamur a Dei laudibus. Itaque nostra festa succedunt Iudaicis, non sicut in eadem hereditate filius patri, sed sicut lux umbrae, & dies nocti, & exemplar figurae, & illa dici poterant carnalia, nostra autem spiritalia.

XI. Respondeo. 1. Plus est in conclusione, quam in praemissis. Neque enim dies Dominicus celebratur a nobis, aut etiam olim institutus est, propter significationem mysticam, quod in se contineat mysterium; aut vt ille dies aliis sit sanctior: sed propter Ecclesiae ordinem, & vt ad moneamur finitas esse umbras legis, & vt meditemur opus redemptionis, & vt habeamus vnum aliquem septimanarum diem, quem totum cultui diuino impendamus. Est ergo hic dies, etiam Apostolicae institutionis vsusque, non in se & per se sanctus, quasi mysterium, figuram, & symbolum sanctum habeat, aut instrumentum siue pars pietatis per se sit (vt in V. T. erat sabbatum, quippe a Deo praecipitum) sed tantum secundum Christianam libertatem, sapienter ab Apostolis definitus, ordinatusque est, disciplinae, & politiae causa, diuinitusque vt subserviat pietati atque sanctitati. Et cum hac determinatione constare potest dierum inter se aequalitas, de qua Rom. 14. 5. Gal. 4. 10. Col. 2. 16. agi diximus. 2. Est petitio

principij. Nam festa illa, Natiuitatis, Resurrectionis &c. seruantur ordinis causa: id est, non vt Bellarminus nugatur, quod ordo ille debeat esse in proportione aliqua, quae hic non apparet (cum inter diem passionis & resurrectionis non sit nisi vnus dies medius; at inter resurrectionis & ascensionis sint quadraginta, inter ascensionis & Pentecostes decem) sed quia oportet in Ecclesia ordinem aliquem esse, qui Graecis dicitur *Ordo*. 3. Est fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam quae Patres certo respectu, nempe propter vsu factum, de festis dixerunt, ea simpliciter operose accipit Bellarminus. 4. Dies festi sunt aequales ratione finis generalis & primarij; sed sunt inaequales ratione institutionis, & finis specialis atque secundarij. Nam finis generalis est, vt diuino cultui possimus expeditius vacare: finis specialis est, vt hoc vel illud Dei beneficium grata mente recolamus. Deinde dies Dominica est institutionis Apostolicae: reliqua festa, Ecclesiastica. Neque enim illa habent mandatum, vel exemplum Apostolicum. Possunt itaque festa N. T. in tres classes siue ordines disparari. Festum primae classis est dies Dominica: secundae classis sunt festa Ecclesiastica: tertiae, Papistica. 5. Ex ceremoniali praecipitum decalogi, de sabbato sanctificationis, & afflictiones nostras sanctificauit, & ab iis maledictionem abstulit: nullam vero sanctitatem locis ipsis attulit, vel potius intulit. Deinde loca a Deo consecrata dicuntur sacra, non nisi politice, quia nempe Deus illa cultui suo dicauit. E. de temporibus idem est iudicium. 7. Prohibitio festorum Iudaicorum in N. T. ab Apostolo non fit simpliciter, ac praecise, seu exclusiue, sed late atque inclusiue: quia Iudaicum illud discrimen dierum, ad particulares Iudaeorum ritus non restringitur, sed ad Christianos Iudaeizantes, id est, discrimen illud postliminio restituentes, ab Apostolo extenditur. 8. Nullum est generale praecipitum de festis N. T. cum praecise necessitate celebrandis (extra casum scandali) a Christo vel Apostolis traditum. 9. Nostra festa nullam prorsus habent significationem: vt diximus i. num. 10. Etiam veteres in suis festis agnoscere quaedam Dei beneficia: vt in festo Paschae, & Pentecostes. 11. Nullum est sacrificium, cui oporteat nos interesse in festis nostris. 12. Aequae in N. T. debemus abstinere ab opere feruili, quando celebramus festa nostra; atque illi in V. T. 13. Nostrorum festorum typi non fuerunt festa V. T. sed rerum significatarum: quae de re aliquoties diximus in supplemento tom. 4. vbi vide. 14. Festa veterum fuerunt carnalia, id est, pars praedagogiae externae, quae in N. T. locum non habet. Atque hoc est contra Bellarminum: vt & illud, quod dicit determinationem huius vel illius diei factam esse ab Ecclesia: non igitur nititur iure diuino.

XII. Tertia propositio apud Bellarminum sequitur: Obseruatio certorum dierum festorum recte praecipitur in Ecclesia, lege obligante conscientiam, etiam citra contemptum & scandalum. Nam 1. Omnia praecipitum Ecclesiae obligant in conscientia. 2. Iure diuino praecipitur, vt aliqui dies festi obseruentur; & tamen nulli sunt certi dies a iure diuino determinati, ergo debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, & obligandi ad eorum obseruationem: quia alioqui non seruaretur ius diuinum. 3. Mardocheus, & caeteri Iudaei, cum regina Esther instituerunt festum Purim, quod Deus non praecerat, & obligauerunt ad illud seruandum, Esth. 9. ergo idem licebit Ecclesiae. 4. Antiqua Ecclesia festa cum imperio indicabat.

Respond. 1. Supra probauimus, Ecclesiam Christianam non posse ferreleges; quod hoc sit solius Dei. 2. Ecclesia non habet potestatem vllam, ex vere & mere adiaphoris vere & mere necessaria efficiendi, aut conscientiam in talibus rebus ligandi. 3. Christiani non possunt Iudaeos haec in re imitari, ob rationes supra §. 9. indicatas. 4. Quod attinet ad ordinem & politiam in festo Purim, illa possumus imitari in N. T. quantum ad thesin. 5. Antiqua Ecclesia istas sanctiones promulgauit de die Dominico, eiusque sanctificatione: vt patet in exemplis a Bellarmino allatis. Deinde, habet Ecclesia imperium, sed ratione ordinis & politiae. Et hoc imperium obligat conscientiam; quia Deus non vult contemni Ecclesiam in rebus ad ordinem & utilitatem publicam spectantibus: vt paulo supra locis suis diximus, videl. cap. 2. h. lib.

XIII. Quarta propositio Bellarmini est: Non tenemur diebus festis ex praecipitum peculiari ad non peccandum, siue ad actum contritionis, vel dilectionis Dei. Nam, 1. Ius diuinum praecipiebat solum abstinere ab opere feruili. 2. Ecclesia determinauit tempus, & modum obseruandi ius diuinum, de obseruatione festorum, at Ecclesia nusquam praecipit actus illos internos. 3. Id habet communis sensus fidelium. Nulli enim sunt, qui putent se nouum peccatum commisisse, si die Dominico non habuerint contritionem. 4. Actus ille internus est finis huius praecipitum: non autem finis, sed media proprie imperantur. 5. Cultus internus praecipitum erat in primo praecipitum. Nam hic est ordo mandatorum prima tabulae. in primo praecipitum mandatur cultus cordis, in secundo cultus oris, in tertio cultus operis. 6. Praecipitum de colendo Sabbato est praecipitum religionis. at contritio est actus penitentiae, non religionis. 7. Quia alioqui noxium esset multiplicare tot festa. esset enim rendere laqueos animabus.

Respondeo i. in genere, distinguendum esse inter diem Dominicum, & festa Ecclesiastica. Nam in die Dominico est aliquid morale, & eatenus obligamur ex praecipitum peculiari, ad non peccandum. Hoc enim Dei praecipitum est perpetuum, vt vnum diem & septem ipsi dedicemus in solidum. Quod attinet ad reliquos dies festos, ibi obligamur ex praecipitum Ecclesiae ad peculiarem, quippe maiorem quam alias, deuotionem isto tempore adhibendam. In specie dico, 1. Eo ipso, quod ius diuinum iubet abstinere ab opere ciuili, iubet quoque abstinere a peccato: quia istiusmodi abstinentia per se non est opus bonum, sed aliquid indifferens. 2. Ecclesia non determinat ipsos actus internos, sed aliquam ipsorum intensionem. 3. Sane est peccatum nouum, si quis diem Dominicum non rite sanctificet: tum quia

hoc præceptum in se habet aliquid morale; tum quia consuetudo & præceptum Ecclesiæ rationale contemni non debet. 4. Etsi finis non imperatur: tamen includitur in ratione præcepti, uti dependet a mediis, quæ imperantur. 5. Non solum tria, sed quatuor sunt præcepta primæ tabulæ: in primo mandatur cultus Dei internus tantum; in reliquis tribus mandatur cultus Dei externus, sed qui coniunctus sit cum interno. Neque enim cultus internus per se potest Deo placere. 6. Si religionis vox late sumatur, uti debet hoc in loco, omnia præcepta decalogi spectant ad religionem. 7. Profecto ita est, Bellarmine, vos multiplicatis festa: & dicitis esse hoc præceptum Ecclesiæ, quod vobis est obligatorium in conscientia: ergo omnino laqueos tenditis animabus. Sequitur iam in specie de festis.

XIV. De die Dominica Bellarminus tradit ista tria. 1. *Eius antiquitatem*; vbre dicit, hoc festum esse antiquissimum omnium Christianorum. Est enim ab Apostolis, vel, ut quidam colligunt ex nomine *κυριακή*, ab ipso Christo, institutus hic dies: non vero à Constantino; quia ille non instituit hunc diem, sed traditionem Apostolicam renouavit. 2. *Rationem institutionis*; ut succederet sabbato Iudæorum, quod in V. T. erat festum excellentissimum, quia colebatur in memoriam beneficii communissimi, id est, creationis mundi; & ratione futuri significabat tria Dei beneficia, ad quæ omnia alia reuocabantur. Erat enim in sensu allegorico figura quietis Christi in sepulchro: in sensu tropologico, quietis mentis humanæ ab operibus feruilibus peccatorum; in sensu anagogico, quietis sanctarum animarum post mortem. 3. *Ritus* in Dominica erat quadruplex. Primo conueniebant in Ecclesiâ ad lectionem, concionem, sacrificium &c. Secundo, vacabant ab operibus feruilibus. Tertio, non ieiunabant. Quarto, non flecebant genua, sed stantes precabantur. Tres priores ritus adhuc in Ecclesiâ obseruantur: quartus ante annos 500. cessauit. Hic, quantum ad summam rei confentimus: ista tamen merito desideramus. 1. Dies Dominica instituta est ut succederet sabbato, sed non tantum. Debit enim insuper determinare præceptum morale & generale, quod in eo est positum, ut aliquod tempus singulariter publico cultui segregetur, & assignetur: imo ut certus sit dies, & quidem accommodus & status; qui sit rationabilis institutionis; & vsu sit habeaturque sanctus; ut animus totus ab aliis curis auocetur, totusque dies officii pietatis & charitatis erga Deum, homines, & iumenta impendatur. 2. Quatuor ista in conuentibus publicis Apostolorum, adeoque etiam in die Dominico, fuerunt vsurpata: doctrina Apostolica, communio pauperum, fractio panis siue communio sacræ cœnæ, & preces publicæ, *Actor. 2. 42. cap. 20. 7. 1. Cor. 16.* ut etiam ab iis graphice hunc diem describit *Iustinus Apolog. 2. extrema.* Verum non modo publice, sed & priuatim hunc diem sanctis pietatis exercitiis, qualia sunt, lectio S. Scripturæ domestica, colloquium de rebus sacris &c. atque charitatis officii transigendum censemus, secundum illud Clementis: *Neque Dominica diebus, qui sunt hilaritatis, præter sanctitatem aliquid dicere aut facere concedimus.* 3. Sacrificium, cuius mentio est apud veteres hoc die, non est sacrificium Missæ, sed laudis erga Deum, & charitatis elemosynarum erga proximum, & *ἱεραργεῖα τοῦ ἀγαθῆς*, quo homines offeruntur Deo. 4. Ritus non ieiunandi fuit interdictus, non tam quod hic dies esset hilaritatis, quam ut Christiani non viderentur aliquid habere commune cum Manichæis, qui hoc die ieiunabant.

XV. *Reliqua festa* Bellarminus partitur in festa Domini, & sanctorum. *Festa Domini* enumerat ista. Primo est Pascha; deinde, Pentecoste, siue Septuagesima quæ celebratur post Pascha; tertio Septuagesima, quæ celebratur ante Pascha; quarto, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, & sequentes vsque ad Dominicam Passionis; dehinc Natalis Domini, festum Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominica in Albis, Ascensionis, Corporis Christi, & Transfigurationis Domini. Hic ista breuiter notamus. 1. Festa iam inde fere ab initio Ecclesiæ Christianæ, in honorem Dei & Christi, ordinis & disciplinæ causa instituta, & ab vniuersa fere Ecclesiâ hætenus obseruata, sunt ista, quæ in memoriam Natiuitatis, Circumcisionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, nec non missionis Spiritus sancti olim instituerunt pio & maturo consilio. Quæ de re *Augustinus epist. 118. ad Ianuariam* ita scribit: Tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo subdidisse & sarcinæ leui. Vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit: sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis his quæ feruorem populi veteris pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Etsi quid tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersis quacunque se diffundit Ecclesiâ. 2. Itaque festa olim in primitiua Ecclesiâ paucissima erant. Proinde neque hodie populus Christianus multitudinem festorum onerandus est. Recte itaque *Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracensis lib. de reformat. Ecclesiæ*, iudicauit expedire, ne tot noua festa solennizarentur. 3. Præcisâ obseruatio Paschæ & Pentecostes est propria veteris testamenti. 4. Infirmorum ruditati in celebratione festorum sæpe multum est largiendum: non autem odiose de circumstantiis huius vel illius festi cum aliis litigandum, aut quisquam, hoc solo nomine, hæreseos accusandus est, vel excommunicandus. Vnde merito improbamus quod Bellarminus ait, Pascha nullo modo cum Iudæis Christi interfectores, aut hæreticis Quartadecimanis obseruandum; sed necessario (nisi hæresin, & excommunicationem incurrere quis velit) die Dominico, post plenilunium verum, à nobis celebrandum esse. Etsi enim ita lanciuit Concilium Nicenum, ne cū Iudæis in illo festo celebrando concurreremus; hinc tamen non inferitur præcisâ aliqua & absoluta necessitas. 5. Praxis Ecclesiæ cōtra verbū Dei non recte vrgetur intēpestiue. 6. Praxis Ecclesiæ, quæ sepe temporalis, aut particularis fuit, eoque mutabilis; & bonum finem sibi aliquando propositum habuit, perperam in perpetuam, & vniuersalem legem conuertitur, & alium ad finem trahitur. 7. Prima Pentecoste, quam celebrant

Apostoli, fuit festum Iudæorum, ut patet ex *Actor. 2.* Postea Pentecoste Christiana successit; non quidem tempore Apostolorum, sed deinceps. Nam veteres festum Pentecostes non pro ultimo die Quinquagesimæ, sed pro toto illo tempore, quod inter Pascha fuit, & quinquagesimum illum diem accipiebant. Sic enim ait *Tertullianus de idol.* Exerce singulas solennitates nationum, & in ordinem texe: Pentecosten explere non possunt. *Et de corona militis*: Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. *Et Ambrosius in Luc. 17.* Maiores tradidere nobis, omnes L. dies Pentecostes ut Pascha celebrandos, quia octauæ hebdomadis initium faciunt Pentecosten. 8. Natalis Domini, & Epiphaniæ apud Nazianzenum orat. in sancti. lumin. pro vno festo sumuntur: quod etiam in Ecclesiâ Græca obtinuit. Sed in occidente diuersa hæc festa fuerunt. 9. Festum Circumcisionis per annos mille à Christo fuit ignotum in Ecclesiâ. 10. Festum Transfigurationis Domini improbavit Potho Prumiensis lib. 3. de statu domus Dei ann. 1160. 11. Pro festo corporis Christi non argumentum, sed pugamentum adfertur: quia infinita festa sub hoc prætextu in Ecclesiâ introduci possent. Ait enim Bellarminus, festum istud recte institutum esse ad recolendum memoriam institutionis huius sacramenti. Quæ ratio si valet, quis amabo tandem erit festorum numerus? Nihil iam dico de eo, quod illud festum est Attolaticum, ad stabilendum dogma Transubstantiationis & *ἁγία εἶς*, ab Urbano IV. institutum, post annum 1200. ut ipse Bellarminus fateatur. Itaque non est antiquum. 12. Alia fuit ratio Quadragesimæ apud veteres, quam nunc est: ut diximus *cap. 3. h. lib.*

XVI. De festis sanctorum ita sentimus. Anniuersariæ Apostolorum, & Martyrum memoriæ in Ecclesiâ celebrari possunt, historice nimirum & dogmatice. Sed festa in ipsorum cultum instituire, & celebrare, id vero impium esse statuimus, quippe appendicem idololatriæ Papisticæ. Hoc autem ita patet. 1. Sanctificatio festorum in V. T. fuit pars aliqua cultus meræ diuini, & religiosi, quem Papistæ latrariam vocant. *Exod. 20. Leuit. 23. Dent. 16.* Non igitur ad sanctos, sine idololatriâ, transferri potest: quippe quibus nulla diuini cultus portio debetur. 2. Licet festa in N. T. non sint pars aliqua cultus diuinitus præscripti: tamen illorum obseruatio ad cultum solius Dei referenda est. Hinc diem Dominicum in honorem Christi, & alia quædam festa eo ipso nomine instituta videmus. Itaque festa tum V. tum N. T. in honorem solius Dei fuerunt instituta. 3. Nullum est mandatum, nec exemplum in N. T. de obseruatione diei festi in honorem sanctorum. 4. Multitudo illa festorum postliminio restituit iugum Mosaicum; & id quidem magis intolerandum quam olim, quia finis illorum festorum est solennis adoratio, & inuocatio sanctorum. Quis finis est plane idololatriæ. 5. Ex origine & progressu horum festorum abunde constat, non diuino, sed humano illa niti instituta, & quidem ita, ut alia sunt profecta à piis causis, sed inapic postea confirmata; alia idololatriæ, & instituta, & confirmata sunt; alia denique nullo nitantur fundamento. In primo ordine collocamus dies festos sanctorum, qui primo instituti fuerunt ad cultum Dei, & in memoriam Martyrum, & quidem tempore persecutionum, ad sanctos in constanti fidei professione confirmandos, itemque ut gratiæ Deo agerentur pro constantia Martyrum & quidem iis in locis, vbi Martyres supplicio affecti fuerant. *Euseb. l. 4. c. 14.* Varia autem, & libera fuit eorum obseruatio, sine pœna. Itaque sacri fuerunt illi dies, ob res Dei: & quidem ex consuetudine fuerunt obseruati, prout ipsi homines voluerunt. Quare cum iam cesset dierum istorum festorum vsus, & legitima vsurpatio, ipsi quoque dies cessare putandi sunt. In secundo ordine, siue classe, sunt festa seculari idololatriæ instituta: ut festum exaltationis crucis, corporis Christi &c. In tertia classe sunt festa, quæ nituntur meris coniecturis, eisque incertis: ut festum Conceptionis, & Assumptionis Mariæ, & similia. 6. Plurima ex his festis sunt noua: ac præsertim festa B. Virginis dicata. Sic festum Purificationis institutum est tempore Iustiniani: ut est apud *Nicephorum l. 17. c. 28. & Paulum Diaconum l. 10. rerum Rom. 7.* Multa ab Imperatoribus fuerunt instituta: ut illud ipsius Purificationis festum. 8. Eo vsque prolapsus est vsus horum festorum, ut etiam hominibus non sanctis instituti fuerint dies sancti. 9. Quæ olim recte, vel saltem non male instituta fuerunt, postea in superstitionem fuerunt versa. Nam *Dies passionis Martyrum* dicebantur Natales, siue Natalitia: quia tum vere regenerati ex hac mortali vita transeunt. At postea nescio quæ satisfactiones, & qui thesauri indulgentiarum inde sunt contexti. Similiter *festum Annuntiationis Mariæ* primo non in Mariæ, sed in Christi honorem celebratum fuit, ut apparet in sermone B. Athanasii de S. Deipara: Festum hoc, inquit, vnum est ex Dominicis, atque primarium. Hinc dicta à veteribus Annuntiationis Dominica. *Festum Assumptionis Mariæ* non receptum fuit ab omnibus, nec vbi que: imo dubitatum est, an sit hoc festum celebrandum tempore Caroli M. Nam *Consuet. Caroli M. l. 1. c. 158.* ait: De assumptione S. Mariæ interrogandus relinquitur. Nimirum assumptio Mariæ, & anima & corpore, veteribus fuit incerta: ut videre est apud *Epiphanium hæres. 78. Ado in Martyrologio* dicit, Ecclesiâ celebrare dormitionem Virginis, non assumptionem; & addit: Vbi eius sanctissimum corpus collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ nescire cum pietate, quam quid friuolum & apocryphum inde tenendo docere. *Festum Conceptionis Mariæ* non fuit initio institutum ob immaculatam eius conceptionem. Author enim est *Petrus de Natalibus*, celebrari coepisse, ob sanctificationem eius in utero. Improbatur fuit à *Bernhardo epist. 174.* his verbis: Miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatē, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus? *Et mox:* Quam iam erit festiua ratio conceptionis? Quo pacto, inquam, aut sanctus allereatur conceptus, qui de Spiritu sancto non est, ne dicam de peccato est: aut festus habeatur, qui minime sanctus est? Libet gloriose hoc honore carebit, quo vel peccatu honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nulla ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumta nouitas: mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis.

XVII. Bellarminus ad quasdam ex his nostris rationibus excipit, hoc modo. Vt templa, ita festa sanctorum dicantur Deo, in memoriam sanctorum. Nulla igitur hæc est idololatriæ. Deinde, honor dierum festorum ad

sanctos pertinet immediate & terminatiue ad sanctos; quatenus est cultus dulcia, & non latraria. 2. Fundamentum festi Conceptionis Mariæ, videlicet præcipuum, non est conceptio immaculata, sed simpliciter conceptio matris Dei futuræ. Deinde, in maiori parte Ecclesiæ pie creditur conceptio B. Virginis sine peccato originali facta. 3. Non est absurdum, quædam festa esse noua, quandoquidem etiam sunt sæpe recētia Dei beneficia, propter quæ instituantur festa: vel saltem occasio festorum instituentium potest esse recens. Denique, pleraque festa sanctorum sunt antiquissima. 4. Non Imperatores sed Ecclesia instituit festa. Illi vero hanc legibus suis adiuuerunt, & ornauerunt.

Respondeo. 1. Si festa sanctorum, de quibus constat vere sanctos esse, ut sunt Apostolorum, & aliorum quorundam festa, eo tantum sine obseruentur, ut historiarum illorum tanto melius explicari, & populus ad imitandas eorum virtutes efficacius excitari possit, suo modo hoc institutum probari potest. Sed Bellarminus ait, esse pium & bonum opus, sanctis mortuis, inter alias complures, etiam hanc religiosi cultus speciem exhibere, ut dies festi & sacri, immediate, & terminatiue, ad ipsorum honorem instituantur, & celebrentur: quibus scilicet non tantum res ipsorum gesta, ad Dei laudem, & aliorum vtilitatem publice recitentur; sed & ipsi (imo eorum reliquæ, imagines &c.) suppliciter ac religiose adorantur, atque palam inuocantur. Neque iuuat distinctio inter latrariam, & dulciam: quippe quæ vana est, tum quod ista vocabula sint synonyma; tum quod distinctio euertat ipsam rei naturam. Neque enim fieri potest, ut vlla particula cultus religiosi à Deo transferatur in creaturam. 2. Conceptio Mariæ, tanquam matris Dei futuræ, non est sufficiens causa instituendi festum. Is enim honor soli Deo debetur. Deinde, qui credunt Mariam conceptam fuisse sine peccato originali, non credunt pie quia non habent fundamentum suæ fidei S. Scripturam. 3. Pontificij fere fiungunt beneficia Dei, & alias occasiones festorum. Deinde, si insignia Dei beneficia essent causæ sufficientes festorum, vix numerus aliquis in festis instituendis inueniri posset. 4. Ecclesia & pij principes debent sibi mutuas ferre operas in religionis negotio. At constitutio festorum in honorem sanctorum non est actus religionis, sed, ut ita dicam, irreligionis.

XVIII. Sed audiamus, quomodo Bellarminus probet, pium & bonum esse colere festos dies sanctorum. Id vero primum autoritate demonstrat, deinde ratione. Autoritas, inquit, est totius Ecclesiæ Catholice, quæ omni tempore id seruauit. Ac ut solum inspiciamus quæ prima secula, primo seculo habemus Clementem; secundo, testimonium Ecclesiæ Smyrnenis; tertio, Origenem, Tertullianum, Cyprianum; quarto, Basilium, Nyssenum, Ambrosium, Hieronymum, Prudentium; quinto, Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum, Paulinum, Leonem, Gregorium, Bedam, & alios omnes posteriores, quorum libri testimonij sunt plenissimi. Probat hoc etiam ex antiquis Concilijs diuersarum Ecclesiarum: puta ex Concilio Laodiceno, Garthaginensi III. Tolerano III. &c. Vltimo probatur ratione, quæ fundatur in S. literis. Festi dies recte instituantur ad recolenda diuina beneficia, ut patet de festo Sabbathi, & festo Soritium apud Iudæos, & de festis Domini apud Christianos. Sed non est parum beneficium consummatio alicuius sancti, & præcipue per martyrium: inde enim datur toti Ecclesiæ militanti exemplum fortitudinis, & vnus nouus patronus apud Deum: datur etiam toti Ecclesiæ triumphanti nouum gaudium de accessione vnus cuius: denique tunc agitur nouus, & perfectus triumphus de diabolo. Confirmatur: nam omnes causæ, propter quas homines etiam profani celebrant festos dies, concurrunt in obitu sanctorum. Homines enim festa celebrant ob diem natalem Principum: item ob assumptionem alicuius ad summam aliquam dignitatem: denique ob partam victoriam. At cum sancti moriuntur, tum vere nascuntur, & nascuntur principes cælestes, vnde ab Ecclesia ipsorum obitus natalitia dicuntur: item tunc assumuntur ad summam dignitatem, quæ hominibus conferri queat, id est, ad æternam beatitudinem: denique tunc perfectam victoriam referunt de diabolo, & triumphum agunt.

Respond. 1. Principium hic petitur, & non parum à vera questione receditur. Nam neque ea est Ecclesiæ, aut Patrum, aut Conciliorum autoritas, ut peculiare religionis cultus, extra Dei verbum, instituere possint: neque antiquorum Patrum ea mens fuit, ut honorem religiosum sanctis mortuis haberent; sed ut memoriam Martyrum annuis parentationibus frequentarentur, tum ad Deum in ipsis celebrandum, tum ad alios in fide amplius confirmandum, & ad imitationem virtutis excitandum. Quia in re licet multi iam tum excelsissent modum, ab hodierna tamen Papistarum praxi longe abfuerunt. 2. Committitur ignorantia elenchi. Neque enim nos historicam illam, tum laborum & certaminum à sanctis susceptorum, tum gloriæ & præmiorum inde consecutorum, narrationem & celebrationem publicam & solennem simpliciter improbamus: neque de Deo in sanctis colendo, hoc est, ob beneficia in sanctos collata, celebrando; sed de sanctis ipsis immediate adorandis & inuocandis, atque ita per festa religiose honorandis, hoc loco quarimus. Et sane rem ita se habere, fatetur etiam ipse Bellarminus, dum sic inter alia inquit: *Honorem festorum dierum immediate, & terminatiue, dico pertinere etiam ad sanctos; quemadmodum de Basilicis, votis, & ipsa inuocatione diximus.*

XIX. De vigilijs ita pronuntiat Bellarminus. In profestis magnorum dierum consueuerat Ecclesia vigilare, & ieiunare; ac in primis Vigilia Paschæ, quæ nocte præcedente Dominicam Resurrectionis agebatur, semper celeberrima fuit: ut patet ex Clemente, Tertulliano, Eusebio, & alijs. De Vigilijs autem in sanctorum honorem meminit Basilium, item Hieronymus &c. Cæterum quoniam paulatim occasione nocturnarum Vigiliarum, abusus quidam irreperere cœperant, vel potius flagitia non raro committi: placuit Ecclesiæ nocturnos conuentus, & Vigilijs proprie dictas intermittere, ac solum in iisdem diebus celebrare ieiunia. Hæc Bellarminus. Vbi nolo discutere originem Vigiliarum, quas certum est ante Basilium non fuisse in vsu, si sermo sit de Vigilijs sanctorum: hoc solum adnoto, Vigilijs sua natura indifferentes esse, & si cultui Dei consecrentur, spectare ad politiam Ecclesiæ.

XX. De templis disputationem Bellarminus partitur in septem sectiones. Nam 1. explicat hæreses siue errores circa templa. 2. an templa sint erigenda, 3. qua forma. 4. quos ob fines. 5. de consecratione templorum, & de

dedicatione. 6. de ornatu eorundem. 7. de iis, quæ in templis benedicuntur, ut aqua, oleo, cereis, palmis. Quæ omnia breuissime perlustrabimus. Ac primo de erroribus circa templa ait, duo genera hostium habuisse Dei templa: vnum eorum, qui re ipsa templa euertunt, profanant, aut spoliant, non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis: aliud eorum, qui templa ipsa, vel eorum aliquid oderant. Primi generis fuisse dicit Nabuchodonosorem, Antiochum, Pompeium, Cassium, Titum, Diocletianum, Artanos, Donatistas: posterioris, Manichæos, Messalianos, Petrobianos. Denique Lutheranos, & Calvinistas ait admittere quidem templa, sed solum ad concionandum, & sacramenta ministranda; reprehendere autem, quod fiant templa ad orandum, quod in honorem sanctorum, quod consecrentur certo ritu, quod magnis sumptibus ornentur: Calvinum etiam reprehendere ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus pretiosis, &c. deinde docere, ornamenta templorum solum esse concionem, & sacramenta; templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed nullam inesse templo sanctitatem. *Resp.* 1. Calumnia est, nostros reprehendere, quod fiant templa ad orandum. Preces enim publicas dicimus esse partem ministerij verbi, quod in templis peragitur. 2. Negamus profecto, templa recte fieri in honorem sanctorum; quia soli Deo hic honor debetur. 3. Consecrationem moralem in templorum dedicatione probamus; magicam & superstitiosam reiicimus. 4. Ornarum conuenientem in templis non odimus; sed immoderatum & pomposum detestamur. 5. Nulla prorsus templis inest sanctitas: sed, quod sancta dicuntur, id omne est à denominatione extrinseca, videlicet ab ipsa dedicatione & usurpatione legitima. Sed hæc ex sequentibus euadeat clariora.

XXI. *An templa sint erigenda* non est quod multis disputetur: vnde Bellarminus breuissime hanc questionem attingit. Nos enim concedimus, templa in N. T. vbi Ecclesiarum ratio ita postulare videtur, ad pios vsus extruenda esse: verum ita, ut nulla pars religionis in iis ponatur. Potest enim religio Christiana, & vera Ecclesia sine templis & altaribus consistere. Recte enim Arnobius l. 6. *aduersus Gentes* ait: In hac consuetis parte crimen nobis impietatis maximum affingere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus &c. non altaria fabricamus, non aras, &c. quæ quidem nos scellamus non ideo vel exadificare, vel facere, tanquam impias geramus, & scelerosas mentes. *Minutius Felix in Octauio*: Putatis autem nos occultare, quod colimus, si delubra & aras non habemus? *Et mox*: Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non possit? cum homo laxius maneam, intra vnâ adiculam vim tantæ maiestatis includam? nonne melius in nostra dedicandus est mentes nostræ imo consecrandus est pectore: *Hilarius aduersus Auxentium* ait, Apostolos intra cœnacula secretaque sacros egisse cœtus. *Et paulo ante*: Male vos Ecclesiam Dei in tectis adificiis que veneramini: *Euseb. hist. Eccles. lib. 9. cap. 2.* Maximinus prohibere nostros per occasiones quasdam tentat, ne ad cœmeteria conueniant. *Dionysius Alexandrinus apud Euseb. lib. 7. cap. 19.* ait: Omnis igitur nobis locus, quicumque a tyrannide eligebatur ad pœnam, siue ager ille, siue desertum fuit, siue insula, se uo carcer, solennitatem nobis impedire non potuit. *Hieron. in psalm. 133.* Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est. Cæterum ante annos quindecim aut viginti, parietes, omnes Ecclesiarum hic hæretici possidebant, omnes has Ecclesias. Ecclesia autem vera erat, vbi fides erat. *Chrysost. homil. 46. in Matth. in opere imperfecto*: Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta Scripturarum. *Et paulo ante*: Qui spirituales Christiani fuerunt, relictæ corporali Ecclesia, quam perfidi occupauerant violentia, exierunt ab illis. *Polydorus Vergilius de inuentoribus rerum lib. 5. cap. 6.* Eo fere toto interuallo, tantum aberat, ut aliquod templum nostris Christianis adificaretur, ut etiam omnia essent occulta: & facella potius atque eadem addita & plerumque subterranea, quam apertis in locis, & publice fierent. Quæ quidem pluribus adscribere placuit, quia multi nimium confidunt in templis & Bellarminus assererat, templa cum primordijs religionis Christianæ, cœpisse: quæ de re vide §. 2. 4.

XXII. *De forma Ecclesiarum Christianarum* Bellarminus duo adnotat: Ecclesias fere omnes habuisse tres partes, ad similitudinem templi Salomonis, in quo erant atrium, sancta, & sancta sanctorum. Eodem fere modo in templis olim erat primo porticus ante ingressum in templum, quem locum Græci προῦαιον, Latini vestibulum dicunt: vbi manebant penitentes. Deinde erat ἄδυτον, id est, templum, siue nauis. Vltimo βήμα, siue ἑστῆσιον; hoc est, sacrarium, siue sanctuarium, seu adyta, quæ erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque diuisa erat à reliquo templo gradibus, cancellis, & velis, siue aulis; neque eo penetrabant alij, quam sacerdotes cum suis ministris clericis. Præter has partes templi erat etiam domuncula annexa templo, quæ dicebatur adicula saluatoria, vbi sedebat Episcopus, cum se pararet ad sacra faciendâ. Alterum est, Ecclesias Christianorum, vtpurimum ad Orientem conuersas fuisse, & quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes adspicerent, exceptis quibusdam, quæ præter loci commoditatem aliter constitutæ sunt. Id partim experientia constat, partim etiam testimonijs veterum. Rationes autem huius ceremoniæ sunt quinque. 1. Quia ad orientem erat paradysus. Oramus igitur conuersi ad Orientem, quia profitemur nos peregrinos, & ad patriam nostram, vnde sumus eiectioni, aspiramus. ita Gregorius Nyssenus. 2. Quia ab Oriente cælum surgere, & moueri incipit, eique propterea pars illa mundi excellentissima. Ideo autem orantes conuertimus faciem corporalem ad corpus excellentissimum, tum, ut ait Iustinus, quia Deo sunt danda semper meliora, tum etiam ut admoneamur conuertere faciem spiritualem animæ ad spiritum excellentissimum, qui est Deus, ita Augustinus. 3. Quia Christus, quem oramus, est lux mundi, *Ioh. 8.* Et, vir Oriens nomen eius, *Zach. 6.* ut igitur significemus, nos in oratione nostra illustrari à Christo, sole iustitiæ, sicut illustrantur a sole corporeo, qui ad Orientem respiciunt: ideo hac ceremonia vtimur. ita Walfridus. 4. Quia Dominus ipse moriens in cruce, occidentem spectabat, nos ad orientem oramus, ut quasi in faciem crucifixi intueamur. Et quia ipse ascendit in cælum cælorum ad Orientem, *Psalm. 67.* nos ad Orientem conuertimur, ut quasi eum ascendente votis, ac precibus deducamus. Denique, quia ipse ab Oriente vturus creditur ad iudiciū, *Matth. 24.* nos ad Orientem precamur, quasi venturū iudicē expectantes. ita Damascenus. 5. Quia Iudæi ora-

baat, & orant ad occidentem. *Exod. 26. Ezech. 8.* Reprehendit enim Scriptura quosdam, qui contra ritum eius temporis adorabant ad Orientem. Nos igitur ad Orientem respicimus, dum Iudæi respiciunt ad Occidentem, ut significemus eorum esse literam occidentem, nostrum autem spiritum viuificantem; & velamen adhuc manere super cor eorum, nos autem conuersos ad Dominum depouisse velamen.

XXIII. Quod attinet ad primam Bellarmini thesin, in illa principium petitur; quia Christiani ab initio, per trecentos fere annos, nulla templa habuerunt: vt constat ex §. 21. Deinde, forma templorum est res plane adiaphora; & proinde, si cum opinione necessitatis, aut cultus exigatur, prorsus absurda, & ab Apostolis prohibita. In secunda thesi est eadem petitio principij, & perpetua fallacia consequentis. Nam: 1. Nos non aspiramus ad terrestrem paradysum. Et vltra Edenem etiam est oriens. Itaque illius incolis ad occidentem orandum est, si hæc ratio valet. 2. Nec vna pars cæli per se est præstantior alijs: nec etiam si esset, iste ritus hinc concludi posset: vt nihil iam dicamus de eo, istam philosophicam subtilitatem non conuenire simpliciter Christianorum orantium, præsertim rudiorum. 3. Epitheta illa Christi nihil affine habent cum hac questione. Alias innumera possent excogitari huiusmodi congruentiæ. 4. Neque certum est, quoniam Christus, in cruce pendens, spectauerit: neque ex loco illo *Matth. 24.* constare potest, Christum ab oriente rediturum (præsertim, cum oriens ipse incertus, ac varius sit, pro varia incolarum ad se inuicem relatione) nec, si maxime constaret, villo modo hinc consequitur, orantes omnino illuc se conuertere debere. 5. An igitur nos capitibus incedemus, quia Iudæi pedibus incedunt? Imo, annon potius hac in parte Iudæi, quam Ethnici nobis imitandi essent; quorum isti superstitione sola moti ad orientem, illi vero, ex ipsius Dei mandato, ad occidentem inter orandum sese conuertebant.

XXIV. De fine templorum scribit Bellarminus, quatuor ob fines erigi ædes sacras, vnde etiam quatuor nomina sortiantur. Primo, ad sacrificandum Deo; vnde dicantur templa. Secundo, ad orandum; vnde appellentur oratoria. Tertio, ad Martyrum reliquias honorifice conseruandas; vnde dicantur basilicæ, seu memoriæ, seu martyria. Quarto, ad populum verbo Dei, & sacramentis pacendum, vnde dicuntur Ecclesiæ. De quatuor hisce finibus totidem propositiones, siue sententias adfert. Prima est: Recte instituantur certa loca, in quibus verbum Dei, & sacramenta populo ministrantur. Hanc propositionem concedimus: sed non item concedimus, quod ait: Postquam Christiani cœperunt esse populus aliquis, mox habuerunt Ecclesiæ, id est, templa. Nam quod attinet ad *1. Cor. 11. & 14.* vbi fit mentio Ecclesiæ, in quam conuenerunt Corinthij; & ita quidem fit mentio, vt opponantur Ecclesiæ, & priuata donus: item, quod attinet ad loca Patrum, quæ pro hac sententia adducuntur: in iis non est sermo de templis peculiariter extructis hanc ad rem, sed de sacris ædibus, seu de domibus, quæ conuersæ fuerunt in templa, vt ita late accipiamus hanc vocem. Et hoc generali, siue lato sensu conceditur, veteres etiam Apostolorum tempore habuisse templa. Quod autem non habuerint templa *ἱερόεσχα* seu stricte ita dicta, §. 21. probauimus.

XXV. Secunda propositio Bellarmini est: Ecclesiæ Christianorum ad sacrificia offerenda instituta sunt, & ideo vere, & proprie templa appellari possunt. Probat 1. omnibus argumentis, quæ probant Eucharistiam esse sacrificium. 2. quia Ecclesiæ Christianorum semper habuerunt altaria: vt patet ex *1. Cor. 10. Hebr. 13.* & traditione Patrum, nullus enim fere est veterum, qui non meminerit altaris Ecclesiæ. 3. quia Patres passim vtuntur nomine templi.

Respond. 1. Eucharistia est sacrificium; sed Eucharisticum, vt ex nomine, sine, & re ipsa probauimus *cap. 9. & 10. supplementi tom. 4.* non vero propitiatorium. Itaque in templis offerenda sunt sacrificia prioris generis, quo etiam pertinent preces, gratiarum actio, *ἱεραγία τοῦ λαοῦ / ἑλισίον*, bona opera elemosynæ. hæc enim omnia in S. literis veniunt nomine sacrificij, 2. Neque in locis citatis agitur de altaribus proprie dictis; sed in vno quidem, de spiritali, ac vt ita dicam, metaphorico altari, nempe ipso Christo; in altero vero, de mensa Domini, quæ tamen altari propter vsum similem respondeat, aperte dissentit: neque verum est, ex altari generatim dicto, sacrificij propitiatorium recte concludi posse. Itaque partim homonymiæ, seu figuræ dictionis, partim consequentis fallacia hic admittitur. 3. Quomodo probari potest, templa sic dici, quod in iis sacrificia materialia & externa necessario sint offerenda?

XXVI. Tertia propositio est: Ecclesiæ Christianorum recte ad orandum, etiam priuata oratione, instituantur. Hanc propositionem Bellarminus probat quinque generibus argumentorum. 1. Testimonijs Scripturæ; quia Deus promisit in V. T. se citius exauditurum suos, in templo precantes, *1. Reg. 8. & 2. Paral. 6.* & quia templum emphatice appellatur domus orationis, *Esa. 56. 2.* Exemplis Scripturarum; quia sancti semper in templo, vel ad templum, precati esse leguntur, vt Anna *1. Reg. 1.* Dauid *2. Reg. 7. 1. Paral. 21.* Daniel *Dan. 6.* Anna *Luc. 2.* Publicanus *Luc. 18.* Petrus & Iohannes *Act. 3.* Eunuchus reginæ Candaces *Act. 8. 3.* Testimonijs Patrum. 4. ex nomine: nam Ecclesiæ Græcis sæpe vocantur *ἱερά*, Latinis oratoria. 5. quinque rationibus; quia Deus est in templo magis, quam alibi: & Deus in templo citius exaudit, vt patet ex promissione ipsius *3. Reg. 9.* & orationi tanquam rei excellentissimæ debetur locus excellentissimus, vt est sacer, siue templum; & in templo omnia sunt comparata ad excitandam deuotionem, vt altaria, cruces, imagines: denique quia in templis Christus corporaliter est præsens in Eucharistia; quæ præsentia auget spem, & fiduciam orantis.

Respondeo 1. Principium hic multis modis petitur; imo varia etiam in consequentia admittitur. Confunduntur enim conditiones V. & N. T. quas accurate distinguere est necesse: præsertim, quas Christus ipse aperte discriminauit *Iohan. 4. 2.* Deus præsentiam suam in N. T. non alligauit ad certum aliquem locum. 3. Domus orationis recte appellatur, in qua fere quotidie publice oratur. Et sic dicta Patrum (quæ alias per se apodictica non sunt) eodem modo accipi possunt. Agnoscunt enim illi Ecclesiæ esse domos orationis; sed non adstringunt nos, vt oraturi veniamus in templum. 4. Deus ma-

gis est in templis, quam alibi; non quod præsentiam suam specialem alligauerit ædificijs, sed quia promisit se futurum in medio illorum, qui congregantur in ipsius nomine. Id vero etiam extra templa potest fieri. 5. Altaria, cruces, imagines &c. non promouent deuotionem in precatione; quia sunt media diuinitus non sancta in N. T. sed potius prohibita. 6. Præsentia corporalis in pane Eucharistiæ est figmentum Papistarum. 7. Ignoratio elenchi plerumque in his argumentis committitur: quia non negamus, preces priuatas in templis quoque fieri posse, sed pretium quoddam inde accedere ad precationem, ob loci sanctitatem, vel hoc esse necessarium, id vero est quod negamus.

XXVII. Quarta propositio est: Sacra domus non solum Deo, sed etiam sanctis recte ædificantur, & dedicantur. Id probatur primo ex Concilijs, & veterum testimonijs: deinde, ratione à simili, ex diuinis literis. Templum Salomonis non solum fuit erectum ad sacrificia, & orationes, sed etiam ad conseruandam arcam Domini, *1. Paral. 17. & 28. 2. Paral. 5.* Sed idem, vel etiam maior honor debetur sacris reliquijs Christi & sanctorum, quam arcæ illi Mosaiçæ. Denique corpora sanctorum fuerunt viua Dei sedes, viua organa, & templa Spiritus sancti *1. Cor. 6.* Et hoc discrimen est inter templa, & basilicas; quod illorum erectio est cultus latræ soli Deo debitus; horum vero cultus dulciæ, qui conuenit sanctis Martyribus, & ipsorum similibus: Vnde Græci Patres templa Martyribus dedicata vocant *ἱερά τῶν μαρτύρων*. *Respond. 1.* Concilia, & veteres Dd. non admittimus, si contra perspicuum Dei verbum aliquid statuunt. 2. Concilia, & veteres Dd. contra tantum spectarunt, Basilicas apud tumulos Martyrum eo fine constituendas esse, vt grata ipsorum memoria tanto arctius conseruetur. Id quod per se adiaphorum est, si modo recte vsurpetur; videlicet absque cultu religioso, in quem tandem ista fabricæ desierunt. 3. Veteres templa vocant de nominibus Martyrum, non cultus, sed distinctionis causa. Peregerunt enim in illis cultum soli Deo conuenientem. Hinc *Augustinus de vera relig. cap. 55.* ait: Honoramus eos charitate, non seruitute; nec iis templa construimus. *Et contra Maximinum Arianum lib. 1. tit. 11.* Nonne si templum alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, & ab Ecclesiâ Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ vni tantum Deo debetur. Si ergo sacrilegi essemus, faciendo templum cuique creaturæ, quomodo non est verus Deus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Hic, & sæpe alibi Augustinus, probat Spiritum sanctum esse Deum, quia templum habet. Quo eodem argumento vtitur *Basilius Magnus epist. 141. ad Cæsarienses*: Omne templum, Dei templum est. Si autem templum sumus Spiritus sancti, Deus est Spiritus sanctus. Similiter *Ambrosius lib. 3. de Spir. S. cap. 13.* Deus templum habet, creatura verum templum non habet verum. Spiritus autem habet templum, qui habitat in nobis. Neque est quod excipiant Papistæ, se non infringere istud argumentum Patrum, quod soli Deo dedicantur templa, sanctis Basilicæ. Nam Basilicæ sanctorum eodem modo & fine ab illis dedicantur & vsurpantur, vt templa quæ illi contradistinguunt Basilicis. Vt nihil dicam de commentitijs illa distinctione. 4. Mortuorum reliquiæ cum viuis sanctis nihil habent commune; neque etiam cum arca fœderis, & similibus sacris instrumentis, ab ipso Deo ad vsum typicum in V. T. institutis, rite comparari possunt.

XXVIII. Atque hæc est sententia Papistarum de fine, & vsu templorum. Nostra est, vsum templorum præcipuum, imo vniuersum, in externo & publico, sed N. T. proprio, Dei cultu versari; hoc est, in eo verti, vt sacra conciones illic habeantur, sacramenta ministrantur, publica (simo & priuata) preces celebrentur, elemosynæ colligantur. Quæ omnia, & singula sunt sacrificia Deo grata. Facessere itaque iubemus duplicem illum vsum, quem Aduersarij hoc loco vrgent, videlicet, vt sacrificij externum, & propitiatorium, proprie dictum, illic offeratur; vt que reliquiæ sanctorum illic adseruentur, ipsaque templa sanctis etiam dedicentur. Argumenta nostra hæc fere sunt. 1. In N. T. est vnicum dumtaxat sacrificium, proprie verique propitiatorium, quod nempe Christus in cruce obtulit, & cuius memoriam in Eucharistia celebramus. Hoc sacrificium est euentum; neque villo modo potest esse incrementum. Vide in *supplemento tom. 4. cap. 9. 10.* Ergo nullate templa propter hoc sacrificij genus construenda sunt. 2. Reliquiarum cultus est superstitiosus. Similiter adseruatio ipsarum ad hunc cultum destinata. 3. Priuata orationes in N. T. nulli peculiari loco alligandæ sunt, *Iohan. 4.* sed pro re nata, quouis loco fieri possunt, & debent, *1. Tim. 2.* Ergo neque hic legitimus est finis templorum, vt fideles priuatum in iis precantur; si quis præteritum cum Pontificis existimet, templa per se precibus nostris dignitatem, & sanctitatem aliquam conciliare, aut Deum illic magis, quam alibi iis fidelibus præsentem esse, ob locum ipsum materialiter spectatum. 4. Templa & altaria soli Deo, non vero sanctis ædificanda & consecranda esse, docent veteres: vt *Augustinus lib. de vera relig. cap. 55.* Nec eis (sanctis angelis) templa construimus. nolunt enim sic honorari a nobis, quia nos ipsos cum boni sumus templa summi Dei esse nouerunt. *Idem epist. 66. ad Maximum Medicum*: Faciendo templum, latræ exhibere conuincemur. *Et libro 8. de ciuit. Dei cap. 27.* Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. *Et libro 22. de ciuit. Dei cap. 10.* Nos autem martyribus nostris non templa, sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. *Idem libro 1. de symbolo ad Catechumenos cap. 5.* Quia ergo (Salomon) templum ædificauit Deo, ostendit se Deum colere. *Eusebius in oratione de laudibus Constantini M.* ait: Mundum vniuersum sacrosanctis templis, augustisque Ecclesiarum ædificijs adornandum in singulis vrbibus, pagis, regionibusque omnibus, atque adeo in desertis barbarorum locis, ædes sacras & templa vni omnium Domino dedicanda consecrandaque curauit. Vnde etiam templa, quæ erant consecrata, Domini nomen obruebant: quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino fuit illis impositum, & propterea Dominica appellata sunt. *Innocentius III. Papa de mysterijs Missæ libro 3. cap. 11.* Duæ sunt, inquit, species seruitutis: vna, quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur *λατρεία*; & altera, quæ creaturis impenditur, & dicitur *δουλεία*. Vtramque speciem determinat Dominus dicens: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Ad latræ pertinent templa, altaria, sacerdotia, sacrificia, & huius-

huiusmodi, quæ sunt soli Deo exhibenda &c. ne forte si secus agatur, non theosebia, sed idololatria committatur.

XXIX. De dedicatione, & consecratione templorum tres occurrunt propositiones apud Bellarminum. Prima: Merito templa Dei cum ingenti lætitiâ & solennitate dedicantur. Id probatur primo ex V. T. ubi tabernaculum Moysi, templum Salomonis, & altaria, non semel, adhibitis variis precibus, & ceremoniis, solenniter fuerunt dedicata, & consecrata, à Mose Exod. 35. & seqq. Num. 7. à Salomone, 2. Paral. 7. ab Esdra, 1. Esdr. 6. à Maccabæis, 1. Maccab. 4. ad quam solennitatem, quæ annis singulis iterum agebatur, Christum etiam accessisse scribit Iohannes cap. 10. Deinde, natura docet æquum esse, ut ad hunc modum homines gaudeant, & Deo gratias agant, & quando incipiunt re aliqua noua vri, Deum inuocent. Tertio, Deus ipse exemplum dedicationis dedisse videtur, cum expleto opere creationis, in signum lætitiæ diem septimum sanctificauit. Denique, probatur ex praxi Ecclesiæ, & veterum traditione.

Respondeo. 1. Non disputatur contra nos: quia consecrationem templorum distinguimus in legitimam, & supersticiosam. 2. Res diuersissimæ, nempe V. & N. T. templa, atque ritus imperite confunduntur. 3. Papistica consecratio ex locis illis nulla ratione concludi potest: quia illa in V. T. fuit absque superstitione adhibita: secus se habet Papistarum dedicatio. 4. Natura recte se habens, & exemplum Dei fauent nostræ consecrationi, de qua paulo post. 5. Similiter dedicatio & consecratio templorum apud veteres vsitata. Fiebat enim verbis, & precibus, sine ritibus, ceremoniis, signaculo crucis, &c. Et dedicandi consuetudo cœpit circa annum 300. Itaque praxis veterum, etsi contra veritatem præscribere non potest, hætenus admittitur, quatenus, vel generalem consecrationis vsum, vel specialem sacramentorum benedictionem asserit.

XXX. Secunda propositio Bellarmini est: Merito ab Ecclesia variis precibus, & ceremoniis templa consecrantur. Probatur primo ex Scripturis: quia habemus ibi consecrationem templi, vel altaris, in statu naturæ, Gen. 28. & 35. in statu legis, Exod. 40. Num. 7. in statu Euangelij, 1. Cor. 11. ubi Corinthij reprehenduntur, quod profanum Ecclesiam, ibi comedendo. Deinde, probatur ex Conciliis, & Patribus. Tertio, probatur ex fine illarum ceremoniarum, qui est præcipue in eo, ut significetur templum illud Deo dedicari, & à profano vsu segregari. Vnde videmus in rebus politicis vsitatos esse quosdam ritus, quibus consecrantur res quedam, ut fiant sanctæ. Quarto, elegantissima est conuenientia inter signum & signatum in singulis ceremoniis. v. g. quia templum dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum eius, id est, crux &c. Respondeo. 1. Consecratio facta à Iacobo Gen. 28. & 35. fuit extraordinaria. 2. Consecratio Mosaica fuit ceremonialis, typica, & à Deo imperata. 3. Consecratio ædium, ubi Apostoli & alij fideles conueniebant, non fuit peracta ceremoniis, sed precibus. 4. De Conciliis & Patribus vide §. præced. num. 5. Non satis est, mysteria quedam, his vel illis ritibus, è nostro cerebro subtiliter excogitatis, temere adscribi; nisi & hos, & illa diuinitus etiam esse instituta constet. Alioqui nullus hic lasciuiendi finis aut modus erit: quia secus facile quilibet ad suas nugæ egregia mysteria transferre poterit.

XXXI. Tertia propositio Bellarmini hæc est: Templum consecratum, merito sanctum, & venerabile, ac diuina quadam virtute præditum, existimari debet. Probatur primo ex relatione ad Deum. Templum est dedicatum Deo: ergo est res Dei: ergo sanctum. est nam omnis res Deo dicata, eo ipso sancta est, Leuit. 26. Matth. 23. ubi templum dicitur sanctificare aurum. Secundo, ex precibus & benedictione Episcopali. quia si cibis per preces sanctificatur, cur non templa eodem modo sanctificentur? 1. Tim. 4. Et si templum Salomonis fuit sanctificatum per preces Salomonis, 3. Reg. 9. an preces Ecclesiæ non erunt æque efficaces? Tertio probatur ex rebus sanctis, quæ sunt in templo: cuiusmodi sunt, crux Christi, imagines & reliquiæ Christi & sanctorum &c. Locus profecto rerum sanctorum sanctus est, Exod. 3. Locus, in quo stas, terra sancta est. Quarto, probatur ex absentia dæmonis: nam sicut templa Gentilium polluta sunt, & immunda, quia sunt domicilia dæmonum: ita è contrario templa Dei sancta sunt, quia dæmonibus carent. Respondeo. 1. Omnia hæc aliena sunt: quia specialem, & in hærentem, ut ita dicam, sanctitatem templorum nõ arguunt, sed tantum ex illis, siue re latiuam: quam nõ concedimus. 2. Legalis sanctitas rerum in V. T. nihil facit ad statum N. T. 3. In V. T. diuina voluntas & ordinatio erat causa illius sanctitatis. At nõ huiusmodi mandatum nõ habemus. 4. Pro sanctis rebus venditantur, quæ sunt vel idololatria, vt cruce, & imagines, ad cultum prostantes; vel fictitia, vt præsentia Christi in cibis. 5. Cibi sanctificantur per preces, ut nobis profunt. 6. Terra, in qua Moses stabat, erat sancta propter extraordinariam Dei præsentiam. 7. Dæmones absunt à templis, si recte vsurpentur. Alias locum hic habet illud dæmonis ad Papam: Signa te signa, temere me tangis. & argis.

XXXII. Sic itaque Aduersarij sentiunt de templorum consecratione. Nos ita sentimus. Templa Christianorum, vel recens constructa, vel à fordidis idololatriæ purgata, & deinceps sacris vsibus destinata, per solennes & pias preces, adhibita etiam spiritali lætitiâ, signis quibusdam externis declarata, ut pia musica, pio conuiuio &c. Deo sunt dedicanda, & consecranda, consecratione morali, non rituali seu ceremoniali, aut magica, vel certe partim Iudæica, partim Ethnica. Porro si templa rite consecrantur, fiunt reuera sacra, non absolute, & in se, sed ratione segregationis à profano vsu, ad sacrum. Argumenta nostra hæc sunt. 1. Quia vera consecratio rerum & personarum præcipue in concionibus & precibus consistit, 1. Reg. 8. At vero tota Papistarum consecratio lingua vulgo ignota peragitur; eoque nihil ad ædificationem Ecclesiæ pertinet, 1. Cor. 14. & prouide non potest haberi pro vera & legitima. 2. Quia ceremonias plane ludicras, atque ineptas in se continet illa Papistarum consecratio. v. g. quod duodecim cruces in toto templo pinguntur, & ante singulas singulæ lampades accenduntur; deinde templum pulsatur, & aperitur; & Diabolus inde exorcisatur; tum alphabetum duplex Græcum & Latinum, in forma crucis, per transversum templum ad quatuor angulos baculo pastoralis describitur; & mox templum ipsum aqua, vino, sale, & cineribus adspargitur, denique chrismate, seu oleo quodam sacro, idem templum vna cum altaribus inungitur &c. Hæc enim omnia partim vana, partim magica, partim supersticiosa sunt; nullo Dei

Tom. V.

mandato, aut promisso, nullo etiam sanctorum exemplo subnixâ ac proinde in vera consecratione merito negligenda sunt. 3. Si aqua baptismi, & panis atque vinum Eucharistiæ non sanctificantur ita, ut ipsis imprimatur aliqua sanctitas; multo minus hoc erit tribuendum consecrationi templorum. Nam consecratio sacramentalis nititur præcepto & promissione Dei: quæ vero occupatur circa templa, non item. Illa est specialis: hæc solum generalis. 4. Asperiones, & vnctiones illæ, si non Ethnicæ, aut magicæ, saltem mere legales, & è V. T. petiæ sunt: eoque sub statu N. T. locum habere non possunt. Vt plane Iudæicum sit, vel potius Iudæismi *ἰουδαϊσμοῦ* quedam, hæc talia in Ecclesiâ Christi introducere velle. Confer Hebr. 9. cum Exod. 24. 25. & seqq. item Leuit. 10. & seqq. 5. Ethnicum, & verè magicum est; existimare, per ritus istos, adeo friuolos, & humanitus excogitatos, aut templis sanctitatem aliquam veram conciliari, aut dæmones inde expelli, aut denique veram, & Deo gratiam, consecrationem peragi posse: cum nulla huius efficientiæ ratio, neque in natura, neque in Scriptura, inueniri possit.

XXXIII. Ornatus templorum Bellarmino consistit partim in ipsa fabrica, partim in imaginibus, crucibus, calicibus, vestibus, aliisque id genus argumentis, iuxta duas propositiones. 1. Opus bonum, & pium ex genere suo est, ingentibus sumptibus templa Dei ædificare, aut ornare. 2. Ædificare, vel ornare templa, licet sit opus pium, & bonum, potest tamen eiusmodi opus ex defectu circumstantiarum facile vitari. Primam propositionem probat sex argumentis. I. Ex V. T. quia Deus voluit tabernaculum Moysi ornatum esse; h. e. materia & forma quam splendidissima constare, & omnia fere vasa ex auto mundissimo, vestesque sacerdotum ex serico; bysso, purpura, & gemmis pretiosis apparari, Exod. 25. ad 39. Num. 7. Id quod postea multo magis in templo Salomonis, eiusque splendidissimo ornatu apparuit, 2. Paral. 3. 4. & 5. II. Ex N. T. quia Christus laudat viduam illam, quæ Marc. 12. omnem suam substantiam in gazophylacium misit: & Mariam Magdalenam, quæ pretioso vnguento ipsum perfudit, Marc. 14. & magnificam structuram templi tacite approbavit, Marc. 13. III. Ex vaticinio Esa. 60. ubi prædictum fuit; Ecclesiæ N. T. à piis regibus ingenti sumtu ædificandas, & rebus pretiosis exornandas esse: prout sub Constantino M. Carolo M. & aliis piis principibus impletum fuisse videtur. IV. Ex Patribus Græcis & Latinis, qui magno consensu splendorem hunc templarium commendant; ut qui ad honorem Dei plurimum faciunt; eoque piam magnificentiam Regum & Principum hac in parte collaudant. V. Ex pietate eorum, qui Ecclesiæ ædificauerunt: nam præcipui fuerunt quatuor, Constantinus M. Iustinianus, Carolus M. & Carolus IV. quos omnes ob pietatem laudamus. VI. Rationibus; quarum prima est ex magnitudine Dei: nam domus quo maiori Principi ædificatur; eo debet esse maior. Secunda ex ipso genere operis: nam extruere Deo splendidum templum, est ex genere sub actus duarum excellentium virtutum, religionis, ac magnificentiæ. Tertia; quia extruere Deo templum magnificentum, non solum est actus duarum illarum virtutum, sed etiam est exercitium & signum aliarum, puta fidei & charitatis erga Deum, in cuius honorem pecuniæ; quæ summo opere diligi solent, hic negliguntur. Quarta ab utilitate; quia templum magnifice ornatum attrahit homines; eoque velut inuitat ad res sacras; & conseruat maiestatem & reuerentiam sacramentorum; & iuuat deuotionem, ac pietatem, maxime simplicium; quorum maximus est numerus; denique magnifica templa diutius conseruantur, & magno splendore sunt ciuitati; multitudo quoque aureorum & argenteorum vasorum tempore belli, famis, pestis &c. prodest reip. Quinta à contrario; quia illi, qui Ecclesiæ vastauerunt, aut diriperunt, semper sacrilegi, & perditii habiti sunt, sæpe etiam diuinitus puniti, vt Balthasar. Dan. 5. Antiochus, 2. Maccab. 9. & alij. Secundam propositionem Bellarminus ita confirmat. Quatuor sunt circumstantiæ, ex quarum defectu malum erit ornare templa; nimirum tempus; vt si quis donec templo; quod impendendum erat egenis vel parentibus, vel filiis, vel aliis; locus; vt si quis templum in loco deserto, vel in pago velit magnifice ornare; modus, eum ornamenta templorum sunt vana, ac potius curiositati, quam religioni deseruientia: denique persona, si quis supra statum suum, & conditionem velit ornare templa. Et hanc quidem posteriorem propositionem admittimus: priorem nõ æque. Nam ornatus ille templorum apud Papistas est immodicus, & idololatricis fete cultibus destinatus; qui præcipue in imaginibus, crucibus, lampadibus, ciboriis, anathematis, vexillis, aulæis, pretiosis vestibus, & cætera id genus Missatica supellectile consistit. Proinde non modo nihil ad verum illum & legitimum templorum vsum, quem si 28. definiuimus, per se conducit; sed etiam magna ex parte illum obscurat, imo euerit atque abolet.

XXXIV. Sed soluamus argumenta Bellarmini. 1. Principium hic appetit petiti; quatenus V. & N. T. confunduntur; dum ex speciali & proprio veteris templi ornato, similis templorum nostrorum ornatus tanquam necessarius, inepte colligitur. 2. Ex illis Christi verbis, & factis; quippe dissimilibus; & prorsus ab hac quaestione alienis; inepte controuersus & pomposus ille ornatus concluditur. Nam vidua illa erogauit elemosynam; & Maria Magdalena typice vnxit Christum. Quod vtrumque factum Christus laudat. Denique, Christus magnificentiam templi Iudæici neque laudat, neque vituperat. 3. Locus Esaiæ per fallaciam figuræ dictionis adulteratur: quia prædicatur gloria Ecclesiæ N. T. quam reges & principes magnificentia sua adiutum ibunt. Sed ex generali hoc ornato male colligitur specialis hypothesis de crucibus, staturis, anathematis, & similibus nugis. 4. Dicta Patrum per se minime authentica sunt; & tamen, generatim accepta, facile admitti possunt; hoc est, si non trahantur ad species controuersas, siue ad immodicum, supersticiosum, & idololatricum templorum ornatum. Deinde, veteres ante annum 200. a Christo, nihil de ornato templorum præcipiunt. Denique, quidam Patres consuetudine, tanquam torrente, abrepti, nimij fuerunt in laudando, vel postulando templorum ornatum. 5. Principium hic petitur: imo contrarium potius euenit; cum expectantiam clamet, per Papisticum illum ornatum; veram religionem obscurari, spirituales destitorem imminui, contraque carnales cogitationes de Deo, & reliquis articulis fidei, animis hominum instillari. Deinde, resp. sæpe non inuatur, sed exhauritur immoderato illo templorum vsu. Denique, templa non debent esse ornamenta, præsidia, aut subsidia reip. 6. Pietatē Constantini M. & aliorum Principum suspicimus: abusum reuicimus,

S 3 & tol-

& tolli cupimus. 7. Quæ piis vñibus consecrata sunt bona, pie sunt vsurpanda. Si quis illa violet, merito habetur sacrilegus. 8. Quæ cultui & ornatui idololatriæ destinata sunt, in pios vsus sunt conuertenda; iuxta illud *Augustini epist. 154. ad honorabilem virum Publicolam*: Cum templa, idola, luci, & si quid huiusmodi data potestate, evertuntur, quamuis manifestum est, cum id agimus, non ea nos honorare; sed potius detestari, ideo tamen in vsus nostros priuatos duntaxat & proprios non debemus inde aliquid vsurpare, vt appareat nos pietate ista delstruere, non auaritia. Cum ergo in vsus communes, non proprios ac priuatos, vel in honorem Dei veri conuertuntur, hoc de illis fit, quod de ipsis hominibus, cum ex sacrilegis & impiis in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuisse illis testimoniis, quæ ipse proposuisti, cum de luco alienorum deorum iussit ligna ad holocaustum adhiberi; & de Hiericho, vt omne aurum, argentum, & aramentum inferretur in thesauros Domini.

XXXV. Nostra argumenta pro moderato, & ad proprium N. T. cultum accommodato templorum ornatu, atque adeo contra immoderatum, & superstitiosum Papistarum ornatum, hæc sunt. 1. Deus in V. T. reiecit voces illorum, qui *Ierem. 7.* gloriabantur de templo illo magnifico. 2. Prorsus idololatriæ est, imagines, cruces, & similia religiose venerari. Ergo hic saltem idololatriæ ornatu, siue apparatus, è templis facessere debet: vt pote vero illorum fini, & vsui contrarius, & per se ad idololatriam destinatus. 3. Non modo superfluum ac superstitiosum est, imo ex parte Ethnicum, simul & Iudaicum, immensos atque inuitiles sumtus facere in templis ita exornandis, vt in Papatu fieri solet. Nam & simplicitati religionis Christianæ splendor ille theatricus aduersatur; idemque mentes nostras fere distrahit, & à spiritualibus cogitationibus auocat: & sumtus illi melius in viua Dei templa, id est, egenos Christianos collocari possent. 4. Frustra laboratur de ornatu templorum politico, quando spiritualis deest; qui consistit in pura prædicatione verbi Dei, legitima sacramentorum administratione, elemosynarum distributione, & similibus rebus. 5. Patres infanum hunc luxum templarium reprehendunt; & contra simplicem munditiem, & necessarium tantum apparatus hac in parte commendant. Sic enim ait *Hieronymus in Ierem. 7.* Præcepit & tunc populo Iudæorum, & hodie nobis, qui in Ecclesia videmur constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratiffique laquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus, Templum Domini. *Ambrosius lib. 2. de officiis cap. 28.* Aurum sacramenta non querunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. ornatu sacramentorum redemptio captiuorum est. *Bernhardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem*: ô vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior! fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eger: suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.

XXXVI. *Septima, & vltima* quæstio huius loci, est de iis, quæ in templis benedicuntur, vt aqua, sale, cineribus, cereis &c. vbi sunt duæ propositiones apud Bellarminum. *Prima* est: Recte benedicuntur aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami, & similia. Probatum primo ex Scripturis, quæ continent exemplum, & documentum. Exemplum est Domini, *Matth. 14. & Luc. 9.* qui panes multiplicaturus adspexit cælum, & benedixit eos; & ea benedictione multiplicauit. Documentum est Pauli *1. Tim. 4.* vbi creaturæ dicuntur sanctificari per verbum, & orationem. Secundo probatur ex traditione veterum: apud quos multa occurrat de aqua benedicta & benedictione olei, cerei Paschalis, palmarum, cinerum. *Secunda propositio* est: Recte ad effectus supernaturales efficiendos, & significandos vtuntur aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis. Probatum exemplis Scripturæ, & Sanctorum. Nam *Num. 5.* consecratur aqua zelotypiæ ad suspiciõem adulterij purgandam: *Num. 19.* agit de aqua lustrali, ad expiandum sordēs legales, vt explicatur *Hebr. 9.* Elia: us adhibet salem, ad sanandas aquas, *4. Reg. 2.* Idem adhibet aquas Iordanis, ad purgandam lepram, *4. Reg. 5.* Apostoli sanant ægrotos, oleo delibutos, *Marc. 6.* Secundo, probatur exemplis Patrum, qui magno cum fructu res benedictas ad supernaturales effectus adhibuerunt; puta ad morbos curandos, dæmones fugandos &c. Vide *Epiphanius hæresi 30. Theodoretum lib. 5. cap. 21. &c. Respondeo. 1.* Exemplum ista sunt aliena, vt pote miracula Christi, quæ nec æmulari debemus, nec imitari possumus. 2. Documentum quoque Pauli est alienum; quia agit de sanctificatione generali, quæ ordinarie, etiam priuatim, à quouis fidei peragi potest, ac debet. Proinde documentum istud hic citatur extra quæstionem. 3. Patrum istorum exempla, non iuris, sed facti tantum probationem continent. Deinde, vniuersa Papistarum hypothesis inde non potest extrui. Tertio, Patribus istis recentioribus alios antiquiores in hac causa opponimus, v. g. Iustinum, Irenæum, Tertullianum, Arnobium, Clementem Alexandrinum &c. qui consecrationem ad sola sacramenta, & similes res diuinitus institutas, referre solent. Itaque panis benedictus apud veteres est panis Eucharistiæ. Similiter aqua benedicta, est aqua baptismatis. Sed benedictiones aquæ, cinerum, salis &c. apud veteres non occurrunt. 3. Consecratio illa sacerdotalis in V. T. nihil iuuat consecrationem Papisticam; quia magna est diuersitas vacationis, modi, & finis: Itaque quod sacerdotes Levitici fecerunt ex mandato Dei, & officio, non recte transfertur ad hodiernos præfules Ecclesiæ. 4. In exemplo Elia: personæ est extraordinaria, & quoque factum ipsum. Inepte itaque allegatur. 5. Miracula aliquando fiebant per aquam benedictam, id est, aquam baptismi. Sed hæc non probant ordinatum vsu huius aquæ in Ecclesiis; nec huius benedictionem ideo factam, vt valeret ad effectus supernaturales.

XXXVII. Iam proponamus, & muniamus nostram sententiam de istiusmodi benedictionibus. Credimus itaque, omnem Dei creaturam in se bonam, & nobis vtilem, ac salutarem esse, perque verbum Dei, & piæ preces, etiam speciatim nobis sanctificari, si modo cum gratiarum actione percipiatur. Sed hæc sanctificationem in se tamen generalem esse dicimus, hoc est, ad omnia Dei dona, quibus fideles, etiam ad hanc animalem vitam quotidie vtuntur, communiter attingere. Negamus autem, vllam specialem benedictionem, seu peculiarem consecrationem certarum rerum, aquæ, vini, panis, olei &c. ad spirituales, aut supernaturales effectus producendum, in N. T. diuinitus institutam esse; sed totam hanc actionem, qualis in Papatu hætenus vsitata est, omnino supersti-

tiosam, magicam, & idololatricam esse contendimus; idque his argumentis euincimus. 1. Scriptura expresse docet, nihil ex creaturis Dei, præsertim in N. T. impurum esse, *Act. 10. 1. Cor. 8. Tit. 1. 1. Tim. 4.* Nihil igitur opus est exorcizatione aliqua, imo nec noua benedictione aliqua. Nam quod attinet ad ordinarios, & naturales effectus, ad illos creaturæ iam ante diuinitus ordinatæ sunt. Ad supernaturales autem non ordinantur nisi extraordinarie. 2. Nulla Dei creaturæ, sine expresso Dei verbo, ad effectus supernaturales, vel producendum, vel etiam significandum, ordinari potest: sicut in miraculis, & sacramentis apparet: vbi semper ipsam Dei voluntatem antecedere necesse est. Hic autem nullum prorsus diuinæ voluntatis indicium adferri potest. Ergo benedictio hæc prorsus inanis est. 3. Scimus Iudaicas umbras in N. T. esse abrogatas, *Hebr. 9. & 10.* Inter illas autem erant peculiæ benedictiones, seu consecrationes, variarum rerum: vt aquæ lustralis, olei sacri, panum propositionis &c. *Exod. 24. & seqq. Num. 5. & 19.* & alibi passim. Nisi igitur Iudaizare velimus, à benedictionibus his abstinendum erit. Cur enim magis vigere nunc debent consecrationes istæ, quam aliæ ceremoniæ Mosaicæ? quippe quarum nulla est, quæ non aliquo mysticæ significationis, aut spiritualis operationis prætextu, à superstitionis hominibus vsurpari possit. 4. Magicum plane, ac idololatriæ est, diuinam virtutem rebus creatis, & quidem brutis, ac mutis, absque omni Dei ordinatione adscribere; puta virtutem significandi spirituales effectus, delendi peccata venialia, fugandi dæmones, curandi morbos; vt loquitur *Bellarminus libro 3. de cultu sanctorum cap. 7.* Id profecto est, nomen Dei in vanum assumere, *Exod. 20.* collato cum *Deut. 18.* Ne sit incantator inter vos.

CAP. IX.

De peregrinationibus votiuis ad loca sanctorum.

I. **D**ifferimus de templis: nunc de peregrinationibus ad templa, aliaque loca sacra, paucis disserendum est, ait *Bellarminus libro 3. de cultu sanctorum cap. 8.* Hæc autem peregrinationes dicuntur religiose, & votiuæ. Itaque de peregrinationibus, & votis quæ nuncupantur sanctis, hoc loco agendum est. De peregrinationibus istis ait *Bellarminus*, piæ & religiosas esse. Id probatur primum Scripturæ testimonio. Deus instituit *Deut. 16.* vt omnes Israelitæ quotannis ter ad tabernaculum Moysi, vel templum Salomonis, peregrinarentur. Id quod etiam studiose fecerunt sancti homines, *1. Sam. 1. Luc. 2. Ioh. 12. Act. 8. & 20.* Secundo probatur ex Patribus, qui & ipsi ad loca sacra peregrinati sunt, & alios ad idem faciendum sepe incitarunt. Probatum vltimo ratione, sumta ex vtilitate istiusmodi peregrinationum: nam tria bona adferunt. Primo cedunt in honorem Dei, & sanctorum: quia est manifestum signum, Deum & sanctos à nobis magni fieri, cum laborem, & periculatitinerum sponte suscipimus, vt sanctorum reliquias inuisamus. Secundo, est opus penitentiae, & satisfactionis, quia laboriosum, & pœnale. Tertio, auget deuotionem: nam præsentia loci sancti dici non potest, quantum incuriat horrorem, quantam excitet reuerentiam.

II. *Respondeo* ad hæc argumenta. 1. Est clenchus parium. Est enim magna discrimen inter peregrinationes ab ipso Deo præceptas, & ab hominibus superstitionis inuentas. Deinde, discrimen locorum est sublatum in N. T. *Ioh. 4.* Itaque hic confunditur status V. & N. T. 2. Et obseruandum religiose primum cepit obtinere post Constantini tempora, circa an. 320. quo tempore vulgi fuit, non omnium; nec cultus Dei, vel meriti ergo, sed confirmandæ fidei gratia fuit instituta. Ante Constantini tempora de Alexandro quasi rarum & mirum narratur, quod Hierosolymani adorandi, & loca sanctorum videndi causa properauerit. *Euseb. lib. 6. c. 10.* Et obseruandum, id ex visione factum esse. Postea peregrinatio mutata fuit in partem cultus Dei; sed improbata plurimis, vt dicemus *§. seq.* Deinde, peregrinatio ad imagines nulla fuit ante annum 600. Denique, Patrum antiquorum praxis etiam aliquatenus excusari potest, quatenus deuotionem, & facilitatem ratione locorum, in quibus debebant, spectemus: ad præiudicium tamen per se nihil valet: cum non exemplis, sed legibus, in causa fidei nitendum sit. 3. Principium hic aperte petitur: cum Deus noster vbique præsens sit, & à piis hominibus, præsertim in N. T. quolibet loco rite coli possit. Deinde, satisfactio nostra nulla est. Denique, vera pietas, & deuotio, vagando potius extinguuntur, quam augetur.

III. Nos ita sentimus hac de re. Peregrinationes sacre, seu religionis causa susceptæ, ad ea loca non inutiliter instituantur, vbi vel viuos sanctos audire, vel aliquid boni discere aut docere licet. Sed religiosi cultus ergo proficisci ad templa, vel sepulchra sanctorum iam mortuorum; id non modo vanum, & superstitiosum, sed & idololatriæ esse, pronuntiamus. Nam 1. Religiosus sanctorum cultus omnino idololatriæ est, siue sit inuocatio, siue peregrinatio, siue votum &c. 2. Omnis idololatriæ causa, h. e. cultus voluntarius, à nobis ipsis, extra Dei verbum excogitatus, apertissime in Scriptura damnatur, *Matth. 15. Coloss. 2.* Talis autem est votiuæ peregrinatio, quæ religionis ergo suscipitur ad loca sanctorum; quippe de qua nec mandatum, nec promissum vllum diuinum, nec exemplum vllius sancti in S. literis occurrit. E. & ipsa damnata est; & proinde nobis fugienda. 3. Proflus inutile, superfluum, stultum, ac temerarium est, absque iusta & necessaria causa, aut singulari Dei vocatione, ad externa loca, non sine periculo, & graui sumtu proficisci; præsertim si à quibuslibet, etiam fœminis, & puellis id fiat; quippe qui & pudicitia, & fama, & bonæ valetudinis, iacturam sepe hic faciunt: & præterea sumtum, prorsus inutilem, imo soli idololatriæ fouendæ, & sacrificulis in otio alendis, seruientem, cum suo iuramento damno impendunt. Atqui hoc loco nec iusta & necessaria causa, nec vocatio Dei specialis adduci potest. E. peregrinatio hæc illicita est. 4. Veteres improbant, & reprehendunt huiusmodi peregrinationes. Sic enim *Hieronymus epistola ad Paulinum.* Non Hierosolymsi fuisse, sed

sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Et infra: Ne quidquam fidei tue deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti: nec nos iccirco meliores existimes, quod huius loci habitaculo fruimur. Augustinus libro de civitate Ecclesie Catholicae capite trigesimo quarto. Noui multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores. Idem sermo de martyre. Dominus non dixit, vade in Orientem, & quare iustitiam, nauiga vsque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Hildebertus Cenomaneus epistola ad Comitem quendam, peregrinationem inexcusabilem dicit in ijs, qui administrationi alligati sunt. Et ita non-necessaria necessarijs praeponi, & non-debita debitis, circuire vagum orbem terrarum, nullus doctor, nulla omnino Scriptura commemorat. Chrysostomus homil. 1. in Philem. ait, non opus esse peregrinationem suscipere ad remissionem peccatorum. Claudius Taurinensis Episcopus aduersus Theodemirum Abbatem de peregrinatione religionis causa in urbem Romam sic scribit: Ego iter illud non approbo, quia scio, quod nec omnibus obest, nec omnibus prodest, nec omnibus proficit, nec omnibus officit. Idem ibidem: Te ipsa primum interrogare volo: Si poenitentiam agere, Romam pergere nosti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in monasterio retinuisti, & poenitentiae causa in monasterio recepisti, & non eas Romam misisti, sed potius tibi seruire fecisti: Eornhardus epist. 319. ad Leibernum Abbatem S. Michaelis: Hic filius vester, peregrinationem, quam estis vestra licentia suscepit, nostro consilio deserens, ad vos reuersus est. Cum enim cognouissetis viam illam, & eum requisivissetis per leuitatem, & vos ob illius improbitatem annuissetis, dure, ut dignus erat, increpatum reuertenti persuasimus: sua siquidem (quantum conijcere potuimus) leuitatis & improbitatis poenitentem, ac de caetero emendationem pollicentem, rectius iudicantes quantumlibet reum in suo monasterio, monachum poenitentiam agere, quam foris vagando prouincias circuire. Neque enim terrenam, sed caelestem requirere Hierosolymam, Monachorum propositum est; & hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiscendo.

IV. Restat de votis, quae sanctis nuncupantur. Ea vero nos accensimus cultui superstitioso & idololatrico, aequae ac peregrinationes illas vitiatas. Nam votum, fatentibus Aduersarijs, non secus ac iuramentum, itemque sacrificium, est actus religionis, soli Deo, & Christo debitus. Vide Numer. 30. Deuter. 23. Esai. 19. &c. Non igitur potest sanctis, praesertim mortuis, absque manifesta idololatria, nuncupari aut praestari. Et sane prisca Ecclesia ignorauit vota, quae sunt sanctis, vsque ad Lombardi seculum. Is enim lib. 4. dist. 38. ita definit votum: Est testificatio quaedam promissionis spontanea, quae Deo, & de his quae Dei sunt, proprie fieri debet.

V. Bellarminus tamen lib. 3. de cultu sanctorum cap. 9. ait: Posse aliquo modo sanctis vota nuncupari certissimum est. Et probat illud testimonijs antiquorum Patrum; Quo vno argumento est contentus; & sub finem capit. ait, votum non conuenire sanctis, nisi quatenus sunt dii per participationem, regnantes nimirum in illo statu, quo excidere non possunt. Sed duo reponimus. 1. Praxis Patrum nihil valet ad praedictum, ubi omne iudicium pendet ex S. literis. Deinde, est homonymia in vocabulo voti, quod Patres aliter in hac materia vsurpabant, quam Pontificij nunc vsurpant. Patres enim dicunt, se vota persolvere sanctis, non cultus religiosi causa, sed memoriae ergo; quia nempe vouebant, se huius vel illius sancti memoriam celebraturos. 2. Sancti etiam in statu viae sunt dii per participationem. Fimus enim in hac vita deitas uiginti quatuor diuinae consortes natura, 1. Petr. 2. 4. Hinc Dionysius cap. 3. de hierarch. Ecclesiae ait: ἐκείνη ἡ ἐποπτεία καὶ ἡ ἀποδομιὰ τῶν προσευχῶν τῶν ἁγίων ἡμεῶν ἡμεῖς εἰς ἐνοσίχθονα θεὸν συνάγομεν: id est, vnumquodque sacramentum vitas nostras diuisas, seu diuersis passionibus ac vitijs obnoxias, ad deificationem reducere. Haec itaque ἀποδομιὰ, deificatio, ut ita dicam, incipit in hac vita, & perficitur in altera. Quare si vota omnino essent sanctis nuncupanda, viuentibus, non vero mortuis, illa essent vouenda. Possemus enim vouere, nos aliquid facturos in ipsorum honorem socialem seu ciuilem: id quod vouere non possumus defunctis.

CAPVT X.

De falsa Ecclesia; quid sit & vbinam sit.

I. Superest disputatio de falsa Ecclesia, quid illa sit, & apud quos sit. Postquam enim in genere differuimus de Ecclesia; & de Ecclesia vera in specie: restat videre quid sit falsa Ecclesia, & vbinam illa hodie reperitur. Quae pfecto disputatio est grauissima, longaeque vtilissima. Et ut hinc ordiar, Ecclesia falsa est, quae sequitur religionem falsam; ideoque complectitur hostes vere religionis. Falsa autem religio est, quae non congruit cum canone S. literarum; & proinde falsa ecclesia est eorum, qui non incedunt secundum hanc regulam; sicut e contra vera religio est, quae congruit cum isto canone, & vera ecclesia est eorum, qui incedunt secundum hanc regulam: iuxta illud Gal. 6. 16. Καὶ ὅσοι τὸ εὐαγγέλιον τούτων ποιήσονται, εὐλογηθήσονται ἐν τῷ θεῷ. Et quicumque secundum hanc regulam incedent, pax erit super eos, & misericordia, & super Israel Dei. Hinc ad Ecclesiam veram pertinere censendi sunt omnes, qui iuxta eundem Apostolum Phil. 3. 16. deprehenduntur τὸ ἀυτὸ ποιεῖν ἡμεῖς, eadem incedere regula. Itaque falsam Ecclesiam constituunt illi omnes & soli, qui hac regula S. literarum non incedunt. Sunt autem illi hostes Christi vel aperti, vel dissimulati. Illi dicuntur abalienati, & prorsus extranei: hi, translati seu transportati. Sic enim vocat Apost. illos μεταπορεύουσας, Gal. 1. 16. ἴστος ὡς ἠποστολίου μέρους, & ἐξ ἐμοῦ. Erhi sunt, qui vel Christianismum nunquam susceperunt, ut Pagani siue Gentiles, Mahumetani, & Iudaei moderni: vel Christianismum omnino abiecerunt, ut apostatae, qui ad Paganos, Mahumetanos, vel Iudaeos deficiunt. Translati illi sunt, qui Christianismum retinent, sed multis modis corruptum: ut sunt Papistae.

II. Sic itaque pater, quid sit falsa Ecclesia. Vbinam vero illa hodie est? Dicam verbo. Est partim in Papatu, partim apud Graecos in Oriente, partim denique apud nos. Nam Ecclesia vera est magis, vel minus impura, dispersa hodie per totum orbem, & reperta apud eos, quos dixi. Sed quia Papistae mordicus hoc defendunt, Ecclesiam suam, qua Papistica est, vera esse

Ecclesiam, Graecorum Ecclesiam esse schismaticam, nostram vero esse nouam, schismaticam, & haereticam; meum erit demonstrare tria ista nobis falso, & e contrario ipsis vere obijci; & proinde non ipsorum, sed nostram ecclesiam esse veram & Catholicam Christi Ecclesiam.

III. Principio videamus de nouitate. Fuit autem hoc semper familiare ac solenne dissimulatis hostibus verae religionis, ut si qui essent, qui de illorum erroribus querebantur, & religionem cuperent restitutam, eos statim quali nouatores rerum, & homines factiosos condemnarent pro haereticis, & schismaticis. Christus enim non alia de causa dictus est Samaritanus, quam quod ad nouam quandam religionem, & ad haeresin defecisse putaretur. Et Paulus Apostolus Christi Act. 24. vocatus est in iudicium, ut causam diceret de haeresi: Ego quidem, inquit, iuxta hanc viam, quam isti vocant haeresim, colo patriam Deum, credens omnibus quae scripta sunt in lege & prophetis. Vbi Apostolus certissimam nouitatis & antiquitatis normam monstrat, videlicet S. Scripturam. Itaque Augustinus cum disputaret aduersus Petilianum haereticum Donatistam, Ne, inquit, audiantur inter nos haec verba, ego dico, aut tu dicis: sic potius dicamus, haec dicit Dominus; ibi quaramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Et Ambrosius ad Gravianum Imp. ait: Interrogentur Scripturae, interrogentur Apostoli, interrogentur prophetae, interrogentur Christus. Itaque nos cum Paulo respondeamus aduersarijs nostris, iuxta hanc viam, quam isti appellant haeresim, colimus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, & recipimus omnia, quae aut in lege, aut in prophetis, aut in Apostolorum libris scripta sunt. Itaque noua, quae illi vocant dogmata nostra sunt antiquissima: & ista fere omnia, quae ipsi antiquitatis nomine tantopere praedicant, sunt noua prorsus & recentia. Profecto Christus, quamuis eum multi putarent ab Abrahamo, & prisca Patribus discessisse, & nouam quandam religionem suo nomine inuexisse, tamen vere respondit: Si crederetis Moysi, crederetis mihi quoque. Nam doctrina mea non est ita noua. Moses enim, antiquissimus author, cui vos omnia tribuitis, de me locutus est. Et B. Paulus euangelium Christi, etsi a multis nouum esse iudicabatur, tamen habet, in quibus antiquissimum testimonium legis & Prophetarum. Ita quoque nostra doctrina non est noua, sed eiusmodi, ut eam nobis antiquus dierum, Deus vnus & trinus, monumentis verustissimis, in Prophetarum & Apostolorum libris commendat; eaque noua nemini videri possit, nisi cui aut Prophetarum fides, aut Euangelium, aut Christus ipse videatur nouus. Illorum vero religio, si ita antiqua & vetus est, uti eam ipsi videri volunt, cur eam ex solis Scripturis non probant, sed innumeris Traditionibus crepant, quibus noua sua dogmata fulciant? Illustremus hoc paucis quibusdam exemplis, & conferamus illorum Ecclesiam & nostram inter sese.

IV. Nos colimus, ut par est, voces Apostolorum, & Prophetarum: isti contemnunt. Nos in Dei causa, Dei vnus iudicio, ut Scriptura iubent, stare volumus: isti stare volunt suo. Nos scientia nitimur, quam Scriptura requirit: isti inscitia. Nos inuitamus populum ad legendum, & audiendum verbum Dei: isti abigunt. Nos coenam Dominicam reuocamus ad primam institutionem: isti contra institutum Christi omnia fere commutauerunt. Nos ita precamur in templis, ut, quemadmodum Paulus monet, populus scire possit, quid precemur, & communib. vocibus respondere, Amen: isti, ut aet rinnies, voces in templo ignotas, & peregrinas, sine intelligentia, sine sensu, sine mente fundunt, & omnino id agunt, ne populus quidquam intelligere possit. Nos honorabile coniugium inter omnes esse docemus illi non esse honorabile inter Sacerdotes pronuntiam. Nos volumus, ut omnis anima subiecta sit magistratui: illi nolunt Papam, & ipsius clerum subijci. Nos itaque incedimus eodem canone, quo prophetae & Apostoli incederunt, & non incedere iusserunt: illi ab isto canone recedunt. Nostra itaque doctrina est antiqua: ipsorum noua. Qualis autem doctrina, talis Ecclesia.

V. Sed quia veritatis norma antiquissima, Scriptura sacra, istis hominibus non sapit: exigamus nostram & illorum doctrinam, atque adeo ecclesiam, ad normam veritatis secundariam, id est, ad scripta Patrum. Haec enim norma ipsis vnice placet, atque tantum non est primaria. Videamus itaque, quam pulchre isti cum illis Patribus, quos iactare solent esse suos, de religione conueniant. I. Vetus Concilium Eliberinum c. 3. decreuit, ne quid, quod collitur a populo, pingeretur in templis. Et Epiphanius ad Iohan. Hierosol. ait, esse horrendum ne as, si quis vel pictam, quamuis Christi ipsius imaginem, exciter in templis Christianorum. Isti imaginib. & statuis, quasi sine illis religio nulla sit, omnia templa sua atque omnes angulos compleuerunt. II. Veteres Patres, Orig. in Leuit. c. 16. & Chrysost. homil. 2. in Matt. 1. & homil. 31. in Iohan. hortantur populum ad lectionem SS. literarum, ut libros coemant, ut de rebus sacris inter se, vxores cum viris; parentes cum liberis domi disputent. Isti Scripturas condemnant, tanquam mortua elementa, & ab illis, quantum maxime possunt, arcet populum. III. Cyprianus epist. 11. Epiphanius haeres. 61. Hieron. de virgin. seru. si quis forte vouent, se velle viuere vitam coelib. & postea viuat impure, nec possit incendia cupiditatum cohibere, fatius esse dicunt, ut ducat vxorem, & sese caste in matrimonio gerat, atque illud ipsum matrimonium August. ratum & firmum esse iudicat, nec oportere reuocari. Isti eum, qui se voto semel obstrinxerit, quantumuis vratur postea, quantumuis scortetur, quantumuis flagitiose, & perditie contaminetur, tamen illum non sinunt vxorem ducere; aut si forte duxerit, tamē negant illud matrimonium esse; & fatius multo ac sanctius esse docent, concubinam, aut scortum alere, quam ita viuere. IV. Augustinus ad Ianuarium querebatur de multitudine inanum ceremoniarum, quibus iam tum videbat animos hominum, & conscientias opprimi. Isti quasi aliud nihil Deo curae sit, ita ceremonias auxerunt in immensum, ut nihil iam pene aliud in illorum templis, & sacris relictum sit. V. August. de opere monachorum negat fas esse Monachum ignauum in orio degere; & specie ac simulatione sanctitatis ex alieno viuere; & illum, qui ita viuat, Apollonium ait latroni esse similem. Isti monachorum habent armentane dicam greges? qui cum prorsus nihil agant, & ne simulent quidem, aut praeseferant speciem viliam sanctitatis, tamen non tantum viuunt, sed etiam luxuriantur ex alieno. VI. Vetus Concilium Romanum can. 3. decreuit, ne quis intersit saceris, quae dicantur ab illo sacerdote, quem certum sit alere concubinam. Isti & concubinas locant mercede sacerdotibus suis, & ad illorum sacraligia homines inuitos per vim attrahunt. VII. Vetus canon Apostolorum, numero octauus, illum Episcopum, qui simul & ciuile magistratum & Ecclesiasticam functionem obire velit, iubent ab officio summoueri. Isti vtrumque magistratum obeunt, & obire omnino volunt, vel potius alterum quem ab

illis maxime obitii oportuit, non attingunt: nemo tamen est, qui illos iubeat summoueri. VIII. *Vetus Concilium Gangrense* iubet, ne quis ita distinguat sacerdotem Cœlibem à marito, vt cœlibatus causa putet alterum altero sanctiorem. *Isti* eos ita distinguunt, vt à pio & probò viro, qui vxorem duxerit, omnia sua sacra statim putent profanari. IX. *Vetus Imperator Iustinianus Nouell. 123.* iussit, in sacro ministerio omnia clara; & quam maxime arguta, & expressa voce pronuntiarì; vt fructus ea ex re aliquis ad populum redire possit. *Isti*, ne quid populus intelligat, omnia sua non tantum submissa & obscura voce, sed etiam aliena & barbara lingua mustrat. X. *Vetus Concilium Carthaginense III. c. 47.* iubet, ne quid in sacro cœtu legatur præter Scripturas canonicas. *Isti* ea legunt in templis suis, quæ ne ipsi quidem dubitant esse fabulas. XI. *Iulius Papa, de consecrat. dist. 2.* diferte vetat, ne sacerdos, dum peragit sacra mysteria, panem immergat in calicem. *Isti* panem diuidunt, & immergunt. XII. *Clemens Papa, de consecrat. dist. 2.* negat fas esse Episcopo gere re vtrumque gladium; & si vtrumque inquit, habere vis, & te ipsum decipies, & eos qui te audient. Iam Papa vtrumque gladium sibi vëdicat, & gerit. Quare minus mirum videri debet, si illud securum sit, quod Clemens ait, vt ille & seipsum deceperit, & illos qui eum audierint. XIII. *Leo Papa* in vno templo vnam tantum Missam ait fas esse dicere, vno die. *Isti* in vno templo quotidie, sæpe denas, sæpe vicenas, sæpe tricenas, sæpe etiam plures dicunt Missas, vt miser spectator vix scire possit, quo se potissimum vertere debeat. XIV. *Gelasius Papa*, Si quis diuidat Eucharistiam, & cum alteram partem suscipiat, abstineat ab altera, eum ait improbe facere, & sacrilegium committere. *Isti* contra verbum Dei, contraque Gelasium Papam, alteram tantum partem Eucharistia: populo dare iubent, & in ea re suos sacerdotes alligant sacrilegio.

V. Verum quid ego vetera ista commemoro: Adeo noua est in multis Papistarum nostrorum doctrina, vt ne quidem cum Concilio Tridentino congruat. Sanciuit illud Concilium, ne cui vni committerentur duo sacerdotia vno tempore. Contra hanc sanctionem hodie non tantum duo sacerdotia, sed complura etiam monasteria, & sæpe Episcopatus binos, ternos, quaternos vni tribuunt & hoc recte fieri defendunt. In eodem Concilio decretum est, oportere omnes Episcopos docere Euangelium. At isti neque docent, neque illud ad se quidquam pertinere putant.

VI. Sed gestit animus cum ipso Pontifice cominus congruere, & ex ipso interrogare, quis vnquam ex omnibus Patribus ipsum vel summum Pontificem, vel vniuersalem Episcopum, vel caput Ecclesie appellauerit? quis ipsi traditum esse dixerit vtrumque gladium? quis, ipsum habere auctoritatem, & ius conuocandi Concilia? quis vniuersum mundum esse diœcesim eius? quis, de eius plenitudine accipere omnes Episcopos? quis, ipsi datam esse omnem potestatem tam in cœlo, quam in terra? quis, ipsum nec à regibus, nec à toto clero, nec ab vniuerso populo posse iudicari? quis, reges & Imp. de iussu & voluntate Christi, ab illo accipere potestatem? quis, ita exquilita & mathematica ratione, septuagies septies maiorem esse maximis regibus? quis, ipsi ampliore potestate tributam esse, quam reliquis patriarchis? quis, ipsum Dominum Deum esse? aut non purum hominem, sed quiddam coagmentatum ex Deo & homine? quis, ipsum esse vnum fontem omnis iuris? quis, ipsum habere imperium in Purgatorium? quis, ipsum pro arbitrio suo imperare posse Angelis Dei? quis, ipsum esse regem regum, & dominum dominantium vnquam dixit? quis vnquam ipsum docuit Eucharistiam supra caput attollere, vel Eucharistiam truncare, vel Christi sanguinem, & sanctorum martyrum merita dispensare, & indulgentias, atque omnia spatia Purgatorij, ceu merces in foro vendere?

VIII. Sic itaque illos antiquarios de præsidio antiquitatis depulimus, & nostram doctrinam, proinde & Ecclesiam, in solio antiquitatis collocatam esse ostendimus. De schismate sequitur, quod nobis hoc pacto obijciunt. Nos ab Ecclesia Catholica tumultuose defecisse, & nefario schismate orbem terrarum conturbasse: vtque olim Dathan & Abiron ab Aharone & Mose, ita nos hodie à Pontifice Romano sine vlla satis iusta causa secessionem fecisse. Sane discessimus, non vt schismatici, aut hæretici solent, ab ecclesia Christi, sed, quod omnes boni debent, ab hypocritarum contagione. Hic tamen isti mirifice triumphant, illam esse Ecclesiam, illam esse sponsam Christi: illam esse columnam veritatis: illam esse arcam Noe, extra quam nulla salus sperari possit: nos vero discessionem fecisse: Christi tunicam lacerasse: à corpore Christi auulsos esse: à fide Catholica defecisse. Cumque nihil relinquunt indictum, quod in nos, quamuis falso & calumniose dici possit, hoc tamen vnum non possunt dicere, nos vel à verbo Dei, vel ab Apostolis Christi, vel à primitiua Ecclesia defecisse. Atqui nos Christi, & Apostolorum, & veterum Patrum ecclesiam primitiuam, semper iudicauimus esse Catholicam: nec eam dubitamus arcam Noe, sponsam Christi, columnam & firmamentum veritatis appellare: aut in ea omnem salutis nostræ rationem collocare. Odiosum quid est à societate cui assueueris discedere, maxime vero illorum hominum, qui quamuis non sint, tamé videantur saltem, atque appellentur Christiani, & Catholici. Et certe nos istorum ecclesiam, qualiscunque tandem ea nunc est, vel nominis ipsius causa, vel quod in ea Euangelium Christi aliquando vere ac pure illustratum fuerit, non ita contemnimus, nec ab ea nisi necessario & perinuiti secessionem fecissemus. Sed quid si in Ecclesia Dei idolum excitetur, & desolatio illa, quam Christus futuram prædixit, stet palam in loco sanctos? Quid si arcam Noe prædo aliquis, aut pirata ocepit? Certe isti quoties ecclesiam nobis prædicant, seipfos solos eam faciunt, & omnes titulos sibi ipsis adscribunt: atque ita triumphant, vt olim quidam clamabant, Templum Domini, Templum Domini: aut vt Scriba & Pharisei, cum iactarent se esse filios Abrahami. Ita inani splendore imponunt simplicibus, nosque nomine ipso ecclesie quarunt obruere: vt si latro occupata domo aliqua aliena, & vel vi exturbato, vel interfecto domino, eam postea adscribat sibi, & herilem filium de possessione deiiciat. Nam isti quidem, cum in ecclesia Dei nihil fere simile reliquerint ecclesie, tamen ecclesie patroni & propugnatores videri volunt: profus vt Gracchus olim defendebat ærarium, cum largitionibus faciendis, & insanis sumptibus ærarium prorsus effudisset. Nihil autem vnquam tam impium & absurdum fuit, quin ecclesie nomine facile tegi & defendi posset. Faciunt enim etiam vespæ fauos: & impij habent cœtus similes ecclesie Dei. At non quicunque dicuntur populus Dei, sunt statim populus Dei: nec quicunque sunt ex patre Israele, sunt omnes Israelitæ. Hæretici Ariani se solos iactabant esse Catholicos; cæteros omnes modo Ambrosianos, modo Athanasios, modo Iohan-

nitas appellabant. Nestorius, vt ait Theodoretus, cum esset hæreticus, tamé tegebat se nomine orthodoxi, hoc est, specie quadam & velo orthodoxæ fidei. Ebion, quamuis sentiret cum Samaritanis, tamen, vt Epiphanius ait, appellari volebat Christianus. Mahumetani hodie, quamuis eos ex omnibus historijs satis constet; idque ipsi negare non possunt, ab Agara ancilla ducere originem, tamé quod oriundi sint à Sara muliere libera, & vxore Abrahami, nominis & ipsius stirpis causa, malunt appellari Saraceni. Ita pseudopropheta: omnium temporum, qui sese prophetis Dei, qui Esaiæ, qui Ieremiæ, qui Christo, qui Apostolis opponebant, nihil vnquam æque crepabant, atque nomen Ecclesie. Neque eos alia de causa ita acerbe lacerabat, aut perfugas & apostatas appellabant, quam quod à sua societate discessissent, aut instituta maiorum non obseruarent. Quod si nos hominum tantum illorum, à quibus tum ecclesia regebatur, iudicium sequi, aliud autem nihil, nec Deum, nec eius verbum spectare volumus, negari prorsus non potest, Apostolos, quod à Pontificibus & Sacerdotibus, hoc est, ab ecclesia Catholica defecissent, atque illis & iniuris & reclamantibus, multa in religione innouassent, recte fuisse ab illis, & secundum leges condemnatos.

IX. Itaque, vt Antæum aiunt olim ab Hercule tollendum fuisse à terra matre, antequam ab eo posset vinci: ita Aduersarij nostri, ab ista matre sua, hoc est, ab ista inani specie atque umbra ecclesie, quam præ se ferunt, leuandi sunt: alioqui non possunt cedere verbo Dei. Itaque Ieremias, Nolite inquit, tantopere iactare, esse apud vos templum Domini, vana ea fiducia est. Sunt enim ista, inquit, verba mendacij. Et Angelus in Apocalypsi, Dicunt, inquit, se Iudæos esse, at sunt synagoga Satanæ. Et Christus, cum Pharisei iactarent genus & sanguinem Abrahami, Vos, inquit, ex patre diabolo estis: Abrahamum enim patrem vestrum non refertis. Ac si illis ita diceret: Non estis id, quod tantopere dici vultis. Imponitis populo inanibus titulis, & ad eueitendam ecclesiam abutimini nomine ecclesie. Quare hoc istos primum liquido & vere probasse oportuit ecclesiam Romanam esse veram & orthodoxam ecclesiam Dei, eamque, vt hodie ab ipsis administratur, cum primitiua Christi, Apostolorum, & Patrum ecclesia, quam non dubitamus fuisse Catholicam, conuenire. Nos quidem si incertiam, si errorem, si superstitionem, si cultum imaginum, si hominum inuentam, & eaque sæpe pugnantiam cum Scripturis sacris, iudicassimus aut placere Deo, aut ad æternam salutem esse satis; aut si statuere potuissemus, verbum Dei ad aliquot tantum annos scriptum fuisse, postea oportuisse abrogari; aut omnino dicta & scripta Dei subiicienda esse voluntati humanæ, vt quidquid ille dicat aut scribat, nisi Romanus Episcopus idem dicat & scribat, pro irrito & indicto habendum sit: hæc suam animam nostrum inducere potuissemus credere; fatemur nihil fuisse causæ, eorum istorum societatem relinqueremus. Quod autem nunc fecimus, vt discederemus ab illa ecclesia, cuius errores testati ac manifesti essent, quæque iam aperte discessisset à verbo Dei, & prisce Patribus, neque tam ab ea, quam ab eius erroribus, idque non turbulente, aut improbe, sed tranquille, sed modeste, sed in timore Dei, faceremus, nihil aut à Christo, aut ab Apostolis fecimus alienum. Neque enim ea est ecclesia Dei, quæ infucari labe aliqua non possit, aut non interdum egeat instauratione. Alioqui quid tot conditionibus & Concilij opus est, sine quibus, vt ait Egidius in Lateranensi Concilio sub Julio II. stare fides Christiana non potest? Aut si nihil periculi est, ne quid ecclesia detrimenti accipiat, quid opus est Episcopis? Cur enim illi pastores appellantur, si oues nullæ sunt quæ errare possint? Cur vigiles, si ciuitas nulla est, quæ possit prodri? Cur columnæ, si nihil est quod possit rueri? Statim ab initio rerum ecclesia Dei cæpta est propagari, eaque instructa verbo cœlesti, quod Deus ipse fuderat ab ore suo: instructa sacris ceremonijs: instructa Spiritu Dei: instructa Patriarchis, Prophetis, Sacerdotibus: atque ita continuata est vsque ad Christi tempora. Sed o Deum immortalem, quoties ea interim, & quam horribiliter obscurata, atque immutata est? Vbi enim ea tum fuit, cum omnis caro constantinasset viam suam super terram? Vbi ea fuit, cum ex omni mortalium numero, octo tantum essent homines, & ne illi quidem omnes casti ac pij, quos Deus à communi clade, atque interitu vellet esse superstitites? Cum Elias propheta ita lugubriter & acerbe quereretur, se solum ex omni terrarum orbe relictum esse, qui Deum vere & rite coleret? Cumque Esaias diceret, argentum populi Dei, hoc est, ecclesie, factum esse scoriæ: & ciuitatem eam, quæ aliquando fidelis fuerat, factam esse meretricem: & in ea à capite vsque ad calcem, in toto corpore nihil esse integrum: aut cum Christus diceret, Domum Dei à Phariseis & Sacerdotibus factam esse speluncam latronum? Scilicet ecclesia, vt ager frumentarius, nisi exaretur, nisi subigatur, nisi colatur, nisi curetur, pro tritico carduos, & lolium, & vtricas proferet. Itaque Deus misit subinde prophetas, & postremo Christum suum, qui populum in viam reducerent, & ecclesiam vacillantem in integrum instaurent. Neque quis dicat, veterem ecclesiam errare ac deficere potuisse, nouam non posse; Apostolus Paulus iam tum in Euangelio, in perfectione, in luce, similes errores & lapsus deprehendit, apud Galatas & Corinthios suos. Iam vero an Galatarum & Corinthiorum ecclesie labi potuerunt, sola Romana Ecclesia errare & labi non potest? Certe Christus tanto ante prædixit de ecclesia sua, fore aliquando tempus, quo tanta seductio sit futura, vt ipsi quoque electi, si fieri posset, inuoluerentur isto malo. Et Paulus Antichristum aliquando ait positurum esse tabernaculum suum in templo Dei; & futurum vt homines doctrinam sanam non sustinerent, sed in ipsa ecclesia ad fabulas conuerterentur: & Petrus futuros ait in ecclesia Christi magistros mendaciorum: & Iohannes in Apocalypsi vniuersalem quandam apostasiam prædicit. Atque hæc omnia suis temporibus accidisse, aliqua saltem ex parte, multi Patres, virique pij & docti conuicti sunt. Certe Hilarius, ecclesiam in montibus, syluis, carceribus, suo tempore latitasse scribit. Et Gregorius ad Iohannem Episcopum, Constantinopolitanum, qui primus omnium se vniuersalem ecclesie Episcopum salutari volebat, ita scripsit; Si ecclesia ab vno penderet, tota corruet. Et quis est, qui non hoc iam olim factum viderit? Iam olim Episcopus Romanus ecclesiam totam à se vno pendere voluit: quare mirum non est, si ea iam olim tota corruerit. Fratres Lugdunenses, Romanam ecclesiam fidenter solebant affirmare, esse meretricem illam Babylonicam, & cœtum inferorum. Quid? Adrianus Papa ingenue confessus est, omnia ista mala à Pontificio culmine cœpisse rueri. Gerson conqueritur, quod multitudine leuissimarum ceremoniarum vis omnis Spiritus sancti, quam in nobis vigere oportuit, & vera pietas sit extincta. Græcia tota atque Asia conquesta est, quod Pontifices Romani indulgentiarum suarum nundinis, & vim hominum conscientijs attulerint, & illorum

illorum loculos expilauerint. De tyrannide vero Episcoporum Romanorum, & factu Perfico, & vitijs denique totius aulae Romanae quid non conuesti sunt Bernhardus, Ioachim Abbas, Hieronymus Sauranola, Franciscus Petrarcha, Laurentius Valla, Marsilius Patavinus, Baptista Mantuanus: Et quid mirum, quod ecclesia Romana vsque adeo degenerauit, quae Scripturas sacras, lucem illam & Phosphorum fidei vitaeque nostrae, iam olim contempsit?

X. At de nostris, inquit, fuistis: nunc autem apostatae facti estis, & a nobis discessistis, & quia discessistis: nos accusatum venitis. Discessimus quidem ab illis, & ea de re, & Deo Opt. Max. gratias agimus, & nobis gratulamur magnopere. At a primitiua ecclesia, ab Apostolis, a Christo non discessimus. Educati quidem sumus apud ipsos in tenebris, vt Moses in disciplinis, & in sinu Aegyptiorum. De vestris fuimus, inquit Tertullianus, fateor: nec mirum: sunt enim, inquit, non nascuntur Christiani. Quare etsi discessio illis nostra molesta est, tamē cogitare debent, quam iusta fuerit discessionis causa. Nam si dicent ab ea societate in qua fueris educatus, nullo modo fas esse discedere, facile possunt in nostro capite & prophetas, & apostolos, & Christum ipsum condemnare. Nam cur hoc etiam non queruntur, Lothum ē Sodoma, Abrahamum ē Chaldaea, Hebraeos ex Aegypto, Christum a Iudaeis, Paulum a Pharisaeis discessisse? Nisi enim iusta aliqua possit esse causa discessionis, nihil videmus, cur non illi quoque possint, eodem modo, factionis, & seditionis accusari. Quod si nos damnandi sumus pro schismaticis, qui istorum imperata omnia non faciunt: quid illi, qui tandem, aut quales videri debent, qui Christi & Apostolorum imperata contemunt: Si nos sumus schismatici, qui discessimus ab istis, quo tandem illos nomine appellabimus, qui a Graecis, a quibus fidem suam acceperunt, ab Ecclesia primitiua, ab Apostolis, a Christo ipso, tanquam a parentibus discesserunt? Nam Graeci quidem, qui hodie profitentur religionem, & nomen Christi: & si multa habeant contuminata: magnam tamen adhuc partem retinent eorum, quae acceperant ab apostolis. Itaque nec priuatas habent Missas, nec trūcata sacramenta, nec Purgatorium, nec indulgentias. Pontificios vero titulos, & magnifica nomina tanti faciunt, vt quicunque eos imponi sibi, seque vel vniuersalem Episcopum, vel Ecclesiae totius caput velit appellari, eum illi non dubitent & superbum hominem, & in omnes alios Episcopos fratres suos contumeliosum, & haeticum esse dicere. Iam vero cum perspicuum sit, & negari non possit, istos nostros ecclesiae Romanae patronos ab illis, a quibus Euangelium, a quibus fidem, a quibus religionem, a quibus Ecclesiam acceperunt, defecisse, quid cauae est, cur nunc ad eosdem, tanquam fontes, nolint reuocari? Cur quasi Apostoli omnes, Patresque nihil viderint, ita illorum temporum similitudinem reformidant? An enim isti plus vident, aut Ecclesiam Dei pluris faciunt, quam illi qui ista tradiderunt? Sed profecisse ecclesiam dicunt. Itaque iam aliam ipsius rationem esse, quam olim. Itane? Nos demonstrauius defecisse, quomodo itaque illi demonstrant profecisse? Illam dico Ecclesiam, in qua nec verbo Dei habetur honos, nec sacramenta integra administrantur, nec solus Deus inuocatur. Ab hac Ecclesia discessimus. Discessimus, inquit, ab ea ecclesia, quae nunc est, non quae olim fuit, atque ita discessimus, vt non discesserimus ab ecclesiae reliquijs, quas ceu triticum, occultit Papismus, vt aceru? palearum: nec tam discessimus, quam ab istis eiecit sumus diris, deuotionibus, anathematismis. Accessimus vero ad illam ecclesiam, in qua verbum Dei primas tenet, sacramenta ex praescripto Christi administrantur, solus Deus inuocatur. Quae quidem si illi animo tranquillo, & ad audiendum discendumque comparato spectare velint & examinare, non tantum probabunt institutum nostrum, qui relictis erroribus, Christum, eiusque Apostolos secuti sumus: sed ipsi etiam a se deficient, seque vltro aggregabunt ad nostras partes.

XI. Sed quid dico, aggregabunt? Tantum abest, vt hoc faciant, vt haereseos etiam dicam nobis scribant, & haereticos passim vocent *ut est opinio*. At quomodo hoc probant? Nos veteres, & iam olim damnatas haereseos, inquit, ab inferis rediuuas restituere atque interpolare: nos sectas nouas, atque inauditos furores disseminare: iam etiam in contrarias factiones, & sententias distractos esse, nec villo pacto potuisse vnquam inter nos ipsos conuenire: nos priscorum Patrum, & veterum Conciliorum auctoritatem pro nihilo putare, & tantum non pedibus calcare, ceremonias antiquas, a patribus & proavis nostris multis iam seculis, bonis moribus, & melioribus temporibus approbatas, temere & insolenter abrogasse: & nostra tantum priuata auctoritate, iniussu sacri & oecumenici Concilij, nouos in ecclesiam ritus induxisse atque inuexisse: atque ista nos omnia non religionis causa, sed contentio nis tantum studio fecisse. Se autem nihil prorsus immutasse, omnia vero vt ab Apostolis tradita & ab antiquissimis Patribus approbata fuerint, ad hunc vsque diem per tot secula retinuisse.

XII. Grauis profecto accusatio: ad quam non oportet nos esse mutos. Etsi enim alia iniuria saepe magna ab homine Christiano ferri ac dissimulari possint: tamen haereseos notam qui dissimulet, eum Rufinus negare solebat esse Christianum. Faciemus ergo nunc, quod Christus ipse in simili causa contumeliosus appetitus fecit, vt ipsorum criminationes propulsemus, & causam nostram modeste & vere tueamur. Nam Christus quidem cum a Pharisaeis accusaretur veneficij, quasi consuetudinem haberet cum daemone, & illorum ope multa faceret: Ego, inquit, *daemonium non habeo, sed glorifico patrem meum, vos autem affecistis me ignominia*. Et Paulus cum a Felto Proconsule contemneretur vt insanus, Ego, inquit, *optime Felte non insanio, vt tu putas, sed veritatis & sobrietatis verba loquor*. Et Christiani veteres cum pro homicidis, adulteris, incestis, rerum publicarum perturbatoribus ad populum traducerentur, & viderent huiusmodi criminationibus in dubium vocari posse religionem quam profitebantur, maxime vero si tacere viderentur, & quodammodo crimē agnoscere, nec ea res Euangelij cursum impedit, habuerunt orationes, scripserunt libros supplices, ediderunt apologias. Itaque ipsorum exempla secutus breuissimam apologiam ad ornabo, vt inde constare possit, quam vere haereseos crimen nobis impingatur.

XIII. Quare si nos sumus haereticus, si isti sunt (quod appellari volunt Catholici) cur non faciunt id, quod vident Patres, omnesque Catholicos viros semper fecisse? cur nos ē sacris Scripturis non conuincunt? cur nos ad illarum examen non reuocant? cur non ostendunt a Prophetis, a Christo, ab Apostolis, a sanctis Patribus nos discessisse? Quid haerent? quid fugiunt? Est Dei causa, cur eam dubitant permittere verbo Dei? Quod si nos sumus haereticus, qui omnes nostras controuersias referimus ad sacras literas, quiq; ad

illas ipsas voces, quas a Deo ipso scimus esse consignatas, prouocamus, & illis alia omnia, quae possunt ab hominibus excogitari, postponimus: quid istos, quos tandem homines, aut quales conuenit appellari, qui sacrarum Scripturarum, hoc est, Dei ipsius iudicium reformidant, & sua illis somnia, & frigidissima commenta anteponunt, & traditionum suarum causa, Christi atque Apostolorum instituta, aliquot iam secula violant.

XIV. Sed videamus horribiles istas haereseos, quarum nomine ab illis infamamur. *Credimus in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eumque solum inuocamus. Credimus Ecclesiam Catholicam*, hodie per totum orbem diffusam, eamque Ecclesiam & corpus, & sponsam & regnum Christi esse: eius corporis Christum solum esse caput; eius sponsae solum Christum esse sponsum; eius regni Christum solum esse principem. Varios interim in Ecclesia esse ordines ministrorum; neminem tamen vnum esse, nec esse posse, qui summam rerum vniuersae praesit. Nam & Christum semper adesse ecclesiae suae & vicario homine, qui ex asse in integrum succedat, non egere: & neminem mortalem posse existere, qui vniuersam Ecclesiam, h. e. omnes partes orbis terrarum, vel animo complecti, nedum ordine collocare, & recte, atque commode administrare possit. Apostolos, vt Cyprianus ait, pari omnes inter se fuisse potestate; atque hoc idem alios fuisse, quod Petrus fuit. Omnibus ex quo dictum fuisse, *Pascite omnibus, Docete Euangelium*. Et vt Hiero. ait, Omnes Episcopos quicumque tandem sint, siue Romae, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem esse meriti, eiusdem sacerdotij. Itaque Cyprianus ait, Episcopatum vnum esse, & eius partem in solidum teneri a singulis. Et de sententia Concilij Niceni, Romanum Episcopum nihilo plus iuris in ecclesia Dei obtinere, quam reliquos patriarchas, Alexandrinum & Antiochenum: Romanum vero Episcopum, qui nunc ad se vnum omnia reuocat, nisi officium faciat, docendo verbum Dei, & administrando sacramenta a Christo instituta, ne Episcopum quidem, aut omnino Presbyterum, iure dicendum esse: Caput vero ecclesiae totius, aut vniuersalem Episcopum, non magis aut illum, aut alium quemuis mortalem esse posse, quam sponsum, quam lucem, quam salutem, quam vitam Ecclesiae. Haec enim esse vniuersi Christi privilegia. Neque vnquam quenquam Romanum Episcopum ante Phocam Imp. hoc est, ante sexcentimum decimum tertium annum a nato Christo, vnquam passum fuisse sese tam superbo nomine salutare: Concilium etiam Carthaginense diserte cauisse, ne quis Episc. aut summus Pontifex, aut primus sacerdos diceretur: Episcopum vero Romanum quoniam ita hodie dicitur, nomen Antichristianum sibi vsurpare. *Ministros Ecclesiae legitime vocari oportere*, atque ordine praefici ecclesiae Dei. Ministris a Christo datam esse dicitur *ligandi & soluendi, claudendi & aperienti potestatem*. Ac soluendi quidem munus in eo esse situm, vt minister vel deiectis animis & vere resipiscitibus, per Euangelij praedicationem merita Christi, absolutionemque offerat, & certam peccatorum condonationem, ac spem salutis aeternae denuntiet; vel eos, qui sese a communi societate Ecclesiae graui aliquo scandalo quodammodo abalienarint, resipiscentes conciliet, & in coetum fidelium recoligat. Ligandi vero claudendiq; potestatem in eo versari, vt vel incredulis & contumacibus, occludat ianuam regni caelorum, denuntiando illis vindictam Dei, & aeternum supplicium, vel publice excommunicatos gremio Ecclesiae excludat. *Vtraque haec clauis nobis est verbum Dei, quod solum est clauis doctrinae & disciplinae*, claudens & aperiens regnum caelorum, dum alijs est odor vitae ad vitam, alijs odor mortis ad mortem. *Matrimonium* in omni genere & statu hominum, in patriarchis, in prophetis, in apostolis, in sanctis martyribus, in Episcopis sanctum & honorabile esse dicimus: & vt Chrysostr. ait, fas & ius esse cum eo ad cathedram episcopalem ascendere. Ecclesiae normam perpetuam & vnicam dicimus esse *Scripturam V. & N. T.* contra quam nec traditio, nec vlla consuetudo sit audienda. Ea demum bona opera esse dicimus, quae ex fide in Christum, secundum legem Dei decalogo comprehensam, ad Dei gloriam, & nostri glorificationem promouendam proficiscuntur. In ijs itaque nihil praesidij collocaui, sed *credimus peccatorum omnium remissionem* propter vnius Christi meritum. Hunc solum mediatorem agnoscamus; & in eius solius nomine precamur lingua cognita. *Duo solum sacramenta* agnoscamus, baptismum & S. coenam. Tot enim videmus a Christo tradita esse & consecrata; & a veteribus Patribus, nominatim Ambrosio & Augustino, approbata. Et baptismum quidem sacramentum esse remissionis peccatorum, & eius ablationis, quam habemus in sanguine Christi. *Sacram vero coenam* esse sacramentum corporis & sanguinis Christi, in quo subijcitur oculis nostris quodammodo mors Christi, & eius resurrectio, & quaecumque gessit in humano corpore: vt de eius morte & nostra liberatione gratias agamus, & venerabilis huius sacramenti frequentatione, eius rei memoria assidue renouemus; vt vero Christi corpore & sanguine aliamur, in spem resurrectionis & vitae aeternae, vtque pro certissimo habeamus, id esse nobis ad vitam aeternam alendis corpus & sanguinem Christi, quod nobis ad hanc vitam animalem alendis est panis & vinum. Ad hoc epulum inuitamus populum Christianum, & illud Calixti Papae laudamus, qui decreuit, vt perfecta consecratione, omnes communicarent, nisi mallet carere Ecclesiasticis liminibus. Sic enim ait Apostolos statuisse, & sanctam Romanam ecclesiam tenere. Populo vero ad sacram hanc communionem accedenti, vtramque Eucharistiae partem tradendam esse, vt Christus instituit, & Apostoli toto terrarum orbe fecerunt, & Episcopi veteres secuti sunt; ideoque Gelasium Papam recte dixisse, si quis contra faciat, eum committere sacrilegium. Panem & vinum dicimus esse sacramenta mysteria, cum quibus Christus ipse totus quantus est, offertur & traditur, si fide situs praediti. Tum enim Christus nos immutat, vtque Theophylactus loquitur, transflectat in corpus suum. Quamuis itaque panis & vini substantia manet, vt Gelasius loquitur: non tamen ideo Eucharistia est frigida & inanis ceremonia; quia Christus nobis vere est praesens & efficit vt simus caro de carne ipsius, & sanguis de sanguine ipsius, per veram fidem in nobis manendo. Fides enim sacramentorum iustificat, inquit Augustinus. non sacramentum. Cum hoc saluari sacramento ē diametro pugnare dicimus *Missam*; quippe quae fingitur esse sacrificium incruentum & propitiatorium, cuiusmodi Scriptura nusquam tradit. *Multitudinem otiosarum ceremoniarum*, de qua Augustinus suo tempore grauiter conquestus est, resecamus, quod illis ecclesia N. T. grauetur. Retinemus tamen & colimus ea, quae scimus a Christo & Apostolis esse tradita; & illis alia quaedam addimus, sine quibus politia & vniuersa ecclesiae conseruari nequit. Dicimus hominem in peccato natum esse, & in peccato vitam agere: neque esse mortaliū quenquam, qui possit seruare legem, & propriis viribus iustificari. Itaque vnicum receptum nostrum & perfugium

gium esse ad misericordiam Dei Patris per Iesum Christum, vt certo animis nostris per gratiam Spiritus sancti persuadeamus, illum esse mediatorem nostrum merito & efficacia, qui pacificauerit omnia sanguine crucis suæ; & spiritum suum nobis donet, qui in nobis excitet studium bonorum operum, vt ita merito ipsius vnice instructi, & bonis operibus vt cunque ornati perueniamus ad *vitam æternam*, quam credimus nobis paratam esse hæreditatem ab æterno in æternum.

XV. Itæ igitur sunt horribiles illæ hæreses, quas ab inferis reuocauimus. Hæresis nempe est, cum Christo docere, solum Deum esse adorandum: at Catholicum dogma est, cum Papa docere sanctos angelos & homines iuxta Deum esse adorandos. Hæresis est, cum Christo & Paulo administrare Eucharistiam integram, constantem ex pane & vino, symbolis sacris: at Catholicum dogma est, cum recentibus & nuper natis Papistis, Eucharistiam laicis administrare mutilatam. Hæresis est, cum Augustino docere, Christum ascendendo in cælum, corpori suo maiestatem dedisse, naturam tamen corporis non ademisse: at Catholicum dogma est, cum Papa docere Christum corpore suo ascendisse in cælum, & nihilominus in omnibus locis, vbi celebratur Eucharistia, corpore suo præsentem esse. Hæresis est, cum Apostolo, Chrysoftomo, Sozomeno, Nazianzeno, docere, matrimonium esse honorabile, etiam in pastoribus ecclesiæ: at Catholicum dogma est, cum Papa docere, statum illum esse impurum, & honorificum esse sacerdoti, si concubinam alat potius, quam si vxorem ducat. Hæresis est cum Mose, Christo, Iohanne, ablegare homines ad Scripturam, eamque laudare à perfectione & omnimoda vtilitate: at Catholicum dogma est, cum Papistis docere, laicos non esse idoneos lectores Scripturæ, eamque esse imperfectam & multis modis noxiam. Hæresis est, cum Theodoro dicere, post sanctificationem mystica symbola in Eucharistia naturam suam propriam non abijcere: at Catholicum dogma est, panem & vinum Eucharistia profus immutari, atque abire in nihilum, ita vt corpus & sanguis Christi sint sub accidentibus panis & vini. Sed nos malumus esse cum Christo, Apostolis, & Patribus hæretici, quam cum Papistis Catholici. Iudicet itaque peritus sacrarum literarum homo Christianus, & sinceritati deditus, an nos in medium adducamus hæreses; an conciliorum veterum; & Patrum orthodoxorum autoritatem pro nihilo habeamus; an noua dogmata disseminemus. Profecto Christus ipse, & Apostoli, & Patres antiqui errauerunt, si nos in his doctrinæ capitibus erramus. Si nos sumus hæretici, illi sunt hæresiarchæ.

XVI. Quod autem dicunt nos in *varius sectas* Lutheranorum, Zwinglianorum, Caluinianorum &c. abijisse, neque adhuc potuisse satis inter nos ipsos de summa doctrinæ conuenire: quid illi dixissent, si primis illis Apostolorum temporibus, itemque veterum Patrum extitissent? cum alius diceret, Ego sum Pauli; alius, Ego sum Cephæ; alius, Ego sum Apollo: cum Paulus Petrum reprehenderet: cum simultatis causa Barnabas à Paulo discederet: cum, vt author est Origenes, Christiani in totiam factiones distracti essent, vt nomen tantum Christianorum commune, aliud autem præterea nihil, Christianorum simile retinerent; vtque Socrates ait, dissensionum & sectarum causa in theatris publice à populo irriderentur? Cumque, vt ait Constantinus Imperator, tot essent dissensiones & rixæ in ecclesia, vt ea calamitas videri posset omnem aliam superiorem calamitatem superasse? Cum Theophilus, Epiphanius, Chrysoftomus, Augustinus, Ruffinus, Hieronymus, omnes Christiani, omnes Patres, omnes Catholici, acerbissimis atque etiam implacabilibus inter sese contentionibus conflarentur? Cum, vt Nazianzenus ait, eiusdem corporis membra inter se consumerentur? Cum Oriens

ab Occidente, de fermentato, & de Paschate, non ita magnis de rebus scinderetur? Cum in omnibus Concilijs noua subinde decreta conderentur? Quid isti tum dixissent: ad quos se potissimum applicitissent? quos fugissent? quos pro Catholicis, quos pro hæreticis habuissent? Nunc duo tantum nomina, Lutherus & Caluinus, vel vt alii malunt Zwinglius, quas istis tragædias excitant? Vt quoniam illi duo de re aliqua nondum consentiunt, idcirco vtrumque errasse, neutrum habuisse Euangelium, neutrum vere ac recte docuisse arbitremur? Verum, ô Deus bone, quinam isti tandem sunt, qui dissensiones in nobis reprehendunt? An vero omnes isti inter se consentiunt? An singulis satis habet constitutum quid sequantur? an inter illos nullæ vnquam dissensiones, nullæ lites extiterunt? Cur ergo Thomistæ & Scotistæ de merito congrui & condigni, de voto solenni & simplici, de alijs doctrinæ capitibus non melius inter se consentiunt? Cur Dominicani & Franciscani de peccato originis in beata virgine adeo altercantur? Cur Canonistæ articulare confessionem de iure humano & positiuo esse aiunt, Scholastici contra de iure diuino? Cur Thomas à Lombardo, Scotus à Thoma, Occamus à Scoto, Aliacensis à Occamo, Nominales à Realibus dissentiunt? Vtque taceam tot dissensiones fraterculorum & monachorum, quod alij in piscibus, alij in oleis, alij in caleis, alij in veste linea, alij in lanea sanctitatem constituunt: alij albat, alij pullati, alij latus, alij angustius rasi, alij soleati, alij nudipedes, alij cincti, alij discincti ambulant: meminisse debent, in vnico loco de Eucharistia, imò in vno & altero istius loci titulo, qui est de præsentia corporis Christi, deque interpretatione istorum verborum, *Hoc est corpus meum*, plurimas contentiones, & quasdam exijs etiam ridiculas, occurrere. Bant ergo sane & pacem potius inter suos domi sanciant. Vnitas quidem & consensio maxime conuenit religioni. Non tamen est ea certa & propria nota ecclesiæ Christi. Summa enim erat consensio inter eos, qui aureum vitulum adorabant, & inter eos qui coniunctis vocib. in Seruatorem nostrum Iesum Christum clamabant, Crucifige. Neque quia Corinthij dissensionibus inter se laborabant, aut quia Paulus à Petro, aut Barnabas à Paulo, aut Christiani statim sub ipsis inijs Euangelij aliqua de re à se mutuo dissidebant, idcirco nulla erat inter eos Ecclesia Dei? Illi quidem, quos isti contumeliæ causa Lutheranos & Caluinianos appellant, reuera autem sunt vtrique Christiani, non de principiis aut fundamentis religionis nostræ: tantum de vna, & altera questione, quæ non pertinet ad religionis nostræ cardines inter se dissentiant.

XVII. Quæ dissensio vtinam breui tollatur! Vt & illa, quæ est inter nos & Papistas, cum quibus hætenus confligimus! Vtinam, dico, pax tandem aliquando inter nos omnes, qui in Christi nomen baptizati sumus, in-eatur! Nos sane pacem non fugimus, sed optamus. Dulce enim est pacis nomen, vt ait Hilarius. Istam vero pacem procul dubio nobis largietur Deus, author ille & fautor pacis, si illud Cypriani consilium sequamur. Hinc, inquit, schismata oriuntur, quia caput non queritur, & ad fontem sacrarum Scripturarum non reditur; & cælestis magistri præcepta non seruantur. Non enim, inquit, pax ea est, sed bellum: nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur. Sed tu, Domine cæli & terræ author & tutor Ecclesiæ tuæ, dator omnis boni doni, nobis omnibus aperi oculos, vt videre possimus beatam illam spem, ad quam vocati sumus, vt vnà omnes glorificemus te, & glorificemur à te atque apud te, vnum illum & verum Deum, Patrem, Filium,

& Spiritum sanctum: cui soli sit gloria & magnificentia, robor & potestas, & nunc & in omnia secula, Amen.

FINIS LIBRI QUINTI DE ECCLESIA,

adeoque

VNIVERSÆ PANSTRATIÆ CATHOLICÆ.

